This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS, ET AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA (ANN. 1439) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA ; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA ; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS, DETECTIS AUCTA ; INDICIBUS ORDINARIIS VEL ETIAM ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA ; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA ; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA ;

DUCENTIS ET QUADRAGINTA INDICIBUS SUB OMNI RESPECTU, SCILICET, ALPHABETICO, CHRONOLOGICO, ANALYTICO, ANALOGICO, STATISTICO, SYNTHETICO, ETC., RES ET AUCTORES EXHIBENTIBUS, ITA UT NON SOLUM STUDIOSO, SED NEGOTIIS IMPLICATO, ET SI FORTE SINT, PIGRIS ETIAM ET IMPERITIS PATEANT OMNES SS. PATRES, LOCUPLETATA ; SED PRÆSERTIM DUOBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS INDICIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, ABSQUE ULLA EXCEPTIONE, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR ; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT :

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, CORRECTIONIS PERFECTIO, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, VEL ETIAM INEDITORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM, ET EX INNUMERIS OPERIBUS TRADITIONEM CATHOLICAM CONFLANTIBUS, OPUS UNICUM MIRABILITER EFFICIENTIUM.

SERIES GRÆCA POSTERIOR,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ GRÆCÆ AB ÆVO PHOTIANO USQUE AD CONCILII FLORENTINI TEMPORA, ET AMPLIUS ;

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIAM NEMPE LATINAM, ALIAM GRÆCO-LATINAM. AMBÆ PARTES PENE JAM INTEGRE EXARATÆ SUNT. LATINA, DUCENTIS ET VIGINTI DUOBUS VOLUMINIBUS MOLE SUA STANS, DECEM ET CENTUM SUPRA MILLE FRANCIS VENIT : GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALI COMPLECTITUR, NOVEMQUE ET CENTUM VOLUMINA, PRO PRIMA SERIE GRÆCA, NON EXCEDIT. POSTERIOR AUTEM VERSIONEM LATINAM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA QUINQUE ET QUINQUAGINTA VOLUMINA RETINETUR. SECUNDA SERIES GRÆCO-LATINA SEXAGINTA VOLUMINA PROBABILITER NON SUPERABIT ; DUM HUJUS VERSIO MERE LATINA TRIGINTA VOLUMINIBUS ABSOLVETUR. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR : UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM, SIVE LATINAM, SIVE GRÆCAM COMPARET NECESSE ERIT ; SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT. ATTAMEN, SI QUIS EMAT INTEGRE ET SEORSIM COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO LATINE VERSAM, TUM QUODQUE VOLUMEN PRO NOVEM VEL PRO SEX FRANCIS SOLUM OBTINEBIT. ISTÆ CONDITIONES FUTURIS PATROLOGIÆ SERIEBUS APPLICANTUR, SI TEMPUS EAS TYPIS MANDANDI NON NOBIS DEEST.

PATROLOGIÆ GRÆCÆ TOMUS CXXVII.

NICEPHORUS BRYENNIUS, CONSTANTINUS MANASSES, PHILIPPUS SOLITARIUS, ALEXIUS COMNENUS IMP., IRENE AUGUSTA. ALII.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE, EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1864

Digitized by Google

BR
60
.M38
v. 127

Digitized by Google

TRADITIO CATHOLICA.

SÆCULA XI-XII. ANNI 1081-1120.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ

ΤΟΥ ΒΡΥΕΝΝΙΟΥ

ΙΣΤΟΡΙΩΝ ΒΙΒΛΙΑ Δ΄.

NICEPHORI BRYENNII

HISTORIARUM LIBRI IV

CAROLI DUFRESNII DU CANGII NOTIS HISTORICIS ILLUSTRATI.

ACCEDIT

CONSTANTINI MANASSIS

COMPENDIUM CHRONICUM;

INTERMISCENTUR

NICOLAI CP. PATRIARCHÆ, LUCÆ ABBATIS CRYPTOFERRATENSIS, NICONIS MONACHI RAITHENSIS IN PALÆSTINA, ANASTASII CÆSARIENSIS IN PALÆSTINA ARCHIEPISCOPI, NICETÆ SERRONII, JACOBI MONACHI, PHILIPPI SOLITARII, JOB MONACHI, PETRI CHRYSOLANI, ALEXII COMNENI IMPERATORIS, IRENES AUGUSTÆ, NICEPHORI BOTANIATÆ IMPERATORIS, NICETÆ SEIDI,

QUÆ SUPERSUNT;

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 12 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1864

Digitized by Google

TRADITIO CATHOLICA.

SÆCULA XI-XII, ANNI 1081-1120.

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXXVII CONTINENTUR.

NICEPHORUS BRYENNIUS.

Prolegomena, 9

Nicephori Bryennii Historiarum libri IV, ab anno Christi 1057 ad 1081, cum Petri Possini et Car. Dufresnii Du Cangii notis historicis. 19

CONSTANTINUS MANASSES.

Compendium chronicum ab exordio mundi usque ad Nicephorum Botaniatem, id est annum 1081. 219

NICOLAUS CP. PATRIARCHA.

Epistola synodalis ad Alexium Comnenum imp. 473

Decreta synodalia. *Ibid.*

De præstatione Canonicorum. *Ibid.*

LUCAS ABBAS CRYPTOFERRATENSIS SEPTIMUS.

Vita S. Bartholomæi cum nota Editorum Patrologiæ. 473

NICON MONACHUS RAITHENSIS IN PALÆSTINA.

Liber de præceptis divinis. 513

Interpretationes divinorum mandatorum. 515

De jejunio Deiparæ. *Ibid.*

ANASTASIUS CÆSAREÆ PALÆSTINÆ ARCHIEPISCOPUS.

De Artziburio adversus falsam Armenorum religionem. 517

De jejunio Deiparæ. 519

NICETAS SERRONIUS.

Notitia ex Allatio De Nicetis. 531

Monitum Editorum. *Ibid.*

Commentarius in Orationes S. Gregorii Nazianzeni (*vide etiam ad calcem Voluminis.* 543

Responsa ad Constantinum episcopum. *Ibid.*

Deorum Dearumque Epitheta, cum nota Editorum. 543

Carmina grammatica. *Ibid.*

JACOBUS MONACHUS.

Orationes encomiasticæ in SS. Virginem, ex editione Ant. Ballerini S. J. 543

PHILIPPUS SOLITARIUS.

Monitum Editorum. 701

Jacobi Pontani in Dioptram Præfatio. 703

Michaelis Pselli Præfatio. 707

Præfatio Phialiti correctoris. *Ibid.*

Philippi Solitarii Præfatio ad Callinicum monachum. 709

Dioptra rei Christianæ. *Ibid.*

De rebus Armeniæ. 877

JOB MONACHUS.

Vita S. Theodoræ reginæ, Græce in Codice Naniano LXXI, cum interpretatione nostra. 903

PETRUS CHRYSOLANUS MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Epistola ad Alexium imp. de Spiritus sancti processione. 909

ALEXIUS COMNENUS IMP.

Novellæ Constitutiones. 923

IRENE AUGUSTA.

Typicum sive Regula pro monasterio SS. Deiparæ Gratia-Plenæ, ex editione Domni Bern. de Montfaucon. 985

NICEPHORUS BOTANIATA IMP.

Aurea Bulla confirmans decreta synodalia Joannis Xiphilini de incestis nuptiis et sponsalibus. 1481

NICETAS SEIDUS.

De Paschate. 1485

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MLXXXI

NICEPHORUS BRYENNIUS

NOTITIA

(Fabric. *Bibliotheca Græca*, tom. VI, pag 343.)

Nicephorus Bryennius IV, Cæsar, Nicephori Bryennii secundi ἀπόγονος et maritus Annæ Comnenæ, filiæ Alexii Comneni imp., defunctus circa A. C. 1137, de cujus vita consulendus Martinus Hanckius lib. I, *De rerum Byz. scriptoribus*, cap. 28. Ejus Ὕλη * ἱστορίας ad socrum Irenem Augustam e Ducarum familia, Annæ matrem, Alexii Comneni conjugem, sive *libri quatuor commentariorum de rebus Byzantinis* ab Isaacii Comneni principatu usque ad initia Alexii Comneni, sive ab A. C. 1057, ad 1081 Latine versi et utraque lingua primum editi sunt a Petro Possino, S. I., qui illos descripsit ex perantiquo codice Jacobi Cujacii ac Petri Fabri Sanjoriani, quo Annæ Comnenæ *Alexias* libris illis subjecta legebatur Prologus ἀκέφαλος necdum ex alio codice suppletus. Possini editio lucem vidit inter *Scriptores Hist. Byz.* Paris. 1661, fol., ad calcem Procopii. Addendæ eruditæ Caroli du Fresne notæ, quæ subjectæ sunt Joannis Cinnamo, ibid. 1670, fol.

SERENISSIMÆ DOMINÆ

CHRISTINÆ ALEXANDRÆ, SUECORUM, GOTTHORUM ET WANDALORUM REGINÆ,

PETRUS POSSINUS E SOCIETATE JESU FELICITATEM.

Non solus venio quo benignissime invitare dignata es, ad istam in tuis nuper Romanis exponi cœptam ædibus locupletissimam et vere regiam bibliothecam tuam, Serenissima Regina. Adjungit en se ultro mihi comitem transmarinus advena, homo quantivis pretii; a natura incertum, an a fortuna, an a virtute commendabilior; quem ubi nominavero, statim, scio, admissione dignum hospitioque judicabis. Nicephorus hic est Bryennius, dignitate Cæsar, matrimonio Annæ Comnenæ conjux, gubernandi usu et sapientia præclarus, excellens militari fortitudine, pietate ac religione præcipuus; denique vir tantus, ut inter ejus illustres dotes et celebratissimas laudes illa pene omnium censeatur infima, quod eruditorum et disertorum sui sæculi princeps est existimatus. Huic tali ac tanto veniendi ad Majestatem Tuam duplex causa est. Nam et te claro famæ præconio procul cognitam visere ac venerari coram gestit, reginam regio fastigio majorem; in qua claritatem natalium longe maximam, atque adeo augustam, ingenii, sapientiæ, facundiæ dotes exsuperant: et harum rursus ipsarum micantissimis licet luminibus, Christianarum virtutum omnium, atque inprimis heroicæ religionis, speciosius eminentes quidam ac multo splendidiores obstruunt apices. Isto, inquam, tui tanto tamque præclaro frui spectaculo vult Bryennius. Ac præterea tuo ejusdem præsentis ac coram cognoscentis arbitrio direpturum se sperat domesticam litem, quæ dudum ipsum cum lectissima et alioqui charissima committit conjuge. Queritur nimirum illa et

* Nicephorus ipse in Præf. p. 13: Οὔτε γὰρ ἱστορίαν συγγράφειν προήρημαι, οὔτε πλέκειν τῷ Ἀλεξίῳ ἐγκώμιον· μόλις γὰρ ἂν πρὸς ταῦτα ἡ τε Θουκυδίδου δεινότης, καὶ τὸ Δημοσθένους ἐξήρκεσε μεγαλόφωνον. Ἀλλ' ἀφορμήν τινα παρασχεῖν βουλόμενος τοῖς τὰ ἐκείνου συγγράφειν ἐθέλουσι πρὸς ταυτηνὶ τὴν γραφὴν ἐξώρμησα. Ταύτη τοι καὶ, Ὕλη ἱστορίας ὄνομα ἔστω τῷ λόγῳ. Auctores nullos allegat hic Nicephorus præter Homerum pag. 63, lib. II, et lib. VI, pag. 101; Euripidem pag. 102. Patriarchæ Antiocheni Æmiliani mentio pag. 64, lib. II, et Thomæ patriarchæ CPol., qui Michaelem imp. monachum factum creavit metropolitam Ephesi, p. 84, lib. III; sed ibi pro Θωμᾶς videtur legendum Κόσμας.

1894

Digitized by Google

verbis acribus expostulat *, viri sui nimia modestia contigisse, ut imperii successio post excessum Alexii patris ad Joannem potius fratrem, licet juniorem ac post se non solum natam, sed etiam ad imperium designatam genitum, delaberetur; jure, quod ex prærogativa ætatis; spe, quam e matris studio et cognatorum pro se conjurantium voluntate certam habebat, intempestiva mariti philosophia corruptis ac proditis. Adversus hanc criminationem vix est ut satis Nicephorum sua virtus tueatur : popularibus vel præjudiciis vel studiis ambitioni mulieris potius, quam viri moderationi suffragaturis. Ac parum abest quin ipsi etiam historici, quos sapientiæ causam suscipere decebat, socordiæ Bryennium ac stuporis hoc nomine insimulent. Ille tamen haud concidens animo, hanc quantumvis difficilem ac desperatam evicturum se causam plane confidit, te utique arbitra, cujus qui sensus sit futurus in tali controversia, post ea quæ mundo dudum applaudenti mira specimina edidisti sapientiæ sceptrorum contemptricis, dubitare nemo potest. Atque idem hactenus tantum sui meriti conscientia nititur, ut se absolvendum, te judice, certum habeat; minime vero ut aspirare ausit ad æqualitatem laudis tuæ. Nempe ipse imperium filio a patre legitime traditum violenter intercipere gener temperavit : quam hoc infra decus tuum, Serenissima Regina! Tu enim regnum amplum et florens multis annis tranquillissime possessum, in summa rerum omnium felicitate et quæ inde nascitur populorum benevolentia, sapientissime gubernatum, generosæ mentis heroico proposito sponte abdicasti. Magnificum, illustre, ingens et alte supra mediocria recte facta eminens facinus! Quod tamen augustius divinusque res, cujus gratia susceptum est, efficit. Agnoveras catholicam veritatem; et nebulas hæreticæ fraudis, toto Septentrione dudum offusas, mentis divinitus illustratæ felici perspicacia discusseras. Arcebant ne sequerere oblatam lucem infulæ ac diademata, tenacissimum vinculorum genus. Tu tamen collecta in te unam trium Orientalium fide ac pietate regum, Christum olim stellæ ductu, Herode frustra ringente, quærere ausorum, regina trium populorum, perruptis omnibus obstaculis, ad Christi vicarium, hæresi calcata, cucurristi; veræ religionis exercendæ facultatem haud caro emi rata jactura regnorum. Macte rara gloria inusitatissimæ virtutis, qua dynastis Borealibus prima post funestam defectionem illarum regionum signum exempli salutaris extulisti. Sed hæc ampliora sunt quam ut angustiis epistolæ arctari debeant. Ad Bryennium redeo. Qui hunc suum in publicam lucem reditum, atque in Latium transitum, ita demum auspicatum fore intelligens, si benignitate favoris tui, quasi astri natalis benefico aspectu fortunetur, te ambit, tibi supplicat, tuum patrocinium implorat. Suum præterea (ut est homo gratissimus) remunerator interpretem : dum eum velut Majestati Tuæ devotissimum clientem amplitudinisque ac gloriæ studiosissimum tuæ, obsequiis admovere vestris et insinuare gratiæ conatur; haud sane fucato testimonio, quippe a factis semper solidisque officiis, ubi operæ navandæ occasio vocaverit, fidem ac experimentum habituro.

* Apud Nicetam Choniatem lib. I.

ΓΑΛΗΝΟΤΑΤΗ ΤΩΝ ΣΟΥΕΚΩΝ, ΓΟΤΘΩΝ ΚΑΙ ΟΥΑΝΔΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗ ΧΡΙΣΤΙΝΗ, ΑΠΟΛΕΙΦΘΕΙΣΗΣ ΔΙΑ ΤΗΝ ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ, ΡΩΜΗΝ ΕΙΣΕΑΘΟΥΣΗ.

SERENISSIMÆ SUECORUM, GOTHORUM ET WANDALORUM REGINÆ CHRISTINÆ, RELICTO OB PIETATEM REGNO, ROMAM ADEUNTI.

Roma, triumphales festivior instrue pompas,
Et novus antiqua certet in urbe decor :
Non hic regnorum domitrix Bellona triumphos,
Orbis ab excidio nulla tropæa petit.
Arte nova pietas vincit, quia sceptra recusat,
Regnaque non pugnans, sed fugitiva domat.
Inclita majorum, virgo, dum sceptra relinquis,
Sceptra tui victrix nobiliora capis;
Subdere regna sibi magnum est, sua linquere majus;
Vincere Christinam non nisi sola potes.

Ἀ Ἐσθλὰ θριαμβεύουσα χαρᾶς μὴ φείδεο, Ῥωμη,
Αἰσχύνθη δὲ τὰ πρὶν κόσμια πρὸς τὸ νέον·
Οὐ γὰρ Ἄρης ἐχθρῶν ἐπινίκια δεινὰ δαμέντων,
Θὐδὲ σφαγῆς μερόπων τίμια σκῦλα φέρει.
Ἀλλὰ κρατεῖ τὸ σέβας· βασιλεύματα λαμ ρὰ πατῆσαν,
Ἔλλαβεν οὐδὲ μάχη, ἀλλὰ φυγὴ τὸ κράτος·
Παρθένε, τῶν προγόνων ὑπερήφανα σκῆπτρα λιποῖσα
Σοῖο μὲν ἐξ ἥττης ἄξια σκῆπτρα νέμεις.
Κῦδος ἔην βασίλευμα λαβεῖν, μέγα θαῦμ' ἀπολείπειν,
Χριστῖναν δὲ δαμᾶν σὸν μόνον ἔργον ἔην.

Digitized by Google

Ὦ; νικῶσα διπλᾶς, ὡς νικηθεῖσα θριάμβοις,
Καί σε βιαιοτάτου λεῖαν ἀγῶνος ἄγεις.
Σοί γε κρατοῦσα κράτος, σοὶ δ' ἧσθα πεσοῦσα τροπαῖον,
Σῆς τέρας ἦν νίκης, ὅφρα κρατῇς, πεσέειν·
Πόσσον ἄρ' ἐκ νίκης κλέος ἦν, εἰ τόσσον ἀφ' ἥττης;
Ἀλλά νυν ἐν σαυτῇ πόσσον ἀπ' ἀμφοτέρας;

ΙΩΑΝΝΗΣ ΒΑΠΤΙΣΤΗΣ ΓΙΑΤΤΙΝΟΣ,
Ἐκ τῆς Ἑταιρείας τοῦ Ἰησοῦ.

A Ergo tuum geminas victrix et victa triumphum,
Prædaque victricis duceris ipsa tui:
Tute tibi palma es victrix et victa tropæum,
Et spoliem regno majus es ipsa tuo.
Quanta est vincentis, si tanta est gloria victæ?
At simul et vinci et vincere quanta fuit?

JOANNES BAPTISTA GIATTINUS,
E Soc. Jesu.

ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΡΩΜΗΝ,

Ὅτε εἰς αὐτὴν ἐπιδημήσασα εἰσήλασεν ἡ ἐνδοξοτάτη καὶ γαληνοτάτη τῶν Σουέκων Γότθων καὶ Οὐανδάλων βασίλισσα Χριστῖνα.

AD URBEM ROMAM,

Quando in eam adveniens triumphali pompa invecta est illustrissima et serenissima Suecorum, Gotthorum et Wandalorum regina Christina.

Ῥῶμα κλέος μερόπων, μακάρων ἕδος, ἣν ῥα φιλήσας
Πᾶσι μίαν πόλεσιν θῆκεν ἄνασσον Ἄρης.
Τίς κατέμιξε κόνει τὰ σὰ δώματα; μῶν Γαλατῶν σε
Χειρὶ βαρυπτολέμῳ πυρπολέησε μένος;
Μῶν ἀπὸ τῶν Καννῶν δριμύπνοος Ἀννίβὰλ ἐλθὼν
Φοινίσσας Φρυγίοις δᾳδας ἀνῆψε δόμοις;
Ἤ σε πάροινος ἔκρησεν ἀλάστορος ὄβρις ἄνακτος,
Καί σε φλέγουσαν ἴδεν ἡδὺ θέαμα Νέρων;
Οὐκ ἄρα γ', ἀλλά νύ σοι κρυερῆς φλόγας ἦγεν ἀπ' ἄρκτου
Γότθος, ἀηττήτοις ἐγκατάφρακτος ὅπλοις.
Γοτθικὰ Ῥωμαίας κατὰ τεύχεα ῥῆξεν ἐπάλξεις,
Γοτθικὸν Αὐσονίας ἔγχος ἔκοψε πύλας.
Θυμὸς Ἀλαρίκου, Τοτίλου τ' ἀκατάσχετος ὁρμὴ
Τοὺς σοὺς ἑπτὰ τέφρῃ, Ῥῶμα, κάλυψε λόφους.
Κλαῦσεν ἰδοῦσα καπνὸν πυρκαιῆς αἶψα τοσαύτης
Πραινέστης ἀπ' ἄκρας, καὶ μετέμηλε, τύχη.
Αὐτὰ λογιζομένη πόσον ὦβρισεν, ὠμά περ ἄρκτος
Ἔστενε, Ῥωμυλέην τ' ἐξελέησε λύκον.
Νῦν ὅ' ἀνθ' ὧν ἀπὸ σφῶν ἐπεπόνθεσαν, ἑπτὰ Βοῶται
Ἐπτ' ὄρεσιν Ῥώμης ἴσ' ἀν' ἄποινα δόσαν,
Χριστίνην ὅτ' ἔπεμψαν, Ἀλαρίκου Τοτίλου τε
Ὕβρεσι κἀμπλακίῃς ἀντιτάλαντον ἄκος.
Χαῖρε τριῶν βασιλῆς, πάντων πόθος ἠδ' ἔρος ἐθνῶν,
Ἦ Χαρίτων ἕπεται πᾶς Ἀρετῶν τε χορός.
Εὖρ' ἴθι, καὶ καλὰ πάντα μετ' εἰρήνης ἀνάγοντι
Ἄμμιν Ἀλεξάνδρῳ πιστὰ συνεργὸς πάρει.

ΠΕΤΡΟΣ ΠΟΣΣΙΝΟΣ,
Ἐκ τῆς Ἑταιρείας τοῦ Ἰησοῦ.

D Roma beatorum domus inclyta, quam dedit unam
Omnibus armipotens urbibus esse caput.
Quis tua stravit humo fastigia? Gallicus an te
Hostili victam torruit igne furor?
An ferus a Cannis tumida ruit Annibal ira
Dardana Phœnissa tecta cremare face?
An Nero nocturnos tibi subdidit ebrius ignes
Trojanos ludens in tua busta rogos?
Non sane: at gelida flammas tibi Gotthus ab arcto
Immisit populus Marte favente ferox.
Gotthica Romanas fregerunt spicula turres,
Gotthorum Ausonias pertudit hasta fores.
Sævus Alaricus, Totilæque ferocia diri,
Arces in cinerem, Roma, dedere tuas.
C Flevit ad hunc fumum summa Prænestis ab arce
Fortuna, et tantum se nocuisse dolet.
Ipsa etiam quamvis glaciali dura rigore
Romuleæ damnis ingemit ursa lupæ.
Ecce jugis septem septeni dona triones
Sera, sed illatis æqua malis referunt.
Compensantur Alarici Totilæque ruinæ
Christinæ adventu; desine, Roma, queri.
Salve, virgo trium domina, stupor omnium amorque
Regnorum, virtus cui comes est et honor.
Euge ades, et fessis requiem auxiliumque parante
Rebus Alexandro, tu quoque confer opem.

PETRUS POSSINUS,
E Soc. Jesu.

Digitized by Google

PETRI POSSINI PRÆFATIO.

Viduæ Annæ Comnenæ amissum et misere deploratum virum Nicephorum Cæsarem Bryennium Euripideo velut quodam Herculis miraculo reddimus, dum Alexiadi Cæsarissæ illius turturinis passim questibus acerba conjugis Cæsaris fata lamentanti (quod opus ante annos aliquot luci dedimus) Bryennianos nunc commentarios adjungimus, sæpe, multum, et merito Annæ ibi laudatos; et nobis Alexianæ historiæ illustrandæ studiosis vel eo nomine desiderabiles, quod ex iis Comnena et scribendi consilium, et argumenti genus, et scriptionis formam ac modum sese hausisse professa non semel est. Nec tamen in hac quasi Alcestidis scena invidiose gloriosas mihi sumpserim mirifici Herculis partes: quippe cui potius in fabula tali Admeti persona conveniat alieno beneficio felicis. Vivit Tolosæ, et utinam diu ac fortunatissime sicut dignus est, vivat, V. C. Antonius Dadinus Altaserra, prærogativa excellentium meritorum extra sortem et comparationum moras judicio illustrissimæ illius Academiæ allectus in amplissimum ordinem antecessorum, juris illic utriusque regius professor. Is ex me, quicum amicissime vivebat, cum sæpius confabulando cognovisset quanto desiderio tenerer antiquissimi codicis Alexiados Annæ Comnenæ, quem a Jacobo Cujacio principe jurisconsultorum ad spem editionis olim traditum viro nobilissimo et eruditissimo Petro Fabro Sanjoriano, esse adhuc Tolosæ magna opinio erat; sed cujus in manu quave in domo esset, frustra erat eatenus quæsitum. Cum, inquam, istius meæ curæ conscius, et propter amicitiam particeps esset, forte illi contigit, non modo in notitiam ejus hominis venire, penes quem is thesaurus asservabatur, sed et tantam ab eo inire gratiam, ut negare ipsi nihil posset. Impetrata igitur in paucos dies optatissimi mihi codicis usura cupidissime advolavit ad me ac totum inopinatissimo gaudio perfudit. Liber erat e charta lintea perantiquus, et manus transmarinæ, quem statim evolvens avidissime, in eo reperi libros quindecim *Alexiados* Annæ integros, nec paucis locis ab eo exemplari unde nostra jam tum prodierat editio, diversos. Præfatio, quam ex Hœschelianis excerptis sumpsimus, deerat; sed exhibebat ejus loco bene longum opus, ἀνεπίγραφον, ἀνώνυμον, ἀκέφαλον; quippe cujus primum folium et operis titulum, et nomen auctoris, et initium procœmii verisimiliter complexum, non comparebat. Non plus tamen uno folio deesse, nota secundi numeri primo foliorum quæ restabant, prælixa monstrabat. Ex quo aliæ similiter pagellæ ad finem usque spissi codicis, suos invicem hærentes, et perpetua serie sine ullo hiatu continuatos numeros habebant figuris Saracenicis expressos. Quæsivi anxie quid illa tandem essent *Alexiadis* tam verbosa prolegomena. Nec diu abfuit quin plane ac certo comperirem, esse ipsos αὐτόχρημα commentarios Nicephori Cæsaris Bryennii tam propriis et illustribus characteribus ab Anna ejus conjuge insignitos, ut agnosci visu primo sine nomenclatoris opera possent. Nimirum habemus ex Annæ præfatione, Bryennium rogatu Irenes Augustæ, matris Annæ, scripsisse opus, quo complectebatur primordia Alexii, deinde Augusti; ejus scriptionis initium repetitum esse usque ab Romani Diogenis principatu; inde narrationem ad Botaniatis imperantis tempora perductam. Quam hæc omnia nostro huic unice scripto conveniunt, primum Irene Augusta nuncupata, deinde principium et finem narrationis iis exacte terminis cohibente, quos designat Anna, postremo ubique dotes et virtutes Alexii tunc privati, postea imperatoris, studiosissime celebrante. Præterea quæ inesse Bryennianis commentariis affirmat Anna, ea in hisce omnia comparent. Id uno alterove exemplo demonstrasse satis sit. Lib. I, p. 9, de causis quæ Bryennium seniorem moverint ad imperium affectandum, ita scribit: Τὸ μὲν ὅθεν καὶ ὅπως, οὐκ ἀναγκαῖόν ἐστιν ἡμῖν διηγεῖσθαι· φθάνει γὰρ ἡ τοῦ Καίσαρος ξυγγραφὴ τὸ αἴτιον τῆς ἀποστασίας ἐξιστορῆσαι. Hoc est: *Hujus incepti quæ causa quæve rationes fuerint, mihi non est necesse diligentius exponere: quoniam istum nobis laborem accuratus ea de re nostri Cæsaris commentarius occupavit.* Hæc plane digitum intendunt in librum tertium horum commentariorum. Ibi enim a sectione secunda ad decimam fusissime declarantur causæ quæ Bryennium moverunt ad imperium usurpandum. Paulo post Anna eadem de expeditione Alexii in Bryennium, hujusque clade, captivitate, et excæcatione breviter memorans, ait sibi necesse non videri ea diligentius cuncta persequi. Τὸ γὰρ ἀκριβὲς (inquit) τῆς ἱστορίας τὸν βουλόμενον μαθεῖν, ἐς τὸν Καίσαρα παραπέμπομεν. Hoc est: *Nam fusius et subtilius ista descripta qui nosse cupierint, eos ad Cæsarem remittimus.* Respiciunt ista manifeste lib. IV horum commentariorum, in quo a num 2 ad 18 hæc tota Bryenniani belli, et Bryennii calamitatis historia distinctissime minutissimeque traditur. Libro quoque *Alexiadis* X, p. 271, de prælio Isaacii Sebastocratoris cum Turcis commisso prope Antiochiam, ita scribit Anna: Ὅπως δὲ τὸ λεπτομερέστερον ἐθέλοντι μανθάνειν, ἔξεται ἀπὸ τῶν τοῦ Κλεινοῦ καίσαρος συγγραμμάτων διεντυχεῖν. *De quo* (nimirum prælio) *qui distinctius scire volet, habet commentarios inclyti Cæsaris quos consulat.* Exstat indicatus his verbis locus in nostris hisce Bryenniianis commentariis lib. II, num. 29. Bryennium porro, licet indicium tituli codici ms., ut dixi, defuerit, esse hujus operis auctorem satis clare ostenditur lib. IV, num. 15, ubi Bryennium seniorem illum imperii candidatum commendans scriptor, deprecatur vulgarem invidiam

Digitized by Google

atque exceptionem allegari solitam in fidem eorum qui de rebus propriis ad personas familiasve ipsorum pertinentibus narrant. Quo satis significat istum, quem adeo extollit Bryennium, aut patrem, quod habet Zonaras, aut, ut Anna verius affirmat, avum suum fuisse. De quo vide, si libet, notas nostras ad num. 12 et 13 lib. IV horum commentariorum.

Per hæc ego abunde persuasus, esse istos omnino commentarios Cæsaris Bryennii, iis raptim exscribendis, pro angustiis concessi temporis, manum et animum applicui. In quo dulcissimi fratris mei et unanimi συνεργοῦ P. Claudii Maltrait auxilio benevolo sum usus. Quoties enim ineluctabilis necessitas stylum et tabulas extorquebat, ille succenturiat ad vicariam operam, ne circumscripti ad ejus codicis precariam usuram spatii pars nobis ulla dilaberetur otiosa. Sic brevi exscripsimus opus illud totum et priusquam exisset præscripta dies, cum fide ac gratiis debitis commodatum archetypum codicem clarissimo et officiosissimo viro reddidi. Contigit deinde usus liberior codicis ejusdem, insigni et hoc loco memorari digno beneficio incomparabilis et longe supra vulgarem modum prædicandi viri. Guilelmus etenim Pugetius, senatus Tolosani lumen ingens, paucis post illa, quæ modo retuli, mensibus convenit me; et isto ipso, quem quasi furtim antea videram, manuscripto libro de famuli assectantis manu sumpto : en hunc, inquit, codicem, quia tibi utilem et desideratum intellexi, mea pecunia redemptum do tibi donoque, ut tuus quam optimo jure sit. Tanta vis generosissimæ humanitatis in illo cæteris æque omnibus virtutibus et præclaris dotibus ad miraculum exculto heroe fuit. Cujus hac mire opportuna liberalitate mihi commoditas abundavit conferendæ jam editæ *Alexiadis* cum illo manu antiqua descripto ejus exemplari; et ex ea collatione non modo lacunas editionis explendi omnes, sed diversas quoque lectiones facile bis mille in libri mei editi ora notandi. Atque ut nullam tam benevoli officii gratiam omittam, nec illud celabo : summum illum virum in conscientia meriti, tanti tali mecum verecundia egisse, ut cum incidisset illi necessitas quædam revisendi quem donaverat codicis, non sustinuerit, me tum absente, illum e nostro, ubi reliqueram, Tolosano collegio reposcere, nisi prius me officiosissimis litteris rogato, ut ejus brevem usuram, postea restituendi, sibi concederem. Quare viderint qui post acerbissimum mox secutum illius immortalitate dignissimi viri funus librum istum inter ejus κειμήλια repertum hæreditaria possessione rite occupasse videri volunt, quo jure rem detineant manifeste alienam; quippe legitima donatione inter vivos ac testatissima τοῦ μακαρίτου quondam ejus domini beneficentia certissime translatam in jus nostrum, de quo utique nihil cedimus.

Verum, ut ad nostrum Bryennium redeam, necessario profitendum hic est, fuisse illius et mendis inquinatissimam et lacunis non raris nec parum molestis interruptam in archetypo illo et unico codice scripturam. Unde satis sudandum mihi fuit in vera lectione conjecturis divinanda; plus etiam in vera scriptoris sententia, tolerabili saltem interpretatione declaranda. Nihil fere tamen ista necessitate immutatum est, cujus non constet lectori ratio in notis. At quanticunque laboris illud abunde magnam pretium ducimus, quod historiam præclaram a teste magnam partem oculato, eodemque dignitatis atque auctoritatis summæ, adeoque in ætatis illius sapientissimis habito, diserte sincereque conscriptam, nec parvam, ut speramus, Byzantinis Comnenianorum temporum rebus lucem affusuram, in publicum usum edimus.

TESTIMONIA VETERUM

DE CÆSARE NICEPHORO BRYENNIO.

Anna Comnena in Præfatione Alexiadis :

Ἐμοὶ ἀνὴρ ἐγένετο κατὰ νόμους συναφθεὶς ὁ Καῖσαρ Νικηφόρος, εἰς τὴν τῶν Βρυεννίων σεῖραν ἀναγόμενος, ἀνὴρ καὶ κάλλους ὑπερβολῇ, καὶ συνέσεως ἀκρότητι, καὶ λόγων ἀκριβείᾳ, μακρῷ τοὺς κατ' αὐτὸν ὑπερβάλλων. Θαῦμα γὰρ ἄντικρυς καὶ ὁρώμενος καὶ ἀκροώμενος, καὶ τὰ ἐξῆς.

A Maritus mihi fuit legitimo ritu conjunctus Nicephorus Cæsar, generis seriem ad Bryennios referens, vir et formæ præstantia et consummatione prudentiæ et perfectione doctrinæ longe supra omnes, qui tunc erant, antecellens, miraculum prorsus oculis videntium auribusque auscultantium offereus, etc.

Alibi sæpe in sua Historia eadem Anna Bryennii ejusdem cum summa laude meminit.

Zonaras tomo III Annalium *egens de Alexio Augusto post Constantini Porhyrogeniti, cui desponsata Anna ejusdem Alexii primogenita fuerat, ante nuptias mortem, alium sponsum eidem filiæ suæ dante :*

Νυμφίον ἕτερον ἐπ' αὐτῇ εἰσηγήσατο τὸν μείζω τῶν υἱῶν Νικηφόρου τοῦ Βρυεννίου· ὃν ὁ λόγος

Sponsum alterum ei ascivit maximum natu filiorum Nicephori Bryennii, quem superius retulimus

Digitized by Google

in conatu imperii usurpandi captum et excæcatum. Hunc, cum ei filiam uxorem daret, titulo panhypersebasti honoravit.

A προέφηνε τῇ τυραννίδι ἐπιχειρήσαντα καὶ ἁλόντα καὶ πηρωθέντα τοὺς ὀφθαλμούς. Τούτῳ τὴν θυγατέρα ταύτης κατεγγυήσας τετίμηκε τὸν ἄνδρα πανυπερσέβαστον.

Paulo post idem Zonaras :

Bryennii Cæsaris magna erat potentia, ac jam vulgo celebre, illius nutu in regia geri omnia; quare omnes ad eum se conferebant juris dicendi et pro imperii auctoritate sententias ferendi potestate præditum. Erat autem et ipse studiis doctrinarum deditus. Paulo post hoc rerum suarum statu Cæsar omnium linguis celebrabatur.

Βρυεννίῳ τῷ Καίσαρι πολλή τις ἦν ἰσχύς. Καὶ δι' ἐκείνου πᾶν ἐν τοῖς ἀνακτόροις οἰκονομούμενον ἐκπεφώνητο. Διὸ καὶ πάντες ἐκείνῳ προσῆεσαν, καὶ δικάζειν αὐτῷ ἐπετέτραπτο, καὶ βασιλικῶς ἐδιαιτᾶτο. Ἦν γὰρ καὶ λόγοις προκείμενος ὁ ἀνήρ... οὕτω δ' ὡς εἴρηται τῷ Καίσαρι τῶν πραγμάτων συνενεχθέντων διὰ πάσης ἦν γλώττης φερόμενος ὁ ἀνήρ.

Nicetas Choniates initio lib. I, referens conatum Irenes Augustæ in promovendo ad successionem imperii genero Bryennio et filio Joanne ab ea excludendo, sic scribit de eadem Augusta.

Aliquando etiam Bryennium per occasionem summis laudibus celebrabat, ut et eloquentissimum et rebus gerendis aptissimum et liberalibus artibus, quæ animum ad virtutem informent et ad imperium rite gerendum et tuendum maximo adjumento sint, eruditum.

B Ἐνιαχοῦ δὲ καὶ λόγου πρόφασιν τὸν Βρυέννιον παρεισφέρουσα παντοίοις αὐτὸν ἐπαίνοις κατέστεφεν, ἅτε εἰπεῖν ἱκανώτατον καὶ οὐκ ἐλάττονα διαπράξασθαι, καὶ μαθημάτων ἐλευθερίων μεταλαχόντα ῥυθμίζειν τὸ ἦθος εἰδότων καὶ πρὸς βασιλείαν ἀδιαλώβητον οὐ βραχέα συναιρομένων τοῖς ἄρχειν μέλλουσιν.

Idem Nicetas, narrata Alexii morte, refert conspirationem multorum Bryennium, repulso Joanne Alexii filio, ad imperium evehere studentium :

Bryennio se omnes adjunxerunt, eique imperium detulere, ut et liberalibus erudito disciplinis et regia forma conspicuo.

Τῷ Βρυεννίῳ (inquit) πάντες προστίθενται καὶ παραχωροῦσι τούτῳ τῆς βασιλείας, ὡς λογικῶν ἐν μεθέξει ὄντι παιδεύσεων καὶ εἶδος τυραννικὸν προφαίνοντι.

ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ

ΤΟΥ ΒΡΥΕΝΝΙΟΥ

ΙΣΤΟΡΙΩΝ ΒΙΒΛΙΑ Δ΄ (a).

NICEPHORI BRYENNII

HISTORIARUM LIBRI QUATUOR.

ARGUMENTA.

PRÆFAT. Scopus est ostendere Alexium, cum imperium Botaniatæ ereptum sibi sumpsit, jure id fecisse. Narratur rebellio Botaniatæ in Michaelem Ducam. Conatus Alexii in promovendo ad imperium Constantino Duca Michaelis fratre, et alio Constantino Duca Michaelis filio. Machinationes in Alexium variæ. Periculis objectus malo dominantium animo ex his gloriam auget. Insidias invidorum occupando imperio prævertit. Constantinum puerum in consortium imperii et spem successionis vocat. Cujus impulsu hæc scriptio suscepta, quodque ejus consilium ac forma.

Petri Possini notæ.

(a) Edit. Paris. 1661, ΥΛΗ ΙΣΤΟΡΙΑΣ ΠΡΟΣ ΕΙΡΗΝΗΝ ΑΥΓΟΥΣΤΑΝ. *MATERIA HISTORIÆ AD IRENEM AUGUSTAM.* « Hunc titulum operis, inquit Petrus Possinus, etsi in fronte libri, ut dictum est, acephali legere non potuimus, non confinximus ipsi nos tamen, sed ex auctoris loco

Digitized by Google

LIB. I. Manuel Comnenus filios moriens commendat Basilio Augusto. Is eos educari optime curat. Iis adultis magistratus et uxores dat. Major natu eorum Isaacius imperator fit. Transferre imperium in Joannem fratrem vult. Hoc recusante Constantinum Ducam promovet, ipse fit monachus. Constantinus Ducas juste administrat imperium annis septem. Ejus mors, itemque Joannis Comneni, quinque filiis, tribus filiabus relictis, quæ Michaeli Taronitæ, Nicephoro Melisseno, et Constantino Diogenis filio collocantur. Manuelis et Isaacii prima militia. Alexii mira indoles. Diogenes ad imperium evehitur. Initium belli Turcici. Origo Turcorum. Saracenorum imperium late patens discordia turbatum. Muchumet Persis, Medis et Abritanis imperans auxilia Turcorum petit. Eorum ope vincit Babylonios. Sed in Indos movere volens deseritur a Turcis in eum rebellantibus. Decem duces contra eos missi fugantur. Ipse Muchumetes ab illis prælio vincitur, quo ipse cecidit. Turci evocantur in Persidem. Strangolipes dux eorum fit sultanus. Patricius Stephanus Mediæ præses Turcos temere lacessens vincitur. Turci Mediam invadunt. Manuel a Chrysosculo Turco capitur, sed eum incitat ad transfugium a sultano. Manuel moritur. Diogenes expeditione suscepta in Turcos Alexium ad matrem remittit. Diogenes imprudenter bellum administrans, et ab adulatoribus deceptus vincitur a Turcis et capitur. Joannes Cæsar, hoc audito, fratris filium Michaelem Ducam ad imperium evehit, Eudocia ejus matre in ordinem redacta. Sultanus Diogenem honorifice habitum dimittit liberum. Is Amaseam cum exercitu occupat. Adronicus eum acie vincit. Chutatarius Diogenem juvat. Michael pacem cum Diogene frustra tentat. Anna Comnenorum mater cum filio in exsilium pellitur. Andronicus iterum Diogenem vincit et capit honorificeque tractat. Sed is excæcatur Michaelis jussu, et paulo post moritur.

LIB. II. Comneni revocantur ab exsilio. Nicephori in logothetam promotio. Ejus odium in Cæsarem, qui ab aula recedit. Isaacius Comnenus contra Turcos. Urselius cum Francis a castris Romanis recedit. Isaacius a Turcis vincitur et capitur. Eruptio Alexii e castris. Fuga militum Romanorum. Alexius Theodoti consilio servatus, pecunias parat ad redimendum fratrem. Quem jam liberatum Ancyræ reperit. Isaacius cum Alexio obsidentur in domo rustica a Turcis. Sapientia et fortitudo Alexii ea occasione monstratæ. Duorum Alanorum fortia facinora. Reditus in urbem et laudes Alexii. Urselius regiones Romanas incursat. Logothetæ molitiones in Joannem Cæsarem, quem cogit expeditionem suscipere contra Urselium, a quo circumventus partim transfugio, partim fuga suorum vincitur et capitur una cum Andronico filio graviter saucio. Filii duo Andronici dati obsides pro eo fugam tentant, qua unus tantum elabitur. Alterius pædagogus in gravissimis suppliciis fidem arcani servat. Constantini alterius Cæsaris filii subita mors. Joannes Cæsar imperium ambit suadente Urselio. Sed ne id occupet impeditur a Turcis a logotheta in auxilium Michaelis vocatis, a quibus Cæsar et Urselius capiuntur. Urselius pretio soluto liberatur. Cæsar a Michaele redemptus fit metu monachus. Urselio iterum infestanti terras imperii Palæologus oppositus vincitur. Alexius contra Urselium missus eum ad inopiam redigit, et ope Turcorum capit, ejusque excæcationem simulat. Amasenorum seditionem sedat. Arces ab Urselianis occupatas recipit. Docceno incolumem Urselium ostendit. Excipitur a Maurece. Turcos fugat. A naufragio liberatur ope Deiparæ. Benevole excipitur ab imperatore. Urselium benigne tractat. Isaacius dux Antiochiæ creatus artificio magno Æmilianum patriarcham Antiochia excludit, et ire Constantinopolim cogit. Seditio Antiochenorum in Isaacium ab eo compressa, qui mox a Turcis prælio vincitur et capitur.

LIB. III. Andronicus Cæsaris filius moribundus. Occidentales regiones a Slavis, Scythis, Chorobatis et Diocletensibus turbantur. Michael Bryennium imperii collegam assumere cogitat. Impeditur ne faciat a Drungario Constantino. Bryennius Slavos domat, Illyrios acie vincit, mare piratis purgat, fit exosus imperatori obtrectationibus inimicorum, irritatur eo cognito. Basilacius cum fratre Bryennii ab imperatore aversi turbas moliuntur. Sicarius Bryennio submissus deprehenditur. Cæsar filiam Andronici sui filii Alexio Comneno conjugem offert. Ea res licet a multis disturbata, perducitur ad exitum. Bryennius diu reluctatus, tandem imperium usurpat. Patricii Bryennii ejus filii audax facinus et felix. Joannes Curopalata a Bryennio cum exercitu Constantinopolim missus, gratiam et studia civium perdit ob incendium suburbii. Constantinopolis oppugnatur defendente Alexio. Bryenniani obsidionem solvunt et Scythas primum victos sibi adjungunt. Botaniates rebellat, frustra obstante Melisseno. Turcorum in ipsum conductorum insidias vitat, et iis pecunia delinitis Nicæa potitur, ibique acclamatur imperator. Constantinopoli conjuratur in imperatorem. Qui Alexii consiliis rejectis imperium abdicat, fit monachus, et metropolita Ephesi. Constantinus ejus frater imperio recusato Botaniatæ se subjicit. A quo et Alexius recipitur in amicitiam. Botaniates suadente Cæsare Mariam Michaelis viventis conjugem, ipse bigamus et uxorem habens ducit. Logotheta ab Urselio proditus deditur Botaniatæ, exsilio multatur et occiditur.

LIB. IV. Botaniates ærarium exhaurit inconsulta prodigentia. Legatio ad Bryennium artificiosa et inutilis. Expeditio Alexii in Bryennium. Anceps prælium in quo, Alexio defectum copiarum virtute ac consilio supplente. Bryennius vincitur et capitur. Ejus excæcatio. Alia Alexii expeditio in Basilacem. Qui castra Alexii noctu invadit, et postridie vincitur, fugit, obsidetur, vinctus deditur et excæcatur. Isaacii Comneni reditus Antiochia et gratia apud imperatorem. Rebellio Melisseni Nicephori Turcorum auxiliis subnixi. Alexius expeditionem in eum sibi delatam recusat. Joannes eunuchus ejus loco mittitur. Nicæam oppugnat. Recedere cogitur. Periculum exercitus insequentibus Turcis. Georgii Palæologi ea occasione præstans virtus. Ejus in eunuchum beneficia insignia. Hujus vicissim in eum maleficia immanissima.

Petri Possini notæ.

conjectura emendato sumpsimus. Legebatur in archetypo codice sub finem præfationis in hunc modum : Ταύτῃ τοι καὶ ὅλη ἱστορίας ὄνομα ἔστω τῷ λόγῳ. Nos rescripsimus Ὕλη ἱστορίας, neminem, ut opinor, non probaturo. Porro ὕλην ἱστορίας *commentarios* Latine reddimus, sententiam secuti potius quam verborum sonum. Notum enim commentarios vocari monumenta rerum gestarum scriptione perfunctoria congesta, ut aliquando justæ historiæ scriptori materiam suppeditent. Ex Anna Commena discimus rogatu Irenes Augustæ Bryennium suos commentarios scripsisse. Porro eam, quam hac præfatione alloquitur hic scriptor, injunxisse sibi istam operam horum commentariorum digerendorum, ipse diserte profitetur. Undo lectori, qui *Alexiadem* Annæ præterea cognoverit, certo persuadet, hanc commentariorum Bryennianorum nuncupatoriam ad Irenem omnino Augustam Annæ matrem et Alexii conjugem fuisse scriptam. Nec abhorret ab hac sententia quod eam cui scribit compellans suam mentem et intelligentiam vocat; innuit enim, quod aliunde compertum nobis est, nempe ex *Alexiade* Annæ et e Nicetæ Choniatæ *Historia*, se multum detulisse consiliis Irenes Augustæ socrus suæ, et ejus suasionibus obtemperare, ac judiciis morigerum se præbere consuevisse. a

Digitized by Google

ΠΡΟΘΕΩΡΙΑ.

PRÆFATIO.

. . . . . A . . . . . .

1-5 Ex Orientali limite et hic rebellat contra eum, satisque se confirmatum sentiens imperium usurpat : ingratam vicem Michaeli Augusto rependens præfecturæ regionum et copiarum Orientalium, ipsi prius, ut dictum est, non vulgari amoris fiduciæque pignore delatæ. Nimirum eo istum factio quædam abripuit, coitione facta conspirantium pravorum quorumdam capitum : a quibus quæ honesti quæve officii vis sit ac ratio penitus ignaris, frustra exspectes, ut fidem quibus debent præstare ac repræsentare integram in animum unquam inducant suum. Accommodavitque se haud ægre cupiditatibus istorum popularis levitas, more suo, ratione ac jure posthabitis, novitati temeritatique se indulgens; ut ingenia esse solent hominum ad B scelus haud paulo quam ad fas æquumque proniora. Sic Botaniates in imperium evehitur; alias ille quidem prudens habitus manuque promptissimus, tunc tamen velut ex primævo igne nihil nisi cinis reliquus; ita ille vir acer, ille strenuus in hoc sene languido gelide res cunctas administrante quærebatur, ut facile constaret has ejus, qualescunque fuissent olim, tum certe clavo imperii torquendo nequaquam pares manus esse. Quæ tamen manus cum **6** sceptra principatus arripuissent, sic-

[P. 1] Ἐκ τῆς ἑῴας καὶ οὗτος ἀποστατεῖ κατ' αὐτοῦ καὶ ὑπερισχύσας τῆς βασιλείας ἐπιλαμβάνεται, τῆς ἐγχειρισμένης αὐτῷ, καθὼς εἴρηται, [P. 2] στρατηγίας τῶν ἀνατολικῶν ἀμοιβὴν πονηρὰν τῷ ἐγχειρίσαντι ἀντιδοὺς, κιβδήλων τινῶν ἀνδρῶν καὶ τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν ἀγνοησάντων παντάπασι καὶ μηδὲ πίστιν ὀρθὴν συντηρεῖν μαθόντων, οἷς ταύτην ἐπώφειλον, εἰς ταὐτὸ συνελθόντων γνώμης καὶ συμπνευσάντων, καὶ τοῦ δήμου παντὸς ἀλογίστως οὕτω τῷ ἐκείνων θελήματι παρακολουθήσαντος. Ἀεὶ γὰρ ἐν ἀνθρώποις ἡ κακία μᾶλλον ἢ τὸ ἀγαθὸν πλεονεκτεῖν εἴωθε· φιλεῖ δὲ καὶ ἄλλως τὸ πλῆθος ταῖς τοιαύταις χαίρειν μεταβολαῖς. Οὕτω τοίνυν ὁ Βοτανειάτης εἰς τὸ τῆς βασιλείας ὕψος ἀνάγεται, ἀνὴρ συνετὸς μὲν τὰ πρῶτα καὶ ἱκανώτατος τῇ χειρὶ, γήρᾳ δὲ ἄλλως καὶ χρόνῳ κατειργασμένος, καὶ τὸ περὶ τὴν ὀξιότητα πάλαι καταλύσας φιλότιμον, καὶ μικροῦ πᾶσαν τὴν ἑαυτοῦ ἀφῃρημένος ἐνέργειαν, καὶ πρὸς τὸ τῆς βασιλείας ὕψος μὴ ἐπαρκῶν. Τούτου τοίνυν τῶν τῆς βασιλείας σκήπτρων ἐπιλαβομένου καὶ προτετιμημένου τοῦ φυσικῶς ἐπὶ ταύτην δικαιουμένου (ὁ τοῦ Δούκα Μιχαὴλ οὗτος ἦν ἀδελφὸς, Κωνσταντῖνος Πορφυρογέννητος) ὁ δηλωθεὶς Κομνηνὸς Ἀλέξιος συνιδὼν τὸ τοῦ πράγματος ἄτοπον, ὡς οὔτε ὁ τῆς βασιλείας δίκαιος (1) κληρονόμος ἐπ' αὐτῇ δεδικαίωται, οὔτε [P. 3]

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(1) *Ὁ τῆς βασιλείας δίκαιος.* Etsi nobilitas generis rerumque præclare gestarum gloria et C animi corporisve dotes ut plurimum apud Byzantinos ad supremam adipiscendam dignitatem gradum videantur fecisse, sæpe tamen legere est mediocris vel etiam infimæ sortis homines et fortunæ, ut ita dicam, fetus, posthabitis non paucis, quibus ex jure debebatur, ad id fastigii non semel evectos. Et sane non admodum proclive est decernere, cui reipublicæ administrandæ seu monarchiæ potius speciei tribuendus sit Orientalis principatus. Neque enim electione vel successione ex legibus aut recepto more fere unquam delatus fuit, imo ex utraque imperandi ratione constitit, legitima nimirum et quæ hæreditatis successione cernitur monarchia et quæ populi vel optimatum consensu ex suffragiis defertur. Erunt fortasse qui felicioie conjectura harum neutri censeant ascribendum : quod certe magis probem : cum fere semper aut militari plausu aut incondito plebis tumultu, nulla habita generis vel legitimæ electionis ratione, po- D tentioribus delatus aut ab iis usurpatus tradatur. Verum cum ad consequendum imperatorium d a-rema non modicum præstiterit præsidium natalium s lendor, id etiam in confesso esse debet, ad familiæ et posteris illud asserendum plurimum momenti ipsam imperii contulisse possessionem. Quamvis enim ex præscripto liberis posterisque nullum esset ad paternam, avitam, aut familiarem dignitatem consequendam jus definitum, haud temere tamen discedebatur a stirpe Augusta : quam præterea, cum cæteroqnin, fato functis imperatoribus, universa penes illam remaneret supremæ dominationis auctoritas, a possidentium manibus avellere nec promptum nec tutum erat. Sic imperasse diu Constantinopoli et Trapezunte per longam satis generis seriem Comnenos legimus, quorum gens præclara adeo et illustris habita est, ut qui deinceps Constantinopoli imperii clavum tenuerunt Augusti, Comnenicum identidem cognomen sibi arrogarint familiæque suæ admiscuerint cognominibus, quo jura ad imperium ex usurpatione aliundeve sibi quæsita veluti ex Comnenicæ familiæ, cujus ex diutina possessione esse videbatur, legitima successione firmarent. Cum igitur Constantinopolitanum imperium neque ex consanguinitate neque electione, sed ex quodam ex utraque misto jure deferretur, magni tamen fuisse constat momenti ad illud consequendum aut sane ad usurpationem legitimæ successionis velo obtegendam, paternam et familiarem hæreditatem. Hujus certe specie et jure Alexium socerum a violenta sceptri occupatione

Digitized by Google

μνήμης γέγονε τοῦ δικαίου τῆς βασιλείας τοῦ προ- A
θεσπαλευκότος θείου αὐτοῦ τοῦ Ἰσαακίου Κομνηνοῦ,
εἰς ὃν πάντων συνέδραμεν τὰ θελήματα καὶ ὃν πάν-
τες ἐκόντες εἰς τοὺς τῆς βασιλείας ἀνήγαγον ἄξονας
καὶ τούτῳ κυριεύεσθαι εἵλοντο, ὥστε τινὰ τῶν ἐξ
ἐκείνου τὴν τοῦ γένους ἑλκόντων σεμνὰν δικαιότερον
εἰς τοῦτο λογίσασθαι, ἠχαλλεν, ἐδυσφόρει, παρεζή-
λου τὸ δίκαιον ὁρῶν ἀθετούμενον, καὶ οὐκέτι φέρειν
εἶχε τὸ συμπεσόν. Κἂν γὰρ καὶ τὸ οἰκεῖον θέλημα (*b*)
συνιστῶντες οἱ τηνικαῦτα παραδυναστεύειν λαχόντες
τὴν μὲν ἀπώλειαν τῆς Ῥωμαϊκῆς βασιλείας ὡς οὐδὲν
ἐλογίζοντο, τὸ δὲ πρὸς τὴν αὐτῶν μόνην θεραπείαν
ἐπεἐγοντο, ἀλλ' ἐκεῖνος τὴν καρδίαν νυττόμενος καὶ
τὸ τῆς ψυχῆς δεικνὺς εὐγενὲς οὐκ ἠνείχετο τοῖς οὕτω
διαπραττομένοις ἐφησυχάζειν καὶ τὸν ἐπὶ τῇ βασι- B
λείᾳ δικαιούμενον καθορᾶν ἑτέρῳ μὴ δικαιουμένῳ
ὑποτασσόμενον. Ὅπως μὲν οὖν ὁ Κομνηνὸς τῷ ἀδελφῷ
προσηνέχθη τῷ Δούκᾳ, [P. 4] καὶ τούτου ὑπὸ τῇ
οἰκείᾳ δυνάμει τε (*c*) καὶ συνάρσει ἐγκαθιδρῦσαι τῷ

que prælatus in imperii successione homo privatus alieni generis Ducæ fratri Constantino Porphyrogenito fuisset, juveni, qui consanguinitatis prærogativa naturale jus ad supremam potestatem velut ad familiarem hæreditatem afferebat domo : concoquere talium incenvenientiam actorum Comnenus Alexius haud poterat, secum assidue reputans, quam iniquum indignumque esset dejici ex spe proxima designatos ab ipsa natura candidatos summi honoris, et non solum familiæ regnantis tot capitibus diademati gestando idoneis numerosæ nullam haberi rationem, sed ne mentionem quidem aut respectum esse ullum juris ad imperandum genti Comnenæ competentis ex eo tempore, quo Isaacius Augustus Comnenorum nunc viventium patruus adeptum suffragiis concordibus, nec minori approbatione cunctorum gestum principatum in Ducas ultro transmiserat. Ex quo erat consequens, si casus aut tempus incideret, quo genti Ducarum

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

purgare conatur hocce loco Bryennius, dum contendit illud capessere renuentibus ducis, aut abrogata iis a proceribus potestate, ad Comnenos hæreditatem veluti legitimam delabi debuisse. Verum si ad Comnenos devolutum fuit imperium, quod ortus ex ea gente Isaacius id tenuerit, secundogenitus Alexius primogenito Isaacio sebastocratori fratri præferri non debuit : si ex Ducarum affinitate supererant quibus justiori longe titulo debebatur, iique Porphyrogeniti seu Porphyrogennetæ, id est post adeptam a parentibus dignitatem nati, quibus ex jure deberi videbatur. Id ut diluat Bryennius, opponit primogeniti Isaacii fratris consensum, et a Constantino Michaelis Ducæ imperatoris fratre recusatum, Constantino denique, Michaelis filio, ex ætatis defectu abrogatum imperium. Sed hæc mera esse figmenta quis non videt, cum Alexium constet imperium arte et in suas allectis partes proceribus et militibus consecutum, et ad illud firmandum tum demum ejusmodi in medium post adeptam dignitatem adductas rationes? Contrariis et oppositis prorsus usus videtur Alexius Angelus, qui cum Isaacio fratri per summum nefas eripuisset imperium, quo scelestam quoquomodo tegeret usurpationem, hac se unica defendit ratione : illud nempe per electionem a proceribus solitam deferri, non per successionem, nisi supercesset qui post adeptam dignitatem ésset in lucem editus. Ita pro libitu quas sibi magis rebantur profuturas, tanquam arreptæ tyrannidis velamenta, in medium afferebant rationes, quas præterea rerum præteritarum exemplis firmare haud ægre poterant, cum nullum unquam ad consequendam imperatoriam dignitatem certum fuerit jus definitum. De Alexio Angelo audiendus Innocentius III, PP. l. v, epist. ad eumdem Alexium : *Ex parte insuper tua* C

celsitudinis adjecerunt, quod Alexio filio Isachii Angeli quondam imperatoris, qui ad Philippum ducem Sueviæ accessit, ut imperium contra te ipsius possit auxilio obtinere, favorem nullatenus præstaremus, quia imperium non debet ad eum aliqua ratione devolvi, cum illud non per successionem, sed per electionem nobilium conferatur : nisi forte genitus esset post adeptum fastigium imperatoriæ dignitatis, quod nunquam idem Alexius poterat allegare, cum priusquam pater ejus esset in imperatorem promotus, natus fuerit : et quia pater ejus tunc privata erat persona, in imperio non poterat sibi jus aliquod vindicare. Cum igitur per nefandas artes, per cædes et parricidia, et cujuslibet generis maleficia, ad istud provecherentur culmen Orientales Augusti, quid mirum si Deus non supremam modo imperatoriæ dignitatis auctoritatem et titulum transtulit ad Occidentales, sed et universum, quod sceleribus quærebatur et administrabatur imperium, mutuis invicem dissidiis et barbararum gentium irruptionibus labefactari ac tandem dissolvi permisit, Glaber Radulfus l. II *Hist. Franc.*, c. 4 : *Constat igitur ab anterioribus illud principale totius orbis imperium fuisse divisum, scilicet ut quemadmodum universæ Latinitatis Roma gerere deberet principatum, ita Constantinopolis tam Græcorum speciale caput in transmarinis Orientis partibus, quam cæterorum. Sed dum semel in se novit dispertiri, postmodum paulatim pars utraque usitatius didicit minui : videlicet donec contingeret illud coarctari præliis, ut foret brevius, et istud appeteret moderari extraneus. Et quoniam magis contingebat tyrannide imperare, quam vel liberali pietate, vel originali propagine, idcirco par erat talium contumaciam cum sibi subditis, crebris infestationum plagis alterere.* D

Petri Possini notæ.

(*b*) *Κἂν γὰρ καὶ τὸ οἰκεῖον θέλημα*, etc. Videtur deesse aliquid ; quod in interpretatione divinando supplere conati sumus.

(*c*) Hæc sic legebantur in ms. ὅπως μὲν οὖν ὁ Κομνηνὸς τῷ ἀδελφῷ προσηνέχθη τῷ Δούκᾳ, καὶ τούτου ὑπὸ τῇ οἰκείᾳ δυνάμει τε, etc., quæ esse depravatissima nemo negaverit. At tolerabile fuerat si grammaticæ vitium solius esset. Nunc nisi restituatur hic locus eum circiter in modum, eumque in sensum, quem et rescribendo et interpretando expressimus, hæc verba labem in historiam inferunt et confusionem maximam. Per ea enim conflantur in unum duo Constantini Ducæ ambo Porphyrogeniti ; quorum unus Michaelis Augusti frater fuit, alter filius. Horum ὁμωνυμία ne fraudi nobis sit in decursu operis, hic semel accurate astruenda est distinctio eorum. Primum omnium constat Constantini Ducæ, qui Comneno Isaacio in imperio successit, filium fuisse Constantinum ultimum e tribus, patre jam imperante natum, matre

Digitized by Google

regnum abrogaretur, aditum non dubium Commenis aperiri caducæ majorum hæreditatis repetendæ vindicandæque. His, inquam, susque deque habitis cum cerneret per fas æquumque spretum passim et abjectum, per jura et legitima omnia violata calcataque libere grassari, palamque exsultare licentiam paucorum improborum, qui temere ad propriam libidinem orbem rei publicæ converterant : ringebatur videlicet ac discruciabatur animo. Et quanquam qui rerum potiebantur astuti homines utcunque nihil pensi habebant rationes sibi, ac spes privatas detrimento, imo exitio publico conficere, non omittebant honesta tectoria fœdis factis obtendere, et cum alios blando sermone delinire magnates, tum Commenis, a quibus sibi **7** præcipue timebant, fucum facere officiis verborum et simulatione obsequii enixe contendebant : haud tamen circumveniri se acer animus insidiosis sinebat artibus, pungebatque ille semper alte demissus in pectus nobile scrupulus, ac stimulis arcanis admonebat excitabatque fortem virum ne acquiescere tantæ rerum confusioni sustineret : flagitiosum latrocinium, quo nihil minus quam imperium orbis terrarum legitimis extortum dominis, servis condonabatur, tacito velut quodam ignavæ patientiæ suffragio comprobare videretur. Quam vero hunc ille animi sui sensum jam tunc non presserit abjecto metu aut dissimulaverit, sed potius prout illum innatæ generositatis ingenium fiducia facere docebat, liberrime præ se tulerit : documento esse possunt, quæ palam isto ipso articulo temporum ab eo acta sermonibus omnium feruntur, et in confesso apud prudentes sunt, nec nescire quisquam potest gesta in luce meridiana, nisi si quis lethæum (quod aiunt) poculum hauserit. Adiit scilicet tunc Alexius primo Constantinum Michaelis imperatoris fratrem : deinde Augusti ejusdem filium quoque Constantinum et hunc vocatum adiit : utrique non consilium modo imperii su-

A τῆς βασιλείας θρόνῳ ἐσπούδασε, θεὶς αὐτῷ τοῖς ποσὶ καὶ τὰ φοινικοβαφῆ πέδιλα καὶ ἀπάγων τοῦτον εἰς τὰ βασίλεια, καὶ ὅπως τούτων ἐν ταῖς λεωφόροις διερχομένων στόμα ἐν γεγονότες ὁ δῆμος μὴ θέλειν ὑπ' αὐτοῦ βασιλεύεσθαι τρανῶς ἐξεβόησαν, καὶ ὅπως καὶ ῥηθὲν παιδίον πρὸς τὸν θροῦν ἱλλιγγιᾶσαν καὶ τοῖς τοῦ δήμου λόγοις ἐκδειματωθὲν τὴν ψυχὴν ἐπέσχετο τῆς τοιαύτης προθέσεως (κατεδυσώπει δὲ καὶ τὸν Κομνηνὸν αὐτῆς ἀποσχέσθαι καὶ μὴ ἐπὶ πλέον τοῦτον παραδιάζεσθαι) — ταῦτα καὶ ἐν στόμασι πάντων κεῖται, καὶ ὡμολόγηται παρὰ τοῖς εὖ φρονοῦσι καὶ ὅσοι μὴ τοῦ τῆς λήθης πόματος ἐκπιόντες ἀμνήμονες τῶν γενομένων εἰσίν.

Petri Possini notæ.

Eudocia, ex qua idem Constantinus duos jam alios ante imperium mares susceperat, Michaelem, qui postea regnavit, et Andronicum. Hoc diserte docet Joannes Scylitzes curapolata in Vita ejusdem Constantini Augusti pag. 818 edit. reg. Mortuo Constantino Eudocia ejus uxor communiter cum tribus liberis adhuc parvis septem menses imperat, ibid. pag. 822. Hinc Romanus Diogenes ab Eudocia in conjugium et in imperatorem eligitur, redactis pueris in ordinem. Ex quibus tamen Andronicum (qui secundo genitus videtur fuisse, cum secundo loco nominetur a Scylitze) Diogenes idem sibi successorem designarat in expeditione, si quid ipsi humanitus contigisset, p. 824. Deturbato e solio Diogene opera maxime Joannis Cæsaris, qui frater Constantini Ducæ Augusti fuerat, Michael Ducas Constantini frater natu maximus imperium suscepit pag. 845. Hic toto imperii sui tempore Constantinum fratrem suum suspectum habuisse, et custodia detinuisse traditur inferius ab hoc nostro Nicephoro Cæsare l. III, cap. 22, ubi sic loquentem Alexium Comnenum Botaniatæ de Constantino Michaelis fratre inducit : Οἶδας, ὦ ἄριστε βασιλεῦ, ὡς ὁ Πορφυρογέννητος οὗτος, ἐγκρατοῦς ὄντος τῆς βασιλείας τούτου τοῦ ὁμαίμονος, οὐδέν τι πέπονθεν ὑπ' ἐκείνου χρηστὸν, ἀλλ' ὡς ἐν εἱρκτῇ καθειργμένος ζοφώδη διῆγε τὸν ἅπαντα βίον. νῦν οὖν ἐλπίδας ἔχει χρηστάς, etc. Hoc est : *Scis, optime imperator, hunc Porphyrogenitum imperii fratris sui nullum fructum cepisse, neque enim ab illo ullo beneficio affectus est : sed potius tenebrosa custodia detentus, obscurum et miseram vitam omnem egit hactenus*, etc. Hac commendatione Alexii gratiam nonnullam apud Botaniaten Constantinus nactus, ab eo præfectus est dux exercitui contra Turcos misso, ut tradit Scylitzes in Botaniate, pag. 866. Qua occasione ambitiosus juvenis cupide usus, imperatorem ab exercitu se proclamari curat Chrysopoli : sed paulo post a suis proditus detondetur, fitque monachus, ac deportatur in insulam. Postea etiam dicitur presbyter factus. Auctores Scylitzes et Zonaras in Botaniate, ille pag. 867, hic 252, edit. Bas. Atque hic finis hujus Constantini fuit; nec ejus amplius ulla mentio in nostris hisce historiis habetur. Alter autem Constantinus Michaeli Ducæ ex Maria Alana natus est. Clare id docet Zonaras in Michaele pag. 229 : Υἱοῦ δὲ τεχθέντος αὐτῷ ἐκ τῆς ἐξ Ἀλανῶν Μαρίας, ἣν καὶ βασίλισσαν ἔστεψε, Κωνσταντῖνον αὐτὸν ὠνόμασεν ἐπὶ τῷ πατρὶ, καὶ βασιλικῶς ἐταινίωσε. *Nato sibi filio ex Maria Alana, quam et Augustam coronavit, Constantini patris sui nomen imposuit, eumque regio diademate insignivit.* En Constantinus ex Maria Alana et quidem jam coronata, Michaeli jam imperanti nascitur, inde et ipse Porphyrogenitus nuncupatus. Cui adhuc infanti pater despondit filiam Roberti Calabriæ ducis, quam et jam tum adducendam Constantinopolim curavit, et mutato ejus priori nomine appellavit Helenam, ut tradit consequenter Zonaras, et Anna fuse deplorat multis locis *Alexiadis*, præsertim l. II; denique ubi Anna ipsa Alexio nata est, desponsata fuit eidem huic Constantino puero in spem imperii nutrito, imo jam imperii consorti; diremptumque id conjugium ante nuptias Constantini sponsi morte immatura fuit, ut Nicephorus mox docet; a quo item habemus sponsalia Constantini ejusdem cum Anna, quorum ipsa clare non meminit. Confirmat idem Scylitzes et *Institutio regia* Theophylacti ad hunc ipsum puerum scripta : ut dubium nullo modo possit esse, quin duo fuerint Constantini Ducæ Porphyrogeniti, quos hic in unum conflat non Nicephorus horum commentariorum auctor, sed perfunctorius et supinus descriptor. Quare arbitramur Bryennium scripsisse hunc locum ut nos emendavimus, hoc nempe modo : Ὅπως μὲν οὖν ὁ Κομνηνὸς τῷ ἀδελφῷ προσηνέχθη τοῦ βασιλέως Μιχαὴλ τοῦ Δούκα, καὶ αὐτοῦ τούτου τὸν υἱὸν ὑπὸ οἰκείᾳ ὄνομασί τε καὶ συνάρσει, etc.

Digitized by Google

mendi, sed operam, opes, manum, periculumque propria ad tale cœptum perpetrandum offerens. At cum horum prior spes secutus alias abnueret, alterum certe parvulum rubris indutum calceis per celebres urbis vicos ducere ad palatium auspicaturum ibi regnum voluit. Perfecissetque, nisi magno consensu concitata plebs passim alte reclamans nolle se hunc rebus præesse principem, imbecillo adhuc puero metum majorem objecisset. Ita ut vertigine quasi quadam attonitus oraret obtestaretur que Comnenum, proposito absisteret, neve ulterius invitum se ac reluctantem per vim ad imperium raperet præcipitio pejus sibi formidatum.

Ὁ δὲ καὶ αὖθις, ὁ Κομνηνός, δευτέραν ὁδὸν δραμεῖν εἵλετο· καὶ λαβόμενος τοῦ παιδὸς εἰς τὸν Βοτανειάτην ἄγων καὶ αὐτὸς παραγίνεται καὶ εἰς μνήμην τοῦτον ἄγει τοῦ φυσικοῦ δικαίου, ὃ δὴ τῷ παιδίῳ τούτῳ κεκλήρωται, καὶ οἰκονομικώτερον τῷ παρόντι χρήσασθαι αὐτῷ ὑποτίθεται, καὶ τὸν ἀδελφὸν τοῦ Δούκα ὡς ἀδελφὸν κυρίου αὐτοῦ καὶ βασιλέως εὐνοϊκώτερον ἀγκαλίσασθαι, καὶ βασιλείας μὲν ὄνομα περιθέσθαι τούτῳ, αὐτὸν δὲ τὸν Βοτανειάτην τὰ τῆς βασιλείας ἰθύνειν σκῆπτρα ἕως ἂν τοῖς ζῶσι συντάττοιτο, εἶτα τὸν τῆς βασιλείας κληρονόμον ἐπιτηδείως [P. 5] ἤδη ἔχοντα πρὸς τὴν ταύτης διακυβέρνησιν ἐγκαταστῆσαι αὐτῇ. Ἀλλὰ καὶ τούτου δὴ τοῦ ἐγχειρήματος ἐκπεσὼν ἐκεῖνο τῆς τοιαύτης παῤῥησίας ἀπώνατο, τὸ ὕποπτος λογισθῆναι τῷ Βοτανειάτῃ καὶ τοῖς περὶ αὐτὸν καὶ ἄλλοις μὲν, μάλιστα δὲ τοῖν δυοῖν ἐκείνου δούλοιν (Βορίλλιος οὗτος καὶ Γερμανὸς), ἀργυρωνήτοις ἀνδράσι καὶ ἀγεννέσι καὶ ἀσυνέτοις παντάπασι τοῦ καλοῦ, οἳ καὶ σκοπὸν παρ' ἑαυτοῖς θέμενοι τὸν Κομνηνὸν ἀπολέσαι καὶ οὕτω συναπολέσαι καὶ τὸν Πορφυρογέννητον τὸν τοῦ Δούκα ἀδελφὸν τοῦ φρουροῦντος αὐτὸν ἀπογυμνωθέντα καὶ εὐχερῆ γενόμενον τοῖς ἐπιβουλεύουσι μὴ ὄντος τοῦ ἀντιλήψομένου αὐτοῦ, πρόσταγμα καταπέμπουσιν ὑπερορίαν τοῦ Κομνηνοῦ διακελευόμενον. Ἀλλὰ τοῦ τοιούτου προστάγματος εἰς χεῖρας περιελθόντος τῷ Κομνηνῷ, αὐτὸς αὐτοπροσώπως τὰ περὶ τούτου τῷ βασιλεῖ ἀνήνεγκε. Καὶ οὗτος ἅμα τὸ ὑπερβάλλον τῆς τοῦ ἀνδρὸς εὐγενείας τε καὶ φρονήσεως αἰδεσθείς, καὶ πολλῶν καὶ γενναίων αὐτοῦ ἔργων ἀπομνημονεύσας, καὶ πρὸς ταῦτα δυσωπηθείς, καὶ τῶν τῷ προστάγματι συνθεμένων καταμεμψάμενος, εἰς οὐδὲν τὰ τοῦ πράγματος περιέστησε· καὶ ἦν μὲν τότε τὰ τῆς ὑπερορίας ἀργά. Ἀλλ' ὁ Βοτανειάτης καὶ αὖθις ὑπὸ τῶν δηλωθέντων αὐτοῦ δούλων περιαγόμενος, παντοίως τῇ τούτων παραθήξει καὶ συνωθήσει πολλάκις παραπλαγεὶς (*d*) τοὺς ὀφθαλμοὺς διορύξαι διενοεῖτο τοῦ Κομνηνοῦ. Τοῦτο δὲ ἀνερυθριάστως οὕτως ἀγαγεῖν εἰς τέλος οὐκ ἔκρινεν, αὐτὸ τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἀλήθειαν εὐλαβούμενος· ἕτερον δὲ τρόπον κακοῖς ἐσκέπτετο τοῦτον περιβαλεῖν, καὶ ἀφορμὴν ἐζήτει εὐπρόσωπον κακοῖς τὸν ἀναίτιον παραπέμψαι καὶ ἐκ μέσου θέσθαι τῆς ἀληθείας τὸν ἔλεγχον. Ἀμέλει καὶ ἡνίκα οἷα δή τις [P. 6] ὑπόθεσις παρεισέπιπτε μεγάλης δεομένη καὶ βουλῆς καὶ χειρὸς καὶ πόλεμον

A Hæc cœpta cum in hunc modum successu caruissent, non destitit Alexius alia via idem ad propositum grassari. Puerum enim Botaniatæ coram oblatum ipse præsens sic commendavit, ut liberrime refricaret memoriam juris ad imperium, quo hic puer naturali nitebatur, utpote legitimus ejus hæres. Suasitque ut quod facere poterat, sine ullo detrimento dignitatis 8 suæ indulgeret spei puerili pene adhuc infantis, successorem sibi eum destinando parandoque. Suggessit etiam de fratre Ducæ dignum videri sapientia et æquitate Botaniatæ amplecti adolescentem, domini olim sui et imperatoris fratrem, peculiari benevolentia atque adeo participatione illum aliqua imperii aspergere, nomine saltem tenus, ea tamen lege ut rem ipsam et veram

B possessionem administrationemque principatus Botaniates quoad viveret in solidum teneret: successio Ducæ filio tunc, ut spes erat, ætate idonea futuro sarta tecta servaretur. Verum irritus hic quoque conatus exstitit, illud tantum ex ea loquendi agendique libertate reportante Comneno, ut suspectus cum ipsi Botaniatæ, tum amicis ac familiaribus ejus fieret, servis præcipue duobus, Borillo Germanoque, capitibus emptitiis planeque illiberalibus ac nullum honesti prorsus aut decori sensum habentibus aut rationem ducentibus viris. Ergo his id jam tum pro scopo propositum, perdendum omnino Comnenum, quo deinde unico illo præsidio nudatus Porphyrogenitus Ducæ frater facile de

C medio tolleretur. Ab hoc decreto edictum scribunt imperatoris nomine, quo Alexius exsulare jubebatur. Cujus imperatorii mandati cum exemplum in manus Alexii venisset, solita ille fiducia imperatorem adit deque ea injuria expostulat. Quando Botaniates verecundia instinctus, tam nobilis, sapientis atque fortis viri, tot jam rebus præclare gestis inclyti, negavit a se profectum id edictum, falsariis conflictoribus 9 ejus multa minatus est, sic illo tum periculo defunctum Alexium dimittens, nec tamen plane securum. Cum enim servi non desisterent quotidie sollicitare urgereque Botaniatem, tandem is horum calumniis præstigiisque dementatus eruere oculos Comneno Alexio constituit. Non putavit tamen id palam aggrediendum,

D publicam invidiam in tam manifesta juris et æqui

Petri Possini notæ.

(*d*) *Τῇ τούτων παραθήξει καὶ συνωθήσει πολλάκις παραπλαγείς.* Sic hæc in ms. legebantur, quæ utcunque sententiam non plane incommodam præferant; tamen cum illud πολλάκις segne quiddam hoc loco et frigidum videatur, non omnino temere suspicari mihi visus sum de librarii oscitantia, cujus tot aliis hujus operis locis non vestigia incerta, sed indicia et experimenta manifestissima deprehendimus. Non est igitur incredibile scriptum a Bryennio παραπλαγείς, quam vocem descriptores deinde in πολλάκις deformaverint.

Digitized by Google

conculcatione veritus, præsertim cum alia suppeteret haud paulo plausibilior tutiorque ratio perdendi viri fortis per speciem honoris, præficiendo eum bellis periculosis et difficilibus, nec ei copias idoneas conficiendis iis suppeditando : ex quo alterum erat consequens, aut succubiturum aliquando periculo lethaleque vulnus quodam in prælio accepturum sibi non parcentem juvenem : aut si procurationes demandatas vel suscipere recusaret vel acceptas exsequi negligeret, merito et citra publicam misericordiam velut legitimo supplicio subjiceretur. Et erant commodum ad manum expeditionum haud facilium occasiones. Qui enim rebus studere novis jam sub Michaele cœperant, Bryennius et Basilaces, nobiles et illustres viri, non ferentes eum, quem paulo ante rebellionis in communem dominum habuissent socium, præreptum **10** imperium exercere nunc in ipsos quoque velle, palam recusabant subdi Botaniatæ gererequе pergebant res uti sub priori cœperant principe, propriis auspiciis, partesque suas pro se quisque copiis et opibus quam validissime firmabant. Contra hos belli dux ab imperatore Alexius deligitur et mittitur tunc magni domestici dignitate ornatus. Neque ille recusavit, aut contentioni in mandato exhauriendo, aut dimicationi discriminive pepercit ulli, quin non semel, sed sæpius cruentissimis periculosissimisque de prœliis victor, tropæis positis illos ipsos contra quos moverat duces bello captos, in urbem redux regiam, imperatori reddidit.

A ἀπαιτοῦσα καὶ γενναίας ἔνδειξιν ψυχῆς καὶ ἀνδρίας καὶ κίνδυνον τῇ ἐγχειρήσει ταύτης ἐπικρεμάμενον, εὐθὺς τοῦ Κομνηνοῦ χρῆσις ἦν ὑπὲρ ἅπαντας, καὶ μόνος τῶν ἁπάντων ὁ Κομνηνὸς τοῖς οὕτω μεγάλοις καὶ κινδυνώδεσιν ἔργοις ἐπιστατήσων προβέβλητο, τοῦτο βουλομένου τοῦ σκέμματος· ὥστε ἢ καταπειθῆ γεγονότα τὸν Κομνηνὸν τοῖς ἐπιτεταγμένοις αὐτῷ καὶ γενναίως καὶ ἀνδρικῶς, καθὼς ἦν ἔθος αὐτῷ, προσβαλόντα τινὶ τῶν τηλικούτων ἔργων καὶ κατὰ ξιφῶν χωρήσαντα μέσων καιρίως πληγῆναι καὶ παρὰ τῷ πολέμῳ πεσεῖν διὰ τὸ μηδὲ δυνάμεσιν ἀναλόγοις ἐφοδιάζεσθαι πρὸς τὸ κείμενον ἔργον, ἢ γοῦν μὴ πειθόμενον, μηδ' οὕτω ποιοῦντα, μηδὲ τοῖς τούτῳ κελευομένοις ὑπείκοντα δικαίως δῆθεν ἐγκληθῆναι καὶ νόμιμον τὴν κόλασιν ὑποσχεῖν. Ἤδη μὲν οὖν οἱ B διαληφθέντες ὅ τε Βρυέννιος καὶ ὁ Βασιλάκης, ἄνδρες τῶν εὖ γεγονότων καὶ ἐπισήμων, μὴ φέροντες μηδὲ οὗτοι τὴν ἐπὶ τοῦ βασιλείου θρόνου τοῦ Βοτανειάτου καθίδρυσιν, ἅτε καὶ τοῦτον σὺν ἑαυτοῖς ἀποστάτην κατὰ τοῦ βασιλέως· Μιχαὴλ ἐπιστάμενοι καὶ τοῖς αὐτοῖς συνυπεύθυνον, ἣν ἔφθασαν ἄρασθαι πρώτως ἀποστασίαν κατὰ τοῦ Μιχαὴλ, ταύτην καὶ κατ' αὐτοῦ τετηρήκασιν ἐπὶ σχήματος καὶ μετὰ πλήθους στρατιωτῶν καὶ οὐκ εὐκαταφρονήτου δυνάμεως αὐτῷ ἀντιπαρατάττονται. Καὶ εὐθὺς ὁ Κομνηνὸς ἐπὶ μνήμης τῷ βασιλεῖ κατὰ τῶν τοιούτων ἀνδρῶν ἀνθοπλίτης καὶ ἀντιστράτηγος στέλλεται, τὴν τοῦ μεγάλου δομεστίκου τηνικαῦτα διέπων ἀξίαν. Καὶ ἀντικαθίσταται τούτοις, καὶ θαῤῥαλεωτάτην μάχην συμβάλλει, καὶ συῤῥήγνυται τούτοις οὐχ ἅπαξ μόνον, ἀλλὰ C καὶ πολλάκις εἰς πόλεμον αὐτὴν προΐεται τὴν ψυχήν, καὶ τέλος τοὺς ἀντιπάλους νικᾷ [P. 7] καὶ λαμπρὸν κατ' αὐτῶν τρόπαιον ἵστησι, καὶ δορυαλώτους ἑλὼν εἰς τὴν βασιλίδα τῶν πόλεων ἐπάγει καὶ τῷ βασιλεῖ παραδίδωσιν.

Hæc in notitia et prædicatione versantur omnium, nec communis quisque sensus particeps res adeo celebres tam palam tanto splendore gestas ignorare potest. Quoniam autem Comneno tot sudorum totque discriminum merces nulla erat admodum alia nisi livor non obscurus et sævæ machinationes orbandi eum luminibus atque perdendi tum involvendi ruina eadem Porphyrogenitum : id enim vero non jam ferendum amplius secum constituit Alexius, sed reputans apud se, patruum suum Isaacium Comnenum, qui nuper jure quam optimo regnaverat, imperium ultro **11** concessisse Constantino Ducæ, quo defuncto e filiis familiave ejus imperare aliquem fas fuit, quod secus evenit. Siquidem qui nunc insidebat imperiali solio commune habebat nihil cum gente Ducarum. Quamobrem quis non videret vocari Comnenos ad successionem principatus? Aliunde vero quod per juris rationem legitime fieri poterat, propter periculum ab insidiis injuriisque immanissimis necessario maturandum videbatur : alioqui enim præsens periculum ostendi, ne quæ multa contra ipsum clandestinis sæpe agitata consiliis norat, successum pernicie ipsius nanciscerentur. Sic sublucta cogitationum summa ex urbe se regia proripiens Adrianopolim contendit. Illi congregatam reperit magnam copiarum Roma-

Οἶδασι πάντες ταῦτα, καὶ ἐν χείλεσι πάντων κεῖται τὰ περὶ τούτων, καὶ οὐκ ἔστιν ὅστις τῶν εὖ φρονούντων ἠγνόησε ταῦτα. Ἐπεὶ δὲ τῷ Κομνηνῷ τούτων καὶ ἑτέρων πολλῶν καὶ μεγάλων ἔργων καὶ ὄντως ἀνδρικῶν καὶ γενναίως τετελεσμένων οὐδεμία τις ἦν ἀντιμισθία καὶ ἀμοιβή, ἀλλ' ἢ μόνος ζῆλος οὐκ ἀγαθὸς καὶ κατ' αὐτοῦ μελέτη καὶ συσκευή, ὅπως ἀποδοθείη τούτῳ πονηρὰ ἀντὶ ἀγαθῶν, καὶ ὅπως αὐτὸς μὲν ἐκκοπείη τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ ἀπόλοιτο, συνεκτριβείη δὲ τούτῳ καὶ ὁ Πορφυρογέννητος, οὐκ ἔτι ἐν φορητῷ ταῦτα τίθεται, ἀλλὰ βλέπων ὡς αὐτῷ μὲν εἰς κακὸν D τὰ τοῦ πράγματος διήκει καὶ ὅτι τοῦ θείου αὐτοῦ τὴν ἑαυτοῦ κληρονομίαν αὐθαιρέτως εἰς ἕτερον παραπέμψαντος . . . . , ἐπειδήπερ οὐδεὶς τῶν κατὰ γένος προσηκόντων τῷ λαχόντι ταύτην προὐβέβλητο, ἕτερος δὲ ἀλλότριος εἰς τὴν ταύτην ἀντεισῆκται κληρονομίαν, ἅμα δὲ καὶ ἑαυτῷ τὸ ἀσφαλὲς περιποιούμενος· ἵνα μή τι δεινῶν πάθῃ, ὁποῖα πολλὰ κατ' αὐτοῦ προβεβούλευτο, τῆς μεγαλοπόλεως ἀπάρας εἰς Ἀδριανούπολιν ἄπεισι, καὶ τὸ ἐκεῖσε στρατιωτικὸν ἄθροισμα εὑρὼν τῇ μὲν τοῦ Βοτανειάτου βασιλείᾳ ὡς τὰ πολλὰ ἀπεχθανόμενον, αὐτῷ δὲ προστιθέμενον καὶ εἰς βασιλέα τοῦτον αἱρούμενον, ἅτε καὶ ὑπ' αὐτῷ στρατάρχῃ [P. 8] πολλὰς ἀνδραγαθίας διαπραξάμενον, καὶ ὁμοῦ καὶ ἄκοντα τοῦτον πρὸς ἀνάῤῥησιν βιαζόμενον, δέχεται τὴν τούτων βουλὴν καὶ ἀνακαλεῖται

Digitized by Google

τὴν κληρονομίαν τοῦ θείου αὐτοῦ ἐφ' ᾗ δεδικαίωτο. Καὶ δῆθεν μὲν εἰς ἑαυτὸν περιάγει τὰ σκῆπτρα, πλὴν οὐκ ὥστε τὸν Πορφυρογέννητον ἀποστερῆσαι τούτων ἱκανῆς ἤδη καὶ ἀξιόχρεω γενόμενον καταστάσεως. Πῶς γάρ; ὃς καὶ πρότερον οὐκ ἀνῆκε πάντα κάλων κινῶν ὥστε τῷ ἀδελφοῦ θρόνῳ τὸν Κωνσταντῖνον ἐγκαθιδρῦσαι (e). Διὰ τοῦτο γὰρ εὐθὺς τὴν ἰδίαν θυγατέρα τῷ Πορφυρογεννήτῳ φέρων συνάπτει καὶ συμβασιλεύειν αὐτῷ καὶ συνοικονομεῖν τὰ τῆς βασιλείας ἐπευδοκεῖ, καὶ μὴν καὶ τῆς συνήθους εὐφημίας καὶ ἀναῤῥήσεως αὐτῷ κοινωνεῖ καὶ τῆς ἐν γράμμασιν ἐρυθρᾶς ὑποσημασίας, προμνηστευόμενος ἐντεῦθεν αὐτῷ τὰ σκῆπτρα καὶ σκοπῶν τέλεον καιροῦ καλοῦντος ἀναγαγεῖν αὐτὸν εἰς τὸν τῆς βασιλείας θρόνον, ὑπηνίκα καὶ τὴν τοῦ πολλοῦ πλήθους δυνηθείη περὶ αὐτὸν ἀγαθὴν ῥοπὴν ἐπισπάσασθαι καὶ τὴν προτέραν μῆνιν περιελεῖν. Καὶ τάχ' ἂν εἰς ἔργον ἐκβέβηκε τὸ οἰκονομούμενον, εἰ μὴ βαρεῖα νόσος πρότερον τῷ Πορφυρογεννήτῳ εἰσφρήσασα, μὴ συγχωροῦσα τούτῳ τῆς τοιαύτης ἐπιβῆναι ἀρχῆς, μετ' οὐ πολὺ τῶν ἐνταῦθα προήρπασεν. Ἀλλὰ καὶ ὑπηνίκα Κομνηνὸς Ἀλέξιος βασιλεὺς ἄρτι γεγονὼς ἐπέβαινε τῆς μεγαλοπόλεως, [P. 9] οὐδὲ τὸν Βοτανειάτην εὗρισκεν ἐπὶ τὸ πρᾶγμα αὐτῷ ἀντιπίπτοντα καὶ ἀντιπαρατατόμενον· ἀλλὰ καὶ οὗτος τῷ δικαίῳ ὑπεξιστάμενος ὅπερ ἐκ συγγενείας εἰς τὴν βασιλείαν τῷ Κομνηνῷ προσαρμόττον ἦν, ἀφιλονείκως τὴν ἀρχὴν ἀποτίθεται, οὐχ ὅπλα αἴρειν ὑπὲρ αὐτῆς ἐθέλων καὶ ἀντιπολεμεῖν, ὅπου τὸ συνειδὸς ἀφ' ἑστίας εἶχεν αὐτὸν καταπολεμοῦν καὶ ἀμφοτέρωθεν πλῆττον, ἔκ τε τῆς περὶ τὴν βασιλείαν ἀλλοτριότητος ἑαυτοῦ καὶ τῆς τοῦ Κομνηνοῦ Ἀλεξίου περὶ ταύτην γνησιότητος.

A narum partem infensos plerosque Botaniatæ, perstudiosos vero sui, quod ipso ductore magnas se res gessisse meminerant. Quare illum una voce Augustum acclamant et vel invitum cogunt hæreditatem Isaacii patrui exclusione Ducarum in se caducam cernere. Acquievit ille tandem, non tam ut Porphyrogenito jam adultiori pueritia magis imperio maturo jus suum interceptum vellet. Quo modo id enim suspicari de eo liceat, qui nullum non, quod aiunt, movisset funem ad efficiendum ut frater Michaelis Constantinus in regio solio collocaretur : quo sic summa potestas in Ducarum familia maneret, Michaelis filio nondum maturo gerendis rebus ? Sane quid de hoc puero cogitaverit Alexius luculenter ostendit, cum sibi natam statim B ei filiam despondit, consortemque jam tunc illum principatus et declaravit et adhibuit, delata ei rubra subscriptione litterarum. **12** Quæ res illi pignus haud dubium erat plenæ atque integræ successionis imperii servatæ ipsi, ubi aliquando adolevisset, et invidia popularis, quæ gravissima in ejus patrem exarserat, vel spatio ipso temporis, vel adhibitis artibus, et apte ad occasiones temperata tractatione refrixisset, perpetrassetque utique quod destinaverat, nisi gravis valetudo in Porphyrogenitum ingruens ineptum illum prius reddidisset multiplici et laborioso principatus negotio gerendo, postea etiam rebus humanis acerba morte præcerptum exemisset. Quin etiam cum C Alexius Comnenus imperii jam potens urbem regiam invasit, Botaniatem ipsum reclamantem recusantemve non reperit. Itaque arma expedire, jus agnoscens, quo manifesto Comnenus ad imperandum nitebatur, obstinare pertinaciam non potuit, deterritus propriæ convitiis conscientiæ jampridem surdis flagellis everberantis ejus animum alteque contestantis, et alienum esse Botaniatem a genere regio et in Alexium Comnenum hæreditariam successionem Isaacii patrui recta serie descendere.

contra vimque vi repellere conatus non est : sed

Οὕτω γὰρ καὶ ὁ Κομνηνὸς καὶ οὐχ ἕτερον τρόπον τὴν βασίλειον ἀνακαλεῖται ἀρχήν, δικαίῳ τε δηλαδὴ τῆς πρὸς τὸ Κομνηνὸν γένος ἐξ αἵματος γνησιότητος καὶ τῆς πρὸς τὸ Δουκικὸν ἐξ ἀγχιστείας ἐγγύτητος. Ἐκ Δουκῶν γὰρ ἁρμοσάμενος τοῦ βίου τὴν κοινωνὸν εἰς μίαν συμφωνίαν ἄμφω τὰ γένη συνῆψε καὶ εἰς ἓν φυτὸν συνεδένδρωσεν· ἅμα δὲ ἐπὶ τὸ ἀρχαιότητι διαφέρον αἰδεσιμώτερον, ὡς φασι. Διὰ τοῦτο καὶ πάντες τήν τε Κομνηνικὴν ἀρχαιογονίαν καὶ Δουκικὴν αἰδούμενοι καὶ τὸ ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν βασιλείαν μᾶλλον ἑτέρου τινὸς δικαιούμενον, τὸν Κομνηνὸν δηλονότι Ἀλέξιον, ἀσμένως ὑπ' ἐκείνου βασιλεύεσθαι εἵλοντο. Εἰ γάρ τις ἀνάῤῥουν ὥσπερ

Per hunc modum legitimo ingressu, non rebellione aut vi, Alexius ad principatum venit duplici sibi jure debitum, quod et gente Comnena oriundus et affinitate junctus familiæ Ducarum esset. Ducta enim ex Ducarum domo conjuge ambarum jura familiarum miscuit et genealogicarum duarum arborum ramos velut unum in truncum in D sese collegit et devinxit : quæ res non exiguo ei adjumento ad **13** adeptionem imperii fuit. Antiquissimæ siquidem nobilitatis auctoritatem venerabilem apud omnes quamdam obtinebat Ducarum nomen, quæ vetustæ claritati Comnenæ gentis superveniens magnum utique momentum fuit ad im-

Petri Possini notæ.

(e) Quod nos rescripsimus, ὥστε τῷ τοῦ ἀδελφοῦ θρόνῳ τὸν Κωνσταντῖνον ἐγκαθιδρῦσαι, in hunc modum legebatur in codice, ὥστε τῷ τοῦ ἀδελφοῦ θρόνῳ τοῦτον ἐγκαθιδρῦσαι. In quibus iterum confunduntur Constantini duo, patruus et fratris filius. Quare non dubitamus quin loco vocis τοῦτον rescribendum fuerit, ut fecimus, τὸν Κωνσταντῖνον. Est autem hic Constantinus Michaelis Ducæ imperatoris frater, cui, quod Bryennius superius refert pag. 7, Alexius imperium deferre conatus erat. Hoc vero loco scriptor noster ex ista ejus in familiam Ducarum demonstrata charitate confirmat id quod nunc persuadere nititur, de studio sincero Alexii ejusdem in Constantinum imperem Michaelis Ducæ filium.

Digitized by Google

clinandum versus Alexium fortunæ supremæ ac favoris publici pendulam lancem. Si quis enim replicare annales et sursum niti versus origines rerum curet, sic reperiet, Ducarum gentem e Constantini magni domo propagatam. Auctor siquidem hujus nominis, qui socium se Constantino magno adjunxit e Roma vetere in novam migranti proxima illi consanguinitate admotus fuisse dicitur, utpote patruelis ejus, cujus præter cæteram virtutem commendatione necessitudinis, dignitas ducis Constantinopoleos illi collata est: ex qua in totam familiam Ducarum appellatio hunc usque in diem est propagata. Sic imperator Alexius avitum honorem recuperavit; auctus ipse quidem in majus decus adeptione principatus, nihilo autem minus decoris et ornamenti principatum in ipsum refundens multis illis magnisque facinoribus, per quæ Orientalem Occiduumque limites tropæis implevit, ut res ipsæ declarant. Deinde sub ipsam e vita migrationem sceptra transmittit ad Joannem duplici ad imperandum jure nixum, utpote qui ortu Comnenus esset, quam ad familiam, ut dictum est, imperium pertinebat, et partem generis traheret **14** e Ducarum domo regia, et ipsa, cujus e stirpe mater ejus nobilissimus efloruerat surculus. Quis enim sane post Constantinum Porphyrogenitum vita defunctum potiori quam Joannes ad imperandum jure videri præditus posset? Manifestum est igitur celeberrimum illum inter imperatores Alexium imperio sibi vindicando non modo nihil iniquum aut reprehendendum admisisse: verum etiam si quis recte ac prudenter pretium actionibus ponat, eo ipso nomine videri debere laude dignum præcipua, et exemplum præbuisse imitabile posteris ad usum et commune commodum rerum humanarum: imitatus in hoc et ipse præstantes ex priori memoria viros, qui simili vice temporum cernentes naturales suos dominos populari levitate et seditiosorum rebellantium contumacia perculsos excidisse avita possessione principatus, sese

A ἀναζραμεῖν βούλοιτο, εὑρήσει τὸ τῶν Δουκῶν γένος ὥσπερ ἐκ πρώτης ἀναβλύσαν τῆς τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου φυλῆς, καθότι καὶ ὁ πρῶτος Δούκας ἐκεῖνος, εἷς ὢν τῶν μετὰ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀπαναστάντων καὶ πρὸς τὴν νεωτέραν μετοικησάντων, καθ' αἷμα τῷ μεγάλῳ Κωνσταντίνῳ καὶ γνησιώτατα προσῳκείωτο. Ἐκείνου τε γὰρ ἐξάδελφος ἦν (2) καὶ τὴν τοῦ [P. 10] δουκὸς Κωνσταντινουπόλεως ἀξίαν παρ' αὐτοῦ ἐγκεχείριστο. Κἀντεῦθεν καὶ πάντες ἐξ αὐτοῦ κατωνομάσθησαν οἱ Δουκώνυμοι. Οὕτως οὖν ὁ βασιλεὺς Ἀλέξιος τὴν βασιλείαν ἀνακαλεσάμενος καὶ ὑπ' αὐτῆς τιμηθείς, οὐχ ἧττον δὲ καὶ ταύτην τιμήσας, οἷς ἄρα πολλοῖς καὶ μεγάλοις ἔργοις εἰργάσατο τροπαίων πληρώσας ἑῴαν λῆξιν καὶ ἑσπερίαν,
B καθὼς αὐτὰ δηλοῦσι τὰ πράγματα, πρὸς αὐτῇ τῆς ζωῆς ἐκδημίᾳ παραπέμπει τὰ σκῆπτρα πρὸς τὸν οἰκεῖον Ἰωάννην, ὡς ἐξ ἀμφοῖν δικαίοιν πρὸς τὸ κρατεῖν προτιμώμενον, ὁπότε τῆς Κομνηνικῆς φύλης ὅηλονότι οὕτω πρὸς τὴν βασιλείαν κληρωθείσης ὡς προδιείληπται, καὶ ἀπὸ τοῦ Δουκικοῦ βασιλείου (3) ῥιζώματος, οὗ καὶ ἡ τούτου μήτηρ ἐξέφυ καρπὸς εὐγενής. Καὶ τίς γὰρ μετὰ τὸν Πορφυρογέννητον ἕτερος τὸν βίον ἀπολιπόντα εἰς τὸ ἄρχειν μάλιστα δεδικαίωτο; Εὔδηλον τοίνυν ὡς ὁ ἐν βασιλεῦσιν ἐκεῖνος ἀοίδιμος Ἀλέξιος τῶν τῆς βασιλείας
C σκήπτρων ἐγκρατὴς γενόμενος οὐ μόνον οὐκ αἰτιάσεως ἄξιος, ἀλλ' ἤδη καὶ ἐγκωμίων τοῖς εὖ φρονοῦσι κριθήσεται καὶ ὑπόδειγμα καὶ ἀρχέτυπον ἀγαθὸν τοῖς ἐφεξῆς προτεθήσεται, ὡς ἂν καὶ ἕτεροι τοὺς φυσικοὺς αὐτῶν κυρίους παρευδοκιμουμένους ὁρῶντες καὶ τὸ προσαρμόσαν αὐτοῖς ἀνέκαθεν δίκαιον ἀφαιρουμένους παραζηλώσωσιν [P. 11] ἐπὶ τοῖς τὰ ἄδικα πεπονθόσι, καὶ πᾶσαν μὲν εἰσφέρωσι σπουδὴν ἐπὶ τὴν τούτων ἐκδίκησιν καὶ εἰς τὸ ἀποκαθιστᾷν αὐτοῖς τὴν αὐτῶν κληρονομίαν εἰς ἀφ' ὧν ἐκπεπτώκασιν, εἰ δὲ τῶν πραγμάτων ἴσως ἀντιπιπτόντων τοῦτο μὴ δύναιντο, τὸν γοῦν τὴν βίαν τούτοις ἐπενεγκόντα ἀντιδιάζωνται, καὶ τὸν ἐκδιώξαντα τούτους τῆς οἰκείας κληρονομίας ταύτης ἀποδιώκωσι,

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(2) *Ἐξάδελφος ἦν.* Fuit igitur Ducæ istius parens, quem a Constantino M. urbis ducem dictum vult Bryennius, Constantii Chlori frater. Verum id neque fidem meretur, cum de fictitio illo Duca, ut et de istiusmodi dignitate sileant prorsus scriptores. Vix enim crediderim quemquam sub Constantino vel etiam Constantini successoribus hac functum dignitate, nisi forte Thraciæ duces intelligantur, qui ea in provincia, cujus metropolis erat Byzantium, militibus præerant. Auctor est quippe Zosimus l. II, Constantini ævo in universo imperio præfuisse duces, quorum potestatem in magistros militum traduxit idem Augustus, hac in parte præfectorum prætorio detrahens auctoritati, penes quos antea bellicæ rei summa erat. Ἐφεστώτων γὰρ τοῖς ἁπανταχοῦ στρατιώταις οὐ μόνον ἑκατοντάρχων καὶ χιλιάρχων, ἀλλὰ καὶ τῶν λεγομένων δουκῶν, οἳ στρατηγῶν ἐν ἑκάστῳ τόπῳ τάξιν ἐπεῖχον, στρατηλάτας καταστήσας, τὸν μὲν τοῦ ἵππου, τὸν δὲ τῶν πεζῶν, εἰς τούτους τε τὴν ἐξουσίαν τοῦ τάττειν στρατιώτας καὶ τιμωρεῖσθαι τοὺς ἁμαρτάνοντας μεταυεῖς, παρείλετο καὶ ταύτης τοὺς ὑπάρχους τῆς
D αὐθεντείας. Porro Thraciæ provinciam sub Constantino M. rexisse Taurum procos. auctor est Constantinus Porph. l. II, *De Them.*, c. 1; denique Constantinopolim præfectis, non ducibus paruisse ex scriptoribus colligitur. Certe Scylitzes in Michaele Stratiotico Ducarum familiam ἐκ τοῦ γένους τῶν Ἑώων τοῦ Δουκὸς videtur ortam innuere, atque inde natum Ducarum cognomen. Sed an Ducæ qui Bryennii superarint tempestate, ab antiquis illis ducis genus duxerint, in dubium vocat Zonaras, quod fusius discutiendum reservamus in stemmate Ducarum.

(3) *Ἀπὸ τοῦ Δουκικοῦ ῥιζώματος.* Inscriptio crucis Grandimontanæ, quam in Dissert. 26 ad Joinvillam pluribus exponimus, de Irene Alexii imperatoris uxore,

Ἐκ Δουκικῆς φυέντι καλλιδενδρίας,
Ἧς ῥιζοπρέμνων ἡ βασιλὶς Εἰρήνη.

Michael Attaliates de Michaele Duca imperatore.

Ὁ κοσμιοτερπὴς τοῦ Δουκῶν γένους κλάδος,
Ὁ παμμέγιστος Μιχαὴλ αὐτοκράτωρ.

Digitized by Google

μὴ συγχωροῦντες αὐτῷ τῆς οἰκείας κακοτροπίας ἀπώνασθαι, ὡς καὶ ἑτέρους ἀδικεῖν ἐγχειροῦντας τὸ μὴ ἀπολαῦσαι ὧν ἑτέρους ἀποστερήσουσιν. Οἱ γὰρ μὴ οὕτως τηνικαῦτα φρονήσαντες μηδὲ τῷ Κομνηνῷ, ταὐτὸν δὲ εἰπεῖν τῷ Δούκᾳ, περὶ τὴν τῆς κληρονομίας αὐτῶν ἀποκατάστασιν συναράμενοι, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ὀπωσοῦν τούτοις ἀντιπεσόντες καὶ μὴ ῥίψαντες τὰ ὅπλα καὶ τὸν φύσει δεσπότην αὐτῶν προσκυνήσαντες, ὑπὲρ οὗ μᾶλλον αἴρειν ὅπλα τούτοις ἐχρῆν, ποίαν οὐκ ἂν τιμωρίαν ὑποσχεῖν ἦσαν δίκαιοι, ἢ μὴ μόνον μέχρι χρημάτων καὶ πραγμάτων ἀπαρχῆς καὶ πάσης ἄλλης ζημίας, ἀλλ' αὐτοῦ θανάτου, καὶ τούτου πικροῦ καὶ ὀδυνηροῦ; καὶ ἄλλως γὰρ πῶς ἔμελλε τούτους ὁ Θεὸς ἀνωτέρους διατηρῆσαι κακώσεως, καὶ μὴ ἀντιμετρῆσαι τούτους οἷς ἀντεμέτρησαν μέτροις; ὡς γὰρ καὶ τοῦ δικαίου τῆς φύσεως ἐκλαθόμενοι καὶ ἀσπλαγχνίᾳ τῷ φυσικῷ αὐτῶν κυρίῳ χρησάμενοι, δικαίως ἂν ἔτυχον καὶ οὗτοι θεόθεν ἀσπλαγχνίας, ἀποτόμως ποινηλατούμενοι [P. 12], ὅτι καὶ Θεῷ αὐτῷ προσκεκρουκότες ἑάλωσαν. Ὅτι δὲ καὶ μετὰ τῆς ἄνωθεν ῥοπῆς καὶ Θεοῦ ἐπινεύσει * ταῦτα τετέλεσται, ἡ περὶ τὴν Ῥωμαϊκὴν βασιλείαν κατάστασις ἀριδηλότερον παριστᾷ, ἐξ ἐκείνου λαβόντων τὴν εἰς τὸ κρεῖττον ἐπίδοσιν, καὶ μέχρι καὶ νῦν καθ' ἑκάστην ἐπιδιδόντων, καὶ πρὸς ἔω καὶ πρὸς δυσμὰς εὐτυχῶς χωρούντων εὐδοκίᾳ Θεοῦ καὶ χάριτι, ὡς ἐκ τῶν δεξιῶν ἀποτελεσμάτων παραδηλοῦσθαι καὶ τὴν ἀρχὴν δεξιάν. Ἆθλον δὴ τοῦτο μέγιστον ἁπάντων, ὧν ἴσμεν, προτέθεικας ἡμῖν, ὦ σοφωτάτη μοι φρὴν καὶ διάνοια, τὰς Ἀλεξίου τοῦ μεγάλου πράξεις συναγαγεῖν ἐπιτάξασα, ὃς ἐν καιροῖς δυσκόλοις τὰς τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίας παραλαβών, ὁπηνίκα τὰ τῶν Ῥωμαίων ἀπηύδησε πράγματα εἰς γῆν καταπεπτωκότα καὶ κινδυνεύοντα διαῤῥυῆναι, τέλεον ἀνέστησέ τε καὶ εἰς κλέος ἀνήγαγε μέγιστον. Νουνεχείᾳ γὰρ τὴν ἀνδρίαν συνάψας τῇ συνεχείᾳ τῶν πράξεων οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ὁπόσα ἔστησε τρόπαια τῶν Ῥωμαίων, ὡς εἶναι τὰ πράγματα .... τὰ μὲν ἐξεδίωξε, τὰ δὲ ἐδουλώσατο, τὰ δὲ ὁπόσπονδα Ῥωμαίοις πεποίηκε. Τούτου τοίνυν τὰς πράξεις συναγαγεῖν ἐργῶδες ἂν εἴη καὶ τὴν ἡμετέραν δύναμιν ὑπερβαῖνον, καὶ παρῃτησάμην ἂν τοῦργον, εἰ μή με βίᾳ Ἡρακλείη πρὸς αὐτὸ ἐδιάζετο, [P. 13] μεγίστων ἀγαθῶν βραχύν τινα πόνον ἀνταλλάξασθαι πείθουσα. Τί γὰρ ἂν ἄλλο καὶ ἀνταποδοίην αὐτῷ ἐπάξιον πάντων ὧν ἀνταπέδωκέ μοι, εἰ τὰς πράξεις ἐκείνου σιγῇ παρέλθοιμι ὥστε λήθης ἀμαυρωθῆναι βυθῷ; εἰ δὲ μὴ πασῶν ἐφικέσθαι δυνηθείη ὁ λόγος, ἐπισυριττέτω τούτῳ μηδείς. Οὔτε γὰρ ἱστορίαν συγγράφειν προῄρημαι οὔτε πλέκειν ἐκείνῳ ἐγκώμιον· μόλις γὰρ ἂν πρὸς ταῦτα ἥ τε Θουκυδίδου δεινότης καὶ τὸ Δημοσθένους ἐξήρκεσε μεγαλόφωνον. Ἀλλ' ἀφορμήν τινα παρασχεῖν βουλόμενος τοῖς τὰ ἐκείνου συγγράφειν ἐθέλουσι πρὸς ταυτηνὶ τὴν γραφὴν ἐξώρμησα. Ταύτῃ τοι καὶ ὕλη ἱστορίας ὄνομα ἔστω τῷ λόγῳ. Ἀρκτέον οὖν ἡμῖν ἐντεῦθεν.

A vindices generose ac fortiter tulerunt injuriarum illatarum ipsis, conatumque omnem adhibuerunt ad ulciscendos eorum hostes et ipsos in hæreditatem majorum, unde fuerant ejecti, restituendos. Quod si negotiis obstantibus id minus possent, vi certe mutua violentia usis inferenda perturbatores aliorum quietos esse non sinerent, nec committerent, ut per ipsorum socordiam incubatores alieni patrimonii tranquillo amplexu prædæ suæ longe alium quam quo digni erant sceleris sui fructum capere. Nec vero illa capessenti Comneno pro sua Ducarumque familia tot se viri tum præstantes consensu tanto aggregassent, nisi eo modo, quem exposuimus, ipsius essent mentem ac destinationem interpretati. Alioquin obstituri ei potius, B utpote rebelli et in eum, qui natura sibi esset dominus, arma impia sumenti, pro **15** quo pugnare ipsum, eique accidere supplicem, neque omnibus eumdem officiis prosequi jus fasque foerat, nisi gravissimis se legum omnium obligare suppliciis mallet, non modo multas publicationesque bonorum, sed bonorum etiam ac vitæ per cruciatus maximos ablationem in tales decernentium. Neque porro pro modo suæ providentiæ distulisset Deus, justas vices scelerati ausis repræsentato infortunio rependere, nedum ut servare ipsos a tot periculis perque mille infestos casus ad victoriam perducere incolumes, uti fecit, voluisset. Qui profecto est solitus naturalis transC gressores juris, in naturales dominos crudelitate impia grassantes, immisericorditer ulcisci atrociibusque mactare suppliciis ac perdere; quippe quos in sese peccare ipsum reputat, quæ nefarie in principes attentant. Sed nec sine Dei numine quodamque instinctu peculiari hæc esse perfecta manifestius demonstrat Romani status imperii, proficere in melius hinc orsi, neque hactenus interpellatus adhuc est istius prosperitatis cursus. Quis enim non cum lætitia et gratulatione cernit rem Romanam, et in Orientalibus, et in Occiduis regionibus, meliorem in dies ac florentiorem fieri, rebus utique, Dei singulari beneficio ad votum fluentibus? Quæ successuum felicitas insignis, quid aliud, quæso, quam inculpatissimam et cœli favore D dignam cœptorum innocentiam manifestat? Spissum hoc nobis et contentionis supra omnia, quæ novimus maximæ opus injunxisti, o sapientissima mihi mens et intelligentia, colligere atque in unum historiæ corpus digerere me jubens acta magni Alexii, qui difficillimis temporibus, habenis imperii sumptis in manus, sic eas gubernavit, **16** ut cum nihil exspectaretur, nisi ruina Romanæ rei proximum in exitii periculum adductæ, eam non solum restituerit in integrum, sed in decus etiam maximum evexerit. Continenti siquidem actione vitæ integræ intexta fortitudini prudentia, non facile numeratu est, quot passim tropæa erexerit

* Ἐπινεύσει. Interpres, *instinctu*. Fortasse igitur legerat in Cod. ἐπιπνεύσει. *Editor Romensis*.

Digitized by Google

de hostibus Romani nominis, quorum innumerabiles exercitus partim fudit fugavitque, partim servituti captos mancipavit, partim fœderatos Romanæ militiæ adjunxit. Talis viri res gestas opere uno complecti laboriosum arduumque fuerit meaque facultate utique superius. Recusassem itaque negotium, nisi ad id subeundum onus Herculea me vis quædam adegisset; persuasione ineluctabili exorans a me exiguam, ut vicem tot ipsi ac tantorum bonorum redderem, brevi hoc ad ejus voluntatem exantlando labore. Quid enim sane aliud retribuam ipsi pro omnibus quæ retribuit mihi, si res ejus gestas silentio præteream, committamque cessatione ac negligentia mea, ut illæ oblivionis profundo mersæ in tenebris delitescant? Quod si exhaurire omnia dicendo copiamque orationis atque ornatum cum dignitate argumenti exæquare nequiverim, ne hoc scriptum propterea meum exsibilandum explodendumque quispiam putet. Non enim historiam me sum scribere professus, neque laudationem ejus in panegyri suscepi perorandam: ad quæ vix gravis subtilisque Thucydidis copia, vix Demosthenis grande illud et ornatu ac magnificentia exaggeratum sufficiat genus. Verum id tantum mihi proposui, ut iis, qui facultate atque ingenio parati ad pulcherrimæ hujus elucubrationem historiæ accedere voluerint, breviaria eg[illegible]uædam ad indicium et memoriæ **17** subsidium his commentariis suggeram, quos propterea materiam historiæ appellari volo: sed jam tempus est qualiscunque operis initium hinc ducere.

ΒΙΒΛΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.

LIBER PRIMUS.

1. Manuelis illius viri late inclyti e Comnenorum antiqua gente, qui, Basilio imperante, utilis sequester pacis inter Augustum et Bardam Sclerum illum formidabilem annorum multorum tyrannum Orientis pene totius vastatorem perversoremque fuerat, quippe prudentia senili cum juvenili fortitudine jungenda tantum in commune commodum ista legatione ac tractatione profecerat, ut non irrito conatu discerpta membra Romani imperii rejungenda coaptandaque iterum non frustra suscepisse videretur: hujus, inquam, Comneni Manuelis filii duo fuere, quorum majori natu nomen Isaacio fuit, junior Joannes vocabatur. Quos ætatis adhuc infimæ pater cernens, quando illum gravis valetudo admonere mortis instantis videbatur, consilium cepit utriusque imperatori commendandi; neque enim saltem illis matrem relinquebat moriens, quæ illos curaret, dudum antea mortuam. Et rem prudenter deliberatam feliciter exsecutus est. Cum enim pueros tutelæ ac patrocinio **18** peculiari Basilii commendasset, non facile dictu est, quam benevolo prolixoque animo clemens ille ac sapiens princeps nobilitatem pro eo ac par erat honorare solitus, pupillorum curam educationemque sit amplexus. Pædagogos eis statim et moderatores imposuit optimos, qui et mores adolescentulorum ad decus omne formarent: corporaque tenera pro ætatis captu ad militarium jam tum artium meditationem fingerent. Armari eos expedite docentes, galeamque apte induere adversus infestas jaculationes hostium, telum vibrare, equitare perite, col-

Α α'. Μανουὴλ ἐκείνου τοῦ πάνυ, ὃς ἐς Κομνηνοὺς ἀναφέρων [P. 14-16] τὸ γένος τῶν μεταξὺ συμβάσεων καὶ σπονδῶν τοῦ τε τηνικαῦτα τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα ἰθύνοντος Βασιλείου καὶ Βάρδα ἐκείνου τοῦ Σκληροῦ, τοῦ ἐπὶ πολλοῖς ἔτεσι τυραννήσαντος καὶ τὴν ἑῴαν μικροῦ δεῖν ἅπασαν καταστρέψαντος, ἀποδέδεικτο πρέσβυς, τὰ διερρωγότα μέλη τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας συνάψαι πειραθεὶς πρὸς ὁλότητα καὶ μέντοι ἔτι καὶ συνάψας ἐπιστημόνως λίαν καὶ νεανικῶς· Μανουὴλ οὖν τούτῳ γίνονται παῖδες δύο, ὧν ὁ μὲν πρεσβύτερος Ἰσαάκιος, ὁ δὲ νεώτερος Ἰωάννης ἐκέκλητο. Κομιδῇ δὲ οὗτοι νέοι ὄντες ἀμφοῖν, ἐπειδὴ ὁ πατὴρ ἠσθένει καὶ τὴν τοῦ βίου ὑπώπτευε τελευτήν, ἐβουλεύσατο ἄμφω τὼ παῖδε τῷ βασιλεῖ παραθέσθαι. Ἑστέρητο γὰρ καὶ μητρὸς
Β τῆς συγκλήρου τούτου τῷ βίῳ πάλαι θανούσης. Τοῦτο δὲ βουλευσάμενος ἄριστα ἐς πέρας τὴ βουλευθὲν ἐξήνεγκε, καὶ μέντοι καὶ παρατίθεται τούτους τῷ βασιλεῖ. Ὁ δὲ ἐπιεικής τε ὢν καὶ τιμᾶν εἰδὼς τὴν εὐγένειαν οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ὅσης ἠξίωσε προμηθείας τοὺς παῖδας. Παιδαγωγοὺς γὰρ αὐτοῖς ἐπιστήσας καὶ παιδοτριβὰς τοῖς μὲν ῥυθμίζειν τὸ ἦθος τῶν νέων ἐπέταττε, τοῖς δὲ τὰ πολεμικὰ ἐκδιδάσκειν, ὁπλίζεσθαί τε εὐφυῶς [P. 17] καὶ τῷ θυρεῷ σκέπεσθαι πρὸς τὰς τῶν ἐναντίων βολάς, καὶ ἔγχος κραδαίνειν καὶ ἱππάζεσθαι δεξιῶς καὶ βέλος ἀφιέναι κατὰ σκοποῦ, καὶ ἵνα τὸ καιριώτατον εἴποιμι, τὰ τακτικὰ μελετᾷν, ἵνα ἔχοιεν ὅπως τε χρὴ φάλαγγα τάττειν καὶ καταλέγειν λόχους, στρατοπεδεύειν τε ἐπικαίρως καὶ χάρακα πήγνυσθαι καὶ τἄλλα ὅσα δὴ τὰ τακτικὰ
C ἐκδιδάσκουσι. Διατριβὴ δὲ τούτοις ἡ μονὴ τοῦ Στου-

Digitized by Google

δίου (4) ἀφώριστο δυοῖν ἕνεκα, τὸ μὲν ἵνα καὶ πρὸς ἀρετὴν ἐπαλείφοιντο τῇ μιμήσει τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν, τὸ δ' ἵνα ἔχοιεν εὐχερῶς ἐξιέναι τῆς πόλεως πρὸς θήραν τε ἀπιέναι καὶ τοῖς ὅπλοις γυμνάζεσθαι. A limare jaculo in scopum : et ut præcipuam disciplinæ bellicæ partem commemorem rationem instruendarum acierum sic habere in promptu, ut quovis loco ac tempore quemvis numerum, qua figura expediret ordinare extemplo possent, callerentque ad unguem quis insidiarum collocandarum modus, quid spectandum in loci delectu ad castrametationem opportuni, castrorum ipsorum quæ forma quæve descriptio sit optima, cæteraque istiusmodi ad scientiam ducendorum exercituum pertinentia. Diversorium illis assignatum est in monasterio Studii duabus de causis. Primum ut ad virtutem exemplis virorum præstantium informarentur, deinde ut facilem haberent exitum ex urbe quoties vel venationis vel exercitationis ergo prodire ipsos oporteret.

β'. Ἐπεὶ δὲ διηλλαξάτην ἄμφω τὴν ἥβην, εὐθὺς ταῖς βασιλικαῖς ἑταιρίαις συγκατελεγέτην· ἔθος γὰρ τοῦτο βασιλεῦσι Ῥωμαίων τοὺς τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν παῖδας καὶ τῶν εὖ γεγονότων τῇ σφῶν αὐτῶν εὐγενείᾳ συγκαταλέγειν. Οὕπω συχνὸς παρῆρρύη καιρὸς, καὶ αἱ μέγισται τῶν τιμῶν εἶχον αὐτούς, B ἐπαρχίαι τε καὶ φαλαγγαρχίαι καὶ στρατηγίαι. Ἐπεὶ δὲ γάμων ἔδει λαμπρῶν τοῖς οὕτω τὸ γένος περιφανέσι, καὶ τούτων τυγχάνουσι· συζεύγνυται γὰρ ὁ μὲν Ἰσαάκιος τῇ πρεσβυτέρᾳ τῶν βασιλέως Βουλγάρων Σαμουὴλ θυγατέρων, Αἰκατερίνα ὄνομα, ὁ δὲ Ἰωάννης τῇ τοῦ Χάρωνος Ἀλεξίου, ᾧ τὰ κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἐκ βασιλέως ἐγκεχείριστο πράγματα, ἀνδρὸς φρενήρους καὶ νουνεχοῦς καὶ τὴν χεῖρα γενναίου καὶ τὴν ψυχὴν θαρσαλέου, ᾧ καὶ τὸ ἐπώνυμον ἐκ τῆς ἀνδρίας κεκλήρωτο· τόν τινα γὰρ τῶν ἐναντίων βαλὼν ἐπεὶ νεκρὸν ἀποδέδειχε, Χάρων ἐντεῦθεν ἐπωνομάσθη. Τούτου τὴν θυγατέρα γήμας ὁ Ἰωάννης Ἄνναν εἰς Δαλασηνοὺς τὸ γένος; μητρόθεν ἀνέλκουσαν τοὺς Ἀδριανοὺς ἐκείνους καὶ τοὺς Θεοφυλάκτους C παίδων ἀρίστων ἀπεφάνθη πατήρ. Ἐκ δὴ τούτων πέντε μὲν ἄρρενες, Μανουὴλ, Ἰσαάκιος, Ἀλέξιος, Ἀνδριανὸς, Νικηφόρος· τρεῖς δὲ θήλειαι, Μαρία, Εὐδοκία καὶ Θεοδώρα, αἳ καὶ μέχρι τέλους αὐτοῦ διεσώθησαν· ἐπὶ τούτοις γὰρ τὸν βίον κατέλυσεν. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὕστερον. Νυνὶ δὲ τῆς ἀκολουθίας ὁ λόγος ἐχέσθω.

2. Ubi vero pubertatem ambo attigerunt, statim societatibus Palatinorum adscripti sunt. Mos enim hic fuit Romanis imperatoribus, ut virorum præstantium et nobilissimorum quorumque filios honoris causa familiaribus sui ipsorum ministeriis allectos adhiberent. Hinc jam brevi tempore maximi certatim honores ultro his deferebantur, provinciarum videlicet administrationes copiarumque bellicarum atque adeo integrorum exercituum præfecturæ. **19** Quoniam vero conjuges adultis juvenibus quærendæ erant, quæ natalium ipsorum illustri nobilitati pari generis claritudine responderent, nupsit Isaacio quidem maxima natu filiarum Samuelis regis Bulgarorum, cui nomen Æcatharinæ fuit. Joanni vero filia Charonis Alexii, cui ab imperatore res Italicæ commendatæ fuerant, viri consilio judicioque præstantis, nec minus manu prompti animique ingeniis ad quidvis arduum aggrediendum. Cui et a fortitudinis specimine nomen obtigit. Quoniam enim sæpe observatum erat quemcunque is percussisset hostium statim mortuum cadere, Charon is inde cognominatus est. Hujus Anna filia Joannes ducta maternum genus a Dalassenis ducente, atque ab Adrianis et Theophylactis illis inclytis, filiorum ab ea optimorum felix pater est factus, ex quibus quinque mares, Manuel, Isaacius, Alexius, Adrianus, Nicephorus : tres vero feminæ, Maria, Eudocia et Theodora, quæ et usque ad ejus obitum superfuere, adfueruntque omnes patri morienti. Sed hæc postea : nunc quæ sequuntur ordine reddenda.

γ'. Προϊόντε γοῦν ἐκ δόξης εἰς δόξαν ἄμφω τὼ ἀδελφὼ τὴν ὁμόνοιαν μέχρι τέλους ἐτηρησάτην, τοῦ νεωτέρου τῷ πρεσβυτέρῳ ἐν ἅπασι καθυπείκοντος, κἀκείνου τῷ νέῳ τὴν προσήκουσαν τιμὴν ἀπονέμοντος. [P. 18] Ὡς δὲ καὶ εἰς τὴν βασίλειον περιωπὴν D ἀνήχθη Ἰσαάκιος, κουροπαλάτην τὸν ἀδελφὸν τιμήσας ἄρχοντα τῶν τῆς Δύσεως στρατευμάτων ἀποδέδειχεν, ὃν πάλαι δομέστικον τῶν σχολῶν ἐκάλουν, νυνὶ δὲ μέγαν καλοῦσι δομέστικον. Τὰ μὲν οὖν κατὰ τὸν Ἰσαάκιον ὅπως τῶν βασιλείων ἐπελάβετο σκήπτρων καὶ ἐφ' ὅσον καὶ ὅπως ταῦτα διῆθυνε, περιττὸν ἂν εἴη λέγειν· ἐξέσται γὰρ τοῖς βουλομένοις ἀναλέγεσθαι ταῦτα ταῖς περὶ τοῦτον ἐντυγχάνουσαις ἱστορίαις. Ὁ δὲ Ἰωάννης ἐπειδὴ τῆς Δύσεως ἄρχειν ἔλαχεν, ὡς ὁ

3. Proficientes per hunc modum fratres duo et per honorum gradus ad summum continue nitentes concordiam inter se usque ad finem miram tenuerunt, juniore majori natu in omnibus obtemperante, illoque vicissim germano suo minori quem oportebat honorem tribuente. Ut vero in principale fastigium evectus Isaacius est, curopalatæ dignitate ornatum fratrem, ducem **20** summum Occiduorum exercituum declaravit, quem domesticum scholarum vocabant olim, hodie magnum domesticum appellare mos est. Jam quomodo Isaacius imperium arripuerit, quaque ratione et quandiu gesserit, supervacaneum fuerit exponi a me. Licebit enim cognoscere ista volentibus commodius ea petere e

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

4) *Μονὴ τοῦ Στουδίου.* Exstitit enim monasterium Studianum ad Portam Auream, ut discere est ex Chronico Alex. A. Heraclii 17 et Cedreno in Mich. Rhang., unde ex urbe in Philopatium suburbanum, quo venationis et exercitationis ergo imperatores ipsi concedebant, prodire facile erat. V. not. ap. Villhard, n. 93 et Syntagma de Invent. Cap. S. Joann. Bapt. c. 8, n. 8.

Digitized by Google

publicis quæ exstant historiis temporum illorum. Joannes porro Occiduarum partium cura, uti diximus, suscepta immortale monumentum virtutis suæ actis insignibus et laudatissimis apud Thracas, Macedonas, Illyrios et Bulgaros reliquit, summisse juxta infimisque privatis et magistratibus ex æquo probans, neminemque ullius generis aut sortis suæ humanitatis æquitatisque expertem sinens. Nemo illo facilior, moderatior, amabilior omnibus, quippe ad benefaciendum promptissimus, istoque in studio de quovis bene merendi juxta diligentissimus et constantissimus. Ad puniendum segnis ægreque mobilis. Documenta vero virtutis viri cum afferri multa possint, tum nullum illustrius recusatione imperii, de qua mox agam.

A λόγος φυάσα; ἐδήλωσε, μνημεῖον ἄληστον τὰς αὐτοῦ πράξεις κατέλιπε Θρᾳξί τε καὶ Μακεδόσι, καὶ μέντοι καὶ Ἰλλυριοῖς καὶ Βουλγάροις ἄρχουσί τε καὶ ἀρχομένοις. Καὶ οὐκ ἦν ὃς οὐ πεπείρατο τῆς τοῦ ἀνδρὸς καλοκαγαθίας· ἐπιεικὴς γὰρ καὶ μέτριος εἴπερ τις ἄλλος ἀνθρώπων γενόμενος τὴν ἁπάντων εὔνοιαν ἐπεσπάσατο, πρὸς μὲν τὸ εὐεργετεῖν ὀξύτατος ὢν καὶ συντονώτατος, πρὸς δὲ τὸ κολάζειν ἀμβλὺς καὶ δυσκίνητος. Τεκμήρια δὲ τῆς τἀνδρὸς ἀρετῆς καὶ ἄλλα μὲν πλεῖστα, οὐχ ἧττον δὲ καὶ τὸ τὴν βασιλείαν ἀποσκευάσασθαι· ὅπως δὲ, προϊὼν ὁ λόγος δηλώσει.

21. Imperator autem Diogenes captivitate liberatus, iniquum, nec tolerandum arbitrabatur excludi se possessione principatus. Quare missis quoquoversum in civitates et provincias, qui copias et pecunias undecunque cogerent, ubi confluente multitudine justum exercitum brevi collegit, cum eo celebrem in primis urbem Amaseam tenuit. Hoc audito imperator et 47 Cæsar cogitabant quem adversus eum mitterent. Tandem placuit Andronico juniori Cæsaris filio, viro manu forti expeditique ac prompti nec minus sani consilii, Romanum exercitum ductandum tradere. Sumptis igitur hic secum copiis contra Diogenem movit, provectusque in viciniam Amaseæ civitatis, coacto in unum corpus exercitu, velitationibus lacessebat hostem, omnique ratione conabatur aut capere aut urbe pellere Diogenem : qui in arcto deprehensus, coactus est educere suas copias et prælii copiam Ducæ facere. Miscentur ergo ambo exercitus, caduntque utrinque plurimi, ducibus utrisque generose pugnantibus. Fugiunt tamen ad extremum Diogeniani, ad id potissimum impulsi vehementiori impressione, qua Constantinus Ducas in frontem ipsorum aciei ferociter invectus, phalangem loco movit. Cæsis igitur multis ex parte Diogenis, fugit ipse ac cum paucis in arcem se quamdam inclusit. Ea prima bene sperandi de summa belli causa oblata est tuentibus Michaelis partes exitiique initium indidem haud dubie Diogenes sumpsit. Atque adeo captus statim esset, nisi quiddam accidisset quod mox referam. Vir erat oriundus ex Armenia, profundi consilii, manu promptus, Chutatarius nomine ; is magistratu quodam uno ex maximis a Diogene tum imperium administrante ornatus, eam benefactori

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(21) Eudociam in monasterium ab ipsa exædificatum, cui Πιπεροῦς nomen fuit, remissam, in eoque reclusam narrant Anna l. ix et Scylitzes.

Digitized by Google

suo gratiam se debere credidit, quam dubio ejus iempore repræsentare oporteret. Itaque collectis militibus non 48 paucis ad eum venit, bonoque esse animo jussum et promissis confirmatum maximis, dissuasit a tentanda iterum prælii forma cum copiis quibus præerat Constantinus Ducas. Sed ei deducto in Ciliciam claustra illa provinciæ tradidit, exercitum confecit, pecunias dedit, arma et apparatum suppeditavit fortunamque Diogenis ita restituit, ut pro spe victoriæ pacisci periculum prælii merito posset.

22. Ea rerum conversio novam curam Michaeli et Cæsari attulit. Præcipui senatorum convocati discordibus alternabant sententiis : quibusdam videbatur componendam rem cum Diogene, partemque ipsi principatus concedendam. Alii obfirmabant animum in consilio belli, nec committendum arbitrabantur, ut ullus aditus ad amissum imperium exauctorato semel principi aperiretur. Vicit tamen pars mitior, et pacis conventio per litteras a Michaele ad Diogenem scriptas missosque legatos est tentata irrito eventu. Nam mutuam veniam et oblivionem perperam gestorum proponenti Michaeli negabat Diogenes, enimvero ferri posse ut tot in se immerentem tam scelerate attentata impune abirent. Quod autem imperio ut cederet exigebatur, contentusque esse jubebatur exigua participatione potestatis summæ, quæ tota sibi jure optimo deberetur, ne mentionem quidem acerbissimæ injuriæ sustinere se, nedum iniquitatem tantam comprobare assensu queat suo. At interim dum obstinante his animum Diogene pacis negotium hærebat, qui 49 bonis invidere semper est solitus gravem procellam in Comnenos concitavit. Id quomodo et per quem contigerit deinceps exsequar. Vir erat oris audacis, quem idoneum calumniæ ministrum malus dæmon nactus, linguam ejus sicut serpentis exacutam armavit adversus Comnenorum matrem mulierem præstantissimam. Falsam videlicet accusationem in eam composuit confictis litteris, quasi ab ipsa scriptis ad Diogenem, quas et ad imperaA ριος (25) ἦν. Ἀρχήν τινα παρὰ τοῦ Διογένους τῶν μεγίστων λαβὼν, ὁπηνίκα ἐκεῖνος βασιλεὺς Ῥωμαίων ἐχρημάτιζε, χάριτας αὐτῷ ἐπὶ τοῦ δυστυχήματος ἀνθομολογούμενος, στρατιώτας συχνοὺς ἐπαγόμενος πρόσεισι τούτῳ καὶ θαῤῥεῖν παρακελευσάμενος καὶ τὰ μέγιστα ὑποσχόμενος ἀντικαθίστασθαι μὲν τοῖς περὶ τὸν Δοῦκα Κωνσταντῖνον στρατεύμασιν οὐκ ἔτι ἐᾷ, εἰς δὲ τὴν τῶν Κιλίκων χώραν ἀπαγαγὼν καὶ τὰ τέμπη τῆς Κιλικίας (26) αὐτῷ προσβαλόμενος στρατόν τε αὐτῷ ἐξαρτύει καὶ χρήματα δίδωσι, καὶ ὁπλίζει μὲν πρότερον, εἶτ' ἐν καιρῷ μάχεσθαι πρὸς τὸν ἀντίπαλον στράτευμα ταμιεύεται.

κβ'. Ἐν βουλεύμασι τοίνυν καὶ αὖθις τὰ κατὰ τὸν βασιλέα Μιχαὴλ καὶ τὸν Καίσαρα, καὶ οἱ τῆς συγκλήτου λογάδες ἠθροίζοντο. Καὶ τοῖς μὲν σπείσασθαι πρὸς τὸν Διογένην ἐδόκει καὶ μέρους αὐτῷ τῆς B ἀρχῆς παρακεχωρηκέναι, τοῖς δὲ πολεμεῖν καὶ ἔτι δέδοκτο καὶ μηδεμίαν ἀφορμὴν αὐτῷ τῆς εἰς τὴν βασιλείαν εἰσαγωγῆς παρασχεῖν. Ἐπράττετο μὲν οὖν πρῶτον τὰ τῆς εἰρήνης, καὶ γράμματα παρὰ τοῦ βασιλέως Μιχαὴλ πρὸς ἐκεῖνον μετὰ πρέσβεων κακῶν ἀμνηστίαν τούτῳ ἐπαγγελλόμενα. Ὁ δὲ εἰκότως * ὥσπερ ὑβριοπάθειά τις αὐτῷ ἀπηγγέλλετο μηδὲν ὅλως τῶν κακῶν πλημμελήσαντι, εἰς ἀποκρίσεις δὲ καθιστάμενος οὔτε τῆς βασιλείας ἀπείχετο καὶ τὰ μέγιστα διετείνετο ἀδικεῖσθαι. Ἀλλὰ τὰ κατὰ τὸν Διογένην ἐπράττετο τῇδε. Ὁ δὲ τοῖς καλοῖς βασκαίνων ἀεὶ διωγμόν τινα ἐξήγειρε κατὰ τῶν Κομνηνῶν, καὶ ὅστις λεκτέον. Ἄνδρα τινὰ θρασύστομον εὑρηκὼς καὶ ἠκονηκὼς τὴν γλῶτταν αὐτοῦ ὡσεὶ C δφεως κατὰ τῆς γενναίας τούτων μητρὸς καθοπλίζει, συκοφαντίαν συῤῥάψας τινὰ ψεύδους ἔκγονον, καὶ γράμματα συμπλασάμενος ἐξ ἐκείνης πρὸς τὸν Διογένην κομίζει ταῦτα τῷ βασιλεῖ. Τῷ δὲ μήθ' ὅστις εἴη ὁ κατήγορος σκοποῦντι, μήτε [P. 35] δὴ μένων τοῦ κατηγορουμένου τὸ πρόσωπον, εὐθὺς ξυμβέβηκε μηνιᾶν. Ἐντεῦθεν δικαστήριά τε συνεκροτεῖτο καὶ μετάπεμπτος ἡ εὐγενὴς καὶ γενναία καὶ σώφρων ἦν ἐπὶ τὰ ἀνάκτορα. Ἡ δὲ ἐφοίτα. Ἀλλ' ὁ μὲν βασιλεὺς ᾐδέσθη κοινωνὸς γενέσθαι τοῦ σκέμματος, συνήγοντο δὲ οἱ περὶ τὰ δικαστήρια τῆς κυρίας παρούσης (*j*) καὶ τοῦ κήρυκος πρὸς τὴν δί-

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(25) *Κουτατάριος*. Scylitzæ Χατατούριος, Zonaræ Χαταγούριος, qui Antiochenum ducatum obtinuerat post Michaelem Uranum.

(26) *Τέμπη τῆς Κιλικίας*. Ciliciam montibus et rupibus altissimis, proindeque vallibus et *clusis* variis impeditam ac pene imperviam, habent passim scriptores. Quæ vero hic τέμπη vocat Bryennius, στενὰ τοῦ Ταύρου dicuntur Theopham in Anastasio Dicoro A. 3 a Tauro monte, qui in iis regionibus longius protenditur, circa quem varia inædificata erant præsidia, propter locorum difficiles aditus inexpugnabilia, ut auctor est Tyrius l. x, c. 1. Tageno Patavicnsis de Ciliciæ montibus : *Progressi inde ad montana ascendimus, vix solis ibicibus pervia, et maximo labore transivimus.* Eadem habent Chronicon Reicherspergense et auctor de expedit. Asiat. Fred. I. Ciliciæ porro montes accurate descripsit Willelmus ab Oldenborg in *Itiner T. S. Hæc est terra firmissima, ex una parte enim cingitur mari, ex alia vero munitur altis mont. nis et asperrimis, quæ paucos habent introitus, et multum custoditos, ita ut hospes, si terram in-*

Petri Possini notæ.

(*j*) *Τῆς κυρίας παρούσης*. Κυρία hic κατὰ πρόληψιν. Anna Dalassena mater Alexii et Isaacii Comnenorum dicitur. Mos enim sic appellari ex more debuit antequam filius ejus imperio potiretur, quod longe post contigit. Anna lib. III, p. 75 : Οἱ δὲ ὑποστρέψαντες ἀπαγγέλλουσι τῇ δεσποίνῃ τὰ μηνυθέντα· ἐφθασαν γὰρ ἤδη οὕτω ταύτην καλεῖν ἅπαντες· *Redierunt ad dominam* (*sic jam tum omnes Alexii*

* Ὁ δὲ εἰκότως Requiro hanc fere sententiam : Ὁ δὲ εἰκότως, ἐπεὶ ὥσπερ ὑβριοπάθειά τις αὐτῷ ἀπηγγέλλετο μηδὲν ὅλως τῶν κακῶν πλημμελήσαντι, βαρέως ἔφερεν, εἰς ἀποκρίσεις δέ, etc. *Editor Bonnensis.*

Digitized by Google

κην καλοῦντος. Εἴσεισι γοῦν ἡ γενναία καὶ μεγαλόψυχος φαιδρῷ τῷ προσώπῳ, καὶ τὴν εἰκόνα δὲ κρύπτουσα ὑπὸ τὴν χλαμύδα τοῦ πάντων δικαστοῦ ἐξάγει ταύτην ἀθρόον, καὶ σεμνῷ τῷ σχήματι καὶ τῷ βλέμματι πρὸς τοὺς δικαστὰς ἀτενίσασα, « Οὗτος, » ἔφη, « δικαστὴς ἐμοῦ τε καὶ ὑμῶν καθίσταται σήμερον, πρὸς ὃν ἀτενίζοντες ψήφους ἐκφέρετε μὴ ἀναξίας τοῦ δικαστοῦ τοῦ εἰδότος τὰ κρύφια. » Τὸ γοῦν στερρὸν τοῦ λόγου ἐκεῖνοι ἐνωτισάμενοι θάμβους γεγόνασι μεστοί, καὶ παραιτεῖσθαι τὴν δίκην ἕνιοι ἤρχοντο βδελυττόμενοι τὴν συκοφαντίαν· ἤδη γὰρ διέλαμψεν ἡ ἀλήθεια ὡς πυρσὸς ὑπ' αἰθάλῃ κρυπτόμενος. Ἀλλ' οἱ μὲν τὸν θεῖον φόβον ταῖς καρδίαις ἐντρίφοντες καὶ πνεῦμα σωτηρίας ὠδίνοντες οὕτως, οἱ δὲ πάντα χαρίζεσθαι τοῖς κρατοῦσι βουλόμενοι δεινοί τινες δικασταὶ καθεστήκεσαν. Ἐπεὶ δὲ οὐχ οἷόν τε ἦν ἀποδείκνυσθαι τὴν συκοφαντίαν καὶ τὸν κρατοῦντα ἠδοῦντο, μᾶλλον δὲ πρὸ ἐκείνου τὸν τὸν δόλον συῤῥάψαντα, οὐκ ἀποφαίνονται μὲν, εἰς πρόληψιν δὲ τὸ πρᾶγμα ἐνάγουσι. Βαβαὶ τῆς ἀσυνεσίας! Ποία πρόληψις, ὦ ἐμβρόντητοι, εἶπεν ἄν τις πρὸς αὐτοὺς θαῤῥαλέως, ὁπηνίκα ὁ μὲν κατηγορῶν ἀναίδην φθέγγεται, ὁ δὲ φεύγων γενναίως τὰς κατηγορίας ἀποσκευάζεται, καὶ ὁ μὲν ἀγύρτης ἐσ.. καὶ ὀβολοῦ πιπράσκων τὴν δίκην, εἰ δέοι, ὁ δὲ πάσης ὑποψίας ἀνώτερος καὶ πρὸς αὐτὴν μικροῦ δεῖν ἐρυθριῶν τὴν ἀλήθειαν; Τοῦτ μὲν τὸ συνέδριον οὕτω πως διελέλυτο, μικροῦ δεῖν ἐοικὸς τῷ τοῦ Καΐαφα, ἡ δὲ σὺν τοῖς παισὶν εἰς τὴν τοῦ Πρίγγιπος ἐξορίζεται νῆσον.

A torem detulit. Qui nec quam levis tantæ rei auctor esset reputans, nec tantillum sustinens, quoad accusata compareret, statim iræ et ultioni se permisit. Hinc judicia comparabantur, et nobilissima atque honestissima matrona in palatium citatur. Venit illa intrepide gravitatemque ejus imperator reveritus judicio non interfuit. Cæterum hi, quos ad id delegaverat, omnia ex consueta formula gerentes, præsente domina, vocari eam in jus per præconem jubent. Ingreditur fortis et magnanima mulier læto serenoque vultu, et quam sub veste occultam clam habebat iconem supremi omnium judicis Christi, subito proferens compositissimo habitu, oculis in judices intentis : « En, » inquit, « hunc mihi hodie ac vobis constitutum putatote B judicem, in eum igitur intuentes proferte de me sententias non indignas judice occulta cernente. » Hic incredibili gravitate ac constantia pronuntiatis a matrona perculsi haud leviter judices sunt : adeo quidem ut fuerint qui cognoscere de tali causa nolle se indicarent, abominatione accusationis falsæ ac calumniosæ. Jam enim elucere veritas cœperat et velut ignis resplendere favilla prius obrutus. Is sensus erat divinum timorem nutrientium in suis cordibus et spiritum salutis parturientium. **50** At qui omnia gratificari prævalentibus decreverant, acerbe judicium exercere perrexerunt : quoniam autem probari crimen nequibat, et imperatorem aut potius eum, qui calumniam struxerat, verebantur, non quidem deciderunt litem aut ream Annam pronuntiarunt : præsumptioni tamen locum videri esse dixerunt, imprudentissimo præjudicio. Agite enim fanatici, dicat aliquis iniquis judicibus audacter, quis hoc unquam censuit recte præsumi affinem aliquem ejus criminis, quod accusator impudenter infert, reus graviter constanterque rejicit? Cum præsertim ita comparati noscantur actor et reus, ut ille quidem homo agyrta judicii religionem obolo vendere paratus sit; hic autem integerrima existimatione innocentiæ facile omni suspicione superior tanto insuper pudore sit, ut ad ipsam pene dixerim veritatem erubescat. Sic istud concilium solutum ejus non absimile, in quo ille Caiphas Christum damnavit. Anna vero cum filiis in insulam principis dictam exsulatum ire jussa est.

κγ'. Καὶ τὰ μὲν κατ' αὐτοὺς ὧδε ἐπράττετο. Ὁ δὲ βασιλεὺς Μιχαὴλ καὶ οἱ περὶ τὸν Καίσαρα ἀπογνόντες τὰ πρὸς εἰρήνην ἐπεὶ ἔρθη ὁ Δοὺξ Κωνσταντῖνος ὁ τῷ Διογένει συμπλακεὶς καὶ τοῦτον ἠττήσας, ὃν υἱὸν εἶναι τοῦ Καίσαρος δεύτερον ὁ

C 23. Dum hoc loco res Comnenorum sunt, reverso jam Byzantium duce Constantino altero Cæsaris, ut superius diximus, filio, qui cum Diogene confixerat, eumque vicerat, Michael imperator et Cæsar desperata pace, quem Diogeni opponerent con-

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

traverit, absque regia bulla exire non possit, etc. Atque inde satis colligitur cur primi Armeniæ, seu Ciliciæ toparchæ, qui præsidiis circa Taurum montem imperitabant, *de Montanis*, cognonime donentur passim a scriptoribus.

Petri Possini notæ.

matrem appellabant, etc.). Erat autem id tempus quo primam imperii possessionem inibat Alexius. Ac quod Anna δέσποιναν, Bryennius κυρίαν scribit, videtur uterque vocem aliam vulgo tunc usitatam ad Græci antiqui sermonis usum interpretando correxisse. Credibile enim est δόμνας sive δομίνας vocatas imperatorum matres; cujus rei multo antiquius exemplum afferre possum. Oppianus *Κυνηγετικῶν* I :

Αὐσονίων Ζηνὸς γλυκερὸν θάλος, Ἀντωνῖνε.
Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φιτύσατο δόμνα Σεβήρῳ
Ὀλβίῳ εὐνηθεῖσα καὶ ὀλβιον ὠδίνασα.

in quibus satis videtur innuere poeta dominæ sive domnæ appellationem Martiæ Severi conjugi ideo tribuere, quod ea Antoninum tunc imperantem pepererat. Secundi Paralipomenon c. xv, v. 16 sic habetur de Asa rege Juda : *Sed et Maacham matrem Asa regis ex augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi.* In Hebræis originibus pro illis verbis, *ex augusto deposuit imperio*, legitur הסירה מגבירה quod ad verbum reddi potest, *amovit eam ne esset domina*; nimirum redactam in ordinem dominæ appellatione et auctoritate privavit, quam merito et gratia regnantis prolis obtinuerat. Hæc pluribus illustrari poterant; nos cursum defungimur alio festinantes.

Digitized by Google

sultabant. Verebantur enim, ne si ei securum spatium confirmandi sui darent, exercitum numerosiorem, quam prius, sibi compararet, pecuniaque ex vicinis Antiochiæ regionibus et urbibus idonea collecta sic partes firmaret suas, ut non facile debellari posset. Vocato ergo **51** Cæsar Constantino filio, egit cum eo ut rursus vellet assumptis copiis adversus Diogenem proficisci. Sed illo recusante, major natu frater ejus accersitur Andronicus, et istam expeditionem suscipere jubetur. Egregia tum in juvene pietas et parenti obsequendi enituit studium. Paratum se statim ad quidvis obtulit, nec verbis liberalior, quam rebus, eodem die imperatore ac patre salutato, Chalcedonense transmisit fretum. Sexque omnino dies circa Chalcedonem moratus apparandis rebus ad profectionem necessariis, hinc movens circuivit Orientalem tractum collegitque copias, quibus universis unum in exercitus corpus secum junctis iter capessivit Ciliciam versus. Prima in his Andronico cura fuit concordiam et conspirationem in unum sensum in exercitu constituere. Quod assecutus summa comitate, qua quemque humanissime familiarissimeque tractabat; alterum deinde istud sibi proposuit agere, ut adventus ejus lateret hostes, priusque ipse cum suis per angustos aditus in Ciliciam penetraret, quam id Diogenes sensisset. Hujus quoque secundi voti compos factus est. Arcto enim et præcipiti calle superato Andronici milites repente nihil minus opinantibus Diogenianis apparuerunt.

24. Quando primum accepto sensu expeditionis contra se ductæ, imperator Diogenes copias et ipse suas eduxit, belli summa et exercitus pene totius plena potestate ei, cujus superius meminimus, Chutatario Armenio **52** permissa. Ille immisso equitum peditumque idoneo numero, occupare studuit opportuna loca, sed spe sua falsus est, ea præoccupata reperiens a domestico scholarum Andronico. Exclusus inde igitur fronte adversa suam aciem

A λόγος ἡρμήνευσεν ἄνωθεν, παλινοστῆσαι πρὸς τὸ Βυζάντιον, ἐσκέπτοντο ὅπως ἂν τὰ κατὰ τὸν Διογένην διάθωνται. Ἐδεδίεσαν γὰρ μή πως ἀδείας πάλιν ἐκεῖνος δραξάμενος στρατεύματά τε συναγείρῃ τῶν πρώην [P. 36] πλείονα, καὶ χρήματα τῶν ἐκ τῆς Ἀντιοχείας χώρων εἰσπράξηται καὶ δυσμαχώτερος κατασταίη. Εὐθὺς οὖν ὁ Καῖσαρ μεταπέμπεται τὸν υἱὸν Κωνσταντῖνον, καὶ αὖθις τὰς δυνάμεις ἀναλαμβάνειν καὶ κατὰ τοῦ Διογένους χωρεῖν παρεκελεύετο. Τοῦ δὲ παραιτουμένου, ὁ πρεσβύτερος τῶν τοῦ Καίσαρος υἱῶν μετεκαλεῖτο Ἀνδρόνικος καὶ ἐκελεύετο ἀπιέναι. Ὁ δέ, εἴπερ τις ἄλλος, ὑπήκοος ὢν πατρὶ εὐθὺς ἕτοιμος ἦν πρὸς τὸ ἔργον. Συνταξάμενος οὖν αὐθημερὸν τῷ βασιλεῖ καὶ τῷ Καίσαρι τὸν πορθμὸν διεπεραιοῦτο τὸν Χαλκηδόνιον. Καὶ ἐξ

B ἡμέρας διατρίψας περὶ τὴν Χαλκηδόνα ὅσον τὰ ἐπιτήδειά οἱ τὰ πρὸς τὴν ἐκστρατείαν γενέσθαι, ἐκεῖθεν ἀπάρας περιῄει τὴν Ἕω καὶ τὰς δυνάμεις συνέλεγε. Καὶ θᾶττον ἁπάσας συλλέξας ξὺν αὐταῖς ἐχώρει πρὸς τὴν Κιλίκων. Σκοπὸν δ' ἔθετο πρῶτον εἰς μίαν καὶ τὴν αὐτὴν γνώμην μεθαρμόσασθαι τὸ στρατόπεδον· ἐπεὶ δὲ τοῦτο αὐτῷ ἐξεγένετο ἑκάστῳ προσφερομένῳ ἐπιεικῶς καὶ πρὸς πάντα μεθαρμοζομένῳ οἰκείως, δεύτερον σκοπὸν τίθεται τοὺς πολεμίους λαθεῖν καὶ τὰ στενὰ τῆς Κιλικίας διελθεῖν πρὸ τοῦ τὸν Διογένην αἰσθέσθαι τῆς τούτου ἐφόδου. Γίνεται οὖν καὶ τοῦτο κατὰ τὰ βεβουλευμένα, καὶ τὴν στενὴν καὶ ἀπόκρημνον διελθόντες οἱ περὶ τὸν Ἀνδρόνικον ἀθρόοι τοῖς περὶ βασιλέα τὸν Διογένην ἐπι-

C φαίνονται.

κδ'. Αἰσθόμενος δὲ (27) καὶ ὁ βασιλεὺς τῆς τούτων ἐφόδου ἐξῆγε καὶ αὐτὸς τὰς δυνάμεις, τῷ Χουτατουρίῳ Ἀρμενίῳ, ὃν φθάσας ἐδήλωσεν ἄνωθεν ὁ λόγος, τὴν τοῦ πολέμου δεδωκὼς ἐξουσίαν καὶ πάντα τὸν στρατὸν μικροῦ δεῖν αὐτῷ ὑποτάξας. Τοὺς πεζοὺς οὖν οὗτος καὶ ἱππεῖς ἐπαγόμενος τοὺς ἐπικαίρους τῶν τόπων καταλαβεῖν ἔσπευδεν. Ἀλλὰ τῶν ἐλπίδων ἐσφάλη, τοῦ δομεστίκου τῶν σχολῶν Ἀνδρονίκου προκατασχόντος αὐτούς. Ἀπογνοὺς οὖν

Caroli Du Fresne Du Cange notæ

(27) *Αἰσθόμενος δέ.* Extremam Romani Diogenis fortunam, et ut in Michaelis seu potius Constantini Ducæ casses inciderit, pluribus etiam exsequitur Guillelmus Apuliensis, quem præstat audire :

Sed non privignis firmatæ commoda pacis
Conditio placuit, minus ad tutanda peritis
Agmina Græcorum ; nec enim decernitur ultra
Arcis ad Augustæ Romanus jura redire.
Hos ubi Diogenes factos sibi comperit hostes,
Auxilio fisus Persarum tentat in illos
Civilis belli varios agitare paratus.
Privigni se non obsistere posse videntes
Illum conantur seducere pace dolosa.
Ignari fraudis portantes nuntia pacis
Bis sex pontifices mittuntur, cum Gocelino [1],
Cujus Romanus toties expertus amorem
Non dubitabat ei se credere sicut amico,
Securus factus jurando jure fideque
Ut petit ipse data : misero placet imperialis
Incassum reditus, quia mox ubi pervenit ille
Heracleam, capitur, privatur lumine captus,
Cujus et imperii fuerat tam nobile nomen,
Monachus efficitur. Securi jam duo fratres
Regni tranquillis agitant moderamen habenis ;
Non tamen omnino sua restat inulta tyrannis ;
Namque sibi socios Romani filius addens
Armenios, Persas, terras Orientis eorum
Subtrahit imperio, ferro populatus et igni.
Tempore Persarum gens perfida cœpit ab illo
In Romaniam consurgere cæde, rapinis,
Imperii nec adhuc redigi sub jura valeret,
Gens nisi Gallorum, quæ gente potentior omni
Viribus armorum, nutu stimulata superno
Hanc libertati superato redderet hoste,
Quæ, spirante Deo, sanctas aperire sepulcri
Est animata vias longo jam tempore clausas.
Consiliis quorum fuit exæcatio tanti
Perpetrata viri, miseri capiuntur et aula
Depulsi meritas coguntur solvere pœnas.
Hi quibus insontem puniri consuluerunt,
Puniri sontes vario cruciamine mandant.

[1] De quo Malat. l. II, c. 19, et ipse Guilleim. p. 17, 19, 20.

Digitized by Google

τούτου ἀντιμέτωπον τὴν ἰδίαν φάλαγγα τῇ τῶν ἐναντίων ἵστησιν· ἀντικαθίσταται δὲ πρὸς τοῦτον καὶ ὁ Ἀνδρόνικος. Καὶ τοῦ μὲν μέσου τῆς φάλαγγος αὐτὸς ἦν ἐξηγούμενος, τοῦ εὐωνύμου δὲ κέρατος ὁ Φράγγος Κρισπῖνος (28), τοῦ δεξιοῦ δ' ἕτερός τις τῶν ὑπὸ τὸν A hostili opponit : nec distulit ex adverso suas quoque ordinare copias Andronicus, medium in iis sibi locum sumens, lævo cornu præerat Francus Crispinus ; dextro autem alius ex ducibus Andronico subjectis. Hic antequam plene structa phalanx es-

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(28) *Ὁ Φράγγος Κρισπῖνος.* Fuit Crispinus ex illustri admodum familia Normannica, etiamnum superstite, oriundus, ex qua continuata longæ propaginis serie prodiere hodierni barones Becci et marchiones Vardii. Vocabatur vero ille, cujus hoc loco meminit Bryennius, *Robertus Crispinus*, cujus elogium resque in bellis præclare gestas ex eodem Bryennio, Scylitze, Zonara et aliis, ad gloriam nobilissimæ et vetustissimæ gentis summatim hic attexam : cum præterea id nostri sit instituti apud Græcos scriptores ea potissimum prosequi, quæ ad nostratem illustrandam historiam et Francicarum familiarum origines retegendas quidpiam videntur conferre, ut inde, qui aut ad illam scribendam manus admovent, aut ad legendam animum adjiciunt, neutiquam Byzantinos posthabendos esse tandem percipiant. Sed priusquam rem aggrediar, operæ pretium videtur ex veteri scriptore ascribere, quæ habet de gentis antiquitate, ac primis illius auctoribus, cum in iis Robertum recenseat. Sic igitur ille : *Antequam Normanni duce Willelmo Angliam debellarent, fuit in Neustria, quæ nunc Normannia vocatur, vir egregius, nomine Gislebertus, genere ac nobilitate præclarus, qui ab habitudine capillorum, primus Crispini cognomine dicitur insignitus. Nam in sua primæva ætate habebat capillos crispos, et rigidos, atque sursum erectos, et, ut ita dicam, reversos, ad modum pini ramorum, qui semper tendunt sursum, quare cognominatus est Crispinus, quasi Crispus Pinus. Quam capillorum reversionem videmus in iis, qui de ipsius Gisleberti genere descendunt ; unde et ipsi eodem cognomine a cæteris Normannorum familiis dirimuntur. Iste Gislebertus* [1], *qui, ut diximus, Crispini cognomen primus est indeptus, accepit uxorem senioris Fulconis* [2] *de Alnou germanam, nomine Gonnorem, de qua tres filios genuit, Gislebertum Crispinum, Willelmum, et Robertum, duasque filias, Emmam Petri de Condeto genitricem, atque Elisiam matrem Willelmi Malet, qui miles strenuus in senectute factus est monachus Becci, et transactis aliquot annis, honorifice in cœnobiali observatione, ut talem virum decebat, bono fine quievit. Robertus Crispinus minor frater Normanniam egressus, plurimas peragravit regiones, donec Constantinopolim veniret, et ab imperatore cum honore susceptus, magnique nominis apud omnes effectus, ibi, ut fertur, invidia Græcorum veneno periit. Gislebertus* [3] *Crispinus major horum trium fratrum a duce Normannorum castrum Tegularias* (Gall. *Tillières*) *in hæreditate custodiendum accepit, quod hæredes ejus tenent usque ad præsens tempus. Prædictus Willelmus* [4] *Crispinus, medius frater, generis nobilitate, et morum probitate, atque militia famosissimus, inter Normannorum primos habebatur, qui, ut diximus, de primo Crispinorum patre Gisleberto optimus filius, ad totius generis sui gloriam felicibus auspiciis prodiit, et sicut inter Romanos olim Fabii, vel Anicii, sive Manlii insignes habebantur, ita Crispini inter Normannos et Francos honoratiores reputabantur. Sed iste Willelmus inter omnes nominatissimus fuisse fertur, qui suo tempore militiæ titulis insignis, pene super omnes ejusdem tempestatis viros enituit. Unde præclara ejus probitas plures sibi effecerat invidos, atque hostes reddiderat atrocissimos. Eo tempestate Franci auctore Walterio Vetulo comite de Ponte Isaræ, qui totam terram intra Ittam et Andelam, atque Sequanam, suam debere esse dicebat, crebras irruptiones ultra Ittam faciebant, et prædas de Vilcassino agebant, et ideo dux Normannorum Willelmus, qui postea rex Anglorum fuit, prædictum Willelmum Crispinum, quia erat probatissimus in re militari, collocavit in castro Melfia* [5] *contra Francorum incursus, ad coercendas eorum præsumptiones, donans ipsi castrum ipsum, et Vilcassini vicecomitatu n jure hæreditario custodiendum, et filiis ejus post eum, sicut usque hodie videmus. At ille ibi mansionem constituit, familiam et milites in loco posuit contra irruptiones Francorum. Quade re Franci vehementer irati, in tantum odium contra illum exarserunt, ut mortem ejus tota aviditate appeterent.* Hæc etsi fusiora præmittenda visa sunt in gratiam illustrissimæ gentis, cui non modicum præstitere splendorem Roberti res bello in Græcia gestæ, quas ad illustrandum Bryennium cum bona lectoris venia brevi hic elogio perstringendas institui. Normanni nostri tunc primum in Apuliam, bellicæ laudis quærendæ ergo profecti sunt Richardo II et Roberto II Neustriæ imperantibus : primique ex iis Turstinus, cognomento *Scitellus*, Arnolinus et Ranulfus, sedibus suis pulsi, vel, ut alii volunt, ad consequendam in præliis gloriam, eo profecti, dum pro Græcis quibus præerat hac ætate Basilius, contra Saracenos Siculos, tum etiam contra Græcos pro rebellantibus Italis acriter pugnant, tantam in re militari famam sunt consecuti, ut easdem peragrare provincias, ibique sectari prælia Normannos gentiles cupido incesserit. Atque hi dum frequentes adsunt, numerosique conflant, Apuliam ipsam, Calabriam, et vicinas regiones suo tandem juri subdidere, provincias et oppida inter se dispertiti. Horum alii pacatis rebus, seu quod est simillimum vero, quod in partem bello quæsitorum non venissent, indignati, Constantinopolim concesserunt, Græcis, quibus tum bellum erat cum Turcis, operam suam locaturi, ubi ab imperatoribus benigne excepti sunt, cum summa esset apud illos ea tempestate Normannorum virtutis et peritiæ militaris existimatio. Hos inter sub hæc tempora tres aut quatuor potissimum recensent scriptores Byzantini (nam de cæteris qui Alexio militarunt, erit alius dicendi locus), Radulfum nempe patricii dignitate donatum a Michaele Stratiotico, cui meruit adversus Isaacium Comnenum, cum iis in bellis præclara n navasset operam : Goscelinum de Oreucho, qui sub Romano Diogene primum in palatio locum obtinuit ; Crispinum nostrum Bryennianum, ac denique Urselum de Balliolo, qui sub Michaele Duca res magnas gessit. Robertus et Ursellus sub eosdem ferme annos ex Italia ad Diogenem Constantinopolim venere. At Robertus quidem versus Orientis partes, cum copiis, quibus præerat, Normannicis, ut ibi hiemaret, missus, seu a natura esset cupido lucri, quod Græci scriptores volunt, seu, quod probabilius, quia sti-

[1] Uxorem Gisleberti sororem Roberti Guiscardi fuisse nescio quo auctore tradit Philippus Mouskes in *Historia Franc.* ms., ubi etiam Roberti nostri res in Apulia et Græcia gestas enarrat.

[2] Fulconis istius meminit Ordericus Vital. l. III, p. 479.

[3] De Gisleberto agunt Orderic. l. V, p. 575 ; Willelm. Gemet. l. VII, c. 5.

[4] V. Willelm. Pictav., 187 ; Henric. Huntindon. l. VII, p. 380 et 381 ; Simeon. Dunelm., Rad. de Diceto, Brompton. An. 1106, 1112, 1119 ; Malmesburiens. l. III ; Orderic. l. XII, etc.

[5] Leg *Nelfia*.

Digitized by Google

set, Francus pridem male affectus erga imperatorem Romanum, et iram in eum corde conceptam fovens, viso equitatu hostili, sese illum expulsurum Andronico præfatus, magno impetu cum suis in eum irruit. Confligitur acriter, Chutatarii equitibus ad extremum fusis fugatisque, instante a tergo victore, ac multos eorum qua cædente qua captivos abducente. Disperso porro in hunc modum equitatu, verita pedestris acies ne circumventa concideretur, et ipsa verso tergo in fugam incubuit. Servati sunt quotquot aviarum vallium, præcipitiumque ac densorum saltuum sese latebris texere : alii partim occisi, partim capti sunt. Sic Diogenis acies fracta disjectaque est. Victori autem cum plausu et gratulatione maxima in suum tabernaculum revertenti Andronico et gratias Deo rite pro victoria reddenti alius quoque successus gaudium cumulavit. Eques curriculo adfuit captivum quemdam trahens et ad ducem exercitus magnopere postulans admitti. **53** Proferens ille e tabernaculo caput spectaculo pascitur jucundissimo, Chutatarium ad se vinctum duci cernens. Hic enim, ut ipse referebat, equo inter fugiendum prolapso, silvam ingressus densam delitescere in ea voluit, sed detectus a persequentibus et comprehensus vitam ab occidere parato lacrymis impetravit, erepta duntaxat veste. Illinc nudum se iterum abdit in saltum : verum ab alio visus et ferro petitus necem professione nominis antevertens duci ad exercitus imperatorem petiit impositusque confestim in equum sic Andronico sistebatur, quem ille duci ad se nudum e tabernaculo cum vidisset, foras ei obviam prodiit benignoque intuitu consolatus mœrentem nuditati ejus honorique consuluit, datis ei vestibus ducis primarii personam decentibus, atque inde vinculis solutum in libera custodia secum habuit; quam ille humanitatem admiratus remunerari egregia gemma statuit. Ita-

A Ἀνδρόνικον τεταγμένων. Ἀλλὰ πρὶν ἢ τὸν συνασπισμὸν γενέσθαι καὶ εἰς χεῖρας ἀλλήλων ἰέναι, ὁ Φράγγος δύσνους ὢν πάλαι τῷ βασιλεῖ Ῥωμανῷ καὶ μῆνιν κατ' αὐτοῦ τρέφων, τὸ τῶν ἐναντίων ἱππικὸν θεασάμενος καὶ τῷ Ἀνδρονίκῳ προειπὼν τὴν κατ' ἐκείνων ἐξέλασιν, ἀπὸ ῥυτῆρος σὺν τοῖς ἀμφ' αὐτὸν ἐξελαύνει τὸν ἵππον. Ἰσχυρᾶς οὖν τῆς προσβολῆς γενομένης φεύγουσιν οἱ περὶ τὸν Χουτατούριον. Οἱ δὲ κατόπιν διώκοντες πολλοὺς μὲν ἀνῄρουν πολλοὺς δὲ καὶ ἐζώγρουν. Τοῦ γοῦν ἱππικοῦ οὕτω διασκεδασθέντος καὶ ἡ φάλαγξ ἡ πεζικὴ, δείσασα μὴ κυκλωθεῖσα διακοπείη, τὰ νῶτα δοῦσα καὶ αὕτη πρὸς φυγὴν ἔκλινεν. [P. 37] Ὅσοι μὲν οὖν ταῖς φάραγξι καὶ ταῖς λόχμαις εἰσέδυσαν, διεσώθησαν, τῶν δὲ λοιπῶν οἱ μὲν ἔπεσον οἱ δὲ ἐζωγρήθησαν. Καὶ ἡ μὲν τοῦ Διογένους B φάλαγξ οὕτως διελέλυτο καὶ διεσκέδαστο, τροπαιοφόρῳ δ' ἐπανελθόντι τῷ Ἀνδρονίκῳ πρὸς τὴν σκηνὴν καὶ μετ' εὐφροσύνης τὰ χαριστήρια θύοντι καὶ ἕτερον ἐπῆλθεν εὐτύχημα. Ἱππεὺς γάρ τις ἦκεν ὡς τάχιστα πρὸς αὐτὸν τῶν πολεμίων ἄγων τινὰ καὶ τὸν στρατηγὸν ἐζήτει θεάσασθαι. Ὁ δὲ τῆς σκηνῆς προκύψας ἑώρα πρᾶγμα πολλὴν αὐτῷ θυμηδίαν παρέχον, τὸν Χουτατούριον πρὸς αὐτὸν ἀγόμενον δέσμιον. Οὗτος γὰρ ἐν τῷ φεύγειν τοῦ ἵππου διωλισθηκότος, ὡς ἔλεγε, λόχμην τε εἰσέδυ τινὰ καὶ λανθάνειν ἔσπευδεν. Ὡς δ' ὑπὸ τῶν διωκόντων καταφανὴς γέγονε καὶ συλληφθεὶς ἔμελλεν ἀναιρεῖσθαι, ἐλιπάρει τὸν ζωγρήσαντα. Ὡς δὲ δακρύοντα οὕτος τὸν ἄνδρα τεθέαται, τὴν ἐσθῆτα ἀποδυσάμενος καὶ γυμνὸν ἐπὶ τὴν λόχμην ἀφεὶς ἀπῆει. Εἶτα δὴ ἄλλος C αὐτὸν γυμνὸν κατιδὼν ὑπὸ τὴν λόχμην κρυπτόμενον ὥρμησεν ἀναιρεῖν, ὁ δὲ ὅστις εἴη ἐφθέγγετο καὶ πρὸς τὸν στρατηγὸν ἀπαχθῆναι παρεκάλει. Κἀκεῖνος ταχέως τοῦτον ἐπὶ τοῦ ἵππου θεὶς πρὸς τὸν Ἀνδρόνικον ἀπεκόμιζεν. Ὃν ἐκεῖνος ἐκ τῆς σκηνῆς ἰδὼν γυμνὸν ἐπαγόμενον ἐξῆει τε τῆς σκηνῆς καὶ πλεῳ τῷ ὄμματι τοῦτον καθυπεβλέπετο. Παριστεῖλας οὖν

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

pendia non soluta prætexeret, incolas bonis suis, et exactores vectigalibus et pecuniis publicis spoliat, obvia quæque diripit, obsistentes, cædibus licet parceret, fugat funditque. Quod cum perlatum esset ad imperatorem, illico Samuelem Alusianum, nobilem Bulgarum, sibique nescio qua affinitate conjunctum, cum quinque legionibus mittit, quo Robertum cogeret in ordinem. Hunc adortus ille ipso Paschatis festo die, a Roberto profligatur, cæsis non paucis ex suis, pluribus tamen captis, quos humanissime tractatos, ac vulneribus curatis abire permisit Robertus, missis interea ad Diogenem legatis, qui objectum de illata a se clade amolirentur crimen, et eorum quæ perpetrasset invitus impetrata venia, fidelem in posterum operam suo nomine pollicerentur. Libens annuit imperator propter viri nobilitatem, inquit Scylitzes, et partam in bellis gloriam, animique fortitudinem, cujus haud modica ediderat specimina bello contra Turcos. Crispinus igitur ex suis aliquot assumptis convenit Diogenem, cæteris in Armenia ad Maurocastrum, quod prius occuparat oppidum, relictis. Sed mox a quibusdam ex iis qui Roberti detrectabant imperium, parereque abnuebant, apud imperatorem delatus, quasi in eos nescio quid molitus esset durius, etsi non plane convictus, copiarum, quibus præerat, præfectura abdicatus est, et Abydum relegatus. Id ægre passi socii prorumpunt palam in rebellionem, relictoque Maurocastro, ubi se haud rebantur tutos, in Mesopotamiam sese infundunt, multaque incolis inferunt damna, cum alii interea Normanni, sub Ursello, Diogeni militarent contra Turcos. Verum pauci effluxere menses, cum acceptæ injuriæ ulciscendæ Roberto idonea sese præbuit occasio. Cum enim Diogenes a Turcis in prælio deletus captusque fuisset, moxque ab iis in libertatem assertus a Græcis in imperatorem renueretur, Crispinus Abydo excedens Constantino Ducæ, qui adversus Diogenem missus fuerat cum exercitu, cum suis sese adjunxit et iis in præliis, in quibus tandem ille captus est, acriter pugnavit. Denique cum præclaris editis facinoribus apud Græcos summam militaris gloriæ famam consecutus esset, tantam ex tot prospere gestis rebus sibi conflavit invidiam, ut ab iis propinato enecaretur veneno, quo etiam magnum illum Ursellum Roberti socium interiisse narrant. Atque hæc fuit viri bello inclyti fortuna, quam siluisse duxissem nefas, cum minus nostris hactenus innotuerit ipseque Carolus Venascus in Crispinorum stemmate, quod arbori gentilitiæ Grimaldæ gentis attexuit, Roberti ne quidem meminerit.

Digitized by Google

τὴν αὐτοῦ γύμνωσιν περιβολῇ στρατηγῷ πρεπούσῃ γενναίῳ ἐν ἀδέσμῳ ἐτήρει φυλακῇ. Ἀγασθεὶς δὲ ὁ Χουτατούριος τῆς περὶ αὐτὸν φιλοφροσύνης τοῦ Ἀνδρονίκου, λίθον τινὰ τῶν πολυτίμων ὑπ' αὐτοῦ κρυβέντα περὶ τὴν λόχμην ἐν ᾗ ἑάλω αὐτῷ φανεροῖ, καὶ πέμψαι ξὺν αὐτῷ ἀξιοῖ τοὺς ἀποκομίζοντας. Καὶ δὴ πέμπονται, καὶ κομίζουσι θέαμα τοῖς ὁρῶσιν ἰδεῖν (*k*). Μεγέθει γὰρ ἦν σχεδὸν ὑπὲρ ἅπαντας λίθους, λαμπρότητι δὲ τοὺς διαυγεῖς ἅπαντας ὑπερέλαμπεν. Ὃν ὁ Ἀνδρόνικος τῇ βασιλίδι Μαρίᾳ δῶρον προσήνεγκεν ὕστερον.

A que Andronico cum dixisset fuisse sibi, quando erat captus, lapillum eximii pretii, quem ipsi offerre cuperet, abscondisse autem illum certo loco in ea silva, in qua erat comprehensus, eo remitti cum custodibus petiit relaturum gemmam. Annuente Andronico brevi mirabilem visu reportavit lapidem superantem gemmas omnes magnitudine, splendoris autem majoris, quam sit ullus pellucidus lapis, quem postea dono dedit Andronicus imperatrici Mariæ.

κε'. Ὁ δὲ Διογένης καὶ τῶν πραγμάτων αὐτῷ κατόπιν ἀρμένων οὐ κατεγίνωσκεν, ἀλλὰ τοὺς περὶ αὐτὸν ὑπερώννυε καὶ ἐλπίδας ὑπέτεινεν ὡς ἀφιξομένης αὐτίκα δὴ μάλα Περσικῆς συμμαχίας. Διεπρεσβεύετο δὲ καὶ πρὸς τὸν Κρισπῖνον πειρώμενος αὐτοῦ τὸ βάρβαρον φρόνημα διεγεῖραι κατὰ τοῦ Ἀνδρονίκου. Ἀλλὰ τοῦτο γνοὺς Ἀνδρόνικος καὶ θωπευτικώτερον ἐντετυχηκὼς τῷ Κρισπίνῳ τὴν ἐκείνου πρεσβείαν ἀπέδειξεν ἄπρακτον. Ἀπράκτου δὲ τῆς πρεσβείας ἀποδειχθείσης καὶ τοῦ ἐκ Περσίδος συμμαχικοῦ ἔτι μέλλοντος, οἱ περὶ τὸν Διογένην ἀπογνόντες τῷ Ἀνδρονίκῳ συνθέμενοι καὶ πίστεις τοῦ μὴ παθεῖν εἰληφότες αὐτόν τε τὸν βασιλέα παραδιδόασι καὶ τὸ φρούριον. Οἱ δὲ περὶ τὸν Δοῦκα [P. 38] Ἀνδρόνικον αὐτὸν συλλαβόντες τὴν ἀλουργίδα αὐτὸν ἀποδύσαντες, τὸ μοναδικὸν ἐπενδύουσι σχῆμα, καὶ οὕτω τοῦ φρουρίου ἐξαγαγόντες πρὸς τὸν Ἀνδρόνικον μετὰ πλείστης ὅτι τῆς περιχαρείας ἀπάγουσιν. Ὁ δὲ τῆς τύχης αὐτὸν οἰκτείρας ἐδάκρυσε καὶ δεξιὰν ἐμβαλὼν εἰς τὴν ἑαυτοῦ ἀπάγει σκηνὴν καὶ τραπέζης αὐτῷ κοινωνεῖ. Ἦν οὖν ἄμεινον μέχρι τούτου στῆναι τῷ ἀνδρὶ τὰ τῆς δυστυχίας· ἀλλ' οὐκ ἦν αὐτῷ διαδρᾶναι τοῦ φθόνου τὰ βέλεμνα. Οἱ γὰρ περὶ τὸν βασιλέα Μιχαὴλ πρόφασιν ὥσπερ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας τὴν πρὸς ἐκεῖνον πλασάμενοι εὔνοιαν, δείσαντες, ὡς ἔφησαν, μή τι καὶ διαμηχανήσαιτο ὁ Διογένης καὶ πάλιν ἀφορμὴ πραγμάτων τῷ βασιλεῖ γένοιτο, ἐντέλλονται τινι διὰ γραμμάτων ἐπὶ τοῦ καιροῦ δυναστεύοντι ἐκκόψαι τούτῳ τοὺς ὀφθαλμούς. Ὁ δὴ καὶ γενόμενον μεγάλως ἡνίασε τὸν Ἀνδρόνικον, καὶ μᾶλλον ὅτι καὶ πειρασθείς διασώσασθαι τοῦτον οὐ δεδύνητο, τῶν περὶ τὸν βασιλέα σφοδρότερον ἐγκειμένων. Ἐπέστειλε δὲ καὶ πρὸς τὸν πατέρα τὸν Καῖσαρα, παρακαλῶν αὐτὸν μὴ συγχωρῆσαι τελεσθῆναι τοιοῦτον ἀνοσιούργημα, ἢ μὴν τῆς θείας ἐκδέχεσθαι δίκης τὴν ψῆφον οὐκ εἰς μακρὰν ἀπαντήσουσαν. Ὁ μὲν οὖν ταῦτα, οἱ δὲ τὰ γράμματα δεξάμενοι ἐκτυφλοῦσί τε τοῦτον, καὶ εἰς ὃ ἱδρύσατο φροντιστήριον ἐν τῇ νήσῳ Πρώτῃ ἐκπέμπουσι. Βραχὺ δέ τι ἐπιβιοὺς μετὰ τὴν τῶν ὀφθαλμῶν στέρησιν ἐτελεύτησεν, ἐπὶ τρισὶν ἔτεσι τὴν βασιλείαν Ῥωμαίων ἰθύνας. Τοιοῦτον ἔσχε τέλος τὰ κατὰ τὸν Διογένην.

54 25. At Diogenes tam infelici successu non fractus obstinabat adhuc in spe animum, sociosque ultimæ fortunæ consolari studebat fiducia mox adfuturi e Perside auxilii. Misit etiam ad Crispinum certos homines ingenium irritabile iracundi barbari concitare in Andronicum conaturos : cujus indicio cœpti, accepto in tempore Andronicus longe blandioribus quàm unquam alias verbis officiisque Crispinum ita delinivit, ut Diogenianos remiserit irritos. Cujus rei per comitatum Diogenis fama vulgata, cunctantibusque nimium exspectatis a Perside copiis, proditur a suis Diogenes, incolumitatem propriam ejus, atque arcis in qua erant deditione ab Andronico paciscentibus. Missis igitur ab Andronico ad exigendam pactorum fidem admissis in arcem, deditus Diogenes ab iis purpura exutus monastico veste contegitur, sicque eductus arce Andronica sistitur, gaudium tantæ victoriæ, quo passim exsultabant milites, modesta commiseratione prementi : cui laudabili affectui tantum indulsit ut etiam infortunio exauctorati captivique principis lacrymas dederit : congruente humanitate cætera, qua illustrem captivum amplexu dignatus tabernaculo excepit eodem secum mensæque adhibuit. Hunc oportuerat finem esse misero malorum : sed invidiæ longe jaculantis effugere ictus non potuit. Fuerunt enim in aula qui odio aut timori proprio affectum in principem prætexentes Michaeli suggesserunt, nunquam illi possessionem imperii fore certam, quoad valeret Diogenes. Siquidem et ipsum cogitaturum aliquid et alios novarum cupidos rerum hinc turbandi causam petituros. Sic expresso **55** assensu cupide scribunt ad quemdam tum in exercitu plurimum potentem, erueret oculos Diogeni. Quod factum iniquissime Andronicus tulit : præsertim quod impedire conatus nihil profecerat, iis qui facilitatem Michaelis eo inclinare cœperant magis ac magis cœptum urgentibus. Scripserat autem ea de re Andronicus ad patrem quoque suum Cæsarem, majorem in modum rogans ne istud perpetrari piaculum sineret : alioqui divinæ vim ultionis exspectaret, pœnamque non longum moraturam. Ea illo nequidquam moliente, qui litteras acceperant Diogenem excæcant et in mona

Petri Possini notæ.

(*k*) *Θαῦμα τοῖς ὁρῶσιν ἰδεῖν.* Cod. ms. legebat θέαμα, minus apte sine dubio, ut facile sentient qui harum litterarum gustum habent : quorum judicii fiducia causas emendationum nostrarum enucleatius non exsequimur.

Digitized by Google

serium, quod ipse construxerat in Prota insula, relegant, ubi execationi suæ non diu superstes ille interiit, imperio Romano tribus annis administrato. Hunc res Diogenis finem habuerunt.

ΒΙΒΛΙΟΝ ΔΕΥΤΕΡΟΝ

LIBER SECUNDUS.

1. In hunc modum imperator Romanus Diogenes generoso ille quidem animo aggressus restituere in decus pristinum collabescere incipientem Romanam rem, quod proposito optimo haud parem agendi dexteritatem administrandique adjunxit prudentiam, et seipsum perdidit, et rem Romanam communi **56** secum ruina involvit, prout partim jam narratum a nobis est, partim ex deinceps dicendis plenius intelligetur. At imperator Michael defunctus jam metu Diogenis curopalatissam Annam, de qua diximus superius, Comnenorum matrem ab exsilio revocavit una cum filiis, quos etiam admovere sibi affinitate voluit. Etenim cum ipse paulo ante præ-nobilem præpotentemque Iberorum principis filiam Mariam conjugem duxisset, hujus patruelem Alaniæ rectoris filiam Irenen curopalatissæ filio majori nuptiarum necessitudine conjunxit. Cæsar autem cum Augustum fratris filium cerneret gubernationi publicæ rei non admodum aptum, et ipse attentius in negotiorum expeditionem incubuit et eunuchum quemdam Nicephorum, quem diminutivo verbo Nicephoritzem vocabant, imperatori commendatum logothetam cursus constituit, virum impigrum efficacisque ingenii doctrina, eloquentia multarumque experientia rerum ornatum; sed profundi eumdem animi dissimulatoremque consiliorum, quæ plurima excogitabat versabatque plerumque turbulenta, nihilominus quam ille olim Pericles homo factus natusque ad totam commovendam Græciam. Itaque hunc Cæsar promovens acrem in se gravemque hostem, quod minime tum rebatur, postea sensit, armabat.

A [P. 40] α'. Ὁ μὲν δὴ βασιλεὺς Ῥωμανὸς ὁ Διογένης προθυμηθεὶς τὰ Ῥωμαίων ὑψῶσαι ἀρξάμενα ἤδη κλίνειν, οὐκ εὐτυχῶς οὐδ' ἐπιστημόνως τὰ τῆς ὑψώσεως μεταχειρισάμενος αὐτός τε κατεβέβλητο καὶ τὰ Ῥωμαίων ἑαυτῷ συγκατέβαλε πράγματα. Ὅπως δὲ, τὸ μὲν ἐξεδήλωται πρότερον, τὸ δὲ προῶν ὁ λόγος δηλώσει νῦν. Ὁ δὲ βασιλεὺς Μιχαὴλ τοῦ Διογένους ἀπαλλαγεὶς τὴν κουροπαλάτισσαν Ἄνναν, ἣν ὁ λόγος φθάσας ἐδήλωσε μητέρα τῶν Κομνηνῶν, σὺν τοῖς υἱέσι τῆς ὑπερορίας ἀνακαλεῖται καὶ διὰ κήδους αὐτοὺς ἑαυτῷ οἰκειοῦται· γήμας γὰρ αὐτὸς πρότερον τὴν παγκράτειαν τοῦ Ἰβήρων κατάρχοντος θυγατέρα Μαρίαν (29) τὴν ἐκείνης ἐξαδέλφην Εἰρήνην τὴν θυγατέρα τοῦ Ἀλανίας ἐξουσιάζοντος τῷ πρεσβυτέρῳ τῶν παίδων τῆς κουροπαλατίσσης Ἰσαακίῳ πρὸς γάμου κοινωνίαν ἐκδίδωσιν. Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐπεὶ τὸν ἀνεψιὸν εἶδεν οὐκ ἐπιτηδείως πρὸς τὴν τῶν κοινῶν ἀντίληψιν ἔχοντα, αὐτός τε γεννικώτερον τῶν πραγμάτων ἀντελαμβάνετο καὶ τὸν ἐκταμίαν Νικηφόρον, ὃν ὑποχορίζοντες ἐκάλουν Νικηφορίτζην, τῷ βασιλεῖ οἰκειώσας λογοθέτην τοῦ δρόμου κατέστησεν, ἄνδρα ἐντρεχῆ μὲν καὶ δραστήριον καὶ λόγῳ κοσμούμενον καὶ πείρᾳ πραγμάτων πολλῶν, [P. 41] βαθύγνωμον δὲ ἄλλως καὶ συγκυκῆσαι δυνάμενον πράγματα μᾶλλον ἢ τὸν Περικλέα φασὶ τὴν Ἑλλάδα κυκᾶν. Ἀέληθεν οὖν ὁ Καῖσαρ καθ' ἑαυτοῦ τὸν ἑαυτοῦ ἐξοπλίσας πολέμιον.

2. Hic conciliationi Cæsaris artem subjungens

β'. Ὑπελθὼν οὖν οὗτος τὴν τοῦ βασιλέως κουφό-

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(29) *Maplar.* Iberos, Abasgos et Alanos unam eamdemque gentem seu nationem fuisse testatur Joann. Tzetzes chil., v, c. 17:

Ἴβηρες δὲ καὶ Ἀβασγοὶ καὶ Ἀλανοὶ ἓν γένος.

non quod Iberi iidem fuerint cum Alanis et Abasgis, sed quod Iberorum princeps Abasgorum et Alanorum regulis supremo jure imperaret. Quod innuit satis superque Bryennius, dum scribit Iberorum regem παγκράτειαν τῶν Ἰβήρων obtinuisse, Alaniæ vero dominum ἐξουσιάζοντος nomine tantum donat. Nec abnuit Tzetzes qui mox eosdem populos diversos et a se invicem divisos fuisse ait:

Οἱ Ἴβηρες πρωτεύοντες, οἱ Ἀβασγοὶ δεύτεροι,
Οἱ Ἀλανοὶ δ' ἐσχήκασι τάξιν τριῶν ὑστέραν.

verum cur Mariam ex Abasgis oriundam potius, quam ex Iberis dicat eoque nomine Scylitzem, Zonaram et alios, qui Alaniam indigitant, carpat

C idem scriptor, haud plane video, cum Bryennius diserte Iberorum regis filiam fuisse tradat, nisi forte quod Iberorum rex Abasgis etiam illa tempestate imperaret:

Τοῦ Τζέτζου μητέρος ἡ Ἀβασγὶς ἡ μήτηρ
Σὺν τῇ δεσποίνῃ Μαρίᾳ, τῇ Ἀβασγίσσῃ, λέγω,
Ἣν οἱ πολλοὶ Ἀλάνισσάν φασιν οὐκ ἀκριβοῦντες,
Ἦλθεν εἰς Μεγαλόπολιν, ὡς συγγενὴς καθ' αἷμα.

Iberiæ, quam suo etiam ævo *Avogniam* nuncupatam auctor est Tyrius l. xi, c. 16, regum incunabula refert Constantinus *De adm. imp.*, 45 et 46; quosdam etiam recenset Iberiæ reges Scylitzes in Romano Argyro. Illius vero, qui hocce incunte vivebat sæculo, nomen et titulos prodit Allatius l. III *De Eccl. Occid. et Orient. perp. consens.*, c. 8. De Abasgis et Alanis multa habet Procopius l. II *De bello Pers.*, c. 29. V. not ad *Alexiad.*, p. 593.

Digitized by Google

τητα ὅλον τοῦτον πρὸς ἑαυτὸν ἐφειλκύσατο ἥκιστα πείθων φροντίζειν τοῦ θείου Καίσαρος. Ὁ δὲ Καῖσαρ τέως μὲν προσεποιεῖτο τὰ δρώμενα ἀγνοεῖν καὶ τῶν πραγμάτων ἀντείχετο· ἐπεὶ δὲ ἐώρα καθ' ἑκάστην αὐξομένην τὴν βασιλέως παρόρασιν καὶ ὅλον τοῦτον διεγίνωσκε τοῦ λογοθέτου ἐξεχόμενον, δεῖν ᾠήθη ἀπόπειράν τινα ποιήσασθαι. Καὶ δὴ σκηψάμενος ὡς βούλοιτο θήρας χάριν πρὸς τὴν μικρὰν Ἀσίαν περαιωθῆναι, ἐπεὶ τὸν βασιλέα εἶδε πρὸς τοῦτο συγκατανεύοντα, τὸν πρὸ τοῦ Πόντου πορθμὸν περαιωθεὶς ἅμα τῷ υἱῷ Ἀνδρονίκῳ ἀπῆει πρὸς τὴν Ἀσίαν τοῦ ἡλίου τὰς μετοπωρινὰς τροπὰς μεταλλάττοντος. Θάτερος δὲ τῶν τούτου υἱέων ὁ Κωνσταντῖνος ἔμεινε παρὰ τῷ βασιλεῖ· προεβέβλητο γὰρ πρὸς αὐτοῦ πρωτοστράτωρ, τουτὶ δὲ τὸ ὀφφίκιον μέγα ἦν ἀεὶ παρὰ βασιλεῦσι καὶ μεγίστοις ἐδίδοτο. Μείνας δὲ θεραπεύειν ἔσπευδε τὸ βασιλέως ἀμφίγνωμον· καὶ γὰρ ἦν ἐκ δυοῖν τοῖν ἐναντίοιν τοῦτο συγκείμενον, κουφότητός τε καὶ πανουργίας.

A propriam, ubi se penitus in levis ac facilis Michaelis animi possessionem insinuavit, primum omnium illi persuasit, ut patruo suo Cæsari tribueret fidereive minimum. Id quanquam cito Cæsar sensit, dissimulandum tamen ratus consueta aliquandiu ratione gerendis rebus vacare pergebat. Cum autem magis ac magis sese **57** quotidie prodentem in imperatore cerneret despectum sui sicque ipsum e logotheta pendere totum, nullam ut sibi factam reliquam vel auctoritatis vel gratiæ partem esse constaret, experiundum in hunc modum Michaelis ergo se animum putavit. Ficto venationis desiderio veniam ab Augusto petiit transfretandi in minorem Asiam, quo haud ægre impetrato fretum transvectus in Asiam circiter æquinoctium autumnale tra-
B jecit, Andronicum filium secum ducens, altero filio Constantino in aula relicto. Protostratorem enim eum Augustus creaverat, quod officium apud imperatores semper fuit dignationis magnæ nec nisi maximis quibusque tribui solitum. Cujus occasione moræ non destitit ille quidem experiri, si quid posset in curanda instabilitate consiliorum imperatoris. Sed malum erat vehemens ac remedio fortius, duabus ex contrariis conflatum pestibus, hinc levitate, illinc astuta malitia.

γ'. Ὁ μὲν οὖν Καῖσαρ τὴν Ἀσιᾶτιν καταλαβὼν περὶ θήραν ἐπτοῆσθαι προσεποιεῖτο. Ὁ δὲ βασιλεὺς Μιχαὴλ συγκλειομένων αὐτῷ τῶν πραγμάτων ἤδη κατά τε τὴν Ἑῴαν καὶ τὴν Ἑσπέραν (οἵ τε γὰρ Τοῦρκοι τὰ κατὰ τὸν Διογένην πυθόμενοι καὶ τὰς πρὸς Ῥωμαίους δι' ἐκεῖνον γενομένας ξυμβάσεις τε καὶ σπονδὰς διαλύσαντες τὴν Ἑῴαν πᾶσαν ἐδῃοῦντο καὶ ἐληΐζοντο, οἵ τε μὴν Σκύθαι πρὸς τούτοις συστασιάσαντες Θράκην τε καὶ Μακεδονίαν κατέτρεχον, ὡς πορθεῖσθαι μικροῦ δεῖν ἅπασαν τὴν Ἀσίαν καὶ τὴν Εὐρώπην ὑπ' ἀμφοῖν τοῖν ἐχθροῖν), οὕτω γοῦν αὐτῷ τῶν πραγμάτων συγκλεισθέντων τὸν Κομνηνὸν Ἰσαάκιον, ὃν διὰ κήδους ἑαυτῷ ᾠκειώσατο, δομέστικον τῶν σχολῶν τῆς Ἀνατολῆς καταστήσας, αὐτοκράτορα στρατηγὸν τοῦ κατὰ Τούρκων πολέμου τοῦτον ἐκπέπομφεν. Ὁ δὲ παραλαβὼν τὰς δυνάμεις ἀπῆει ὡς ἐπὶ τὴν τῶν Καππαδοκῶν. Συνείπετο δέ οἱ καὶ ὁ ἀδελφὸς Ἀλέξιος, ὁ τότε μὲν μεγάλη Ῥωμαίων ἐλπὶς καὶ ὢν καὶ φαινόμενος, ὕστερον δὲ μέγιστον
[P. 42] Ῥωμαίοις γενόμενος ὄφελος, μήπω τὸν ἰοῦλον ἐπανθοῦντα φέρων, ἀλλὰ τὰ τῆς στρατηγικῆς ἀρετῆς ὑπεδείκνυ καὶ πρὸ τῆς τελειότητος μᾶλλον ἢ περ φασὶν οἱ τὰ Ῥωμαϊκὰ συγγραψάμενοι τὸν Σκηπίωνα, ὁπηνίκα ξυνείπετο τῷ Αἰμυλίῳ (*l*) κατὰ τοῦ Μακεδόνος στρατηγοῦντι Περσέως. Ξυνέπραττε γὰρ

3. At Cæsar in Asiam delatus egregie simulabat venatione sese majorem in modum delectari. Imperator vero Michael circumventus ancipiti malo irruptionis geminæ barbaricæ; hinc Turcorum, audita Diogenis cum quo transegerant exauctoratione, pacem solutam arbitrantium ac propterea Orientem universum hostiliter incursantium, illinc
C Scytharum Thraciam, et Macedoniam per tumultum manu facta vastantium, utrorumque tanta rabie furentium ac tam late stragem ruinasque spargentium, ut Asia pene pariter Europaque universa sævissimis hostibus prædæ forent; quo alicunde inciperet tanto mederi malo ac se ex angustiis explicare conaretur, Comnenum Isaacium **58** recenti sibi affinitate junctum et domesticum scholarum per Orientem constitutum summum belli ducem contra Turcos mittit, qui, assumptis copiis, Cappadociam versus iter intendit. Secutus ipsum est frater ejus Alexius, magna jam tum Romanorum spes palam nec falso creditus, postmodum enim auguriis in eventa proficientibus exspectatum sui fructum,
D felicitatem videlicet maximam rei publicæ repræsentavit, tunc autem adhuc adolescentulus vix prima lanugine signabat malas. Quanquam abundantia militaris strenuitatis majoris facile ætatis

Petri Possini notæ.

(*l*) Quæ scribit Bryennius de Africano minore, Æmilii Pauli filio, digitum videntur intendere in hæc Livii verba lib. XLIV : *Consulem cum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat, Africanus et ipse postea deleta Carthagine appellatus, naturalis consulis Pauli, adoptione Africani nepos. Is decimum septimum tunc annum agens, quod ipsum curam angebat, dum effuse sequitur hostes, in partem aliam turba ablatus erat, et serius cum rediisset, tum demum, recepto sospite filio, victoriæ tantæ gaudium consul sensit.* Putamus tamen Bryennium ea quæ de Africano minore adhuc adolescentulo hic innuit, potius hausisse e Polybio, cujus historiam integram habuerit, quæ mutila ad nos pervenit. Cum enim ea pertineret ad finem ultimi belli Macedonici, quo Perseus ab Æmilio captus est, quoque Africanus junior prima rudimenta militiæ posuit, pronum arbitratu est Polybium summum ejus imperatoris admiratorem, et intimum amicum, prima ejus juvenilia facinora distinctius quam Livium in generali Romanarum omnium rerum narratione celebrasse.

Digitized by Google

officium expleret, qualem qui Romæ veteris res memoriæ mandarunt Scipionem ferunt, cum Æmilio adversus Macedonem Perseum consularem exercitum ducenti comes expeditionis esset. Nec enim hic segnius Alexius fortem fratri operam navabat constituendis ordinibus, insidiis locandis acie dirigenda movendaque, simulacris prœliorum, quibus in omnibus exercitationibus militaribus mira in juvene dexteritas eminebat. Cæterum ubi perventum ad metropolim Cappadocum, celebrem illam, inquam, Cæsaream, castra posuerunt in vestigiis urbis veteris muris ejus dirutis pro castrensi vallo fossaque usi. Olim enim hæc civitas terræ motu pene tota concidit, turribus duntaxat relictis paucis quasi ad specimen antiquæ magnificentiæ. Hic igitur castris positis consultabant, quam inirent rationem cohibendi Turcos vicos passim regionis fœde desolantes.

A τἀδελφῷ, καὶ τὰ; τάξεις καθίστα, καὶ τοὺς λόχους ἐνίστα, καὶ φαλαγγαρχῶν ἐφαντάζετο, καὶ πρὸ τῆς πείρας περὶ τὰ στρατιωτικὰ δεξιώτατος ὤν. Ἐπεὶ δ' ἀφικέσθην εἰς τὴν Καππαδοκῶν μητρόπολιν, φημὶ δὴ τὴν περιβόητον Καισάρειαν, ἐστρατοπεδευσάτην περὶ τὴν παλαιὰν πόλιν, ἀντὶ τάφρου καὶ χάρακος τὰ διερρωγότα ταύτης προβαλλόμενοι τείχη· καὶ γὰρ ἔφθη πάλαι σεισμοῦ γενέσθαι πάρεργον μικροῦ δεῖν ἅπασα, πύργων ἐνίων περιλειφθέντων εἰς ἀπόδειξιν οἶμαι τῆς παλαιᾶς εὐδαιμονίας τῆς πόλεως. Ἐν ταύτῃ γοῦν στρατοπεδευσάμενοι διεσκοποῦντο ὅπως ἂν ἐπιόντας τοὺς Τούρκους καὶ τὰς κωμοπόλεις πορθοῦντας ἀποσοβήσαιεν.

4. Talia illis meditantibus, Urselius Francus, quem habebant in exercitu e societate Crispini,

B δ'. Ἀλλ' οὕτω μὲν οὗτοι. Ἐπεὶ δὲ συνετρίβετο τούτοις καὶ ὁ Φράγγος Οὐρσέλιος (30), τῆς ἑταιρίας

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(30) *Ὁ Φράγγος Οὐρσέλιος.* Inter præclaros illos Normannicos duces, qui ex Italia, ubi non modicam ex rebus bello gestis laudem sibi compararunt, profecti in Thraciam Byzantinorum principum copiis sese adjunxerunt, præcipuam cum Roberto Crispino, cujus elogium mox perstrinximus, commendationem meretur *Ursellus*. At cum nemo, quod sciam, ex nostratibus historicis tam præcellentis viri præconium attigerit, sed et ne illius meminerit quidem, rem forte haud injucundam lectoribus facturum me arbitror, si quod in Crispino præstiti, extra commentationis metas paululum digrediar, et quem laude sua non frustrari interest Ursellum, splendidissimæ familiæ suæ, etiamnum superstiti, gentis auctorem hactenus vix notum asseram. Ursellus, seu, ut Bryennius et Anna efferunt, Urselius, quem perperam Scylitzes et Zonaras *Russelium* nuncupant, illustri Balliolorum familia oriundus, cum Roberto Guiscardo cæterisque Tancredi filiis in Apuliam profectus, Rogerium præsertim Roberti fratrem in suscepta ab illo contra Saracenos Siculos expeditione secutus est. In qua tantum ex rei militaris peritia et animi magnitudine adeptus est existimationem, ut victoriarum, quas iis in bellis consecuti sunt Normanni, gloriam illi ascribat præcipuam Gaufredus Malaterra, scriptor coætaneus, l. 1, c. 33, qui illustre hoc præterea animi et generositatis specimen in Ursello prodit. Tradit quippe Rogerio fusos et deletos a Serlone ex fratre nepote hostes incessere cunctanti, ne quid persequenti deterius accideret, partis contento tropæis, *interminatum fuisse Ursellum de Baillol, se nunquam vel ibi vel alias sibi auxilium laturum, nisi certamen cum hostibus iniret.* Qua valida incensus adhortatione Rogerius, animum revocans, cum Serlone nepote Urselloque et Arisgoto de Puteolis in hostes fortiter invehitur. At Ursellus cum suos præ nimia illorum multitudine cunctabundos et solito remissiores cerneret, acri et vivida inflammat oratione accenditque, et commisso prælio Saracenos penitus delet et profligat. Gesta hæc fuisse sub A. 1069 auctor est Gaufredus, cui non debemus modo præstantissimi viri nominis, sed etiam cæterarum præclare ab illo in Græcia actarum rerum servatam memoriam. Vix enim Urselli Græcanici gesta curiosius investigandi cupiditate teneremur, nisi familiam et nomen digito veluti indicasset Gaufredus. Ursellus igitur iisdem, ut par est credere, de causis, quibus Crispinus, dimissa Apulia relictisque Tancredi liberis, qui sociis potentiores effecti, ditiones omnes, armis communibus quæsitas, sibi solis arrogabant, in Thraciam ad Romanum Diogenem imperatorem transiit Crispinoque sese adjunxit illic militanti et Græcis merenti sub A. Chr. 1069 aut 1070 proinde statim post expeditionem illam Siculam, cujus mox memini. Diogene non multo post exauctorato ipsoque Crispino venefica potione ab invidentibus Græcis sublato universis, quæ ea tempestate Byzantinis merebant, Francicis copiis præficitur, Michaele Duca imperante. Sed captata post hæc levis offensæ occasione cum 400 popularibus defectionem molitus Lycaoniam et Galatiam infestat, oppida et castra expugnat, agros depopulatur, Joannem Ducam Cæsarem a Michaele imperatore ex fratre nepote cum idoneo in se missum exercitu fundit capitque una cum Andronico filio. Transeuntibus interea in suas partes Francis aliis qui Cæsari militabant, potentior factus partaque recens elatus victoria, circumit vicinas Sangario civitates, sibique subigit universas. At imperator, cui nulla in Græcanicis copiis fiducia erat, Turcos ad sociale fœdus invitatos ad bellum contra Ursellum suscipiendum sollicitat persuadetque. Ursellus cum se imparem Turcorum viribus cerneret, Cæsarem, quem vinctum tenebat, eductum de carcere appellat imperatorem, Byzantinorum procerum benevolentiam hoc facto conciliaturum se partibus suis sperans. Commisso interim cum Turcis prælio, Ursellus et Cæsar, deleto exercitu, non incruenta tamen hostibus victoria, capiuntur. Sed Ursellus, depenso statim ab uxore redemptionis pretio, libertati redditus proficiscitur in Armeniam et versus Pontum : novisque coactis copiis bellum rursus instaurat, arces quasdam occupat, unde incursat Amasiæ et Neocæsareæ agros. Superato deinde et fuso Nicephoro Palæologo, cum Alexium Comnenum magnum domesticum cum idoneis copiis adventare percepisset, in Turcorum, qui proximi aderant, missa prius legatione, castra concessit, eos in suas partes allicere et sibi conciliare annixus. Verum Turci donis ingentibus et majoribus illecti pollicitationibus, Ursellum Alexio vinctum tradunt, a quo perductus est Constantinopolim carcerique mancipatus. Nuntiata post hæc Nicephori Bryennii defectione, Michael, suis undique dilabentibus, Ursellum, qui ad Botaniatam perinde rebellantem proficisci jam antea in animo habuerat, eductum de carcere variisque affectum honoribus mittit contra Bryennium. Qua in expeditione Ursellus egregiam imperatori navavit operam. Michaele denique in ordinem redacto, Nicephorus

Digitized by Google

ὢν τοῦ Κρισπίνου καὶ τῆς ἐκείνου κατάρχων φάλαγγος, ἅτε ἐκείνου τὸ χρεὼν ἀποτίσαντος, ἐζήτει δὲ

A cujus loco nuper mortui copias ejus gubernabat, **59** nihil nisi prætextum et occasionem plausibilem

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

logotheta, qui in palatio rerum hactenus potitus fuerat, Selybriam [7-8]), seu, ut Scylitzes scribit, Heracleam ad Ursellum venit, quo ejus ope in Bryennii castra transiret; quem ille statim comprehensum ad Botaniatam, qui tum imperator fuerat renuntiatus, vinctum adducit. Ita Bryennius: sed rem paulo secus narrat Scylitzes. Ait quippe logothetam confugisse ad Ursellum occultatumque aliquandiu detonsa coma ab ipso servatum, Ursellum ipsum veneno exstinxisse et ab Urselli uxore liberisque ad Botaniatam perductum. Scylitzæ et Bryennio non assentitur omnino Zonaras. Tradit enim logothetam, qui sese ad Ursellum contulerat, ab eo in vinculis asservatum, et Ursello subitanea morte exstincto, in suspicionem venisse dati illi veneni eaque de causa ab Urselli cognatis Botaniatæ traditum esse. Urselli proinde obitus incidit in A. Chr. 1078. Jam vero cum Balliolorum nomenclatione familiæ plures in Neustria seu Normannia vicinisque Neustriæ provinciis occurrant, harum cui ascribendus sit Ursellus haud plane promptum est definire. Duas in Caletibus, quæ est Normanniæ pars, aliam in Vinemacensi pago, Caletibus contermino, observant scriptores [9]). Nam San-Paulanam et Flandrensem, tametsi ætate ista pernobiles habitæ sint, vix est ut credam ad Ursellum spectare. Bina vero Ballioli appellatione prædia aut castra recenset Chronicon vetus Fontanellense, quorum alterum c. 12 in pago Tellao seu Talogiensi, Vinemacensi finitimo, alterum c. 9 in ipso Vinemacensi pago statuit. Prius uno a Novocastello, alterum ab Abbatisvilla uno et sesquimilliari distat: utrumque binæ familiæ admodum nobili cognomen dedit. Talogiensem Balliolorum gentem perantiquam fuisse testatur [10]) diploma Roberti Augensis comitis A. 1036, in quo memoratur *Gaufridus de Bailoil*. Exstat præterea aliud Balliolum in ipsis Caletibus ad Sequanæ ostia, quod nobilissimæ pariter familiæ nomen indidit adhuc superstiti. Plures denique ejusdem cognominis perillustres viros habent scriptores, quos postremæ Balliolorum genti accensent plerique. Hos inter occurrit apud Ordericum Vitalem l. v A. 1082 *Raynaldus de Baillol*, cui uxor fuit Aimeria, Rogeri de Montegomerico Scrobesburiensis in Anglia et Belismensis in Gallia comitis neptis, qui in Hispania contra Saracenos congressus est. Illius porro castrum, quod fidem debitam abjurasset, obsedit Henricus Angliæ rex sub A. 1119 [11]). Castro nomen fuit Mansio Renwardi, quod in Balliolorum familia Caletensi ad Sequanam diu stetit. Recensentur præterea alii non pauci, *Guillelmus* scilicet et *Henricus de Baillol* in Caletibus sub Philippo Augusto rege: alter *Henricus* [12]) sub an. 1271; *Ingerrannus* denique de *Baillol*, Franciæ thalassiarchus Philippo III regnante, quem perperam Codiciacensibus ascribit Belforestus. Sed hoc indicasse satis sit ad gentis Balliolæ commendationem, cujus cæteroquin stemma accurate satis, licet non a primæva sui origine, contexuit Franciscus Blanchardus, in gratiam Balliolorum Parisiensium, qui abdicato pronuper sago, ad togam decursis illustrioribus fori et palatii regii dignitatibus transierunt.

B

C

D

. . . . *Tametsi bella quierunt* [13]),

Non periit virtus, licet exercere togatæ
Munera militiæ... et sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella tueri.

Primus autem ex clarissima Normannicorum Balliorum familia foro nomen dedit Nicolaus de Bailleul, qui deposito sub Henrico M. veluti tirocinio relictisque militaribus studiis, in supremo Parisiensi dicasterio senator factus, deinde libellorum supplicum magister et post diversas legationes præturam adeptus, urbi denique reique urbicæ tertium præpositus, tantus ubique vir fuit, ut omnibus admirationem sui relinqueret. Præses demum in senatu infulatus a rege dictus et in sacrum palatinorum ordinem regiis auspiciis res administrantium allectus, ærario summa cum potestate præficitur [14]. Quo in munere *affectans famæ commoda, pecuniæ neglexit augmenta; et quod rarum virtutis exemplum est, his egit se temporibus continentem, quibus crimen avaritia non habebat.* Postremo cum diviso in factiones regno, cuncta bello atroci deflagrare senatumque ipsum, cui præerat, in partes distractum cerneret, mœrore, curis laboribusque confectus, regi et patriæ, quam dudum devoverat, vitam impendit 13 Kal. Sept. A. Chr. 1652 ætat. 66. Tanti parentis præstantissimus filius V. C. Ludovicus de Bailleul, præses æque infulatus, non modo partam a majoribus laudem hodie adæquat, sed incredibili etiam virtutum omnium, quibus præcellit, comitiva gentis suæ nobilitatem et gloriam ita cumulate adornat, ut posteris suis futurus sit in exemplum. Normannicis Balliolorum familiis antiquitate et rerum gestarum fama haud inferior exstitit gens Balliola Vinemacensis, cum non pauci dignitatibus, et bellica laude illustres viros in Anglia ediderit dederitque Scotiæ reges aliquot. Hujus origo cum hactenus non Scotis duntaxat in Anglis, sed et nostris vix sit nota, præstat quod hanc in rem a me pridem adnotatum, non ingrato forsan parergo, Græcanicis hisce interserere commentariis, tum etiam ut qui apud plerosque invaluit error, a Normannica Balliolorum familia genus duxisse Scoticos ex Balliolis reges, ex eorum animis penitus tandem evellatur. Primus ex ea familia quæ sedem fixit in Anglia, recensetur ab historicis *Bernardus de Bailleul, in exercitiis militaribus vir experientissimus*, inquit Joannes Hagulstadensis, qui Stephano regi contra Scotos militavit in eo prælio, quod *Standardi* vocant scriptores, An. 1138 [15] et in altero contra Ranulfum Cestrensem comitem captus fuit A. 1142. A Bernardo isto ædificatum castellum in Brigantibus tradit Camdenus [16], in diœcesi Dunelmensi, ad Tesim amnem, quod a conditore Bernardi castrum, vernacule autem *Bernard-Castle* nuncupatum est. Bernardo [17] uxor fuit Mathildis, ex qua liberos sustulit Ingerrannum, Widonem, Eustachium et Bernardum, præterea Hatwildim filiam, uti constat ex diplomate Warini episcopi Ambianensis A. 1158, quo antistes ille donationem approbat a Bernardo de Balliolo, *milite strenuo*, quorumdam altarium Cluniacensi factam monasterio: assensum præbentibus Bernardi fratribus, ipsa Mathilde conjuge, liberisque prædictis. Exstat [18] præterea ejusdem Bernardi aliud diploma Parisiis exaratum coram Eugenio summo pontifice et rege

[7-8] Bryenn. l. III, n. 26.
[9] Malbrancus l. x, de Morin. c. 10, l. xi, c. 61, 90; Locrius in epist. prælixa Chronico Belg; Froissart. I vol. p. 67; Lambert. Ard. p. 79.
[10] In not. ad Guibertum.
[11] Catal. Ferent. Banerias.
[12] Reg. pater. Menard. in not. ad Joinvill. p. 350, Gesta Phil. III, p. 548.
[13] Ann. Lucan in Paneg. ad Pison.
[14] Senator l. III, *Var. Ep.* 12.
[15] Florent. Wigorn. A. 1138.
[16] In Brit.
[17] *Biblioth. Clun.*
[18] Tom. II *Monast. Anglic.*

Digitized by Google

quærebat defectionis quam dudum parturiebat in rem conferendæ. Contigit autem quemdam e pha-

πρόφασιν εὑρεῖν εὐλογοφανῆ ὥστε ἦν πάλαι ὠδίνειν ἀποστασίαν εἰς τοὐμφανὲς ἀγαγεῖν, ἐπειδὴ ξυνέδη

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

Franciæ in domo templi A. 1146 quo reditus quosdam in Anglia fratribus militiæ templi assignat, Ingerranno filio concedente et consentiente. *Ingerranni* nullam amplius mentionem fieri comperio. *Wido* [19] vero, Bernardi filius alter, subscribit diploma Henri I regis Angliæ pro S. Vulmari monasterio in Bononiensi comitatu. *Eustachii* [20], Bernardi perinde filii, meminit charta Joannis regis Angliæ in *Monastico anglicano*. *Bernardus* denique, ultimus Bernardi I filius, pro Henrico II Angliæ rege contra eosdem Scotos dimicavit sub A. 1174, uti produnt Rogerus Hovedenus et Joannes Bromptonus, qui Bernardo *viri nobilis et magnanimi* elogium tribuit. Bernardum hunc a priore diversum esse suadet temporum ratio, quod etiam arguit Bernardi II diploma, quo ecclesias de Castello Bernardi et de *Mideltun* sanctæ Mariæ Eboracensi monasterio concedit, *quas tempore patris sui fuisse tantum capellas* ait. Ex his enim liquet non ab illo conditum castrum Bernardi, sed a parente, quem abavum Joannis Scotorum regis vocat Camdenus. Floruerunt præterea in Anglia ista ferme, qua Bernardus II, tempestate illustres aliquot ex Balliolana gente viri, quos ab eodem stipite, hoc est a Bernardo I vel potius a Bernardi parente, prognatos conjicere est : *Osbertus* [21] nempe, qui sub Rogerio Warvicensi comite floruit, *Guillelmus*, sub Turstino Eboracensi antistite, *Joscelinus* denique et *Odo de Bailleul*. Joscelinum [22] cum cæteris Angliæ proceribus, qui avitas Anglorum, ut appellabant, observationes tuebantur acrius, sacris interdixit D. Thomas Cantuariensis archiepiscopus. Memoratur ille in tabulis aliquot regis Henrici II in *Monastico Anglicano*. Odo [23] vero recensetur inter Bellalandensis monasterii, ut vocant, benefactores sub ea tempora. Bernardi II filii fuerunt Hugo et Bernardus. *Hugonis de Bailleul* non semel meminit Matthæus Paris. sub A. 1216, qui *Castellum Bernardi de ejus feudo* fuisse diserte ait. Huic rex Angliæ Joannes regni limites tuendos tradidit contra Alexandrum Scotorum regem, qui in Ludovici Franciæ regis filii partes ultro concesserat. Ab Hugone prodiere *Alexander de Bailleul* Chilami dominus, *Henricus* et *Guido*. Henrico, cujus excessum sub A. 1246 annotant Parisius et Matthæus Westmonasteriensis, uxor [24] fuit Agnes Willelmi de Valentia comitis Pembrochii filia, ex quo conjugio nulla superfuit proles. Guido [25] vero cum Simone de Monteforti Licestrensi comite contra Henricum III Angliæ regem fortiter dimicans occubuit A. 1265. Exstitit etiam Hugoni filia *Lora*, Gilberto *de Gand* ex Flandriæ comitibus genus ducenti nupta. Loræ etiam fortassis soror fuit *Ada de Bailleul*, uxor Rogerii Filii-Joannis seu *Fitz-Jean*, quem exstinctum an. 1249 auctor est Parisius. *Alexander de Bailleul* [26], primogenitus Hugonis filius, ex Isabella *de Dover*, quæ comitissa de Assolin in veteri diplomate indigitatur, binos procreavit masculos, *Joannem* scilicet regem Scotiæ et *Thomam de Bailleul* patrem *Christinæ de Bailleul*, quæ Ingerranno Guinensi, Codriaci in Gallia toparchæ, nupsit. *Joannes* dominus *de Bailleul* ducta in uxorem Dornagilla, Alani Scotiæ constabularii ex Margareta Davidis de Scotia Huntindonensis comitis primogenita filia, Galeweiae illius jure dominus fuit : crebroque hoc titulo et appellatione ista occurrit apud scriptores Anglicos ab an. 1236 [27]. Exstincto demum absque prole Alexandro Scotorum rege, cum gravis de regni successione exorta esset contentio inter ejus hæredes, maxime inter Joannem Balliolum et Robertum Brusium, expenso discussoque utriusque jure, ab Edwardo I Anglorum rege, delecto controversiæ arbitro, Scoticum regnum Joanni addictum est A. 1293 [28]. Sed subortis mox Anglum inter et Scotum dissidiis, Joannes in Edwardi potestatem venit regnoque privatus ab eodem in prædium Balliolense in Gallia amandatus est et quorumdam prælatorum curæ custodiæque contraditus, quo in loco reliquum vitæ exegit obiitque tandem post annum 1327 proinde in extrema senectute, ut ait Buchananus [29], et centenario major, cum ab an. 1236 arma induisset resque varias gessisset, ut auctor est Parisius. Universa [30] interim quæ in Anglia possidebat prædia fisco addicta sunt, exceptis aliquot quæ ad Antonium Dunelmensem episcopum, tanquam comitatem palatinum, caduci jure sunt devoluta, in quibus exstitit Castrum Bernardi, quod nova ædificiorum et structurarum accessione auxit. Orta [31] deinde regem inter et episcopum controversia, concessum illud est Warwicenci comiti. Joanni [32] Scotorum regi unicus superfuit filius *Edwardus*, cui dum adhuc regno potiretur, Joannam Caroli Valesiæ comitis filiam primogenitam desponsarat parens sub An. 1295 [33], partis in dotem seu dotalitium, ut vocant, 1500 sterlingorum libris in Balliolo, Damperta, Helicurte et Hornayo in regno Franciæ, et aliis in Scotia prædiis percipiendis. Quæ quidem prædicta in Gallia prædia in Vimacensi pago et Pontivensi comitatu paucis a se invicem divisa interjacentibus sita sunt. Verum parente in ordinem redacto, infecta remansere nuptiarum pacta [34]. Exstincto post hæc VI Id. Novemb. an. 1327 Brusio rege, qui Davidem filium diadematis hæredem reliquerat, Edwardus aliquot Scoticorum procerum ope, atque adeo ipsius Angliæ regis fultus auxilio, Scoticum invasit regnum sub Augustum mensem an. 1330 ac 5 Kal. Octob. proxime insequentis anni coronatus [35], eo nomine fidem deinceps præstitit Edwardo III Angliæ regi 14 Kal. Jul. an. 1334 in publicis apud Eboracum comitiis. Nec diu parta potitus dignitate, regno exactus et jure omni in illud suo in eumdem Edwardum Angliæ regem seu, ut alii volunt, Leonellum Edwardi filium transcripto 8 Kal. Febr. vel, ut quibusdam placet, Epiphaniæ die festo an. 1356, extremum tandem diem obiit ad Duncastriam An. 1363 [36]. Ex eadem præterea Balliolana familia Anglica memoratur *Radulfus*, qui sub Joanne Varennensi comite vixit circa A. 1300. *Simon* vicecomes Clamorganensis eadem tempestate [37] et *Edwardus* quem Angliæ rex Edwardus Warwicensi præfecit oppido sub An. 1333. Exstincto porro imperante

[19] Tom. I et 2, *Monast.*
[20] Tom. II, p. 510.
[21] Tom. II *Mon.*
[22] Joan. Saresb. Ep. 139, Rad. de Diceto, Hoved., Baron. A. 1167.
[23] Tom. I et II *Mon.*, Matth. Westm. A 1211.
[24] Rad. Brooke.
[25] Knighton.
[26] Will. Torn.
[27] Walsingh. *Chr. Flandr.*, c. 38.
[28] Will. Westmon. An. 1199, Walsingh, Knigthon.
[29] Buchan. l. VIII.
[30] Godwinus in *Præsul. Angl.*
[31] Tom. II *Monast.*, p. 846
[32] Walsingh., Knighton., Buchan., Tilletius.
[33] Chartophylac. Reg, *Laicta Escosse*, tit. 1.
[34] Froissart. I vol., c. 21, *Chron. Flandrens.*, c. 71.
[35] Walsingh, Knighton.
[36] Tom. II *Monast.*
[37] Froissart. I vol., c. 27, 90, 133, *Chr. de Flandr.*

Digitized by Google

τῶν τινα τῆς φάλαγγος ἀδικῆσαι μεγάλως τῶν ἐγχωρίων τινὰ, ὁ δὲ τῷ στρατηγῷ προσελθὼν τὰ τῆς ἀδικίας κατεβοᾶτο, καὶ ὁ στρατηγὸς ἐζήτει τὸν ἀδικήσαντα ἐν μέσῳ ἀχθῆναι · τοῦτο πρόφασις τῷ Οὐρσελίῳ τῆς ἀποστάσεως γίνεται. Καὶ στρατοπεδεύει μὲν ἕξω τῆς παρεμβολῆς ἐπαγγελλόμενος εἰς νέωτα φοιτῆσαι πρὸς τὸ στρατόπεδον, περὶ δὲ μέσας νύκτας ἄρας τὴν φάλαγγα τῶν Κελτῶν ἀπεδίδρασκε καὶ εὐθὺ Σεβαστείας ἐχώρει. Γνωσθέντος δὲ τοῦ δρασμοῦ περὶ τὴν ἕω τῷ Κομνηνῷ Ἰσαακίῳ, δεῖν ἔκρινε τῷ ἀδελφῷ Ἀλεξίῳ μέρος τῆς στρατιᾶς πιστεύειν καὶ πρὸς τὴν τοῦ Οὐρσελίου ἐκπέμψαι δίωξιν. Ἐν μετεώρῳ δὲ ἔτι τοῦ σκέμματος ὄντος καὶ τοῦ στρατοῦ συναθροιζομένου (ἠγγέλλετο δὲ παρὰ τῶν σκοπῶν Τούρκων πλῆθος πολὺ κατὰ Ῥωμαίων χωρεῖν καὶ ἄγχοῦ που τούτου στρατοπεδεύειν), ἐπισχὼν οὖν τὴν τοῦ Οὐρσελίου δίωξιν ὁ Κομνηνὸς Ἰσαάκιος παρεσκευάζετο πρὸς τὸν πόλεμον, παρεκάλει δὲ τὸν ἀδελφὸν ἐντὸς τοῦ χάρακος μένειν καὶ συνέχειν τὸ στρατόπεδον. Ὁ δὲ βαρέως; [P. 43] τὸ κελευόμενον ἔφερε. Κἀκεῖνος ὑπισχνεῖτο ἐγχαρτερήσειν εἰ μόνον ἐξαποστείλειεν ὕστερον κατὰ τῶν Τούρκων πολλὰς τῶν Ῥωμαίων ἐπαγόμενος φάλαγγας.

lange Gallica vehementi lædere injuria indigenarum aliquem, cujus ille dolore graviter apud exercitus totius imperatorem questus expressit ab eo, quod negari non poterat, ut juberet militem injuriæ auctorem in medium adduci. Opportuna et speciosa ea causa rebellionis visa. Ergo is primo extra vallum suos locat postridie se rediturum in castra pollicitus. Media porro nocte adducta secum phalange Gallorum fugit Sebastiam versus iter intendens. Certior sub auroram de ista fuga factus Isaacius Comnenus consilium ex re cepit Alexii fratris attributa ei parte copiarum ad persequendum Urselium mittendi. Dum ea expediuntur segregandisque copiis ituris mansurisque exspectatio cunctorum pendet, tumultuosus ecce ab exploratoribus affertur nuntius Turcorum magno numero in Romanos moventium jamque vicino in loco habentium castra. Omissa igitur in præsens cura sequendi Urselii Isaacius ad prælium se comparat. Rogat autem fratrem ut præesse interim castris velit : graviter eam tulit jussionem Alexius, quæ occasionem illi eriperet in acie pugnandi. Consolatus eum tamen Isaacius est pollicendo, sese ipsum cum relimaturum foret robur ipsum Romani exercitus in

ctis intra vallum copiis brevi accersiturum, quando Turcos immittere.

ε'. Ὁ μὲν οὖν πεισθεὶς ἐπὶ τοῦ στρατοπέδου κατέμεινεν, ὁ δὲ τὰς δυνάμεις ἄρας ἐχώρει κατὰ τῶν Τούρκων. Ὑπαντιάζει γοῦν τούτους κατὰ τὰ Καππαδοκῶν ὅρια · καὶ συμβολῆς γενομένης τρέπονται μὲν Ῥωμαῖοι, ὁ δὲ γενναίως τε ἀγωνίζεται καὶ κυκλωθεὶς ὑπὸ τῶν ἐναντίων, τοῦ ἵππου αὐτοῦ τρωθέντος καὶ τὸν ἐπιβάτην αὐτῷ συγκαταβαλόντος, ἁλίσκεται. Τοῦ δὲ τῶν Ῥωμαίων στρατεύματος διασκεδασθέντος ἐχώρουν οἱ Τοῦρκοι πρὸς τὸ στρατόπεδον. Τῶν Τούρκων δὲ ἐπικειμένων βοηθεῖν * ἐπειρᾶτο μετ' ὀλίγων τῶν ξυνόντων αὐτῷ. Καὶ μέντοι καὶ βεβοήθηκε καὶ σέσωκε μικροῦ δεῖν ἅπαντας. Αὐτὸς δὲ τὸν ὑπὲρ πάντων ἀναδεξάμενος κίνδυνον παρὰ μικρὸν ἑάλω · ἐς μέσους γὰρ ἑαυτὸν ὠθήσας

5. His ille persuasus in castris mansit. Isaacius autem cum delectis copiis **60** in Turcos vadens obvios habuit eos in finibus Cappadociæ, ubi commisso statim prælio fugantur Romani, duce interim intrepide pugnante, quoad circumventus ab hostibus equo ex vulnere sublabente simul cum eo afflictus humi captus est et ductus a Turcis in ipsorum castra. Cum vero fractæ disjectæque aciei Romanæ instarent victores Turci, erumpens vallo cum paucis Alexius memorabilem pugnam fecit, quæ pene omnibus saluti fuit discrimen ipse in caput suum totum excipiens et ultro vocans. Quando et parum abfuit quin caperetur, cum sese in medios immisisset hostes et cum qui se primus

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

Edwardo Scotorum rege, exorta est de illius in Francia bonis controversia ac de Balliolo præsertim, inter Radulphum de Codiciaco Montis Mirabilis toparcham, Catharinam Atrebatensem Albæ Marlæ comitissam et Hugonem de Meleduno Antonini dominum uxoris jure; cessitque tandem Balliolensis castellania Radulpho [26], ut Christinæ *de Bailleul*, Edwardi patruelis ex filio nepoti, qua ille potiebatur an. 1370. Ex prædictis jam satis superque constare arbitror Balliolenses Anglos Scotosque non a Normannica ejusdem nomenclaturæ familia prodiisse, sed ex ea quæ in Vinemacensi agro floruit et Picardia, ubi prædia *de Bailleul*, *de Dampierre*, *de Hellicourt* et *de Hornay* possedit. Balliolum, quod genti appellationem dedit, tenet hodie domus Melunia seu *de Melun*, Dampetram et Hornaium Ramburea, Hellicurtim denique Rouhalda seu Gamachia ex Caroli VII Franciæ regis dono Joachimo Rouhaldo Franciæ marescallo sub annuo censu facto. Quod quidem castrum a Balliolorum hæredibus emerat antea Edwardus Angliæ rex et comitatui Pontivensi adjunxerat. Sed et hoc notandum ab eodem Hellicurtensi prædio fluxisse Balliolanæ familiæ symbolum seu clamorem, ut vocant, militarem, qui vulgo Scoticis regibus in universum ascribitur a fecialibus nostris, qui Joanni et Edwardo Balliolis proprius fuit nempe *Hellicourt en Pontieu*. Ex quo perperam et infeliciter satis Vignerius sub an. 1286, Crucimanius in *Bibl. script. Gallic.*, p. 328, et Sauvagius ad *Chronicon Flandriæ* vernaculum c. 38 Haricuriæ dominos fuisse Balliolos hariolati sunt. Gentis Balliolæ Vinemacensis arma et insignia varie efferunt libri, quos vocant Provinciales. Manuscriptus Scoticus qui penes me est, scutulum argenteum in miniata area assignat. Alter Gallicus scutulum argenteum, tertius Armeniaco distinctum vellere facit. Duchenius denique scutulum rubeum in Armeniaca area attribuit.

[26] Duchesnius in *Hist. Codic.*

* Βοηθεῖν. Excidit nomen Alexii.

Digitized by Google

accedere ausus erat magno hastæ ictu interfecisset A stravissetque. Circumfusis deinde undique Turcis tuta illum eminus jaculatione infestantibus illæsus divina utique manu servatus est ipse quidem, et equus quo vehebatur multis transfixus sagittis se vectoremque suum effudit in terram. Quo tempore comites ejus, quibus erat charissimus utpote amore dignissimus omnium, exsilientes ex equis ad eum cucurrerunt ambientesque ipsum et cum eo fortissime pugnantes periculo tandem exemerunt eum. Quindecim erant omnes, e quibus quinque tantum in castra salvi cum Alexio redierunt, cæteris partim occisis partim captis. Redux porro e labore tanto non se otio dedit, sed castra circumiens corroborabat animos militum magnopere adhortans, ne quid Romana generositate indignum con- B sciscerent. Illi quoad dies fuit in **61** loco perstabant admirantes, quin etiam laudabant juvenis animum, supplicesque tendentes manus salvatorem eum et benefactorem acclamabant. Euge, dicentes, o adolescens, o salvator, o gubernator, o hujus mire servati Romani exercitus liberator. Euge, o corporis impedimentum in corpore vix sentiens. Fruamur longum heroicis facinoribus istis serveturisque utinam nobis in longissima tempora commune decus præsidiumque publicæ rei. His applausibus novi ducis generositatem augentes, dum celebrabant milites, sese vallo continebant, illo subinde foras procurrente ac multos irruentium hostium occidente, alios fugante. Ubi autem nox venit, cum animadverteret Alexius omnes milites C parare passim se atque expedire pro se quemque, pergratum id ipsi fuit, quod se ipsos ad pugnam suis quæ fierent indicavit.

6. Ad tale indicium silebant quidem alii; unus vero illorum manu strenuus et usu rerum prudentiaque multis præstans Theodotus nomine non faustum dixit videri augurium accingi milites imminente nocte fugituros mox, nempe ut primum tuto poterunt intendentibus se tenebris. Ad hanc vocem ingenti dolore suo intellexit adolescens vehementer errasse se, qui ex conscientia generositatis propriæ de suis militibus æstimasset. Recepit se tamen in tabernaculum cœnaturus, totum enim diem sine cibo transegerat. Eo porro loricato D uti erat cœnante milites clam vallo egressi fugiebant. Ad eum trepidum nuntium impetu sequendi sistendique fugaces capto, cum equus postulatus non daretur vix inventa mula, Alexius inscensa in eam partem, **62** qua exibatur ruit, et revocare jam egressos et retinere adhuc intra vallum repertos cupiens. Sed jam exierant pene omnes fugamque maturabant. Exiit igitur et ipse, jam Turcis furtivum Romanorum abitum sentientibus et impetu quam vehementissimo manuque valida contendentibus assequi fugientes. Itaque vitari non poterat quin caperetur Alexius, nisi Theodotus, cujus modo meminimus, audito strepitu sequentium equorum et intellecto inde Turcorum magnam

comparare crederet, famulisque ac familiaribus

τοὺς πολεμίους καὶ τῷ δόρατι πλήξας τὸν ἐπιόντα πρώτως καὶ νεκρὸν εὐθὺς ἀποδείξας, ἐπειδὴ ὑπὸ τούτων κεκύκλωτο καὶ τὰ βέλη πανταχόθεν ἐπέμπετο κατ' αὐτοῦ, αὐτὸς ἀσινὴς ὑπὸ τῆς ἄνωθεν τετήρητο δεξιᾶς, ὁ δὲ ἵππος ᾧ ἐπωχεῖτο τὰ πλεῖστα τῶν βελῶν ὑπεδέχετο καὶ εἰς γῆν σὺν τῷ ἐπιβάτῃ κατέπεσεν. Ἀλλ' οἱ περὶ αὐτὸν, φιλοῦντες αὐτὸν οἷα φιλήσεως ἄξιον, τῶν ἵππων καταπηδήσαντες καὶ γενναίως ξὺν ἐκείνῳ ἀγωνισάμενοι τοῦ κινδύνου τοῦτον ἐρρύσαντο· πεντεκαίδεκα δ' ὄντων ξυμπάντων πέντε μόνοι εἰς τὸ στρατόπεδον ξὺν αὐτῷ διεσώθησαν, τῶν δὲ λοιπῶν οἱ μὲν ἀνῃρέθησαν οἱ δὲ ἑάλωσαν. Διασωθεὶς δὲ εἰς τὸ στρατόπεδον οὐκ ἠρέμησεν, ἀλλὰ κύκλῳ περιθέων τοῦ χάρακος τὰ φρονήματα τῶν στρατιωτῶν ἐπερρώννυεν, ὡς μηδέν τι τῆς Ῥωμαϊκῆς γενναιότητος ἄξιον πεπραχέναι. Ἕως μὲν οὖν ἡμέρα ἦν, ἐκαρτέρουν καὶ τὸ γενναῖον τοῦ νέου θαυμάζοντες ἐπῄνουν καὶ χεῖρας ἱκέτιδας ἀνατείνοντες σωτῆρα καὶ εὐεργέτην ἐκάλουν, « Εὖγε, » λέγοντες, « ὦ νεανία, ὁ σωτὴρ, ὁ κυβερνήτης, ὁ τῆς περισωθείσης τῇδε Ῥωμαϊκῆς στρατιᾶς ῥύστης. Εὖγε ὁ ἀσώματος μικροῦ δεῖν ἐν σώματι. Ὀναίμεθά σου τῶν ἀνδραγαθημάτων, καὶ τηρηθείης ἡμῖν εἰς χρόνους μακροὺς κοινὸν ὄφελος. » Τούτοις ἐπιῤῥωννύντες τοῦ νέου στρατηγοῦ τὸ γενναῖον ἔμενον ἐν τῷ στρατοπέδῳ, ἐκείνου τοῦ χάρακος προεκθέοντος καὶ πολλοὺς τῶν ἐπιόντων πολεμίων ἀναιροῦντος, τοὺς δὲ καὶ ἀποσοβοῦντος. Τῆς νυκτὸς δὲ καταλαβούσης, ἐπεὶ ἐώρα ξύμπαντας εὐτρεπιζομένους, ἔχαιρέ τε, ὡς εἰκὸς, οἰόμενος ὡς πρὸς μάχην αὐτοὺς εὐτρεπίζεσθαι, καὶ τοῖς θεράπουσιν ἐκοινοῦτο τὰ δρώμενα.

[P. 44] ς'. Οἱ μὲν οὖν ἄλλοι ἐσίγων· εἷς δέ τις τούτων γενναῖος ὢν κατὰ χεῖρα καὶ πεῖρα τῶν ἄλλων διαφέρων, Θεόδοτος τοὔνομα, οὐκ ἀγαθὸν οἰωνὸν ἔφη τὰ πραττόμενα εἶναι· ἐπειδὰν γὰρ ἡ νὺξ προέλθῃ, αὐτίκα δὴ μάλα φεύξονται. Τούτου λεχθέντος λύπης ὁ νεανίας πεπλήρωτο· ᾤετο γὰρ ξύμπαντας εἶναι τῆς αὐτοῦ γενναιότητος. Ἀπῄει δ' ὅμως ἐπὶ τὴν σκηνὴν δειπνήσων· ἄσιτος γὰρ τὸ παράπαν διέμεινε. Καὶ ὁ μὲν ἔτι τεθωρακισμένος ὢν ἐδείπνει, οἱ δὲ λάθρα τοῦ χάρακος ἐξιόντες ἔφευγον. Ὡς δ' ἀπηγγέλη τούτῳ φεύγειν ἅπαν τὸ στράτευμα καὶ μόνον αὐτὸν ξὺν ὀλίγοις περιλελεῖφθαι, ἵππον αἰτήσας ἔσπευδε βοηθεῖν καὶ ξυνέχειν. Μόλις οὖν ἡμίονον εὑρηκὼς ἐπαναβεβήκει καὶ πρὸς τὴν ἔξοδον ὥρμα, βουλόμενος αὐτὴν κατασχεῖν καὶ τοὺς περιλειφθέντας ἐντὸς συγκλεῖσαι τοῦ χάρακος. Ἀλλ' ἔφθασαν μικροῦ δεῖν φυγεῖν ἅπαντες. Ἐξῄει οὖν καὶ αὐτὸς ἤδη τῶν Τούρκων αἰσθομένων τὸν τῶν Ῥωμαίων δρασμὸν καὶ μετὰ ῥύμης ὅτι πλείστης καὶ δυνάμεως ἰσχυρᾶς ἐπειγομένων φθάσαι τοὺς φεύγοντας, καὶ ἑάλω, εἰ μὴ ὁ Θεόδοτος, οὗ πρόσθεν ὁ λόγος ἐμνήσθη, τοῦ κρότου τῶν ἵππων αἰσθόμενος καὶ διαγνοὺς ὡς πλῆθος Τούρκων πολὺ κατ' αὐτῶν ἔπεισιν, ἀπονεῦσαι τοῦτον μικρόν τι τῆς ὁδοῦ παρεσκεύασε. Ἐκκλίναντες δὲ τῆς ὁδοῦ καὶ ἐπί τι

Digitized by Google

χωρίον συνηρεφὲς παραγενόμενοι ἔμενον μέχρις ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν Τούρκων διῆλθεν. Εἶτ' ἐκεῖθεν ἀπάραντες πρὸς τοὺς Διδύμους τὸ ὄρος ἠπείγοντο. Τούρκοις δ' ἐντυχόντες καὶ κατ' ἐκείνων ὁρμήσαντες διεσπάρησαν, καὶ ἐπεὶ νὺξ ἦν, οὐχ οἷοί τε γεγόνασιν εἰς ταὐτὸ ξυνελθεῖν. Ἀπῆει οὖν ἕκαστος ὅπη ἔτυχεν. Ὁ δὲ κλεινὸς Ἀλέξιος μόνος περιλειφθεὶς ἐπειδὴ περὶ τοὺς πρόποδας τῶν Διδύμων ἐγένετο, τῆς ἡμιόνου ἤδη κεκοπακυίας καὶ μηκέτι οἵας τε οὔσης προσωτέρω χωρεῖν, ἀποβὰς ταύτης πεζῇ ὄρος ἀνῄει ἔτι τὸν θώρακα περιβεβλημένος· ἀποδύσασθαι γὰρ τοῦτον οὐ ξυνεχώρει τῶν νέων τὸ πρόθυμον. Καὶ ἅμα λόγος τις διὰ μνήμης αὐτῷ φερόμενος διεκώλυε τοῦτον, ὡς ἔφασκεν· ἔφη γὰρ ἀκηκοέναι τοῦ πατρὸς ἀποσκώπτοντος πρός τινα τὰ ὅπλα ἀποβαλόντα. Διά τοι τοῦτο τὸν θώρακα περιβεβλημένος ἐπεζοπόρει. Τὸ δὲ παράδοξον, [P. 45] ὅτι καὶ αἱμορραγίας ὅτι πλείστης ἐκ τῶν ῥινῶν προσγενομένης αὐτῷ ἐξ ὅτου πεζοπορεῖν ἤρξατο διὰ πάσης τῆς νυκτὸς, οὔτε ὅπλα ἀπέβαλεν, οὔτε τοῦ δρόμου ἐπαύσατο, μέχρις ὅτου πρὸς τὸ ἐν Γαβαδονίᾳ πολίχνιον ἐγένετο.

A multitudinem in ipsos ruere, ei suasisset paululum de via declinare. Quod cum fecissent et in loco avio virgultis tecto consedissent et quoad multitudo Turcorum præteriisset, latnissent, deinde illinc moventes festinabant recta in montem cui nomen Didymi. Sed euntibus Turcorum occurrit manus, in quos cum impetum fecissent, dispersi disjunctique Alexii comites ad invicem sunt, nocteque supervenienie convenire iterum congregarique nequiverunt. Ivit ergo quisque quo fors tulit. Inclytus autem Alexius relictus solus jam ad radices montis Didymorum ægre pervenerat, muła ita fatigata ut progredi non posset ulterius, exscendens, pedibus acclivitatem montis superare aggressus est loricatus adhuc. Loricam enim exuere prohibebat B juvenilis qua fervebat generositas adjuvante memoria, quæ tum forte recursavit animo, ut narrare ipse solebat, dicti cujusdam. Aiebat scilicet auditum sibi aliquando patrem suum cum acriter increparet quemdam, quod is iter pedibus faciens arma omisisset. Hæc causa illi fuit obfirmandi animi in constantia laboris tanti tolerandi viæque in quo illud inopinatius videbitur, quod cum illi naribus profluere cœpisset, non tamen propterea destitit, quoad in oppidulum quod est in Gabadonia

arduæ ac longæ sub loricæ 63 onere peragendæ, statim ac jumento desiliit sanguis larga copia e aut arma deposuit aut currere per totam noctem pervenit.

ζ'. Ἐκεῖσε δ' αὐτοῦ γενομένου συνέθεον ἅπαντες οἱ ἐγχώριοι, οἵ καὶ ὁρῶντες αὐτοῦ τὴν ἐπιθανάτιον χλαῖναν κατάστικτον τῷ λύθρῳ τοῦ αἵματος ἑστενόν τε καὶ ἐδάκρυον ὡς εἰκός. Ὡς δ' ἡ φήμη τὴν ἄφιξιν τούτου τοῖς δυναστεύουσι παρέπεμψεν, ἀφίκοντό τε πρὸς αὐτὸν καὶ οἴκοι τοῦτον ἀπῆγον μετὰ τιμῆς ὅτι πλείστης φιλοφρόνως ὑποδεξάμενοι. Στολὰς δὲ ἐκόμιζον πρεπούσας ἀνδρὶ τοιούτῳ καὶ θεραπεύειν τὸ σῶμα τοῦ νέου παντοίως προεθυμοῦντο, ὡς καὶ κάτοπτρον τούτῳ κομίσαι κατὰ τὸ παρ' ἐκείνοις ἔθος, καὶ πρὸς αὐτὸ ἀτενίζειν.... Ὁ δὲ τοῦτ' ἰδὼν ἐμειδία, κἀκεῖνος διηπορεῖτο τὸ δρώμενον. Ὁ δὲ οὐκ ἔθος ἔφη ἀνδράσι καὶ ταῦτα στρατιώταις εἰς κάτοπτρον ἐνορᾶν· « Γυναιξὶ γὰρ καὶ τοῦτο μόναις ἐπιτετήδευται μεριμνώσαις ἀρέσκειν τοῖς σφῶν ἀνδράσιν. Ἀνδρὶ δὲ στρατιώτῃ κόσμος τὰ ὅπλα, καὶ τὸ τῆς διαίτης λιτόν τε καὶ ἄθρυπτον. » Οἱ δὲ ταῦτ' ἐπαΐοντες τοῦ νέου τὸ σῶφρον καὶ σύνετὸν διὰ θαύματος ἦγον. Ἐπιξενωθεὶς οὖν αὐτοῖς τρισὶν ἡμέραις, ἤδη τῶν θεραπόντων καταλαβόντων, ἀπῆει ὡς ἐπὶ Ἄγκυραν. Ἔφθη γάρ τις τῶν ἐκ τῆς μάχης διασωθέντων πυνθανομένῳ τούτῳ περὶ τοῦ ἀδελφοῦ ὑποδεῖξαί τι πολίχνιον, εἰς ὃ διασεσῶσθαι τοῦτον τοὺς διώκοντας διαβράντα ἐδεβαιοῦτο. Οἰόμενος οὖν ἀληθῆ τὰ ἀπαγγελθέντα εἶναι, ἠπείγετο συγγενέσθαι τῷ ἀδελφῷ. Ἀλλ' ὁ μὲν διεψεύξατο, ὁ δ' ἀπιὼν περὶ τοῦ ἀδελφοῦ ὡς ἁλῴη πεπληροφόρητο. Διαψευσθεὶς οὖν τῶν ἐλπίδων ἠνιᾶτο μὲν καὶ ἠθύμει καὶ ἔστενε καὶ ἐδάκρυεν, οὐ μὴν πέπαυστο τῆς ἐπὶ τὰ πρόσω πορείας.

7. Ibi concurrens circa eum plebs rustica colonorum loci, ubi gladiatorio coopertum sago cruentis sparso maculis viderunt, quam iniquis C animis talem nobilissimi juvenis fortunam ferrent, suspiriis passim lacrymisque declararunt. Ut autem ad honoratissimos quoque oppidi ejus cives indicium adventus Alexii fama detulit, certatim adibant ipsum invitatumque in suas domos omni honore ac significatione benevolentiæ pro sua quisque copia excipiebant vestesque afferebant nobilitatem ejus magis decentes, adeoque in curando juvenis corpore nullam diligentiæ partem omittebant, ut speculum etiam attulerint moreque ipsorum eo sese explorare suaserint; quod ille cum arrisu recusans perculit homines velut novæ rei admiratione, a qua eos his deducere verbis instituit, nempe inquiens, Virorum præsertim militarium consuetudo non est consulere speculum. Mulierum D ista cura est, maritis placere studentium; ornatus militis arma sunt et ea victus ac cultus ratio, quæ a luxuria et deliciis quam longissime absit. Id illi audientes, sapientiam temperantiamque juvenis admirati eum non plus triduo detinere potuerunt. Cum enim illo intervallo convenissent eodem ejus famuli, moram eundi non 64 fecit, directo itinere Ancyram versus, ubi se fratrem reperturum falso delusus indicio sperabat, quod ei quidam e prælio fuga servatus de fratre percontanti affirmasset evasisse illum manus insequentium Turcorum salvum atque incolumem perlatum in quodquam oppidulum quod etiam designabat. Ex quo eum Ancyram se recepturum Alexius non dubitans in istam urbem velut ad complexum fratris festinabat. Sed eunti falsitas indicii demonstrata est certisque documentis persuasum captum esse fratrem, cujus sensum infortunii acerbiorem etiam error præcedens spei frustra conceptæ reddebat, itaque mœrorem illa

Digitized by Google

quidem et animo concepit magnum et lacrymis veris suspiriisque testatus est. Non tamen iter necessarium luctu interrupit aut retardavit.

8. Perlatus ergo Ancyram dimisit statim quoquo A versum qui explorarent de fratre certa referrentque, e quibus cum comperisset barbaros ejus detentores paratos esse liberationem ejus multis aureorum millibus vendere, respirare cœpit ad talem nuntium, et ad oblatam recuperandi chari capitis facultatem magna mœroris ex ipsius jactura orti parte levatus curriculo se contulit in urbem regiam pecunias inde sumpturus, quibus fratrem redimeret. Paucis inde diebus negotio confecto cum Ancyram festinaret diemque ac noctem continuato itinere fessus, clausis jam urbis portis, quippe nocte concubia pervenisset, sublato clamore poscebat aperiri sibi januas. Id facere verentibus custodibus, quod in vicinia Turcorum castra non procul illinc habentium periculose id tali hora fieri B videretur, 65 ac percontantibus vicissim, quinam demum essent qui talia peterent, proclamatum ab Alexii comitatu est adesse ipsum, quam vocem jucundissimam præsentibus effecit casus tum quidam hodie quoque non sine voluptate memorandus. Nimirum interim dum confecturus pretium fraternæ redemptionis excurrerat in urbem Alexius, Isaacium captivum res suas reputantem cura subiit vitandum si qua posset sibi esse, ne antequam de liberatione sua transactum esset quidpiam longius a Romanæ ditionis finibus recederent barbari; tunc enim difficilius negotium fore. Missis igitur in vicinas civitates nuntiis, cum sese captum et detentores pecuniam pro suo capite pacisci paratos C docuisset postulassetque, ut quantum quisque amicorum posset conferre pecuniæ ad sui liberationem ne gravarentur priusquam longius a Romano limite abscederent Barbari, sancte pollicens cuncta ipsis cito cum usura reponenda, ad eam invitationem locupletibus multis auri magnam vim mittentibus, pretii quod petebant Turci partem numeravit, pro parte reliqua datis obsidibus cavit, sicque liber abire permissus Ancyram eamdem ipsam Galatarum metropolim eadem illa commodum se die contulit, qua reducem Constantinopoli Alexium eodem pervenisse jam diximus. Cæterum Isaacius prius ingressus in quodam domicilio supra portas sito conquiescebat obseratis portis, quarum ipse claves asservabat. Ut autem vocem fratris exterius D clamantis audivit, exsiliit e strato clavibusque sumptis ad portas accurrit apertisque iis omnes introduxit in civitatem. At præclarus Alexius ipsum inopinatissime cernens (nihil enim adhuc de illius liberatione audierat) desiluit 66 ex equo complexuque atque osculo salutavit fratrem, quando incredibili uterque perfusi gaudio in id, quod dixi cœnaculum ascenderunt, ubi cœnante Alexio, qui nihil adhuc eo die gustaverat, Isaacius quæ passus esset in captivitate narrabat. Itaque non sine dulcibus utrinque lacrymis transacta cœna est.

9. Hinc triduo curandis hominum jumentorumque corporibus dato, ubi audierit recessisse Turcos procul a Romanis finibus, cœpto ipsi Constantinopolim versus itinere cum post trajectum Sangarium Nicomediam peterent, ecce prætereuntibus illis

η'. Ἀλλ' ἐν Ἀγκύρᾳ γενόμενος διεπέμπετο παντοχόθεν μαθεῖν τι πλέον, καὶ ὡς βούλοιντο οἱ τὸν ἀδελφὸν κατασχόντες ἀποδόσθαι τιμῆς χρυσίου χιλιάδων συχνῶν ἠκηκόει. Τούτων ἐκεῖνος ἀκούσας τῶν λόγων ἀπήλλακτό τε τῆς πολλῆς ἀθυμίας, καὶ πρὸς τὴν βασιλίδα τῶν πόλεων ἔσπευδεν ἐφ' ᾧ τὸ χρυσίον ἀναλαβεῖν [P. 46] καὶ τὸν ἀδελφὸν πρίασθαι. Ἡμέραις οὖν ὀλίγαις τοῦτο συναγαγὼν ἀπῆει ὡς ἐπὶ Ἄγκυραν, καὶ σπεύδων ταχέως καταλαβεῖν τό τε πλεῖστον τῆς νυκτὸς καὶ τῆς ἡμέρας τὸ πᾶν ἤλαυνε. Περὶ ἑσπέραν δὲ βαθεῖαν φθάσας εἰς τὴν Ἄγκυραν καὶ τὰς τῆς πόλεως πύλας εὑρὼν κεκλεισμένας ἐζήτει ταύτας ἀνοιχθῆναί οἱ. Οἱ δ' ἐντὸς τοῦ ἄστεος δεδιότες μή πως ὑπ' ἐχθρῶν ἐνεδρεύοιντο διὰ τὸ μὴ πάνυ τι πόρρω τοὺς Τούρκους ἔτι στρατοπεδεύειν ἀπῇτουν οἵτινες εἶεν εἰπεῖν. Καὶ οἱ περὶ τὸν Ἀλέξιον εὐθὺς ὅστις εἴη ἀνεδίδασκον. Κἀντεῦθεν συνέδη τι ἡδονὴν παρέχον τοῖς φιλαχροάμοσιν, οὐκ ἐκείνοις τότε μόνον, ἀλλὰ καὶ νῦν. Ἐν ὅσῳ γὰρ ὁ Κομνηνὸς ἀπῄει Ἀλέξιος τὴν τιμὴν ἄξων τῷ ἀδελφῷ, δείσας ὁ Κομνηνὸς Ἰσαάκιος μὴ πόρρω τῶν Ῥωμαϊκῶν ὁρίων γενόμενος δυσχερέστερον τῆς αἰχμαλωσίας ἀπαλλαγείη, πρὸς τὰς κύκλῳ διεπέμπετο πόλεις καὶ τὰ κατ' αὐτὸν ἀνεδίδασκεν ὡς ἀλῴη καὶ ὡς βούλοιντο τιμῆς αὐτὸν ἀποδιδόναι οἱ βάρβαροι, ἠξίου τε τῆς τιμῆς κομίζειν ὁπόσον ἕκαστος δύναιτο πρὸ τοῦ πόρρω τοὺς βαρβάρους τῶν Ῥωμαϊκῶν ὁρίων γενέσθαι, καὶ ὑπισχνεῖτο πάντα σὺν τόκῳ ἀποδοῦναι σφίσι τὰ κομισθησόμενα. Πολλοὶ γοῦν τῶν εὐπόρων χρυσίον πεπόμφασιν αὐτῷ, καὶ τὸ μὲν ἀπίδοτο τοῦ τιμήματος, τοῦ λοιποῦ δὲ χάριν ὁμήρους καταλιπὼν τῶν δεσμῶν ἀπολέλυτο καὶ τὴν τῶν Γαλατῶν μητρόπολιν κατέλαβεν Ἄγκυραν. Ἐσπέρας γοῦν ἄμφω τὼ ἀδελφὼ εἰς μίαν ἡμέραν τὴν πόλιν καταλαβεῖν. Ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν προφθάσας ἐπί τινος οἰκήματος τῶν πυλῶν ὄντος ἄνωθεν ἀνεπαύετο, τὰς πύλας κλείσας καὶ τὰς κλεῖς κατέχων αὐτός. Ὡς δ' ἠκηκόει τοῦ ἀδελφοῦ φωνοῦντος ἔξωθεν, ἀνῄλατό τε τῆς κλίνης καὶ τὰς κλεῖς λαβὼν ἐπὶ τὰς πύλας ἔθεεν. Ἀνοίξας οὖν εἰσῆγε πάντας ἔνδον τῆς πόλεως. Ὁ δὲ θαυμασιώτατος Ἀλέξιος αὐτὸν ἀπροσδοκήτως θεασάμενος (οὔπω γὰρ πέπυστο περὶ αὐτοῦ) κατεπήδησέ τε τοῦ ἵππου καὶ περιπλακεὶς κατησπάζετο. Θυμηδίας οὖν ὅτι πλείστης πλησθέντες ἀνῆεσαν ὡς ἐπὶ τὸ δωμάτιον. Καὶ ὁ μὲν ἐδείπνει ἄσιτος ὢν τὸ παράπαν, ὁ δὲ ἃ πάθοι κατὰ τὴν αἰχμαλωσίαν ἀπήγγειλε. Καὶ ἦν ὁ δεῖπνος ἐκείνοις μετὰ ἡδονῆς καὶ δακρύων.

θ'. Τρισὶν οὖν ἡμέραις ἀναπαύσαντες ἑαυτούς τε καὶ τὰ ὑποζύγια, ἐπεὶ περὶ τῶν Τούρκων ἐπύθοντο ὡς πόρρω γένοιντο τῶν [P. 47] Ῥωμαϊκῶν ὁρίων, ἅπαντες ἐκεῖθεν ἐπὶ τὴν βασιλίδα τῶν πόλεων ἐπορεύοντο. Περαιωθέντες δὲ τὸν Σαγγάριον τὴν Νικο-

Digitized by Google

μῆδους καταλαβεῖν ἠπείγοντο. Διιοῦσι δὲ τούτοις τὸ χωρίον ὃ Δέκτη καλεῖται, τῶν συνήθων τις ὑπηντίαζε καὶ παρεκάλει παρὰ τῇ οἰκίᾳ τούτου γενέσθαι καὶ ἑαυτοὺς βραχύ τι διαναπαῦσαι. Ἐξάντες οὖν ταῖς τοῦ ἀνδρὸς παρακλήσεσιν ἀπῆεσαν, καὶ τῶν ἵππων ἀποδάντες ἀνῆεσαν ἐπὶ τὸ δωμάτιον. Καὶ οἱ μὲν ἀνεπαύοντο, ὁ δ' ἑστιάτωρ τὸ δεῖπνον ἠὐτρέπιζε μάλα ἀσμένως, ὅτι τοιούτους ὑπεδέξατο δαιτυμόνας. Ἐν ὅσῳ δὲ ταῦτα ἐπράττετο, ξυνέβη Τούρκους περί που διακοσίους κατιέναι ἐπὶ προνομῇ, οἳ καὶ διώδευον τὴν ὁδὸν ἐπὶ τὰ πρόσω σπεύδοντες καὶ μηδένα λόγον τῶν κατὰ πάροδον Ῥωμαίων ποιούμενοι. Ἀγρότης δέ τις ἀροτριῶν αὐτοὺς θεασάμενος καὶ οἰηθεὶς τοῦ μέρους εἶναι τῶν προκληθέντων, ἐφώνει καὶ αὐτοὺς ἐκάλει καὶ τὸν μέγαν δομέστικον ἐπιδεικνύειν ἐπηγγέλλετο. Οἱ δὲ πρὸς αὐτὸν ἀφικόμενοι ἐπειδήπερ ἐμάνθανον ξὺν ὀλίγοις τοῦτον ἐπιξενίζεσθαι, ἐξελάσαντες τὴν οἰκίαν τε ἐκύκλουν καὶ τὰς διεξόδους ἐτήρουν. Πορθεῖν δὲ ταύτην οὐκ ἐπεχείρουν δεδιότες τοὺς ἔσωθεν. Ὡς δ' ἐγνώσθη τὰ συμβάντα τοῖς ἔσωθεν, οἱ μὲν τούτων ἦσαν ἐν ὅπλοις εὐθὺς ὅσοι γενναιότατοι καὶ ἀλκιμώτατοι, οἱ δὲ πρὸς δρασμὸν ἐχώρουν ἅτε πλῆθος ὄντες σύμμικτον καὶ θητικὸν τὸ πλεῖον, τοῖς δὲ ἐδόκει βέλτιον, οἳ καὶ μεγέθει σωμάτων τῶν ἄλλων διέφερον καὶ μεγάλως ἠῦχουν ἐπὶ στρατὸν, μηδαμῶς εἰς χεῖρας ἰέναι τοῖς πολεμίοις, ἀλλὰ τὰ ὅπλα ῥίψαντας αὐτομολῆσαι τοὺς βαρβάρους, ὅρκια λαβόντας ἐκεῖθεν ὥστε μὴ θανεῖν. Θροῦς οὖν ἐπὶ τῷ λόγῳ ἦρθη πολὺς, τῶν μὲν ἐπαινούντων τὸ δόγμα τῶν δ' ἀμφιδόλως ἐχόντων. Ὁ δὲ γενναῖος Ἀλέξιος κατασιγάσας τὸν θόρυβον τοιῶνδε πρὸς αὐτοὺς ἦρχετο λόγων·

A oppidum non magnum Decten vocatum occurrit vir olim notus pro familiaritate rogans, domum ut ad suam in proximo sitam diverterent modicum illic quieturi. Victi precibus omissisque equis in cubiculo superiori quiescebant, hospite interim occupato in parando prandio plurimumque sibi gratulante, quod tales apud se convivas cerneret. Verum interea forte contigit ducentos Turcos prædandi causa vagantes illac descendere, qui cum innoxie transirent ulteriusque omnino animos ac spes intenderent, rusticus eos arator conspicatus ac sibi persuadens esse illos e comitatu Comnenorum, quos modo transeuntes viderat, magna compellatis voce dixit sese iis ostensurum ubi esset magnus domesticus. Illi ad hominem coeuntes ubi B ex ipso cognoverunt exceptum domesticum hospitio cum paucis in domum ipsis ostensam, eam statim obsederunt undique omnesque exitus 67 præsidiis munierunt: vi aperta abstinuere tantisper, quod acres obsessorum impetus si palam oppugnarentur erupturos metuerent. Ut vero intellectum periculum intus est repente quibus animi et vires ad arma concurrunt. Pleraque autem imbellis mista e mercenariis turba circumspiciebat fugam. Quibusdam etiam alioqui prævalentibus et vasto corpore multa sese in exercitu fortitudinis ostentatione jactare solitis ignavissimum consilium placebat, nequaquam aientibus tentandam sibi videri pugnæ cum Turcis aleam, sed abjectis armis deditionem faciendam fide incolumitatis prius ab C obsidentibus accepta. Ad eam vocem murmur ortum est variium quorumdam laudantium sententiam aliorum inter utrumque dubitantium. At generosus Alexius tumultu ad breve silentium sedato hanc orationem exorsus est:

« Ι'. Ἐμοὶ μὲν, ὦ ἄνδρες, τὸ μηδ' ὅλως ἀποπειρᾶσθαι τῶν πολεμίων, ἀλλὰ σφᾶς αὐτοὺς εἰς δουλείαν προδοῦναι καὶ προῦπτον κίνδυνον πρὸς τὸ δειλίας ἔγκλημα φέρειν καὶ πάσης εὐηθείας δοκεῖ εἶναι μεστόν. Οἶμαι γὰρ μὴ ὅτι γε Ῥωμαίους ἄνδρας τῶν εὖ γεγονότων τοῦτο δρᾶσαί ποτε, ἀλλ' οὐδὲ γυναῖκας εὐγενεῖς τε καὶ σώφρονας. Πρὸς γὰρ τὸ δεινὰ παθεῖν καὶ τὸν ἔλεον τῶν ἀνθρώπων ἀφ' ἡμῶν ἀποκλείσομεν καὶ τῶν εἰς τὸ μέλλον ἐγκωμίων ἀποτευξόμεθα, ἃ τοῖς γενναίως ἀγωνισαμένοις καὶ ἀξίως τῆς σφῶν [P. 48] εὐγενείας... θανόντες ἐλεοῦνται μὲν παρ' ἰδιωτῶν, ἐπαινοῦνται δὲ παρὰ σοφῶν, μακαρίζονται δὲ παρὰ πάντων. Οἱ δὲ σφᾶς αὐτοὺς προδόντες εἰς δουλείαν ἢ κίνδυνον πάσης συγγνώμης πόῤῥω τυγχάνουσι, ταλανίζονται δὲ παρὰ πάντων τῆς ἀθλιότητος. Ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι δέον σκοπεῖν, τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου. Εἴ τι οὖν ἐμοὶ πείθεσθε, ὅσοι μὲν ὅπλα ἀγχέμαχα πρόσεστι, λαβόντες ταῦτα πρὸς τῇ ἐξόδῳ στῶμεν, ὅσοις δὲ τόξα καὶ βέλη ἐπὶ τοὺς ὀρόφους ἀνίτωσαν. Τὸ δὲ θητικὸν ἅπαν καὶ ἀπόλεμον, καὶ ὅσοι πολεμικοὶ μέν εἰσιν ἵππων δ' ἀποροῦσι καὶ ἐφ' ἡμιόνων ὀχοῦνται, στήτωσαν ἡμῶν ὄπισθεν. Εἶτα οἱ μὲν ἄνωθεν τὰ βέλη πεμπέτωσαν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, αὐτοὶ δὲ τὰς πύλας ἀναπετάσαντες χωρῶμεν κατ' αὐτῶν σφοδροτάτῃ ῥύμῃ

10. « Mihi quidem, o viri, nos visu solo debellatos hostium nec vim experios ullam ultro in voluntariam servitutem ac præsens periculum nos conjicere præter vituperationem ignaviæ stultitiæ quoque inconsultissimæ videtur plenissimum. Existimo enim, non dicam Romanos ullos viros ingenuis ortos natalibus nunquam quid simile fecisse, sed ne mulieres quidem nobiles et pudicas id facturas unquam. In eo quippe id agimus, ut in servilibus cruciatibus reliquisque captivitatis malis D nullum nobis solatium vel a misericordia vel a laude ac prædicatione hominum faciamus reliquum. Enimvero qui nobili exantlato certamine fortuna belli adversa succumbunt, generositatis 68 suæ fructum illum referunt, ut commiseratione ab indoctis, laude a sapientibus digni judicentur, felices vero prædicentur ab omnibus. At qui se ipsos ignave dedunt in servitutem aut periculum omnis sibi veniæ spem præcidunt, illaudatique ac miseri publica ignominia traducuntur. Videndum igitur nobis quoque fuerit, prout esse in ore honestorum hominum solet, ut aut honeste vivamus aut honeste moriamur. Si quid igitur mihi creditis, quibus hastæ ac gladii ad manum sunt, iis arreptis ad januam stemus; qui arcubus sagittisque sunt instructi

Digitized by Google

tectum conscendant. Imbellis vero turba rusticorum aut famulorum, quique alioqui militares equis carent mulis conscensis retro nobis adstent. Tum qui tectum inscenderint tela inde in hostes mittant. Nos autem valvis patefactis in ipsos irruamus quam incitatissimo equorum impetu. Postquam autem illi fugientes longe a via qua nobis hinc urbem versus eundum est recesserint, descendant e tecto jaculatores jumentisque conscensis prodeant cætera multitudine sequente. Intervalla porro inter se ordinemque in via servent, prout opus est ad phalangis tuendam figuram, cunctisque maximæ id curæ sit ne culpa cujusquam solvi ordines dissiparique ac dispergi aciem contingat. Sed interim dum nos in hostes irruimus, procedant illi pedetentim. Ubi vero vicissim hostes in nos impetum fecerint, stent in vestigio. Cum vero ad arctas viarum fauces accesserimus, pariter omnes exscendemus equis : et polliceri ausim nequaquam ausuros hostes admovere se nobis propius. »

A τῶν ἵππων. Ἐπειδὰν δ' ἐκεῖνοι φεύγοντες πόρρω τῶν διεξόδων γένωνται, οἵ τε ἄνωθεν ὄντες καταβάντες καὶ ἱππασάμενοι ἐξίτωσαν καὶ τὸ λοιπὸν συνεπέσθωσαν πλῆθος. Ἀπέστωσαν δὲ τῆς ὁδοῦ ἐν τάξει φάλαγγος καθιστάμενοι. Πλὴν ἅπασιν ἔστω σκοπὸς εἷς μὴ διαλῦσαι τὴν τάξιν μηδὲ διασκεδασθῆναι. Ἀλλ' ἐπειδὰν ἡμεῖς κατὰ τῶν πολεμίων χωρῶμεν, οἷδ' ἀπίτωσαν βάδην, ἐπειδὰν δ' οἱ πολέμιοι καθ' ἡμῶν ἐξορμήσωσιν, ἑστηκέτωσαν. Ἐγγὺς δὲ ὄντων τῶν στενωπῶν, ἐπειδὰν ἐν αὐταῖς γενώμεθα πάντες, τῶν ἵππων ἀποβησώμεθα. Καὶ πείθομαι μὴ ἂν τοὺς πολεμίους κατατολμῆσαι πλησίον ἡμῶν γενέσθαι. »

69 11. Hæc dixit et probavit. Omnibus singulisque pro se quoque ad partes sibi descriptas euntibus, alii tecto conscenso inde jaculabantur, alii portis patefactis ingenti vi contra hostes ferebantur, qui eo gemino subito adnoto perculsi metu ferocia omissa in fugam versi sunt. Unde audacia sumpta qui erant intus exierunt universi viamque inierunt in formam phalangis militariter instructi, nisi quod festinantius incedebant paulo, quam disciplinæ ac periculi usus poscebat. Cæterum in tutum subducti Barbari fugam incusabant suam mutuoque se adhortati ut insecutores suos vicissim insequerentur feruntur in nostros rursus, et quod eos non plures vigiati esse videbant, circumvenire atque omni ex parte claudere conabantur. Illi concitato cursu fuga versus suorum phalangem inita simul eo pervenerant collecta rursus manu versisque animose frontibus in Turcos ibant, fugiebantque mox Barbari, quoad suis et ipsi misti rursum cedentes urgerent nostros. Per has sequendi fugiendique vices cum multum esset spatii confectum Turci æstimato diligentius totius nostrorum agminis numero, cum se longe plures esse animadvertissent (nam turba illa quæ phalangis exhibebat speciem quinquaginta equitum summam non explebat), omissis iis contra quos nequidquam hactenus velitati erant, in phalangem ipsam magno impetu magnisque clamoribus ac densa sagittarum immissione feruntur. Hic nostri servandi ordinis cura metu omissa, cedebant jam haud dubie in fugamque cum certa omnium pernicie vergebant, nisi celeriter ambo fratres cum paucis accurrentes opportunissimo **70** præsto auxilio fuissent jamque inclinatos in fugam revocassent ac stare in loco, nisi condonari furori hostium indefensi vellent, jussissent.

B ια'. Ταῦτ' εἶπε καὶ πάντες ἐπείθοντο. Καὶ οἱ μὲν ἐπὶ τοὺς ὀρόφους ἀνῆεσαν καὶ τὰ βέλη προέπεμπον, οἱ δὲ τὰς πύλας ἀνεπετάννυον καὶ σφοδρᾷ τῇ ῥύμῃ κατὰ τῶν πολεμίων ἐπῆεσαν. Οἱ οὖν πολέμιοι τῷ αἰφνιδίῳ καταπλαγέντες ἀλκῆς ἐπελάθοντο καὶ πρὸς φυγὴν ἐτράποντο. Ἀδείας οὖν δραξάμενοι οἱ ἐντὸς ἅπαντες ἐξῆεσάν τε καὶ τῆς ὁδοῦ ἥπτοντο, εἰς τάξιν μὲν δὴ φάλαγγος καθιστάμενοι, ταχυτέραν δὲ ἢ ἐχρῆν τὴν πορείαν ποιούμενοι. Ἀλλ' οἱ Βάρβαροι πόρρω τοῦ κινδύνου γενόμενοι ἀλκῆς τε αὖθις ἐμέμνηντο καὶ προύπεμπον ἀλλήλους ὑποστρέφειν τε καὶ κατὰ τῶν διωκτῶν χωρεῖν, καὶ μάλισθ' ὅτι ἐώρων οὐ πλείους ἢ εἴκοσι ὄντας. Ὑποστρέφοντες οὖν κυκλοῦν αὐτοὺς ἔσπευδον. Οἱ δὲ προτροπάδην φεύγοντές τε καὶ ὀπιόντες, ἐπεὶ ἐγγὺς τῶν ἰδίων ἐγένοντο, C ἐπῆεσαν αὖθις σφοδρᾷ τῇ ῥύμῃ, καὶ οἱ Βάρβαροι ἔφευγον. Αὖθις οὗτοι ὑπέστρεφον. Καὶ οὕτω [P. 49] μέχρι πολλοῦ ἀλλήλων ἀπεπειρῶντο. Ἀλλ' οἱ Τοῦρκοι πάντας ὀλίγους ὁρῶντες, σφᾶς δὲ πολλαπλασίους (ἦν γὰρ καὶ τὸ εἰς φάλαγγος τάξιν καθιστάμενον ἐνδέον ἱππέων πεντήκοντα), τούτους ἀφέντες κατ' ἐκείνων ἐχώρουν, καὶ βαρβαρικὸν ἀλαλάξαντες ἐξήλαυνόν τε καὶ τοξεύμασιν ἔβαλλον. Δείσαντες οὖν τὴν τάξιν διαλύειν εἰξάν τε καὶ πρὸς φυγὴν ἐξώρμων ἤδη, καὶ πάντως ἀπώλοντο ἂν εἰ μὴ ταχέως ἄμφω τὼ ἀδελφὼ ξὺν ὀλίγοις καταδραμόντες ἐβοήθουν ὅλῃ χειρὶ καὶ τοὺς πρὸς φυγὴν τραπέντας ἀνεκαλοῦντο, στῆναι κελεύοντες εἰ μὴ βούλοιντο καταλειφθῆναι ὑπ' αὐτῶν ἀβοήθητοι.

12. Porro tunc contigit mirabile quidpiam. Vir enim erat staturæ proceritate congruente crassitie membrorum, robore insuper artuum ac lacertorum inter exsectos palatinos spectari ac suspici solitus adeo quidem, ut visu primo intuentes percelleret, subigeretque admiratione victos dicere ad proximum quemque : Quis enimvero tam animo constans tam viribus invictus hostis hujus contra ruentis sustinere vim unquam poterit? Solo enim,

D ιβ'. Τότε τοίνυν ξυνέβη καὶ γενέσθαι τι θαυμάσιον. Ἀνὴρ γάρ τις μέγας καὶ ἰσχυρὸς τοῖς ἐν τοῖς βασιλείοις ἐκτομίαις ὁρώμενος ἐθαυμάζετο. Ἐπειδὰν γὰρ ὁρῷεν αὐτὸν, ἐφώνει ἕτερος πρὸς τὸν ἕτερον ὡ, ἄρα Τίς ὑποσταίη πολεμίων ἀλκὴν τοιοῦδε ἀνδρός ; θέᾳ γὰρ μόνῃ καὶ βρυχήματι φεύγονται ἅπαντες. Τοῦτον συνέβη τότε παρεῖναι μετὰ τῶν εἰς τὴν φάλαγγος τάξιν καθισταμένων, ὁπηνίκα κατ' ἐκείνων οἱ Τοῦρκοι ἐξώρμησαν. Εἰς φυγὴν οὖν ἁπάντων ὁρμησάντων,

Digitized by Google

ἐπεὶ οὗτος μεγας τε ἦν καὶ θώρακα περιεβέβλητο, ἀγαναχτεῖν ἐπενόει τὸν ἵππον καὶ μόνος τῶν ἄλλων ὄπισθεν περιλέλειπτο. Ὡς γοῦν αὖθις οἱ Τοῦρκοι ἐπῆεσαν καὶ οἱ περὶ τὸν Ἰσαάκιον καὶ τὸν κλεινὸν Ἀλέξιον βοηθεῖν ἐπεχείρουν, αὐτὸς ἐξ ὀνόματος τὸν κλεινὸν ἐκάλει Ἀλέξιον καὶ βοηθεῖν παρεκάλει. Ὁ δ' εὐθέως ὑποστρέψας καὶ τοὺς ἐπιτυχόντας διώξας τοῦ κινδύνου τοῦτον ἐρρύσατο, διδάξας αὐτόν τε καὶ τοὺς τοῦτον θαυμάζοντας ὡς ἄρα οὐ μέγεθος σώματος οὐδὲ ῥώμη δυνάμεως οὐδὲ φωνῆς τραχύτης καὶ βάρος τὸν ἄριστον στρατιώτην δεικνύουσιν, ἀλλὰ ψυχῆς γενναιότης καὶ ἡ πρὸς τὰ δεινὰ καρτερία. Ἀλλ' ὁ μὲν τοῦτον διέσωσεν, Ἀλανὸς δέ τις τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων τῷ γενναίῳ Ἰσαακίῳ, Ἀραβάτης τὸ ὄνομα, τὴν ὁρμὴν ὅτι πλείστην θεασάμενος τῶν Βαρβάρων καὶ ὡς μετὰ σφοδρᾶς τῆς ῥύμης ἐπῆεσαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς ὅτι μόνοι διακινδυνεύουσι σὺν ὀλίγοις, δείσας μή τι τῶν ἀνηκέστων τούτων συμβαίη τινὶ, τὸν ἑταῖρον ᾧ Χασκάρης ὄνομα ὑπὸ τῷ Κομνηνῷ Ἀλεξίῳ τεττόμενον παρεκάλει ξὺν αὐτῷ γενέσθαι, [P. 50] καὶ ἅμφω τῶν ἵππων ἀποβῆναι καὶ τοξεύειν ἐπὶ τοὺς πολεμίους. Αἰσχρὸν γὰρ, ἔφησεν, εἰ Ἀλανῶν ἐνταῦθα παρόντων παρακινδυνεύουσιν ἄνδρες εὐγενεῖς τε καὶ ἄριστοι· δνειδος γὰρ ἂν οὕτω ἅπαν ἕξει τὸ γένος τῶν Ἀλανῶν. Οὕτω μὲν οὖν ἐκεῖνος ἔφη, ὁ δὲ τὴν βουλὴν ἀπεπέμπετο ὡς οὐ συνετὴν μᾶλλον ἢ τολμηράν· αὐτούς τε γὰρ κινδυνεῦσαι οὕτω δράσαντας κἀκείνους μηδέν τι ἐκ τούτου προσεφευρεῖν τοῦ ὀνήσασθαι, ἅτε ὁμαλοῦ ὄντος τοῦ τόπου καὶ πεδινοῦ. « Ἀλλ' εἴ τί μοι πείθῃ, » φησὶν, « ἐπεὶ ἐγγύς που τῶν στενωπῶν ἤδη γεγόναμεν, ἐπειδὰν ἐκεῖσε φθάσωμεν, ἀποβησώμεθα τῶν ἵππων καὶ γενναίως ἀγωνίσασθαι σπεύσωμεν, καὶ οὕτω τό τε γένος τιμήσομεν καὶ τοὺς δεσπότας ὀνήσομεν. »

A ut videtur conterriti ejus aspectu, vocis etiam forte accedente tonitru plane attoniti consternabuntur in fugam omnes. Hunc contigit adesse tunc in illo numero phalangis quamdam speciem referentium, cum in eos irruerunt Turci. Versis ergo cunctis in fugam, hic præter molem corporis loricæ gravis equum adeo fatigaverat, ut is aliquo intervallo post omnes alios pone relictus sequeretur. Id Turci conspicati circumvenire sejunctum a sociis contendebant, Isaacio Alexioque auxiliari contra conantibus. Nec ipse periclitans sibi defuit, quin inclytum Alexium confesso palam metu invocans sui ut misereretur oraret. Qui statim conversus hostibus qui se primi dederunt obvios fugere illico compulsis, hominem periculo exemit documento B ad eum ejusque admiratores memorabili, ne magnitudine corporis, nec asperitate, ac gravitate vocis contineri virtutem militis strenui, sed generositate animi et forti tolerantia rerum acerbarum. Hic quidem sic ab Alexio servatus est. Alanus **71** autem quidam ex familiaribus Isaacii, Arabates dictus, vehementem et pertinacem impetum Barbarorum cernens, cui vix majori numero tolerabili duo soli cum oppido paucis Comneni fratres obsisterent, veritus ne quis casus acerbior alterutri eorum incideret, socium, cui Chascares nomen fuit, sub Comneno Alexio merentem rogavit, adesse ut sibi vellet, omissisque ambo equis in hostes jacularentur. Turpe siquidem, aiebat, fuerit ejus nobilitatis et C fortitudinis viros Alanis hic præsentibus periclitari. Neque in nos solum, verum et in universam Alanorum gentem ac famam id dedecus redundabit. Sic Arabate locuto, refutavit consilium Chascares ut et audax nimium et parum prudens. Nam et se ipsos præsentissimum adituros discrimen si hoc facerent, et tamen iis quos servatum irent nihil profuturos, quippe cum in æqua patentique planitie, ut tum erant, positis peditibus adversus equites jaculari haud esset consultum. Sed si quid mihi credis, ait, quando non longe ab illis quas cernis viæ angustiis distamus, eo simul pervenerimus, exscendemus ex equis fortiterque pugnabimus, ac sic, et honori gentis et saluti dominorum simul consulemus.

ιγ'. Ταῦτα ὁ Χασκάρης ἔλεγεν. Ὁ δὲ Ἀραβάτης βαρβαρικῶς εἰς αὐτὸν ἐξυβρίσας εὐθὺς τοῦ ἵππου ἀπέβη, καὶ τῇ μάστιγι τοῦτον πλήξας ὥστε ἕπεσθαι τοῖς ἀπιοῦσιν, αὐτὸς ἤμυνεν ἐν τῇ πεδιάδι. Οἱ δὲ Τοῦρκοι τῷ παραδόξῳ τῆς θέας καταπλαγέντες ἠπόρουν ὅ τι καὶ εἴη τὸ δρώμενον. Βραχὺ γοῦν βέλος D εἶχεν ἐν τῇ χειρί. Τὸν γοῦν πρώτως ἐπιόντα βάλλει κατὰ τῶν στέρνων τῷ ὀϊστῷ καὶ εὐθὺς τοῦτον κατα-βάλλει τοῦ ἵππου. Ἀφεὶς δέ τις βέλος βάλλει τούτου τὴν δεξιάν· ὁ δ' ἐκεῖθεν τὸ βέλος ἑλκύσας αὐτῷ τούτῳ τὸν βάρβαρον, καθάπερ ὁ Βρασίδας πάλαι, ἠμύνατο. Οἱ γοῦν Βάρβαροι δείσαντες αὐτοῦ τὸ γενναῖον βραχύ τι τούτου διέστησαν. Ὁ δ' ἀδείας λαβόμενος ἐπί τι δωμάτιον ἀνέβαινε κἀκεῖθεν αὐτοὺς τοῖς τοξεύμασιν ἔβαλλε, καὶ τοὺς λοιποὺς εἶχον ἤδη τὰ στενωπὰ τῶν χωρίων. Καταλιπόντες οὖν ἐκεῖνον οἱ Βάρβαροι μετὰ σφοδροτάτης ῥύμης ἐκείνοις ἐπῆσαν. Ὁ δὲ Κομνηνὸς Ἀλέξιος ὑποστρέψας ξὺν ὀλίγοις τῶν ἀμφ' αὐτὸν πρῶτος ἕνα τούτων κατέβαλε. Καὶ ὁ Χασκάρης, οὗ πρῶτον ὁ λόγος ἐμνήσθη, κατὰ

13. Talia Chascares. At Arabates barbarico cum convicio rejiciens raptim equo desiliit, et ubi flagelli verbere contemptim admonuisset Chascarem, iret si vellet cum fugientibus, ipse pugnare ex plano jaculando cœpit. Perculit inopinata species Turcos, ut aliquando hærerent ignari quid res esset: stante Arabate ac breve telum manu tenente, quo audacter usus in **72** primum equitem irruentem contra eum pectore transfixum ex equo dejicit. Hic aliquis Alani dexteram jaculo trajicit. At ille extractum e vulnere telum in auctorem rejicit et barbarum jaculatorem sua ipsius cuspide, ut Brasidas olim, generose ultus est. His experimentis perspecta viri fortitudine paulum ab eo recesserunt. At is opportunitate oblata secure usus in domunculam forte proximam conscendit et inde loco superior certiori jaculatione Turcos infestabat. Alii jam interim in angustias evaserant, quare Turci hoc omisso, impetu vehementi in eos irruerunt. Sed Comnenus Alexius obverso in eos vultu cum familiarium pau-

Digitized by Google

eis primus ex ..s unum dejecit, et Chascares, cujus modo memjnimus, fugientis alterius terga confixit. Hinc magno concepto metu dimissis ipsis Turci recedebant. Nostri vero aliquantum progressi desilientes ex equis in loco natura munito tabernaculum figunt. Eoque jam nocte ingruente qui exscenderat equo Alanus sese salvus recepit. Sicque omnes pariter servati sunt, nullo neque capto neque occiso, salutis universi ac singuli propriæ auctorem ac provisorem conclamantes generosum Alexium. Inde quarta die in urbem regiam pervenientes quæ contigerant per civitatem vulgarunt gratulationem insperatæ liberationis suæ cum summis aurei juvenis Alexii laudibus miscentes, cui eam in solidum tribuebant. Unde factum ut, cum ipse mox se videndum præbuit, concurrerent passim omnes exsultatione mira, nec expleri tuendo et applaudendo possent : tanta erant admiratione capti heroicæ indolis eximiarumque adolescentis optimi dotum.

A τῶν μεταφρένων ἔτρωσεν ἕτερον. Φόβῳ οὖν μεγάλῳ συσχεθέντες, ἀφέντας αὐτοὺς ἀνεχώρουν. Οἱ δὲ ὀλίγον βαδίσαντες, ἀποβάντες τῶν ἵππων ἐν ὀχυρῷ χωρίῳ ἐσκήνουν. Νυκτὸς δ' ἐπιγενομένης καὶ ὁ πρὶν ἀποβὰς τοῦ ἵππου Ἀλανὸς πρὸς αὐτοὺς κατελάμβανε. Καὶ πάντες ὁμοῦ διεσώθησαν, μήθ' ἁλόντος μήτε θανόντος τινός. Οἱ δὲ σωθέντες ἅπαντες σωτῆρα καὶ κηδεμόνα τὸν καλὸν ἐπευφήμουν Ἀλέξιον. Ἐκ τῆσδε οὖν τεταρταῖοι τὴν βασιλίδα [P. 51] καταλαβόντες τὰ συμβάντα πάντα τοῖς ἐν τῇ πόλει ἀπήγγειλαν καὶ ὡς πάντων σωτὴρ γένοιτο ὁ χρυσοῦς νεανίας Ἀλέξιος. Καὶ ἐπειδὰν περιῇει, συνέθεον ἅπαντες σκιρτῶντες ὥσπερ ἐπὶ τοῖς τούτου πλεονεκτήμασι.

73 14. Hæc quidem in hunc modum acta sunt. At Urselius fiducia sumpta infestabat, quæ inter Galatiam et Lycaoniam sitæ urbes ac pagos, has quidem vi vastans, alias suasionibus in deditionem trahens, nonnullas certa pecunia pacisci secum metu cladis ac rapinarum cogens. Crescebatque successibus, ut jam tolerari ac teneri vis ejus amplius nequiret. Porro sub finem hiemis Cæsar ex Asia in aulam imperatoriam rediit et imperatori assidens utiliter aderat optima quæque suadens ad rectam reipublicæ gubernationem : ac ubi causas cognosceret, sententiam ipse suggerebat defectum principis juris ignari supplens. Verum hoc logothetæ non placebat. Quare omnem funem, omnem lapidem movebat ad eum quacunque ratione quam primum inde amovendum. Quoniam autem solus ipse per se modum conficiendæ rei non expediebat, cum amicis consultabat quid esset opus facto? Quæ inter moras effluere tempus et elabi occasionem videns ringebatur. Nihil enim vehementius optabat, quam solutus metu molesti arbitri simplicitate imperatoris ad suum quæstum secure abuti. Ad extremum cum alia frustra omnia tentasset, mentem appellit ad consilium non astutum magis quam profundum et improbum. Insinuat se ad incautum et ductu facilem principem eique persuadet, ut patruum Cæsarem ab suo latere amoliatur modumque id plausibiliter faciendi subjicit, si ei persuadeat, ut expeditionem adversus Urselium, rem videlicet ipsi gloriosam, suscipiat. Quid postea? Persuasus logothetæ verbis imperator patruum vocat eique arcanum aperit brevi et incisa voce, sic enim loqui consueverat homo lingua tardus. Ille autem machinationem **74** intelligens et æmuli machinatoris malas artes ejusque qui persuasus ab illo erat incautam facilitatem, institit primo, ut Andronicum potius filium in rebellem mitteret; ut autem fixum in proposito imperatorem vidit audivitque ad extremum dicentem : Aut me isti bello præesse oportet aut te, assentiri est coactus et in apparatum demandatæ expeditionis incumbere. Ad quam ut satis instructus visus est, trajicit in

B ιθ'. Ταῦτα μὲν τοῦτον ἐπράχθη τὸν τρόπον· ὁ δὲ Οὐρσέλιος ἀδείας λαβόμενος περιῄει τὰς μεταξὺ Γαλατίας καὶ Λυκαονίας κώμας καὶ πόλεις, καὶ τὰς μὲν ἐπόρθει, τὰς δὲ πειθοῖ ἑαυτῷ παρίστα, ἐκ δὲ τῶν χρήματα εἰσπράττετο. Καὶ πολὺς ἦν ἤδη καὶ τὴν ὁρμὴν ἀκατάσχετος. Ἄρτι δὲ τοῦ χειμῶνος λήξαντος καὶ ὁ Καῖσαρ ἐκ τῆς Ἀσίας εἰσῄει πρὸς τὰ βασίλεια, καὶ τῷ βασιλεῖ συνεδρεύων ὠφέλει τε πρεπόντως καὶ τὰ κοινὰ συνδιῴκει. Καὶ ἐπειδὰν δικάσειε, τὰς ψήφους ἐκεῖνος ἀπέφηνε τῆς βασιλέως ἀπειρίας τὸ ἐνδέον ἀναπληρῶν. Ἀλλ' οὐκ ἤρεσκε τοῦτο τῷ λογοθέτῃ. Ταύτῃ τοι καὶ πάντα τρόπον ἐπενοεῖτο καὶ πάντα κάλων ἐκίνει ὅπως τοῦτον θᾶττον ἀποσκευάσηται. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἦν εὐχερὲς αὐτῷ τὸ βούλημα, μετὰ τῶν φίλων συνδιεσκέπτετο, τὸν καιρὸν δ' ὁρῶν ἔτι τριβόμενον διεπρίετο· ἐβούλετο γὰρ τοῦ ἐξ ἐκείνου δέους ἀπαλλαγῆναι καὶ οὕτω τῆς βασιλέως ἀδελτηρίας κατατρυφᾷν ἀδεῶς. Ἀπορήσας δὲ πάντοθεν βουλὴν βουλεύεται οὐ συνετὴν μᾶλλον ἢ βαθεῖαν καὶ πονηράν. Ὑπεισέρχεται αὖθις τὴν βασιλέως ἁπλότητα, καὶ πείθει τοῦτον τὸν θεῖον ἀποσκευάσασθαι Καίσαρα, καὶ τὸν τρόπον αὐτὸν ὑποτίθησι πεῖσαι τοῦτον στρατεῦσαι κατὰ τοῦ Οὐρσελίου. Τί τὸ ἐντεῦθεν; πείθεται τοῖς τούτου λόγοις ὁ βασιλεύς, μετακαλεῖται τὸν θεῖον, τὸ ἀπόῤῥητον καταγγέλλει βραχείᾳ καὶ διακεκομμένῃ φωνῇ· οὕτω γὰρ ὁμιλεῖν εἰώθει βραδύγλωσσος ὤν. Ὁ δὲ τὸν τρόπον μὴ ἀγνοήσας, εἰδὼς δὲ μᾶλλον τοῦ τε ὑποθεμένου τὸ δύστροπον καὶ τοῦ πεισθέντος τὸ εὔκολον, πρῶτα μὲν υἱὸν ἐκπέμπειν Ἀνδρόνικον κατὰ τοῦ ἀποστάτου συνεβούλευεν. Ὡς δ' ἐνιστάμενον εἶδε τὸν βασιλέα, καὶ τοῦτο τέλος εἰπόντα ὡς Ἧτοι ἐμὲ χρὴ κατ' ἐκείνου στρατεύειν ἢ σέ, ἐπείθετό τε καὶ τὰ πρὸς τὴν ἐκστρατείαν αὐτοῦ ἠὐτρεπίζετο. Ἐπεὶ δ' ἀποχρώντως εἶχε τούτῳ τὰ τῆς παρασκευῆς, διεπεραιοῦτο πρὸς τὴν Ἀσίαν καὶ τὰς δυνάμεις συνάγων ἐξώρμα πρὸς πολέμιον. Διαβὰς δὲ τὰ Βιθυνῶν ὄρη, ἐπειδὴ ἐμάνθανε τοῦτον περὶ τὰς πηγὰς τοῦ Σαγγαρίου στρατοπεδεύειν, τὸ Δορύλαιον διελθὼν ἠπείγετο πρὸς τὰ πρόσω. Μαθὼν δὲ καὶ ὁ βάρβαρος τὴν τούτου ἔφοδον, ἐκίνει καὶ αὐτὸς τὰς δυνάμεις αὐτοῦ. Ὑπαντιάζουσιν οὖν ἀμφὶ περὶ [P. 52] τὴν Ζόμ-

Digitized by Google

που (31) καλουμένην γέφυραν, καὶ στρατοπεδευσάμενοι τὰ πρὸς τὸν πόλεμον ἐξηρτύοντο. Ἅμα δὲ τῇ Ἕῳ τὰς δυνάμεις ἐξῆγον καὶ παρετάττοντο τόνδε τὸν τρόπον. Ὁ μὲν Καῖσαρ τὸ μέσον εἶχε τῆς Ῥωμαϊκῆς τάξεως ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ τοὺς ἀσπιδηφόρους καὶ πελεκηφόρους Βαρβάρους, οἷς ἡ τῶν βασιλείων ἄνωθεν πεπίστευτο φυλακή· τὸ δεξιὸν δὲ κέρας οἱ μισθοφόροι κατεῖχον Κελτοί, ὧν προῖστατό τις Κελτὸς ᾧ ὄνομα Πάπας· τοῦ εὐωνύμου δὲ κέρατος ὁ δομέστικος τῶν σχολῶν κατεῖχεν Ἀνδρόνικος· οὐραγεῖν δ' ὁ Βοτανειάτης τέτακτο Νικηφόρος, ὁ βασιλεὺς Ῥωμαίων ἐς ὕστερον, ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ τὴν τῶν Φρυγῶν καὶ τῶν Λυκαόνων φάλαγγα, ἔτι δὲ καὶ τὴν τῶν Ἀσιανῶν. Ὁ δὲ Οὐρσέλιος κατιδὼν οὕτω ταξαμένην τὴν Ῥωμαϊκὴν φάλαγγα, διχῇ καὶ αὐτὸς τὰς δυνάμεις διεῖλε, καὶ τὸ μὲν τῆς φάλαγγος αὐτὸς ἀναλαβὼν εἵπετο βάδην, τὸ δ' εὐθὺ ἀπιέναι τῆς πρὸς τοὺς Κελτοὺς μισθοφόρους παρήγγειλεν. Ἐπεὶ δ' οὐ πόρρω ἀλλήλων ἦσαν, ἤδη οἵ τε μισθοφόροι καὶ οἱ πολέμιοι ὁμιλεῖν πρὸς ἀλλήλους ἦρχοντο· καὶ εὐθὺς προσεχώρησεν ἅπαν τὸ περὶ τὸν Πάπαν μισθοφόρον τοῖς πολεμίοις, καὶ ξυνασπίσαντες ἅμφω ἐπειρῶντο κυκλοῦν τοὺς περὶ τὸν Καίσαρα. Καὶ ὁ Οὐρσέλιος δὲ ἐπίλεκτον ἔχων τῆς φάλαγγος... ἐπιστάντων τῶν Βαρβάρων τὴν ἔφοδον γέγονε μάχη καρτερὰ, καὶ πίπτουσι συχνοὶ ἑκατέρωθεν, τῶν δὲ δοράτων ἀμφοτέρων θραυσθέντων, ξὰ ξίφη γυμνώσαντες ἀγχεμάχως ἀλλήλους ἐτίτρωσκον.

A Asiam et copias contractas in hostem ducit. Superatis autem Bithynis montibus, ubi cognovit eum ad Sangarii fontes castra metatum, Dorylæum transgressus ulterius properabat. Cujus infesto in se adventu barbarus cognito, movit et ipse contra copias. Occurrunt igitur sibi ambo ad pontem Zompi dictum. Ubi munitis pro se quisque castris ad prælium accingebantur. Postridie primo mane copias educunt ordinantque aciem hunc maxime in modum. Cæsar quidem mediam obtinuit aciem Romanam habens secum cetratos et securigeros barbaros, quibus palatii jam olim credita custodia est. Dextrum cornu stipendariis Gallis commissum erat, quibus præerat Gallus quidam nomine Papa. Sinistro cornui domesticus scholarum præsidebat B Andronicus. Postremi agminis præfectura Nicephoro Botaniatæ ei qui postea imperavit demandata est habenti secum Phrygum et Lycaonum phalangem et præterea Asianorum. At Urselius videns sic instructam aciem Romanam bifariam et ipse divisit exercitum, et phalangem **75** quidem ipse sibi assumens sequebatur moderato passu. Reliquas copias statim admoveri Gallis stipendiariis jussit, ad quos ut est propius ventum, conferre sermones inter se cœperunt pactaque facile proditione quidquid stipendiarii militis sub duce Papa fuit statim ad Urselii partes transiit. Mistique communi jam consilio conabantur circumvenire et undique claudere reliquas omnes Cæsaris copias. Urselius vero ipse secum ducens quod floris et roboris in phalange ipsius erat toto impetu in mediam Cæsaris aciem cœpit invehi. Barbaris porro Cæsarianis hostilem impetum fortiter excipientibus committitur atrox pugna, multis utrinque cadentibus. Jamque hastis utrinque fractis strictos undique versabant enses seque invicem cominus mutuis vulneribus cædebant.

ιε'. Ἀλλ' ἐν ὅσῳ ταῦτα ἐπράττετο, ὁ τὴν οὐραγίαν πεπιστευμένος τοὺς μισθοφόρους θεώμενος τοῖς πολεμίοις προσχωρήσαντας καὶ σπεύδοντας τὴν φάλαγγα κυκλοῦν ἧς κατῆρχεν ὁ Καῖσαρ, δέον βοηθεῖν, ὁ δὲ τὰς δυνάμεις ἀναλαβὼν ὑπεχώρει, καίτοι ἀνὴρ ὢν ἀνδρεῖος, ὡς ἐν πολλοῖς δέδεικεν. Οἱ Βάρβαροι δὲ ἀδείας δραξάμενοι ἐκύκλουν ἀδεῶς τοὺς περὶ τὸν Καίσαρα. Τὸ δὲ περὶ αὐτὸν βάρβαρον μέχρι μέν τινος ἔμεινε βάλλον τε καὶ βαλλόμενον· ἐπεὶ δ' εἶδε τῶν πολεμίων τοὺς μὲν κατὰ στόμα ἐπαντῶντας τοὺς δὲ κατὰ νώτου γενομένους, ἀπορίᾳ ἤδη συνείχετο. Ἀλλ' ὁ Καῖσαρ ἀτρέμας ἑστὼς ἀπερρώνυε τὰ φρονήματα τούτων. Ἕως μὲν οὖν ἰσχὺς αὐτοῖς ὅλως ἔμενον· ἐπεὶ δὲ τὸ μὲν καταπεπόνητο καὶ οὐκέθ' οἷοί τε ἦσαν τοὺς βάλλοντας ἀμύνασθαι, αὐτῶν δὲ τὸ πλεῖστον διεφθάρη καὶ ὁ Καῖσαρ μηδ' ὅλως πρὸς φυγὴν ἐξορμήσας ἑάλω. Ἤδη δὲ καὶ οἱ περὶ τὸν Ἀνδρόνικον [P. 53] ὑπὸ τῶν πολεμίων πλεονεκτούμενοι ἐτράπησαν πρὸς τὸ φεύγειν. Ὁ δὲ καίτοι κατάστικτος τοῖς τραύμασιν ὢν (ἐβέβλητο γὰρ καιρίαις πληγαῖς) περιῆει ζητῶν τὸν πατέρα.

C 15. Dum hæc maxime fierent, is cui postremum agmen ducendum obvenerat, stipendiarios videns ad hostes transgressos communi cum illis studio id agere, ut Cæsarianam aciem undique ambirent, cum toto impetu succurrere deberet, e contrario subductis secum copiis recessit. Quod mirum sane fuit in viro alioqui forti, qualem se multis aliis experimentis probaverat. Eo jam securius barbari aciei Cæsaris circumfundebantur. Stetit illa nihilominus aliquandiu inferendis excipiendisque mutuo plagis. Ubi autem vidit hostes partim a fronte instantes, partim a tergo cædentes, fluctuabat jam haud dubie despondebatque animum. Cæterum Cæsar invicto pectore stans **76** confirmabat labantes et robur perculsis addebat. Quandiu igitur vires D suffecerunt, strenue res gesta est. Ubi autem consumpto jam robore resistendo acriter instantibus pares non erant, fracti prostratique plerique cesserunt. Ne tum quidem Cæsar inducere animum ad fugam potuit. Pugnans igitur est captus. Pari modo qui cum Andronico erant circumventi ab

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(31) *Ζόμπου.* Eadem habet Scylitzes, qui a Bryennio pleraque hausit quæ in Michaele Duca refert, quem nec hoc loco exscribere est animus, nec in aliis, ubi cum Bryennio consentit, ne nimius sim. Id satis erit semel monuisse.

Digitized by Google

hostibus versi sunt in fugam. Ipse plenus cruoris et vulnerum, quibus erat gravibus confossus, circuibat quærens patrem : quem ubi captum cognovit, cum facile posset evadere, quippe qui extra teli jactum et in securo tunc esset, patris liberationem periculo proprio conari maluit quam vitæ propriæ consulere. Incitavit igitur equum qua densissimum videbat hostium globum factaque sibi ferro multis dejectis via, ut ad Cæsarem propius accessit, sustineri amplius non poterat, nec hominis erat mortalis similis, sed immortalis et incorporei cujusdam : petitus enim hastis undique intrepidus perstabat, has frangens, illas repellens, semper eo sese trudens ubi captivus erat pater. Mirati juvenis impetus humana vi majores undique omnes in unum barbari conenrrunt : et hi quidem jaculis, hi hastis, qua ipsum qua ejus equum assidue contundunt, donec debilitatus plagis equus humi cum sessore prostratus est. Tunc Barbari jacentem circumstantes galeam ei deripere certabant, quo caput nudatum strenui viri gladio truncarent. Sed ad hanc speciem Cæsar alacri conatu divulsus a detinentibus cursu incitato ruit et supra paterno, sed vi ac multitudine gravium vulnerum. **77** Quare spem in vi nullam habens indicat Barbaris quisnam is esset et sic cum a præsenti morte liberat.

16. Hunc habuit exitum pugna ad Sangarii pontem pugnata. At barbarus elatus victoria circumivit vicinas Sangario amni civitates sibique subjecit universas. Cum pervenisset autem circa Bithyniam ubi prætoria Cæsaris erant et arx satis munita exstructa in declivi supra radices Sophonis montis, in subjectis campis stativa habebat, deliberans qua ratione Romanum sibi subjiceret imperium. Porro Cæsarem in honore habuit, et filium ejus generosum Andronicum videns graviter laborantem, ex vulneribus curari quam diligentissime jussit. Verum Cæsar sic patientem intuens filium pungebatur acri dolore et molestissime ferebat. Itaque Urselium rogavit, ut cum Constantinopolim portari curandum sineret. Assensus ille ea lege est, si majores natu filiorum ejus pro eo obsides darentur : quibus datis remissus Andronicus domum ibi convenienti curatione recreatus est, interim dum pueri captivi vice ejus in arce custodiebantur, ubi ab eorum pædagogis tentatum aliquid est non indignum relatu. Ventitabat sæpius ad ipsos indigenarum agrestium quidam, quem illi delinitum interrogabant calleretne viam, qua inde Nicomediam perveniretur. Cum vero cognovissent ita istum ejus i ineris peritum, ut vel noctu et per devia permeare montes interjectos nosset, multo **78** usu frequentis ultro citroque commeationis omnes anfractus, omnia compendia edoctus, consilium ineunt solers et audax puerorum e castro educendorum, per noctem sopitis custodibus, et fuga tali salutis principum ac libertatis expediendæ. Agunt igitur cum rustico et facile promissa pecunia persuadent, ut dux esse ipsis vellet. Nocte igitur observata obscura et illuni et portæ clavim suffurati rustico

Μαθὼν δὲ τοῦτον ἁλῶναι, ἐξὸν σώζεσθαι ὡς ἔξω τῶν βελῶν καὶ τοῦ πολέμου γενόμενον ἤδη, ὁ δὲ τῆς ἰδίας σωτηρίας τοῦ πατρὸς ὑπερκινδυνεῦσαι προελόμενος ὑπέστρεψε καὶ εἰς μέσον ἑαυτὸν τῶν πολεμίων ὠθεῖ, καὶ πλλοὺς τούτων τῷ ξίφει καταβαλὼν, ἐπειδὴ πλησίον τοῦ Καίσαρος γέγονεν, οὐκέτι καθεκτὸς ἦν, οὐδὲ ἐῴκει ἀνδρί γε θνητῷ, ἀλλ' ἀθανάτῳ τε καὶ ἀσάρκῳ· βαλλόμενος γὰρ τ.ῖς δόρασιν ἄτρεστος ἦν, καὶ τὰ μὲν τούτων συγκόπτων, τὰ δὲ διωθούμενος ἐπειρᾶτο γενέσθαι ἔνθα οἱ ὁ πατὴρ ἁλώσιμος ἦν. Οἱ δὲ πολέμιοι τὴν ἀνυπόστατον ὁρῶντες ὁρμὴν συνέθεον ἅπαντες, καὶ οἱ μὲν τοῖς ξυστοῖς, οἱ δὲ τοῖς δόρασιν ἵππον τε καὶ αὐτὸν ἔβαλλον, ἕως ὁ ἵππος βαρυνθεὶς ὑπὸ τῶν τραυμάτων εἰς γῆν σὺν τῷ ἐπιβάτῃ κατέπιπτε. Τότε οὖν οἱ Βάρβαροι περιστάντες αὐτὸν τὴν περικεφαλαίαν περιελεῖν ἐπειρῶντο καὶ ξίφει τὴν τοῦ γενναίου ἀνδρὸς κεφαλὴν ἐκτεμεῖν. Ἀλλ' ὁ Καῖσαρ διασχὼν τοὺς κατέχοντας ἔπεισί τε δρομαῖος, καὶ προσπίπτει τῷ γενναίῳ παιδὶ, ὀλιγοδρανέων τε ἤδη ὑπὸ τοῦ τραυμάτων πλήθους, καὶ γνωρίζει τούτοις ὅστις ἐστὶ, καὶ οὕτω τὸν παῖδα τοῦ παρὰ πόδας κινδύνου ῥύεται.

ις'. Τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος ἡ μεταξὺ Ῥωμαίων τε καὶ Κελτῶν τῶν ἀποστατῶν συναφθεῖσα περὶ τὴν τοῦ Σαγγαρίου γέφυραν μάχη. Ὁ δὲ βάρβαρος ἐπαρθεὶς τῇ νίκῃ περιῄει τὰς παρασαγγαρίους πόλεις καὶ πάτας ὑφ' ἑαυτὸν ἐποιεῖτο. Γενόμενος δὲ περὶ Βιθυνίαν, ἵναπερ τὰ βασίλεια τοῦ Καίσαρος ἦν καὶ φρούριον ἱκανὸν ἐρυμνὸν ᾠκοδόμητο ἄνωθεν περὶ τοῦ Σόφωνος πρόποδας, ἐν τοῖς ἐκεῖσε πεδίοις ηὐλίζετο, σκεπτόμενος ὅπως ἂν ἑαυτῷ τὰ τῆς βασιλείας Ῥωμαίων μνηστεύσηται πράγματα· τόν τε γὰρ Καίσαρα διὰ τιμῆς εἶχε, καὶ τὸν τούτου υἱὸν τὸν γενναῖον Ἀνδρόνικον ὁρῶν κακῶς ἔχοντα ὑπὸ τῶν τραυμάτων πάσης ἐπιμελείας ἠξίου. Ὁ γοῦν Καῖσαρ οὕτω πάσχοντα θεώμενος τὸν υἱὸν ἠνιᾶτο καὶ ἠσχάλλε καὶ τὸν Οὐρσέλιον ἤτησε τοῦτον πρὸς τὴν βασιλίδα ἐξαποστεῖλαι τῶν πόλεων. Ὁ δὲ ἐπείθετό τε καὶ ὁμήρους αἰτήσας τοὺς πρεσβυτέρους τῶν τούτου υἱέων, καὶ δὴ λαβὼν ἐξέπεμψε τοῦτον οἴκαδε. Ἀλλ' ὁ μὲν θεραπείας ἠξιοῦτο τῆς προσηκούσης, ὁ δὲ τοὺς παῖδας τούτου καθειρξας ἐτήρει παρὰ τὸ φρούριον. Ἐνταῦθα δέδραστό τι παρὰ τῶν παιδαγωγῶν τῶν νέων ἄξιον μνήμης. Ἐφοίτα πολλάκις πρὸς αὐτοὺς τῶν ἐγχωρίων τις ἀγροτῶν. Οἱ δ' ἐκεῖνον οἰκειωσάμενοι ἠρώτων εἰ τὰς πρὸς Νικομήδειαν φερούσας ὁδοὺς αὐτὸς ἐπίσταται, καὶ μαθόντες ὡς εἰδοίη ταύτας ἀκριβῶς [P. 54] ὡς καὶ νύκτωρ καὶ ἔξω τρίβου μεταξὺ διελθεῖν δρη δύνασθαι καὶ φοιτῆσαι πρὸς Νικομήδειαν, βουλὴν βουλεύονται συνετὴν ἅμα καὶ τολμηρὰν ἄμφω τοὺς παῖδας λαθραίως τῆς πύλης ἐξαγαγεῖν τοῦ ἐρύματος, ὁπηνίκα οἱ φύλακες νυκτὸς καθυπνώττουσι, καὶ δρασμῷ τὴν τῶν παίδων πραγματεύσασθαι σωτηρίαν. Ὁδηγὸν οὖν ἀξιοῦσι λαβεῖν τὸν ἀγρότην τῆς ὁδοῦ καὶ πείθουσι χρημάτων ὑποσχέσεσι. Νύκτα οὖν

Digitized by Google

παρατηρήσαντες ἀφεγγῆ καὶ ἀσέληνον καὶ τὴν κλεῖδα τῆς πύλης ὑποκλέψαντες τὸν μὲν ἀγρότην ἔξω εἶασαν τοῦ ἐρύματος, παραγγείλαντες μὴ πόρρω τῆς πύλης καταίρειν, αὐτοὶ δὲ ἔνδον ὄντες παρετήρουν τοὺς φύλακας. Ἐπεὶ δὲ ἤδη ἀφύπνωττον ἅπαντες, ὁ τοῦ πρεσβυτέρου τῶν παίδων παιδαγωγὸς τοῦ χαριεστάτου Μιχαὴλ (ὄνομα τῷ παιδαγωγῷ Λεοντάκιος ἦν), ἀνὴρ ἐκτομίας καὶ νουνεχέστατος, ἀφύπνιζέ τε τὸν παῖδα καὶ τὸ δρᾶμα ἀπήγγελλε, τὴν πύλην πρότερον ἀνοίξας. Ἐξῆγεν οὖν εὐθὺς ἐκεῖνον καὶ παρηγγύα θατέρῳ τῶν παιδαγωγῶν ἐπισπεύδειν τὴν τοῦ ἑτέρου ἀφύπνισίν τε καὶ ἔξοδον. Ὁ δὲ ἔσπευσε μὲν, ἐδυστύχει δὲ ὅμως· ἐν ὅσῳ γὰρ κατῆει ψόφος τις περὶ τὴν κλίμακα γέγονε, καὶ οἱ φύλακες τοῦ ψόφου αἰσθόμενοι ἀνεπήδων καὶ ὅστις ἦει ἀνηρεύνων. Ὁ δὲ προλαβὼν ἵστησι τὸν παῖδα ὡς οὖρον ἐχέοντα. Ἀλλ' ὅμως ἐκεῖνοι περιεργότερον ἐζήτουν καὶ τὰ περὶ τοῦ Μιχαὴλ ἐπυνθάνοντο. Ἀπογνοὺς οὖν ὁ ἐντὸς διάγων παιδαγωγὸς καὶ δείσας μὴ ἀλῷη ὁ διαπεφευγὼς ἤδη γεγωνοτέρᾳ ἐχέχρητο ἐν ταῖς ἀποκρίσεσι τῇ φωνῇ. Αἰσθόμενοι δὲ τῆς ταραχῆς οἱ ἔξω ὄντες, ὅ τε παιδαγωγὸς καὶ ὁ πρὸς τὴν ὁδὸν ὁδηγὸς, ἔθεον ὡς οἷοί τε ἦσαν τὸν παῖδα ἐπωμάδιον φέροντες ἐναλλάξ· καὶ γὰρ ἦν κομιδῇ νέος. Οἱ μὲν οὖν ἔφευγον, οἱ δὲ φύλακες φῶτα ᾔτουν καὶ πρὸς τὴν οἰκίαν ἀνῆσαν, ἔνθα οἱ τῶν παίδων κατέκειντο σκίμποδες. Ἐπεὶ δὲ κενὸν ἐθεώρουν τοῦ διαδράντος τὸν σκίμποδα, εὐθὺς ὡς εἶχεν ἕκαστος ἔτυπτε τὸν παιδαγωγὸν, καὶ ἐπηρώτων μανθάνειν ὅ τι καὶ γένοιτο τὸ παιδίον ξὺν τῷ παιδαγωγῷ. Ὁ δὲ ἔφερέ τε τὰς πληγὰς γενναίως καὶ οὐδὲν τῶν βουλευμάτων ἀπήγγειλεν. Ἐς τοσοῦτον δ' ἀπηνείας προῆλθον οἱ βάρβαροι ὡς καὶ τὰ σκέλη τούτου καταθλᾶσθαι ῥοπάλοις. Καὶ ἦν ἰδεῖν ὑπομονὴν ἀνδρὸς ἐκτομίου, ἀσθενοῦς μὲν τῷ σώματι, γενναίου δὲ, ὡς ἔδειξε, τὴν ψυχὴν, ἐπαίνων ἀξίαν καὶ λόγου κρείττονα. Ἀπογνόντες οὖν οἱ Βάρβαροι τούς τε ἵππους ἠύτρέπιζον καὶ τοὺς διώξοντας ἔπεμπον. Ἀλλ' οἱ μὲν οὕτω, ὁ δὲ καλὸς ὁδηγὸς, ὁδηγὸν [P. 55] φέρων ὡς ἔοικε τὸν ὡσεὶ πρόβατον ὁδηγοῦντα τὸν Ἰωσὴφ, τὸν νέον λαβὼν Ἰωσὴφ ἅμα τῷ νουνεχεστάτῳ παιδαγωγῷ πόρρω ἀπένευσε τῆς ὁδοῦ, καὶ πρός τι ὄρος συνηρεφὲς ἀνιόντες τοὺς διώκοντας κατεσκόπουν, ὁρῶντες μὲν, οὐχ ὁρώμενοι δέ. Ἐπεὶ δ' ἐκεῖνοι τὸν Σόφωνα ὑπερβάντες καὶ μέχρι τῶν τῆς Νικομήδους τεμπῶν γενόμενοι ἐπανέστρεφον, ἰδόντες τούτους παλινοστοῦντας οἱ φεύγοντες ἐξῆλθον νυκτὸς ἐκ τῶν ὀρῶν, καὶ ἤδη μειδιώσης ἡμέρας τὴν Νικομήδους κατέλαβον, καὶ οὕτω συνέβη σωθῆναι τὸν ἕνα τῶν ὁμηρευόντων ἐκγόνων τοῦ Καίσαρος. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὕστερον.

A quidem condixerunt ad certum extra munitionem locum, præcipientes ne multum a porta abscederet. Ipsi vero intus custodes observabant. Qui ubi per noctem concubiam obdormisse visi sunt cuncti, pædagogus majoris natu puerorum festivissimi Michaelis, eunuchus homo prudentissimus, nomine Leontacius, excitavit puerum et rem compositam indicavit. Mox porta reserata eduxit ex arce prius admonito pædagogo altero, ut et ipse suum alumnum expergefactum educeret. Festinavit is quidem agere, sed infelici successu. Cum enim descenderet, nescio quid strepitus acutioris e scala sonuit, quo custodes audito exsiliunt et accurrentes quid sit explorant. His ille deprehensus præsenti animo puerum offert mittendæ, ut aiebat, urinæ B duntaxat causa cubiculo egressum. Sed illi semel in suspicionem moti curiosius de cunctis inquirebant et de Michaele percontabantur. Perturbabatur ea mentione pædagogus qui intus remanserat et metuens ne retraheretur qui jam evasera', paulo altiori in responsionibus voce utebatur, quo scilicet admoniti sono qui foris erant se in tutum subducerent. Id quod **79** ita evenit. Nam cum pædagogus et rusticus viæ dux intellexissent deprehensam rem, puerum alternis in humeros sublatum (erat enim tenerrima adhuc ætate) quam longissime procurrentes asportarunt. Interim custodes quæsito lumine conclave adeunt, in quo lectuli puerorum erant, ac ubi ejus qui abierat cubile C vacuum viderunt, in miserum pædagogum pro se quisque insiliunt ac pugnis eum fustibusque pro se quisque contundentes dicere jubebant, quid de altero puero ejusque pædagogo factum esset. Ille vero fortiter plagas tolerabat nec ullum tamen iniit consilii fecit indicium. In tantum autem immanitatis provecti sunt Barbari, ut etiam crura stipitibus misero confringerent. In quo mira exstitit patientia evirati masculi, corpore quidem infirmi at fortis animo, ut præclare probavit, cujus fidem virtutemque nulla satis oratio laudaverit. Desperata igitur ex confessione pertinacissime silentis rei cognitione Barbari equos expediunt et qui retrahant fugitivos mittunt. Dum hæc geruntur, fidus viæ ductor, eum imitatus, qui deducit velut ovem D Joseph, Michaelem puerum novum Joseph humeris impositum, prudentissimo sequente pædagogo, longe a via militari in montem quemdam frondibus fruticibusque latebrosum subducit, unde tecti ipsi tutique explorare mox, ut augurabantur, exituros fugæ reprehensores possent. Vident illos ipsi non visi, atque ubi eosdem, frustra Sophone monte superato, usque ad valles Nicomediæ vicinas progressos conspexerunt irritos spei revertentes, ipsi tum per noctem nemoroso digressi vertice sub diluculum Nicomediam **80** tenuerunt. Sic elabi contigit unum ex obsidibus nepotibus Cæsaris. Sed hæc postea.

ιζ'. Ὁ δὲ βασιλεὺς Μιχαὴλ ἐπειδὴ μεμαθήκει τὴν τοῦ Ρωμαϊκοῦ στρατεύματος ἧτταν καὶ ὡς ἑάλωσαν ἄμφω ὅ τε θεῖος Καῖσαρ καὶ ὁ τούτου υἱὸς, ὁ τῶν στρατευμάτων κατάρχων Ἀνδρόνικος, φροντίσι μεγίσταις ἐβάλλετο, καὶ τὸν δοῦκα μετεπέμπετο

17. Cæterum imperator Michael postquam didicit Romani exercitus cladem, captum patruum suum Cæsarem et ejus filium exercitus ductorem Andronicum, curis maximis conflictabatur. Accersitumque ducem Constantinum ultimum filiorum Cæsa-

Digitized by Google

ris, cujus antea meminimus, virum audentis et fortis animi, trajicere confestim Propontidem jussit et reliquias, si quas posset, deleti exercitus colligere. Ille impatientissime ferens quæ patri fratrique contigerant, fremebat ut leo significabatque perlibenter se ad tale negotium accingi. Salutato igitur vespere imperatore domum recessit comparaturus se ad iter. Sed eum invadente circa noctem mediam dolore subito ignoti cujusdam languoris, vocati continuo medicorum optimi nihil omnibus artis remediis juvare laborantem potuerunt nec prohibere quo minus mane moreretur. Hoc auctarium calamitatum Cæsari fuit. Verum Urselius fiducia ex fortunæ favore concepta consilium machinabatur versutum ac profundum, licet non a Domino. Id autem erat imperatorem Romanorum eum quem captivum detinebat Cæsarem facere ac sic obire civitates easque sibi subjicere. Sic enim et Constantinopolitanorum procerum benevolentiam conciliaturum se suis partibus rebatur. Inclytus vero Cæsar primum quidem moleste ferebat et **81** propositionem indignans aspernabatur omnemque, quod aiunt, movebat funem, quo necessitatem vitaret personæ in ista fabula sustinendæ. Quando vero ipsum vi trusum ineluctabili barbarus suis rationibus serviens in mediam istam quasi scenam invitissimum conjecit, strenue agendum quod cogebatur ratus, misit clam in urbem qui suffragia prensaret fermeque omnium sententiam in suam traxit. Cunctis enim hic vir erat longe charissimus, quippe omnibus unus excellens bonis et probitate æquitateque, nulli non antistans qui tunc forent. Successisset igitur facile negotium, et ex Cæsare Augustus plenam imperii potestatem libentissima re publica ipse capessivisset, nisi divina providentia tali negotio se adversariam monstrasset. Hæc enim Nicephorum eunuchum impulit, ut eam succurrendi Romanis rebus iniret rationem, quæ Urselii Cæsarisque spebus securim inflixit capitalem. Nimirum ille nullam partem fiduciæ reliquam in Romanis exercitibus videns adjecit animum ad imploranda auxilia Turcorum. Erat Artuch dux missa donisque et pactione pecuniæ perpellit, ut bellator cum maximo exercitu expeditionem istam

A Κωνσταντῖνον τὸν ὕστατον τῶν υἱέων τοῦ Καίσαρος, οὗ πρόσθεν ὁ λόγος ἐμνήσθη, ἄνδρα τολμηρὸν καὶ γενναῖον, καὶ διαπερᾶν τὴν Προποντίδα ἐκέλευε καὶ τὸ περισωθὲν ἐκ τῆς μάχης τοῦ στρατεύματος ἀναλαμβάνειν. Ὁ δὲ μὴ φέρων τὰ ξυμβάντα τῷ πατρί τε καὶ ταδελφῷ ἔβρυχέ τε καθάπερ λέων καὶ δῆλος ἦν προθύμως τοῦ ἔργου ἀπτόμενος. Συνταξάμενος δὲ περὶ ἑσπέραν τῷ βασιλεῖ οἴκαδε ἐχώρει παρασκευασθησόμενος. Ἀλλ' ἀλγήματος αὐτῷ γεγονότος κατὰ τὴν περὶ μέσην νύκτα καὶ ἀῤῥήτου τινὸς δυσφορίας, οἱ τῶν ἀκεστόρων μετεκαλοῦντο ἄριστοι. Κατ' οὐδὲν δὲ τῆς τέχνης ἰσχυσάσης βοηθῆσαι τὸν κάμνοντα, ἔωθεν ἐτελεύτα. Τοῦτο προσθήκη τῶν συμφορῶν ἐγεγόνει Καίσαρι. Ὁ δὲ βάρβαρος ἀδείας δραξάμενος βουλὴν ἐβουλεύσατο βαθεῖαν, εἰ καὶ μὴ B παρὰ Κυρίου. Ἦ δὲ ἦν βασιλέα τὸν Καίσαρα ἀνειπεῖν Ῥωμαίων καὶ οὕτω περιέρχεσθαι τὰς πόλεις καὶ ὑποχειρίους ποιεῖν ἑαυτῷ· ἑλκύσαι γὰρ καὶ τῶν ἐν βασιλίδι τῶν πόλεων δυναμένων τὴν εὔνοιαν οὕτως ᾤετο. Ὁ δὲ κλεινὸς Καίσαρ πρῶτον μὲν ἐδυσφόρει καὶ ἠσχάλλε καὶ πάντα κἀλων, ὅ φασιν, ἐκίνει ὥστε διαδρᾶναι τὸ δρᾶμα· ἐπεὶ δ' εἰς μέσον τοῦ ἔργου αὐτὸν ὁ βάρβαρος καὶ ἄκοντα ὦθησε, γενναιότερον ἤρξατο τῶν πραγμάτων ἀντιλαμβάνεσθαι καὶ πρὸς τοὺς ἐν τῇ πόλει διεπέμπετο λάθρα, καὶ πάντων μικροῦ δεῖν τὰς γνώμας πρὸς ἑαυτὸν ἐφείλκύσατο· πᾶσι γὰρ ἦν ἐπέραστος ὁ ἀνὴρ ὡς πᾶσι κομῶν τοῖς καλοῖς καὶ καλοκαγαθίᾳ πάντων ὑπερέχων τῶν τότε. Εἰ μὴ γοῦν τὸ θεῖον ἀντιπράττον ἐφάνη, C ῥᾳδίως [P. 56] ἂν τῶν βασιλείων σκήπτρων γέγονεν ἐγκρατής. Ἀλλὰ κινῆσαν τοῦτο τὸν ἐκτομίαν Νικηφόρον σπουδαιότερον τῶν πραγμάτων ἀντιλαβέσθαι, τὰς ἐκείνων βουλὰς ἀπράκτους ἀποδέδειχεν· ἀπογνοὺς γὰρ τῆς ἐκ τῶν Ῥωμαϊκῶν στρατευμάτων βοηθείας πρὸς τοὺς Τούρκους διεπρεσβεύσατο, καὶ τοῦ Ἀρτούχ (32) τοῖς τῆς Ἐφὰς τηνικαῦτα μέρεσιν ἐπιχωριάζοντα τὸν κατ' ἐκείνων πόλεμον ἀναδέξασθαι πέπεικε, δώροις τε χρημάτων καὶ ὑποσχέσει τοῦτον παραθαῤῥύνας. Ὁ δὲ (καὶ γὰρ ἦν δεινὸς στρατηγὸς) μετὰ πλείστης ὅτι δυνάμεως κατ' ἐκείνων ἐξώρμα.

Turcorum in Orientali tunc limite. Hunc legatione bellum contra Urselium suscipiat. Ille acer alioqui suscipit.

18. Cæsar et Urselius cum intellexissent Artuchum infinitas Turcorum copias in ipsos infestas movere, conscenso jugo, in quo arx exstructa erat, quam diximus vicinam fuisse prætoriis Cæsaris (dicebatur autem illa Metabole), castra muniunt in campo longius quam latius jacente ad radices **82** Sophonis montis. Id ita instituebant metu ne circumvenirentur multitudine hostium ipsi multo pauciores, quod prohibitura videbatur angustia oblongæ planitiei quam castris insedissent, quæ castra ut muni-

D ιη'. Οἱ δὲ περὶ τὸν Καίσαρά τε καὶ τὸν Οὐρσέλιον πυθόμενοι τῶν Τούρκων τὴν ἔφοδον καὶ ὡς ὁ Ἀρτούχ πλῆθος ἀμύθητον ἐπιφερόμενος Τούρκων κατ' αὐτῶν ἔπειστιν, ὑπερβάντες τὸν λόφον ἵναπερ τὸ φρούριον ἵδρυται τὸ ἀγχοῦ που τῶν βασιλείων τοῦ Καίσαρος ὄν (Μεταβολὴ τῷ φρουρίῳ τὸ ὄνομα), πρὸς τοὺς τοῦ Σόφωνος πρόποδας πεδίον ἐφηπλωμένον ἐπίμηκες εὑρόντες ἐν τούτῳ στρατοπεδεύουσι. Δείσαντες γὰρ μὴ κυκλωθῶσιν ὑπὸ τῶν πολεμίων ὀλίγοι ὄντες ὑπὸ πολλῶν καὶ διαφθαρεῖεν, πεδίον

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(32) Ἀρτούχ. Infra n. 18 Ἀρτατούχ, idem forte qui n. 21 et Annæ p. 4 Τουτάχ. Fuit Artaeh ortu Turcomanus, a quo Artacidarum prodiit familia. Is anno Hcg. 488, Chr. 1075, una cum Tangoldulo, Aleppi seu Berrhoæ toparcha, Solymannum Nicæensem sultanum de medio sustulit, ut narrat El Macinus.

Digitized by Google

στενὸν ἐξελέξαντο, τὸν ἐκ τοῦ Σόφωνος κατιόντα ποταμὸν ἀντὶ χάρακος προβαλλόμενοι. Ὁ δὲ Ἀρτοὺχ περαιωθεὶς τὸν Σαγγάριον καὶ ἐπὶ τὴν Μεταβολὴν φθάσας, ἐπεὶ μὴ εὗρε τὸν Καίσαρά τε καὶ τὸν Οὐρσέλιον, διέβαινε καὶ αὐτὸς τὰ ἐκεῖσε στενὰ καὶ πρὸς τῇ κεφαλῇ τοῦ ὄρους γενόμενος, ὃ Μαροξὸς καλεῖται, ἐστρατοπέδευσε, κἀκεῖθεν τοὺς πολεμίους περιεσκόπει ἐγγύς που τοῦ χωρίου ὃ Τρισέα καλεῖται στρατοπεδεύοντας. Αὐτίκα γοῦν προσέβαλλε τούτοις, καὶ πρῶτον μὲν ἀκροβολισμοῖς διὰ τῶν ὑψηλῶν ἐχρῆτο, ἔπειτα εἰς λόχους τρεῖς τὸ στράτευμα διελὼν κυκλοῦν ἐπειρᾶτο τοὺς περὶ τὸν Οὐρσέλιον καὶ τὸν Καίσαρα. Ἀλλὰ κατὰ νώτου μὲν γενέσθαι οὐκ ἠδύναντο οἱ πολέμιοι, ἅτε τοῦ ὄρους τούτους ἀπείργοντος, τοῖς δὲ τριτὶ μέρεσιν ἐπετίθεντο ἰσχυρῶς, καὶ οὕτω διασπᾶν τὸ συνεχὲς τῆς τῶν Λατίνων φάλαγγος ἐπεχείρουν. Οἱ δὲ ὀλίγοι ὑπὸ τῶν πολλῶν πιεζόμενοι, καὶ τῶν ἵππων αὐτῶν τοῖς βέλεσι βαλλομένων πάντοθεν, δεῖν ᾠήθησαν ὁμόσε χωρῆσαι τοῖς πολεμίοις, ὥστε καταπλῆξαι τούτους τῷ σφοδρῷ τῶν ἵππων. Παρακαλέσαντες οὖν ἀλλήλους καὶ συνασπίσαντες ἀκρατῶς ἐξήλαυνον. Ἐκ τούτου ξυνέβη πολλοὺς μὲν τῶν πολεμίων περιπεσεῖν, αὐτοὺς δὲ κυκλωθέντας ὑπὸ τοῦ πλήθους πολλοὺς μὲν ἀναιρεθῆναι, τοὺς πλείονας δὲ ληφθῆναι. Ἑάλω δὲ σὺν τούτοις καὶ ὁ Καῖσαρ καὶ ὁ Οὐρσέλιος. Ὁ γοῦν Ἀρτοὺχ ἡσθεὶς τῇ νίκῃ τὸν μὲν Οὐρσέλιον λύτρον λαβὼν ἀπέδοτο τοῖς αὐτοῦ, τὸν δὲ Καίσαρα ἔχων ἀπῄει ὡς ἐπὶ τὴν ἄνω Φρυγίαν. Οἱ δὲ περὶ τὸν βασιλέα Μιχαὴλ [P. 57] πυθόμενοι τὰ ξυμβάντα πέμπουσι τοὺς ἐξωνησομένους τὸν Καίσαρα. Καὶ ἀποδίδωσι τοῦτον ὁ βάρβαρος συχνὰ χρήματα λαβών. Ὁ δὲ πλησίον τῆς βασιλίδος τῶν πόλεων γενόμενος καὶ δείσας μή τι καὶ πάθῃ δεινότερον, διαπεράσας πρὸς τὸ Τραχονήσιον τὸ μοναδικὸν ἀμφιέννυται σχῆμα τὴν κόμην ἀποκειράμενος, καὶ οὕτως εἴσεισι πρὸς τὸν βασιλέα Μιχαήλ. Ὁ δὲ τοῦτον ἰδὼν ὑπεκρίθη δεινοπαθεῖν.

ιθ'. Καὶ τὰ μὲν κατὰ τὸν θαυμασιώτατον Καίσαρα τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος, ὁ δὲ Οὐρσέλιος τῆς αἰχμαλωσίας ῥυσθεὶς ἀπῆει αὖθις ὡς ἐπὶ τὸν Πόντον καί τινα τῶν φρουρίων κατελάμβανε, κἀκεῖθεν ἐλύπει τὰς τοῦ Πόντου πόλεις Ἀμάσειάν τε καὶ τὴν νέαν Καισάρειαν· ἐδῄου γὰρ τὰς χώρας καὶ δασμοφορεῖν κατηνάγκαζεν. Ὁ δὴ μαθὼν ὁ βασιλεὺς Μιχαὴλ τὸν Παλαιολόγον Νικηφόρον πρὸς τὸν ἄρχοντα Ἀλανίας ἐκπέπομφεν ἄξοντα στράτευμα μισθοφόρον. Ὁ δὲ ἀπελθὼν καὶ στρατὸν ἐκεῖθεν ἀναλαβὼν περί που τὰς ἓξ χιλιάδας τὸν Πόντον κατεῖληφε καὶ τὰς ὁρμὰς τοῦ Οὐρσελίου ἀναστέλλειν ἀπεπειρᾶτο. Τῶν δ' Ἀλανῶν ἀπαιτούντων τὸν συμφωνηθέντα μισθόν, ἐπεὶ μὴ εἶχεν ἐκεῖνος, ἠναγκάσθη τῷ Οὐρσελίῳ προσβαλεῖν πρὸ τοῦ παλινοστῆσαι τοὺς Ἀλανούς. Ἀλλ' οὗτοι ἐνέκειντο τοὺς μισθοὺς ἀπαιτοῦντες, ὃν δὴ παρασχεῖν ἐκείνου μὴ ἔχοντος ὑπέστρεφον ἅπαντες, ὀλίγων δηλαδὴ καταλειφθέντων. Οἷς δὴ καὶ συμβαλὼν ὁ Οὐρσέλιος ἐτρέψατό τε τούτους καὶ οὐκ ὀλίγους ἀνεῖλεν αὐτῶν, οἱ δὲ λοιποὶ εἰς τὰς τοῦ Πόντου διεσώθησαν πόλεις. Ἀπαγγελθέντων δὲ τούτων τῷ βα-

tiora facerent, flumen ex Sophone defluens fossæ instar Turcis objecerunt. At Artuch Sangare traiecto ad juga montis arci Metabolæ imminentia progressus, postquam Cæsarem illic et Urselium non reperit, trajecit et ipse quæ ibi sunt angustias, et cum processisset ad verticem montis, qui Maroxus dicitur, castra metatus est indeque hostes observabat prope oppidum, quod Trisea vocatur, castris positis stantes. Nec moram eos aggrediendi fecit. Ac primum jaculationibus in eos ex alto utebatur. Deinde trifariam diviso exercitu circumcludere Cæsarianos et Urselianos conabatur, quibus locis ambiri poterant, nam a tergo eos protegebat mons. Verum a tribus partibus acriter instabant Turci ac consertum textum phalangis Latinorum abrumpere summa vi nitebantur. Ili vero pauci a pluribus circumventi, et equis ipsorum imbre undique ingruente sagittarum continue percussis, faciendum sibi putarunt, ut impetu erumpentes ad manus cum hostibus venirent. Sic enim iis terrorem incuti posse sperabant equestri subita procella. Exhortati ergo se invicem consertis mutuo scutis ferociter irruerunt. Ex hoc contigit multos quidem hostium cadere, ipsos vero circumventos multitudine plurimos occidi plerosque capi. Capti sunt autem cum his et Cæsar et Urselius. At Urselium **83** quidem victoria lætus Artuch accepto pretio suis reddidit, Cæsarem vero secum habens in superiorem Phrygiam abiit. Michael porro Augustus auditis quæ acciderant mittit qui Cæsarem redimerent. Dimisit autem et eum barbarus, multis pecuniis acceptis. Cæterum Cæsar appropinquans Constantinopoli et veritus, ne quid ibi atrocius pateretur, cum ad Trachonesium transfretasset, monasticam ibi vestem induit coma detonsa, et sic imperatori Michaeli se sistit, qui eum videns simulavit ægre ferre.

19. Et res quidem admirandi Cæsaris talem finem habuerunt. Urselius vero captivitate liberatus rursus abiit quasi versus Pontum et arces quasdam occupavit, unde infestabat Ponti civitates, Amaseam et Neocæsaream. Vastabat enim circumsitas iis regiones et suburbanos agros vectigaliaque sibi pendere cogebat. Quod cum cognovisset imperator Michael, Palæologum Nicephorum ad imperantem Alaniæ misit ducturum stipendiarium exercitum, qui eo profectus conscriptisque ibi copiis circiter sex millium in Pontum se contulit et impetus Urselii reprimere conabatur. Verum Alanis petentibus promissum stipendium, cum non haberet unde solveret, necessarium consilium suscepit pugnandi cum Urselio, priusquam Alani, quod minabantur, recederent. At illi vehementius instabant, ut sibi repræsentaretur **84** constituta merces, quod cum Palæologus pecunia carens facere nequisset, Alani paucis exceptis omnes abierunt. Cum reliquis autem congressus Urselius eos non paucis occisis fudit et varie in Ponti civitates fugere coegit. Quibus

Digitized by Google

Michaeli Augusto nuntiatis accersitus ab eo est præstans animi juvenis Alexius, divina providentia jam volente illustrem ejus virtutem reddere. Declaratus est enim dux summus exercitus et præfectus bello in Urselium gerendo.

20. Atque id munus ab imperatore delatum ipse quidem libenter admittebat : verum ejus mater hoc comperto omnibus modis ab eo contendebat, ut illam provinciam recusaret, aiens non utique juvenilis mentis et manus negotium esse Urselium vincere, sed viri, ejusque fortis et cum multa scientis tum plurima operati. Hæc ad Alexium mater, qui blandis ad eam persuasionibus usus impetravit commeatum abeundi. Profectus itaque est non alia re magis quam maternis apud Deum pro se precibus viaticatus. Nam ab imperatore neque pecuniam accepit in belli sumptus neque justum exercitum. Transgressus autem Pontum Paphlagoniæ Amaseæ se admovit, ubi reperit Alanos, qui ultimæ cladi superfuerant, non plures centum quinquaginta. His ad suas tenues copias adjunctis hostes coercebat, sæpe manus conserens, toties vincens. Postquam autem crebris offensionibus castigati jam non temere prodibant, remissa cura observandarum eruptionum territi hostis, admovebat se clam præsidiis Urselianorum, insidias idoneis locis celans : tum **85** quosdam ostentare se jubebat prædis palam abigendis in conspectu præsidii, ad quam speciem cum hostes exirent et prædatores sequerentur, ipse consurgens ex insidiis iter egressis ad reditum præoccupabat interclusosque circumveniens fere omnes capiebat vivos. His sæpius factis in maximam difficultatem rerum barbarum conjecit, qui justum habens exercitum prælio decernere quam primum cupiebat. Sed contrario consilio Alexius, qui parum suis copiis fideret, furtis belli, non congressibus apertis, vincere barbarum decreverat. Itaque quoties ille tanquam ad acie certandum copias coegerat, hic quiescere se velle simulabat. Et ubi aliquot dierum patientia impetum paratorum ad prælium refrigeraverat, prodibat clanculum et non longe ab hostilibus castris insidias locabat, vias præoccupans quibus commeatus inferebantur et plerosque annonam ac cætera necessaria portantium capiens. Hæc ut barbarus senserat, mittebat extemplo pabulatoribus auxilia. Sed missi incurrentes in insidias paucissimis elabentibus capiebantur omnes. Nam eos occidere nefas Alexio videbatur, cum Christiani essent.

21. Hæc sæpius ita gesta vehementer conturbabant barbarum. Nam civitates, quæ metu aut amore ipsi favebant et vectigalia pendebant, postquam desperare ejus auxilium aut non timere ipsius impetum cœperunt, lucrifacere sumptum pensitationis vel inutilis vel non necessariæ cœperunt. Quarum collationibus cessantibus inopia Urselius ingenti rei nummariæ laborans **86** consilium iniit astutum quidem, non tamen eventu felix. Cum enim accepisset erupisse Tutachum e Perside ad terras imperii vas andas cum magno exercitu Turcorum, optimum factu putavit adjungere se ipsi et tali socio adversus

A σιλεῖ Μιχαὴλ, ὁ καλὸς νεανίας μετεκαλεῖτο Ἀλέξιος, τῆς θείας προνοίας ἤδη βουλομένης ἐμφανῆ γενέσθαι τὴν αὐτοῦ ἀρετήν. Μετακληθεὶς δὲ στρατοπεδάρχης προχειρίζεται καὶ στρατηγὸς αὐτοκράτωρ τοῦ κατὰ Οὐρσελίου πολέμου.

κ'. Ὁ μὲν οὖν ἀσμένως ἐδέχετο τὰ τῷ βασιλεῖ δόξαντα, ἡ δὲ μήτηρ τούτου πυθομένη ταῦτα παραιτεῖσθαι ἠνάγκαζε τὴν ἀρχὴν, λέγουσα μὴ νεανικῆς δεῖσθαι φρενὸς καὶ χειρὸς τὰ κατὰ τὸν Οὐρσέλιον, ἀλλ' ἀνδρὸς γενναίου καὶ πολλὰ μὲν εἰδότος πολλὰ δὲ δράσαντος. Ἀλλ' ἡ μὲν οὕτως, ὁ δὲ παρακλήσεσι χρησάμενος καὶ πείσας αὐτὴν ἐξῆει ταῖς εὐχαῖς αὐτῆς ἐφοδιασθείς, μήτε χρήματα πρὸς τοῦ βασιλέως λαβὼν εἰς τὴν τοῦ πολέμου δαπάνην μήτε στράτευμα ἀξιόμαχον. Διελθὼν δὲ τὸν ἐν Παφλαγονίᾳ Πόντον B περὶ τὴν Ἀμάσειαν γέγονε, καὶ τοὺς περισωθέντας τῶν Ἀλανῶν εὑρὼν οὐ πλείους ἑκατὸν πρὸς τοῖς πεντήκοντα ὄντας, τοὺς πολεμίους ἀνέστελλε, πολλάκις μὲν αὐτοῖς προσβαλὼν, τοσαυτάκις δ' ἡττήσας. Ἐπεὶ δὲ τὰς τούτων ὁρμὰς συνέστελλεν, οὐκέτι τὰς ἐπελεύσεις [P. 58] ἐκείνων ἐτήρει, ἀλλ' ἐπιὼν πρὸς τὰ φρούρια τὰ παρ' αὐτοῦ κατεχόμενα ἐνέδρας ἐνίστα, καί τινας πρὸς διαρπαγὴν πλησίον τῶν φρουρίων ἐξέπεμπε. Τῶν γοῦν πολεμίων ἐξιόντων καὶ διωκόντων τοὺς προνομεύοντας, αὐτὸς ἐξιὼν τῆς ἐνέδρας τὰς εἰς τὸ φρούριον φερούσας ὁδοὺς κατελάμβανε καὶ τοὺς διώκοντας ἀπεῖργε τῆς πρὸς ταῦτα εἰσόδου. Συνέβαινε γοῦν μικροῦ δεῖν πάντας ζωγρεῖσθαι, ἅτε τῶν πρὸς τὰ φρούρια φερουσῶν ὁδῶν προ- C κατειλημμένων. Τούτων γοῦν συχνάκις γινομένων εἰς ἀμηχανίαν εἰσῆγε τὸν βάρβαρον. Ὁ μὲν γὰρ ἀξιόμαχον ἔχων δύναμιν ἐβούλετο μάχῃ μιᾷ κριθῆναι τὰ κατ' αὐτὸν, ὁ δὲ στρατοπεδάρχης δυνάμεως ἀπορῶν καταστρατηγεῖν τὸν βάρβαρον ἔσπευδε. Καὶ ὁπηνίκα ἐκεῖνος τὸ ἑαυτοῦ συνήθροιζε στράτευμα, οὗτος ἠρεμεῖν προσεποιεῖτο, καὶ διασχὼν ἡμέρας τινὰς ἐξῆει λάθρα καὶ οὐ πόρρω τούτου γενόμενος λόχους ἐνίστα καὶ τὰ πλεῖστα ἐνήδρευε καὶ τοὺς ἐπὶ τὸ στράτευμα διακομίζοντας ἐζώγρει. Ἀγγελλομένων δὲ τούτων τῷ βαρβάρῳ στρατιῶται ἐκεῖθεν ἐπέμποντο βοηθήσοντες. Ἀλλὰ τοῖς λόχοις καὶ ταῖς ἐνέδραις ἐμπίπτοντες μικροῦ δεῖν ἅρδην ἠλίσκοντο ἅπαντες· ἀναιρεῖσθαι γὰρ τούτους οὐχ ὅσιον ἐνομίζετο τῷ στρατοπεδάρχῃ Χριστιανοὺς ὄντας.

κα'. Ταῦτα πολλάκις γινόμενα μεγάλως ἐλύπουν D τὸν βάρβαρον· τῶν γὰρ πόλεων ὅσαι προσεῖχον αὐτῷ πρότερον φόβῳ ἢ εὐνοίᾳ τούτῳ δασμοφοροῦσαι, ἐπειδὴ ἀπογινώσκειν τῶν κατ' αὐτὸν ἤρξαντο, οὐδὲν οὐδεμία παρεῖχεν αὐτῷ. Καὶ διὰ τοῦτο χρημάτων σπανίζων βουλὴν ἐβουλεύσατο βαθεῖαν μὲν, οὐ συνετὴν δὲ ὅμως, ὡς τὸ τέλος ἀπέδειξεν. Ἄρτι γὰρ τοῦ Τουτὰχ ἐκ Περσίδος κατελθόντος ἐπὶ τῷ τὰ Ῥωμαίων ληΐζεσθαι ξὺν πλήθει Τούρκων πολλῶν, δεῖν ἔγνω προσχωρῆσαι τούτῳ κἀκεῖνον ξύμμαχον λαβεῖν κατὰ τοῦ στρατοπεδάρχου. Πέμψας τοίνυν πρότερον πρέσβεις, ὕστερον καὶ αὐτὸς παρεγένετο εἰς τὸ τῶν Τούρκων

Digitized by Google

στρατόπεδον, καὶ τῷ Τουτὰχ συγγενόμενος καὶ πίστεις λαβὼν ἀπῆλθε πρὸς τὸ φρούριον ὑποσχόμενος ἥξειν εἰς νέωτα. Ὁ δὲ στρατοπεδάρχης πυθόμενος τὴν τοῦ Οὐρσελίου πρὸς τὸν Τουτὰχ ἄφιξιν ἐξέπεμψε καὶ αὐτὸς πρέσβεις καὶ δῶρα πολυτελῆ τῷ Τουτάχ, καὶ φιλίας αὐτῷ ἀνεμίμνησκε τῆς βασιλείας Ῥωμαίων πρὸς τὸν κρατοῦντα Περσῶν, καὶ δὴ καὶ πρέσβεις ἀντιπεμφθῆναι ἠξίου τοὺς μάλα πιστοτάτους αὐτῷ, ὡς ἔχων τι μηνύειν μυστικῶς οὐ μικρὰν αὐτῷ τὴν ὄνησιν φέρον. Ὁ δὲ τοῖς δώροις ἡσθεὶς καὶ ὅστις εἴη μαθὼν εὐθὺς αὐτῷ τὸν πιστότατον πέπομφε. Ἐπεὶ δ' εἰς Ἀμάσειαν ἦκε, φιλοφρόνως [P. 59] αὐτὸν ὁ στρατοπεδάρχης ὑπεδέξατο καὶ οὕτως αὐτὸν ᾠκειώσατο δῶρα διδοὺς καὶ θαμὰ ὁμιλῶν (ἦν γὰρ εἴπερ τις ἄλλος ἐν λόγοις ἡδύς) ὡς μεγίστην εὔνοιαν πρὸς αὐτὸν τὸν βάρβαρον κτήσασθαι. Τούτου οὖν γενομένου τοιῶνδε πρὸς αὐτὸν ἤρξατο λόγων, « Φίλοι μέν, » λέγων, « ὦ τάν, ὅ τε βασιλεὺς Ῥωμαίων καὶ ὁ σουλτάνος, ὁ δὲ Οὐρσέλιος ἀμφοῖν ὑπάρχει ἐχθρός. Σίνεται μὲν γὰρ τὰ Ῥωμαίων, ἐπιτίθεται δὲ καὶ τοῖς Τούρκοις. Καὶ νῦν ἰδὼν τὸν σὸν ἀμυρὰν προσελθόντα, ὥσπερ δείσας μὴ ὑπ' ἀμφοτέρων ἀναλωθείη, προσωπεῖον ὑποδὺς ἀγάπης ἀφίκετο πρὸς αὐτὸν τὸν καιρὸν ἐξαγοραζόμενος. Ἐπεὶ δ' ἂν οὗτος παρέλθῃ, ἐχθρὸς ἔσται πάλιν τῶν Τούρκων ὁποῖος καὶ πρότερον ἦν. Ἀλλ' εἴ τι ἐμοὶ πείθεται, ἀφικόμενον αὖθις αὐτὸν ἀποδότω μοι χρημάτων πολλῶν· τρία γὰρ ἐκ τούτου κερδανεῖ τὰ μέγιστα, χρημάτων πλῆθος, οἰκειότητα πρὸς βασιλέα Ῥωμαίων ἀφ' ἧς μεγάλας ἕξει εὐεργεσίας, καὶ τρίτον τὸ τὸν σουλτάνον ἡσθῆναι τῶν Τούρκων ἀποσκευασάμενον τὸν ἐχθρόν. »

26. At Basilacis patruelis Manuel cum in tumulum quemdam ascendisset, animabat quod supererat phalangis, clare vociferans Basilacis diem illam et victoriam esse. Hunc conspicatus Basilius quidam Curtices, vir Macedo e Bryennii familiaribus, equo incitato conscendit ad eum in tumulum : et illo ensem in hunc stringente, hic, clavæ ictu in illius galeam superne incusso, dejecit ex equo virum et captivum ad domesticum scholarum generosum Alexium duxit ; quo facto cum jam phalanx quoque appareret Alexii, quidquid circa Basilacem stabat adhuc, terrore aversum in fugam est. Quos inter ipse Basilaces cursu maximo repetebat civitatem unde prodierat, strenue persequente Alexio. Cui

* Ἰδίους. Indicavi lacunam, quanquam fortasse nil excidit nisi ἦν post ὑποστρέφων. *Editor Bonnens's.*

Digitized by Google

spectaculo non immerito quis aptaverit Homericum illud de Achille scriptum et Hectore :

155 *Ante fugit fortis, quem a tergo fortior urget.*

Erat enim vere Alexius et manu fortis et animo, ex nobilibus ortus et in altum apicem gloriæ facinoribus heroicis elatus.

27. Cæterum urbe conclusum Basilacem circumsidens cum exercitu Alexius servare cupiebat. Quare ad ipsum misit qui suaderet ut fide accepta nihil mali se passurum, se ac civitatem dederet. Functus ista legatione est vir bonus et ornatus, religiosæ vitæ professor celebris, præfectus monasterii Xenophontis in Atho monte, ille optimus ac laudatissimus Symeon, qui tamen, cum allegasset multa Basilaci, nihil profecit. Felicius tractavit cum Basilacis militibus et urbis civibus Alexius. Ili enim ipsi civitatem tradiderunt, Basilace in arcem fugiente ac ibi obstinate resistente, quoad qui cum eo erant, malis coacti, vinctum ipsum Comneno tradiderunt. Quo facto ingressus urbem Alexius multam Basilacis pecuniam victor occupavit. Inde nuntiis ad imperatorem missis, qui Basilacem captum nuntiarent, ipse mansit in civitate diebus aliquot, moxque rebus illic constitutis, splendidis clarus tropæis reversus est.

28. Hæ Alexii res gestæ facile demonstrant quam parum fidendum fortunæ sit, quando ea maxime blanditur. Præterea quam recte dixerit **156** Euripides : *Mens una sapiens plurimas vincit manus.* Cujus sententiæ non alia efficacior quam ex hisce Alexii operibus comprobatio est; siquidem in iis cernitur unum hominem una mente sapienti consilio prædita, acerrimos et gloriosissimos Romanorum duces fortissimis et numerosissimis succinctos copiis brevissimo tempore debellasse collapsamque omnium confessione rem publicam et dejectos animos militum partes imperatoris sequentium excitasse in melius atque erexisse. Basilaci porro, ut diximus, capto occurrerunt quidam ab imperatore missi inter Philippos et Amphipolim. Hi cum Comneno litteras ab imperatore reddidissent, acceptum ab eo ut iis præscribebatur Basilacem seorsum abduxerunt ad vicum quemdam Chempinam dictum, in quo perspicui fontis scaturigo est. Ibi ei oculos effodiunt : ex qua miseri calamitate fons ibi oriens deinceps Basilacii adjuncto nomine insignitus est. Appulsum vero Constantinopolim Comnenum imperator honorificentissime excepit ac sebasti dignitate decoratum donis et possessionibus auxit perliberaliter.

29. Rediit eodem tempore Antiochia frater hujus Isaacius Comnenus, qui imperatoris simplicitate cognita, mittendis sæpius ad eum muneribus pannorum et tolarum in Syria textarum, tantam ejus gratiam in se attraxerat, **157** ut et multis ab eo

τις κάνταῦθα τὸ ἔπος ἁρμόσειε τὸ Ὁμηρικὸν, ὃ περὶ Ἀχιλλέως ἐκεῖνος καὶ Ἕκτορος ἔφησε, τὸ,

Πρόσθε μὲν ἐσθλὸς ἔφευγε, δίωκε δέ μιν μέγ' ἀμείνων.

[P. 102] Καὶ γὰρ ἦν ἐκεῖνος γενναῖος κατὰ χεῖρά τε καὶ κατὰ ψυχήν· καὶ γὰρ ἐξ εὐγενῶν φὼς εἰς μέγα κλέος ἤρθη ταῖς ἀνδραγαθίαις.

κζ'. Συγκλεισθέντα δὲ τοῦτον τῇ πόλει ὁ Κομνηνὸς Ἀλέξιος ἔξω στρατοπεδεύσας καὶ διασώζειν τὸν ἄνδρα ἐθέλων, ἐπρέσβευε πρὸς αὐτὸν, ὥστε τὰ πιστὰ λαβόντα τοῦ μηδέν τι ἀνιαρὸν πείσεσθαι ἐγχειρίζειν αὐτῷ καὶ ἑαυτὸν καὶ τὴν πόλιν. Ὁ δὲ πρεσβεύων ἦν ἀνὴρ ἀγαθός τε καὶ κόσμιος, ἀσκητικοῖς διαλάμπον κατορθώμασιν. Ἦν δὲ ὁ καθηγούμενος τῶν ἐν τῇ Ἄθῳ τοῦ Ξενοφῶντος μονῇ μοναχῶν Συμεὼν ὁ πανάριστος· ὃς πολλὰ παρακαλέσας τὸν Βασιλάκην οὐκ ἔπεισεν. Ἀρξαμένῳ οὖν ἤδη τῷ Κομνηνῷ προσχωρεῖν μετὰ τῶν ξὺν τῷ Βασιλάκῃ στρατιωτῶν καὶ τῶν πολιτῶν τὴν πόλιν ἐγχειρισάντων αὐτῷ, ἐκεῖνος ἔμενεν ἔτι κρατῶν τὴν ἀκρόπολιν, ἕως οἱ περὶ αὐτὸν βιασθέντες συλλαβόντες τῷ Κομνηνῷ ἐνεχείρισαν. Εἰσελθὼν οὖν ἐν τῇ πόλει πολλῶν χρημάτων ἐκείνου γέγονε κύριος. Ἀγγέλους οὖν πρὸς τὸν βασιλέα πέμψας τὴν τοῦ Βασιλάκη μηνύοντας ἅλωσιν, αὐτὸς ἔμενεν ἐν τῇ πόλει ἡμέρας τινάς, καὶ τὰ ἐν αὐτῇ καταστήσας ἐπάνεισι μετὰ λαμπρῶν τροπαίων.

κη'. Ἔδειξεν οὖν καὶ τὰ παρ' ἐκείνου πραχθέντα ὡς χρὴ μὴ πάνυ τι πιστεύειν τῇ τύχῃ καὶ μάλιστα ἐν ταῖς εὐπραγίαις. Καὶ μὴν καὶ τὸ παρ' Εὐριπίδῃ καλῶς εἰρῆσθαι δοκῶ, ὡς *Ἓν σοφὸν βουλεύμα τὰς πολλὰς χέρας νικᾷ*, τότε δ' αὐτῶν τῶν ἐκείνου ἔργων τὴν πίστιν εἴληφεν. Εἷς μὲν ἄνθρωπος καὶ μία γνώμη τοὺς δεινοτάτους τῶν στρατηγῶν Ῥωμαίων εἰς μέγα κλέος ἀρθέντας καὶ τὰ μυριόλεκτα πλήθη τῶν στρατευμάτων ἐν βραχεῖ καθεῖλε καιρῷ, τὸ δὲ προφανῶς πεπτωκὸς, πολίτευμα καὶ τὰς ἀπειρηκυίας ψυχὰς τῶν ἐπὶ τὸν βασιλέα δυνάμεων ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἦγαγε καὶ ἀνύψωσε. Τὸν μὲν οὖν Βασιλάκην πεμφθέντες πρὸς βασιλέως τινὲς συναντῶσι μεταξὺ Φιλίππων καὶ Ἀμφιπόλεως, καὶ τὰ ἐκ βασιλέως [τῷ Κομνηνῷ χειρίσαντες γράμματα, περί τι χωρίον ἀπαγαγόντες (Χεμπίναν τούτῳ τὸ ὄνομα) ὅπερ καὶ πηγὴ ἀναδίδοται διειδὴς, τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ διορύττουσι, καὶ ἡ πηγὴ ἔκτοτε Βασιλακία πηγάδιον ὀνομάζεται. Τὸν δὲ Κομνηνὸν περὶ τὴν Κωνσταντινούπολιν γενόμενον ὁ βασιλεὺς ἐντίμως δεξάμενος σεβαστὸν τετίμηκε καὶ πολλῶν κτήσεων δωρεαῖς ἐφιλοφρονήσατο.

[P. 103] κθ'. Ἐν τούτῳ ὁ ἐπανῆκεν ἐκ τῆς Ἀντιοχέων καὶ ὁ τούτου ὁμαίμων ὁ Κομνηνὸς Ἰσαάκιος, ὃς τὴν βασιλέως ἁπλότητα διαγνοὺς καὶ ὡς χάριν ** τῶν ἐκ Συρίας ὑφασμάτων, συχνάκις τοιαῦτα δίδους τοσοῦτον τὴν βασιλέως ἐπεσπάσατο εὔνοιαν ὡς καὶ

* *Iliad*, KB, v. 158.

** Χάριν, Requiro verbum a quo pendeat genitivus τῶν ὑφασμάτων. *Editor Bonnensis.*

Digitized by Google

κτήσεων κατακυριεῦσαι πολλῶν, καὶ Σεβαστὸν ἀποδειχθῆναι διὰ χρόνου βραχέος, καὶ οἰκίαν ἐν βασιλείοις λαβεῖν ἐπὶ τῷ προσμένειν. Ἐχρῆτο δ' αὐτῷ κἀν ταῖς κρίσεσι κἀν ταῖς ἀποφάσεσι· καὶ γὰρ ἦν ὀξύς τε θηρᾶσαι ἀλήθειαν καὶ τὸ ῥηθὲν ἀπαγγεῖλαι τρανῶς ἐπιῤῥόθιος. Οὗτος τοῖς βασιλείοις προσμένων τὴν βασιλέως ἁπλότητα ἐθεράπευε καὶ ὅλως εἶχε τοῖς ἑαυτοῦ χείλεσιν ἐκκρεμάμενον.

λ'. Ὁ Κομνηνὸς δ' Ἀλέξιος ἐξῆει αὖθις ἐπὶ τὸ τὰ τῆς οἰκείας ἀρχῆς ἐπικέψασθαι. Πρὸς τὴν Ἀδριανοῦ δὲ πόλιν γενόμενος καὶ ἡμέρας ἐκεῖσε ἐνδιατρίψας τινὰς, καὶ μαθὼν ὅτι τὸ Σκυθικὸν γένος ἐξωπλίζετο, ὥστε τὰ Βουλγάρων ληΐσασθαι ὅρια, τὸ στρατιωτικὸν ἅπαν συλλέξας καὶ ὅσον ἐν ἡγεμόσι καὶ ἄρχουσι πρὸ; τὴν Φιλίππου παρεγένετο πόλιν, κἀκεῖθεν τὰ περὶ τοὺς Σκύθας πυθόμενος ὡς ἐκδραμόντες τὰ μεταξὺ Ναΐσσου καὶ Σκούπων πορθοῦσι χωρία, σπουδαίως κατ' ἐκείνων ἐχώρει. Παρελθόντος δ' ἐκείνου τὴν Σαρδικὴν, οἱ Σκύθαι, τὴν ἐκείνου κατ' αὐτῶν πυθόμενοι ἔλευσιν, τὴν λείαν καταλιπόντες ἔφευγον καθάπερ εἶχον δυνάμεως. Ἀπελάσας δὲ τούτου; ἐκεῖθεν πρὸ; τὴν Φιλίππου αὖθις ἐπάνεισι, καὶ τὰ κατὰ τὴν χώραν εὖ διαθέμενος καὶ τὰς πόλεις ἐν βραχεῖ καιρῷ τὴν ἁπάντων εὔνοιαν ἐπεσπάσατο· καὶ γὰρ ἦν πρὸς τῷ ἐλευθερίῳ καὶ ἐπαγωγὸν ἦθος ἔχων ὁμιλῆσαί τε πάντων ἀνθρώπων ἡδύτατος. Ταῦτα διαπραξάμενος ἐπανῆκε πρὸς τὸ Βυζάντιον, καὶ ὁ βασιλεὺς χαριέντως αὐτὸν ὑπεδέχετο.

λα'. Ἐν ὅσῳ δὲ ταῦτα ἐπράττετο, ὁ Μελισσηνὸς Νικηφόρος ἀνὴρ εὐγενὴς, ὡς ὁ λόγος ἐγνώρισεν ἄνωθεν, ἐκ κήδους ὢν ᾠκειωμένος τοῖς Κομνηνοῖς (καὶ γὰρ ἔφθη συναφθῆναι τὴν τούτων ἀδελφὴν Εὐδοκίαν), περὶ τὴν Κῶ διατρίβων, τὰς Τούρκων δυνάμεις καὶ τοὺς Τούρκων ἄρχοντας ἑλκύσας πρὸς ἑαυτὸν, περιῄει τὰς τῆς Ἀσίας πόλεις τὰ κοκκοβαφῆ ὑποδησάμενος πέδιλα. Οἱ γοῦν πολῖται ὡς βασιλεῖ Ῥωμαίων σφᾶς τε αὐτοὺς καὶ τὰς πόλεις αὐτῷ παρεδίδουν. Ὁ δὲ καὶ ἄκων τοῖς Τούρκοις ἐνεχείριζεν, ὡς συμβῆναι διὰ βραχέος καιροῦ κἀκ τούτου τοῦ τρόπου πασῶν τῶν περὶ τὴν Ἀσίαν τε καὶ Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατίαν πόλεων κατακυριεῦσαι τοὺς Τούρκους. Ξὺν στρατεύματι γοῦν πλείστῳ τὴν ἐν Βιθυνίᾳ Νίκαιαν καταλαμβάνει, κἀκεῖθεν τῆς βασιλείας ἀντεποιεῖτο [P. 104] Ῥωμαίων. Ὁ Βοτανειάτης δὲ ταῦτα πυθόμενος τὸν Κομνηνὸν μετεκαλεῖτο Ἀλέξιον, καὶ ἐκέλευε τοῦτον σὺν ταῖς δυνάμεσι τὸν πορθμὸν διαπεραιωθέντα τὸν Χαλκηδόνειον κατ' ἐκείνου στρατεύειν. Ὁ δ' ἀπελέγετο τὴν κατ' ἐκείνου στρατείαν συνετῶς ἄγαν· ἐδεδίει γὰρ τὴν βασιλέως κουφότητα καὶ τὴν τῶν περὶ αὐτὸν πονηρίαν ὁμοῦ καὶ τὸν φθόνον, μή ποτε τοῦτον προσπταῖσαι ξυμβαίη κατὰ πολὺ τῆ; τῶν Τούρκων δυνάμεως ἐλαττούμενον, καὶ οἱ πονηροὶ λαβὴν εὑρόντες διαβάλωσι τροῦτον πρὸς βασιλέα ὡς διὰ τὸ κῆδος προδιδόντα τὴν μάχην. Ὁ βασιλεὺς τοίνυν, ἐπεὶ πολλὰ παρακαλέσα, τοῦτον οὐκ

possessionibus ditatus et sebasti appellatione ornatus brevi tempore fuisset : præterea jus domicilii in regiis ædibus et partem palatii in qua diversaretur assignatam accepisset. Utebatur autem ejus opera imperator et in judiciis et in responsis; nam et acutus erat in indaganda veritate et in enuntiando clare ac nitide quod oporteret in primis exercitatus. Illic in palatio diversans simplicem imperatoris animum artibus sibi notis facile deliniebat ex ore suspensum suo.

30. Interim Comnenus Alexius in sibi commissam provinciam ejus visendæ curandæque gratia profectus, cum Adrianopolim venisset, paucos ibi dies moratus certior factus est Scythas in Romanos armari jamque fines Bulgariæ latrociniis ipsorum agi ferrique. His cognitis quidquid copiarum ad manum fuit raptim contrahit, duces præsertim ac tribunos, cum quibus omnibus Philippopolim se contulit, ubi distinctius edoctus de rebus Scytharum, cum comperisset deprædari eos ac vastare oppida quæ Naisum et Scuppas interjacent, strenue in eos vadit. Cæterum eo jam Sardicam prætergresso, Scythæ, illius adventu cognito, effuse in fugam se dederunt, præda derelicta. Quibus inde pulsis Alexius Philippopolim revertitur positaque opera in pacanda regione urbibusque ordinandis, omnium brevi sibi benevolentiam conciliavit. Nam præterquam liberalis etiam cætera comitate congressus mire pellax erat, blanditia vero sermonis omnium hominum suavissimus. **158** Cunctis igitur e sententia confectis Byzantium redit, grate illic ac benevole exceptus ab imperatore.

31. Porro dum hæc fierent, Melissenus Nicephorus vir nobilis, ut superius est dictum, et affinitate Comnenis junctus (nam horum sororem Eudociam uxorem duxerat), circa Coam insulam diversans, conciliatis sibi ad seque attractis Turcorum copiis et Turcorum ducibus, circuibat Asiæ urbes, rubris calceis indutus, ac passim illarum cives ei velut Romanorum imperatori se suasque dedebant civitates : ille autem invitus licet eas Turcis tradebat ita ut hoc modo contigerit brevi tempore urbes Asiæ, Phrygiæ ac Galatiæ universas in Turcorum venire potestatem. Ipse porro magno exercitu Nicæa Bithyniæ occupata, inde imminebat imperio Romano. His Botaniates cognitis Comnenum Alexium accersit jubetque Chalcedonensi fretro cum copiis trajecto adversus Melissenum expeditionem suscipere. At hic istam militiam deprecabatur, prudenti sane consilio; verebatur quippe levitatem imperatoris et eorum, qui plurimum apud ipsum valebant, fraudes ac nequitiam invidiamque in sese non obscuram. Metuebat igitur ne si quid forte eo bello offenderet, quod proclive erat in tanto majori Turcorum exercitu, malevoli arrepta nocendi ansa, diffamarent ipsum apud imperatorem **159** velut in gratiam Melisseni affinis sui rem de industria male gessisset. Imperator ergo postquam verbis in ista expeditione Alexio suadenda multis pueritiis adducere ipsum quo vo-

Digitized by Google

lebat nem potuit, miratus constans ejus propositum, jussit ad extremum copias eum tradere protovestiario. Erat is eunuchus Joannes jam ante imperium Botaniatæ administer charus, homo gloriæ appetens si quisquam alius, sed levis idem et ingenio parum firmo.

52. Ad hunc Comnenus Chrysopoli freto trajecto copias adducit et plerosque ducum ac tribunorum. Qui ægre ferentes eunuchi ductui permitti rursus Comnenum obsecrabant, ut venire secum ac imperare sibi vellet, quod diu feliciter fecerat. Ille autem eos consolatus excusavit isti bello præesse se non posse propter memoratam causam. Traditis igitur eunucho copiis, ei valedicens mox recessurus, alacritate juvenili excursionem equestrem in digressu ludere voluit : itaque laxatis equo habenis tantum campi percurrit quantum ejusmodi ludicris equestribus pervolari solet. Quo eunuchus Joannes viso, imitari et ipse ac parem agilitatis gloriam auferre studens, oblitus quam inferior dexteritate Alexio esset, equum in conspectu exercitus effudit in cursum. Risus autem coortus est omnium ; cunctis, « Clu clu, » exclamantibus, quæ popularis vox est eunuchos irridentium, Comneno per se suosque tale ludibrium quanta potuit maxima diligentia compescente.

ἔπειθεν, ἀγασθεὶς τὸ τούτου στερρὸν τοῦ φρονήματος τὰς δυνάμεις παραδιδόναι τῷ πρωτοβεστιαρίῳ ἐκέλευεν. Ἦν δ' οὗτος ὁ ἐκτορίας Ἰωάννης, πάλαι τούτῳ πρὸ τῆς βασιλείας ὑπηρετῶν. Φιλόδοξος δὲ ἦν εἴπερ τις ἄλλος καὶ τὸ ἦθος φέρων οὐ στάσιμον.

λβ'. Ὁ Κομνηνὸς οὖν διαπεράσας ἐν Χρυσουπόλει πρὸς αὐτὸν παρεδίδου τὰ στρατεύματα καὶ τῶν ἀρχόντων τοὺς πλείστους. Οἱ δὲ βαρέως τοῦτο φέροντες τὸν Κομνηνὸν αὖθις ἀνεκαλοῦντο, συνήθη τοῦτον ἐκ μακροῦ ἔχοντες. Ὁ δὲ κατέστελλεν αὐτοὺς, μὴ βουλόμενος τὸ τοιοῦτον ἀναδύσασθαι ἔργον διὰ τὴν ῥηθεῖσαν αἰτίαν. Παραδοὺς τοίνυν τὰ στρατεύματα πρὸς τὸν ῥηθέντα ἐκτορίαν, εἶθ' οὕτως συνταξάμενος τούτῳ, ἐπειδὴ ὑποχωρεῖν ἔμελλεν, οἷα τὰ τῆς νεότητος, καὶ τοῖς στρατιώταις συντακτήριον ἱππασίαν ἱππάσασθαι ἤθελεν. Ἐνδοὺς ὅλους ῥυτῆρας, ὁπόσον διάστημα ταῖς τοιαύταις ἱππηλασίαις προσήκει, ἐξιππασάμενος ἔστη. Ὁ γοῦν ἐκτορίας Ἰωάννης ἐπιλαθόμενος οἷον ἑαυτοῦ καὶ τὸν χαλινὸν ἐνδοὺς ἁπάντων ἐνώπιον καὶ αὐτὸς ἤλαυνεν. Εὐθὺς δὲ γέλως ὦρτο πολὺς παρὰ πάντων, καὶ καταμωκησάμενοι τούτου τὸ συνήθως τοῖς ἐκτορίαις ἐπαγόμενον, « Κλοῦ κλοῦ (57) » πρὸς τοῦτον ἔλεγον (*s*). Οἱ δὲ περὶ τὸν Κομνηνὸν ἐπιμελῶς τούτους κατέστελλον.

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(57) *Κλοῦ κλοῦ.* Cum ejusmodi explosione eunuchis solum, ut satis indicat Bryennius, illuderent Byzantini, propriam et peculiarem isti potissimum hominum generi fuisse oportet, qua scilicet semivirorum vitia et defectus, quibus distinguuntur a cæteris hominibus, suggillabant, viri nempe exsectionem vel imberbe mentum vel denique vocem exilem et gracilem. Sed vid est ut ex hisce castratorum vitiis quodpiam denotasse Byzantinos censeam. Nec enim placet eorum sententia, qui putant non tam venæ ipsius, ut verbo Martialis utar (l. IV, ep. 66, et l. VI, ep. 49) exsectionem, quam mittendæ urinæ castratis et exsectis omnino, senio præsertim confectis, familiarem modum ludibrio isto exsibilasse, in quibus aiunt diducto laxatoque præ ætate spinctere, emissam guttatim urinam cum reddere sonum, quam inversæ lagenæ solent efficere, quod in cæteris, uti volunt, viris secus se habet, in quibus οὖρος ipso venæ meatu et canali longius emittitur. Vetus epigramma de rustico ebrio, qui amphoram vinariam fregerat, l. IV Epigr. vet. :

Percutit et frangit vas, vinum defluit, ansa
Stricta fuit, glut glut murmurat unda sonans.

Verum itane se res habeat, medicorum filii disquirant. Quid si per κλοῦ κλοῦ Græci posterioris ævi vocabulo forte apud vulgus recepto pro κλῶθε, spadones et eunuchos suggillarunt, cum præcipuum illorum fuerit munus cum feminis versari, puellarum et nuptarum invigilare custodiæ et ut ait Corippus :

Conservare domum sanctumque intrare cubile,

ita ut Byzantini imbellem et effeminatum istum ducem ad lanarum pensa, ut eunuchum decebat, ablegarint, quemadmodum olim Sophia Augusta Narsetem spadonem Italiæ præfectum et Claudianus Rufinum eunuchum his versibus :

.... Quid te turpissime bellis
Inseris, aut sævi pertentas pallada campi?
Tu potes alterius studiis hærere Minervæ,
Tu telas, non tela pati, tu stamina nosse,
Tu segnes operum solers urgere puellas,
Et niveam dominæ pensis involvere lanam.
Arma relinque viris.

Sed non est cur ad conjecturas recurramus, cum ipse se offerat caporum, id est, gallorum castratorum seu *seminarium*, uti vocantur a Varrone, glocitus, quo illi utuntur maxime, cum iis sub-

Petri Possini notæ.

s) *Τὸ συνήθως τοῖς ἐκτομίαις ἐπαγόμενον « κλοῦ κλοῦ πρὸ τοῦτον ἔλεγον.* Populari usu apud Græcos exsibilandum vox erat κλοῦ κλοῦ. Id Hesychius innuit verbo κλώζειν, ubi sic annotat : Κλώζειν τὸ ἐκβαλεῖν ἐκ τῶν θεάτρων. Κλωγμοὺς γὰρ ἔλεγον κατὰ μίμησιν τῶν γινομένων ἐν τοῖς στόμασι φόφων, οὓς (lego οἷς) πρὸς τὰς ἐκβολὰς ἐχρῶντο τῶν ποιητῶν. Et paulo superibus, κλωγμὸς ὁ διὰ τῆς γλώττης περὶ τὸν οὐρανίσκον ψόφος ὃν λακτίζειν (fortasse κλάκτιζειν) τινες φασιν, οἷον οἱ ὀνηλάται κυρίως. Ex his apparet eo sono qui allisa ad palatum lingua frangitur usos esse Græcos ad significandum contemptum in poetas, tibicines, aut id genus artifices, qui certaminibus publicis in scenam producti non satisfaciebant, et videlicet in alios invidiam popularem quavis ex causa meritos. Quia vero extremis hisce temporibus Orientalis imperii senescentis rariora videntur exhibita Constantinopoli istiusmodi spectacula ludorum et scenarum, plerumque autem in offensionem publicam incurrebant potentes apud dominos rerum eunuchi, sæpe licebat ut id genus potissimum hominum isto ludibrio traduceretur, adeo ut propria ipsorum hæc explosio videretur esse, prout indicat Bryennius hoc loco.

Digitized by Google

λγ'. Ὁ μὲν οὖν Ἀλέξιος πρὸς τὸν βασιλέα ἀπῆει ἐν τοῖς βασιλείοις διάγοντα, ὁ δὲ ἐκτομίας σὺν πάσαις δυνάμεσιν ὥρμησε κατὰ τοῦ Μελισσηνοῦ, καὶ τὰ Βιθυνῶν διελθὼν ὅρια ἐστρατοπέδευσε περί τι καστέλλιον ὃ καλοῦσι Βασιλέα, πλεῖον ἢ τεσσαράκοντα σταδίων Νικαίας ἀπέχον. Ἐκεῖσε δὲ γενομένῳ συνεβούλευον ὅ τε Παλαιολόγος καὶ ὁ τούτου ἐξάδελφος Κουρτίκης ληΐσασθαι τὰ παρατυχόντα ἄχρι Νικαίας ὑποστρέψαι δὲ διὰ τῆς παραλιμνίου καὶ πολιορκῆσαι τὸ τοῦ κυροῦ Γεωργίου καστέλλιον. Ὃ δὴ καὶ καταλαβόντες αὐτίκα κατέσχον. Εἶτα ἐπεὶ βουλῆς ἐδεῖτο τὰ πράγματα [P. 103] ἐπὶ ξυροῦ ἱστάμενα, ἅπαντες οἱ τοῦ στρατοῦ λογάδες εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ ἐκτομίου γενόμενοι διεσκοποῦντο, εἴτε τὴν Νίκαιαν πολιορκῆσαι δεῖ, εἴτε εἰς τὸ Δορύλαιον ἀπελθόντας μετὰ τοῦ Σουλτάνου συνάψαι πόλεμον. Ἐπεὶ δὲ ὁ Παλαιολόγος Γεώργιος καὶ ὁ τούτου ἐξάδελφος Κουρτίκης ἀσύμφορον τὸν τῆς Νικαίας πόλεμον ἐσίγων, τοῦτό τινες τῶν τοῦ ἐκτομίου Ἰωάννου φωρασάμενοι ὑποψιθυρίζουσι κατ' αὐτῶν καὶ ἄλλα κατειπόντες αὐτῶν, εὐθὺς ἀπεφοίβασεν ὁ ἐκτομίας πρὸς ἅπαντας· « Τὴν ἐξουσίαν τῶν ταγμάτων ἐμοὶ ἀνέθετο ὁ βασιλεὺς, καὶ ὅπως ἂν αὐτὸς κρίνω τοῦτο δέον ἐστὶ γίνεσθαι. »

A **160** 33. Sic Alexius ad imperatorem in palatium rediit. Eunuchus vero cum omnibus copiis adversus Melissenum movit ac fines Bithyniæ transgressus castra posuit circa munitiunculam quamdam, cui Basilea nomen est, plus quadraginta stadiis Nicæa distantem. Ibi suadebant novo duci Palæologus et hujus sororis filius Curtices, ut obvia quæque vastaret Nicæam usque ac reversus per eram stagni obsidione cingeret castellum divi Georgii, a I quod cum venissent statim illud occuparunt. Inde quoniam consilio erat opus rebus in acie periculi stantibus, cuncti exercitus ductores in prætorium eunuchi convenientes deliberabant oppugnandane Nicæa foret, an esset consultius proficisci recta Dorylæum versus et ibi prælium cum Sultano committere. Quoniam vero Palæologus Georgius, et hujus ex sorore nepos Curtices alia omnia suadentes de oppugnatione Nicææ tanquam intempestiva et eo rerum statu inconveniente tacebant, hoc quidam ex Joannis familiaribus animadverso, murmurare in ipsos cœperunt, alia quoque congerentes quibus suspectos eos redderent. Tunc eunuchus elata voce sublato supercilio ad omnes pronuntiavit : « Mihi hujus exercitus imperium ab Augusto commissum est, quod ego decrevero hoc est agendum. »

B

λδ'. Ὡς δὲ ἐθεάσατο ὁ Παλαιολόγος τὸν κατὰ τῆς Νικαίας πόλεμον προκριθέντα καὶ πάντας πρὸς τὰ ὅπλα ἤδη χωρήσαντας, στοχασάμενος, ὡς περὶ τὰ στρατιωτικὰ πολλὴν ἐμπειρίαν κεκτημένος, τοῦ ἀποβησομένου, παῤῥησιασάμενος αὐτός τε καὶ ὁ Κουρτίκης φησίν· « Οὐδ' αὐτοὶ ἀγνοοῦμεν ὅτι σε τῶν ταγμάτων ὁ βασιλεὺς ἡγεμόνα προεχειρίσατο, καὶ διὰ τοῦτο τὰ πολλὰ ἐσιγῶμεν. Νῦν δὲ ὑφορώμενοι τὸν προκείμενον κίνδυνον καὶ τὴν ἐκ βασιλέως ἐς ὕστερον ἐπενεχθησομένην ἡμῖν ὀργὴν δεδιότες ἐπὶ πλεῖον σιγᾷν οὐ δυνάμεθα. Ἴσθι τοίνυν ὡς, ἡνίκα τῇ Νικαίᾳ πλησιάσωμεν καὶ ταύτης ἀπόπειραν ἐπιχειρήσωμεν ποιεῖσθαι, οἱ τολμηρότεροι τῶν στρατιωτῶν πληγήσονται, οἱ δὲ καὶ ἀναιρεθήσονται· δεινὸς γὰρ ὁ ἀπὸ τῶν ἐπάλξεων τοῖς ἔξωθεν πόλεμος. Οἱ δὲ ἔξωθεν κείμενοι Τοῦρκοι, τῆς πολιορκίας ταύτης αἰσθόμενοι, εὐθὺς καθ' ἡμῶν χωρήσουσιν. Ἡμεῖς δὲ πρός τε τοὺς ἀπὸ τῶν τειχῶν ἡμᾶς βάλλοντας καὶ τῶν πυλῶν ἐξιόντας πρός τε τοὺς ἔξωθεν καθ' ἡμῶν ἐπεισπεσόντας ἀντέχειν μὴ δυνάμενοι, ἐξ ἀνάγκης ὀπισθόρμητοι γενώμεθα. Καὶ οἱ μὲν τοὺς τετρωμένους τῶν ἰδίων ἀναλαβόμενοι ἐφ' ᾧ θεραπεῦσαι αὐ-

34. Ut autem vidit Palæologus prævalere consilium oppugnandæ Nicææ **161** et cunctos ad id armari, providens pro longo usu rei militaris quid futurum esset, audacter pro se ac Curtice prolocutus in hunc modum est : « Nec nos ignoramus te huic exercitui ducem impositum ab imperatore, et propterea multa quæ dicenda fuerant tui reverentia pressimus : nunc tamen cum prospiceamus imminens periculum et imperatoris de nobis deinde re male gesta expostulaturi justam iram vereamur, silere amplius non possumus. Scito igitur fore ut, cum admotus Nicææ fuerit exercitus eam tentare cœperit, audacissimi quique militum vulnerentur et ex iis occidantur, ini ,ua enim conditione pugnatur a nudis in campo adversus hostes muris et propugnaculis protectos. Turci vero qui extra urbem castra habent, sentientes Nicæam oppugnari, infesti sine dubio in nos incurrent. Nos autem iis qui e muris nos telis impetent quique per portas in nos erumpent, denique iis qui a tergo nos adorientur, simul resistere non valentes, necessario fugere cogemur. Et aliqui quidem, assumptis suis necessariis vulne-

C

D

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

duntur pulli gallinacei incubandi et conducendi. Guillelmus Brito ord. fratr. minorum in Vocabulario ms. : *Gallus gallinaceus dicitur, qui quasi gallina nutrit pullos, quia mulieres solent ei deplumare ventrem et fricare cum urtica, quia taliter urticatus, libentissime cubat super pullos et nutrit eos, sicut mater, et gracillat sicut gallina.* Capos vero vel capones eunuchos per ludibrium appellari vulgo solitos nemo nescit : Luitprandus in *Legat.* : *Ipsi vendunt, ipsi emunt, ostia ipsi claudunt, ipsi aperiunt, ipsi dapiferi, ipsi agasones, ipsi capones : sed hic caupones volui scribere ; verum res ipsa quæ vera est, veritatem etiam volentem compulit scribere : dicimus enim quia capones sunt, id est, eunuchi, quod canonicum non est.* Ita *cappos* nuncupari Judæos opinatur Sirmondus in Capitul. Caroli C., tit. 43, § 35 : *De cappis et negotiatoribus videlicet ut Judæi dent decimam et negotiatores Christiani undecimam.* Scilicet ob περιτομήν, seu circumcisionem. Nam, ut ait S. Ambrosius *in Levitic.* c. XII : *Viros circumcisione signatos etiam opprobrio et illusione dignos arbitrabantur* gentiles. Secus tamen de cappis istis censent Bosquetus ad l. XIII Regesti Innoc. III pp., epist. 50, et Marca l. I, *Histor. Benearn.*, c. 16, n. 9.

Digitized by Google

ratis, eos aliquo portare conabuntur ubi curari possint; alii ob charorum occisorum mortem mœrore oppressi inutiles nobis erunt.

35. Hæc illi cum dicerent, surdo canere videbantur. Nulla enim eorum ratione habita, eunuchus ille, assumptis copiis, recta Nicæam versus movet, **162** et admotus muris petebat a Nicæensibus ut deditionem facerent. At illi quibus esset spes certa paratarum copiarum ad auxilium ipsis ferendum, verbis fallacibus ipsum lactantes diem ex die ducebant. Palæologus Georgius, cui consilium illud imprudens placere non poterat, quique pro suo præstanti rei militaris usu imminens ex mora periculum quasi oculis cerneret, eunucho suadebat ut se ac copias reciperet in tutum. Ille contra sermones ejus pro nugis habens ignorantia recti potius quam constantia perstabat in temerario consilio, donec audito tandem advenire Turcos ingratiis nec sine pudore redire cogitur.

36. Hic rursus Palæologus Georgius apprime callens artem ordinandi ac perite regendi militares manus nec minus consilio quam manu fortis ac promptus, sumpta tali tempore fiducia, auctor erat ne quomodocunque recederent, sed cum ordine ac modo convenienti. Hæc suadenti Palæologo ductum universi excercitus Joannes in isto receptu commisit. Igitur Georgius digessit exercitum in ordines, jussit equites præcedere intentos ad ferenda quo opus foret auxilia, præter paucos quos in insidiis abdere volebat. Gravem armaturam et reliquum peditatum retro disposuit, lento gradu jubens progredi. Ipse cum paucis circumiens obibat modo extremum agmen, modo cornu aciei dexterum (nam lævum securum erat protectum a palude), Turcos excurrentes coercens, quoad admovissent se castello Basilea dicto, ubi castra metari constituerant.

163 37. Eo cum appropinquarent, occurrit campus late patens septo lateritio multis locis hiante circumdatus. Hic equites loci natura coacti extra ordines excurrere cœperunt, ut aditus intra septum qua muri labes viam dabat captarent. Id Turci qui a tergo sequebantur animadvertentes sublato clamore maximo impetum in pedites fecerunt, eos undique jaculis et sagittis excussis arcubus petentes, quo illi consternati effuse se in fugam dant, eunucho solo retro relicto, qui metu constrictus fugere cum aliis non potuit. Cui forte occurrentes Curticius cum Palæologo, ille quidem ne aspectu quidem dignatus est hominem suadebatque Palæologo ut illum similiter negligeret : sed hic accedens ad eunuchum propius sic increpavit : « En quem in locum nos et exercitum duxisti. Annon hæc tibi prædixeramus ? » Ille autem supplex ac tremens dicebat : « Miserere mei ; neque me tradi permittas in Agarenorum manus. » Georgius bono animo esse

τοὺς ὅπῃ βουλητὸν ἕκαστος ἀπελεύσεται, οἱ δὲ κάτοχοι τῇ λύπῃ τῶν ἀποκτανθέντων γεγονότες παρ' οὐδὲν ἡμᾶς ὠφελήσουσιν. »

λε'. Οἱ δὲ παρὰ κωφῷ ᾄδειν ἐψκεισαν. Οὐδένα γὰρ λόγον τούτων ποιησάμενος ὁ ἐκτομίας ἐκεῖνος τὰς δυνάμεις ἀναλαβόμενος εὐθὺ Νικαίας ἐχώρει, καὶ δὴ τοῖς τείχεσι προσπελάσας ᾔτειτο πάντας παραδοθῆναι. Οἱ δ' ἐντὸς ἔξωθεν προσδοκῶντες δυνάμεις εἰς ἀρωγὴν αὐτῶν ἐλεύσεσθαι, λόγοις ἀπατηλοῖς τοῦτον ἐξαπατῶντες ἡμέραν ἐξ ἡμέρας ὑπερετίθεντο. Ὁ δὲ Παλαιολόγος Γεώργιος, μὴ φέρων τὴν παράλογον ἐκείνην στράτευσιν ἐμπειρότατος [P. 106] ὤν, καὶ τὸν ὑπόγυιον ἐν ὀφθαλμοῖς ἤδη ὁρῶν κίνδυνον, συνεβούλευε τούτῳ παλινοστῆσαι. Ὁ δὲ τοὺς τούτου λόγους ὡς λῆρον δεξάμενος ἀγνοίᾳ τοῦ δέοντος μᾶλλον ἢ καρτερίᾳ προσμένειν ἐβούλετο, ἕως τοὺς Τούρκους ἥκειν ἤδη πυθόμενος ἄκων μετ' αἰσχύνης ἐπαναζεύγνυσι.

λς'. Πάλιν οὖν ὁ Παλαιολόγος Γεώργιος ταγματάρχης ὢν ἐμπειρότατος καὶ κατὰ χεῖρα καὶ γνώμην γενναῖος, παῤῥησιασάμενος; συνεβούλευε μὴ ὡς ἔτυχε παλινοστεῖν, ἀλλὰ σὺν τάξει καὶ κόσμῳ τῷ δέοντι. Ὁ μὲν τοῦτ' ἔλεγεν, ὁ δὲ τὴν τῶν ὅλων ἡγεμονίαν αὐτῷ ἐνεχείριζε. Καταστήσας οὖν εἰς τάξεις τὸ στράτευμα καὶ ἱππεῖς παρεδρεύειν ἐγκελευσάμενος πλὴν ὀλίγων τῶν ἐνεδρεύειν καὶ λοχίζειν μελλόντων, τὸ δὲ ὁπλιτικὸν καὶ πεζὸν τάξας ὄπισθεν βάδην ἐκέλευσεν ἀπιέναι, αὐτὸς δὲ περιιὼν σὺν ὀλίγοις ὁτὲ μὲν κατ' οὐραγίαν ὁτὲ δὲ κατὰ τὸ κέρας τὸ δεξιὸν (τὸ γὰρ εὐώνυμον ἦν ἐν ἀσφαλείᾳ τὴν λίμνην (58) ἔχον ἐπαρήγουσαν) ἀπεσόβει τῶν Τούρκων τοὺς προεκτρέχοντας, ἕως πλησίον τῆς Βασιλείας φθάσαντες πρὸς τὸ στρατοπεδεύειν γένοιντο.

λζ'. Ἐπεὶ δ' ἂν αὐτοῦ που θριγκίῳ πλινθίνῳ ἀναπεπταμένον πεδίον ἐστὶ κυκλούμενον οὐ πολλὰς εἰσόδους ἔχοντι, καὶ οἱ ἱππεῖς ἅμα ἐκτρέχειν ἤρξαντο ὡς παρὰ τὰς εἰσόδους γενέσθαι, οἱ Τοῦρκοι κατόπιν ἑπόμενοι καὶ τὰ δρώμενα θεασάμενοι μετὰ βοῆς ὅτι πλείστης ἐξελάσαντες κατὰ τῶν πεζῶν ἐξώρμησαν καὶ πανταχόθεν βάλλειν αὐτοὺς τοξεύμασιν ἐπεχείρουν. Οἱ δὲ πρὸς φυγὴν ἐτράπησαν. Ἐν γοῦν τῷ φεύγειν αὐτὸς μόνος ὁ εὐνοῦχος κατελείφθη καὶ τῷ φόβῳ συσχεθεὶς φυγεῖν οὐκ ἠδύνατο. Ἐντυχόντες οὖν αὐτῷ ὅ τε Κουρτίκιος οὐδὲν ἠξίωσεν αὐτὸν ὄψεως, ἐκώλυε δὲ καὶ τὸν Παλαιολόγον, ὁ δὲ Παλαιολόγος ἀπελθὼν πρὸς αὐτὸν ἔφη· « Οὕτως ἡμᾶς κατέστησας. Οὐ προείπομέν σοι ταῦτα; » Ὁ δὲ ἱκετεύων ἔλεγεν· « Ἐλέησόν με καὶ μὴ ταῖς Ἀγαρηνῶν χερσὶ παραδοθῆναι ἐάσῃς με. » Εὐθὺς οὖν ἀνακτησάμενος τοῦτόν φησι· « Συνέπου μοι τὸ λοιπόν. » Ἐπιβολῆς δὲ τῶν Τούρκων πλείονος αὐτοὺς καταλαβούσης, ὁ εὐνοῦχος εὐθὺς μικροῦ καὶ τὰς φρένας ἀπώλωλεν. Ὁ δὲ Πα-

Caroli Du Fresne Du Cange notæ.

(58) *Τὴν λίμνην*. Asconia dicitur Straboni l. XII. Describitur vero passim a Tudebodo, Alberto Aq. et aliis rerum Hieros. scriptoribus, ubi de Nicæa a Turcis obsessa agunt. Vide *Jus Græco-Rom.*, tom. I, p. 92.

Digitized by Google

λαιολόγος τηνικαῦτα τὰς ἡνίας στρέψας καὶ συναντήσας παίει ἕνα τῶν κατ' αὐτῶν ἐρχομένων, καὶ νεκρὸς εὐθὺς κατὰ γῆς ἔρριπτο, ὃν θεασάμενοι οἱ λοιποὶ μικρὸν ἀνεχώρουν. Ἐπιστραφεὶς δὲ ὡς τὸν εὐνοῦχον ἄνουν καὶ ἄφωνον ἐθεάσατο, [P. 107] τύψας κατὰ τῆς παρειᾶς φησι· « Μὴ φοβοῦ. »

A jussit et deinceps sequi sese. Incursu autem vehementiori Turcorum plurium in ipsos facto, eunuchus in tantum terrorem incidit ut parum abesset ab amentia. Tunc Palæologus conversis equi habenis, Turcis sequentibus occurrens primum ex ipsis obvium ferit et mortuum in terram dejicit. Quo spectaculo cohibiti reliqui aliquantum recesserunt. At Georgius iterum versus ad suos eunuchum consternatione stupidum et pavore mutum vidit, levi manus verbere in mala feriens, « Noli timere, » inquit, et eo secum assumpto reliquo agmini conjungitur.

ιθ'. Ἐφθακότων δὲ τούτους τῶν Τούρκων, ἐπιστραφεὶς ὁ Παλαιολόγος σὺν ἱππεῦσι μετρητοῖς (καὶ γὰρ ἦν στενὸν τὸ χωρίον) ἐπέῤῥωσέ τε τὸ ὁπλιτικὸν καὶ κατὰ τῶν Τούρκων αὐτὸς ἐξώρμα σὺν τοῖς ἱππεῦσι. Καὶ εὐθὺς τὸ βάρβαρον ἔφευγε. Πεσόντων οὖν συχνῶν τὸ λοιπὸν οὐκέτι ἐχώρουν κατὰ τῆς παρατάξεως, ἀλλ' ἵσταντο πόῤῥωθεν. Ἐκέλευσεν οὖν ἐκεῖνος ἁπιέναι τὸ ὁπλιτικὸν καὶ στρατοπεδεύειν. Αὐτὸς δ' ὕστατος μετὰ τῶν ἱππέων, ἕως τῶν θρηγκῶν ὑπερβάντες ἐστρατοπέδευσαν ἅπαντες. Γενναίως δ' ἀγωνιζόμενος, ἐπειδὴ τὴν κόρυθα ἀπεβάλετο, πλήττεται βέλει κατὰ τὸ μέτωπον. Ἀλογήσας δὲ τῆς πληγῆς παντάπασιν, ἐπεὶ τὸν εὐνοῦχον ἔκδιψον ἐθεάσατο γενόμενον καὶ μὴ δυνάμενον τὴν γλῶτταν κινῆσαι, νεύμασι δὲ ἱκετεύοντα συνεπιλαβέσθαι αὐτῷ, αὐτοῦ που μένειν τοῦτον παρεκελεύσατο τέσσαρσι τῶν αὐτοῦ θεραπόντων τὴν αὐτοῦ φυλακὴν ἐμπιστευσάμενος, αὐτὸς δὲ καὶ πρὸς τὸ πρανὲς κάτεισι διὰ τῆς περικεφαλαίας ὕδωρ αὐτῷ κομίσων. Ὁ δὲ μετρίως ἀνενεγκὼν ὡς τοῦ ὕδατος ἀπεγεύσατο, θεόν τε αὐτὸν ἄλλον ἀπεκαλεῖτο καὶ υἱὸν τοῦ λοιποῦ, εἰ διασωθείη, ἐκ προαιρέσεως τοῦτον ποιήσασθαι ἐπηγγέλλετο, οὐ μέχρι δὲ λόγου τὰ τοῦ λόγου ἐβεβαίου, ἀλλ' ὡς κληρονόμον αὐτὸν καταστῆσαι ἐπὶ πᾶσι τοῖς αὐτοῦ καὶ τὰ ὑπὲρ αὐτοῦ ὥσπερ οἰκείου παιδὸς σπουδάσειν. Ὁ δὲ Παλαιολόγος φησὶ πρὸς αὐτόν· « Ἐγὼ μὲν τὸ ἐμὸν ἅπαν ἐπὶ σωτηρίᾳ τῇ σῇ ὡς ἐνὸν πεπλήρωκα, σὸν δ' ἂν εἴη λοιπὸν πληροῦν σοι τὸ βουλητόν. »

B **164** 38. Mox cum eos iterum assecuti essent insequentes Turci, conversus rursum Palæologus cum equitibus non multis, loci enim angustiæ non capiebant plures, gravi armaturæ laboranti animos addidit et in Turcos ipse ducens equites irrupit, Barbaris statim fugientibus. Quorum cum multi cecidissent, cautiores jam erant reliqui in acie cominus tentanda; sed procul consistentes spectabant. Jussit igitur Palæologus procedere graviter armatos et castra metari. Ipse ultimus cum equitibus perstitit, quoad illam quam dixi maceriam prætergressi pedites omnes locum castris ceperunt. Porro in illo certamine Georgius fortiter dimicans, cum galeæ buccula demissa vultum nudasset, sagitta in fronte vulneratus est; sed vulnere fusditus neglecto, cum siti pene confectum eunuchum videret nec jam fere valentem movere linguam, nutibus autem implorantem opem, cum ibi manere jussum quatuor famulis custodiendum commisit; ipse vero per pronum descendens haustam cava galea ex fonte aquam ei detulit: qua ille gustata resumpto spiritu deum illum quemdam sibi salutarem opportunitate talis auxilii vocabat, et se illum, si ex hoc periculo evaderet, in filium adoptaturum promittebat: nec vero se nomen solum ejus necessitudinis sine re usurpaturum, quin potius hæredem eum facturum omnium quæ haberet asseverabat, et omni affectu ac cura, qua prosequi filium parenti fas est, ipsum et res ipsius amplexurum. Palæologus vero ei dixit: « Ego quidem quæ mearum erant partium **165** in te servando explevi omnia quoad potui. Tuum erit deinde, si libuerit, præstare quod polliceris. »

C

λθ'. Ἐπεὶ δὲ συνέβη τότε Κοντοστέφανόν τινα Ἰσαάκιον τοῦ ἵππου διολισθῆσαι, τὸν Παλαιολόγον φωνῶν ἀνεκαλεῖτο. Ὡς δ' ἐν γνώσει ἐκεῖνος τούτου γέγονε διά τινος, τὸν εὐνοῦχον πρὸς τοὺς ἰδίους πιστεύσας θεράποντας μεθ' ἑτέρου τινὸς τῶν αὐτοῦ θεραπόντων ἔνθα τὸν Κοντοστέφανον ἔσεσθαι ἔλεγον ἄ-ῆει, καὶ θεασάμενος αὐτὸν πόῤῥωθεν φωνοῦντα ἀπερικάλυπτον τὴν κεφαλὴν, ὑπεκρίθη μὴ ὁρᾷν αὐτὸν, δοκιμάζοντος οἷον. Ἐκείνου δὲ τὸν Παλαιολόγον γνωρίσαντος καὶ μᾶλλον αὐτὸν ἀνακαλουμένου, ἐπεὶ τοὺς Τούρκους πλησιάζοντας ἐθεάσατο, δεῖν ἔγνω μὴ ἐπὶ πλέον τὴν σκηνὴν ὑποκρίνεσθαι, καὶ πλησιάζων αὐτῷ ἑτέρωθι βλέπων ἐφώνει· « Ποῖος τὸν Κοντοστέφανον ἐθεάσατο; » Ὁ δὲ ἐπὶ πλέον ἐφώνει τοῦτον ἀνακαλούμενος. Ἀπελθὼν οὖν εἰς αὐτὸν καὶ κελεύσας [P. 108] ἐποχηθῆναι εἰς ὃν αὐτῷ ἐκόμισεν ἵππον ὑπέστρεψε σὺν αὐτῷ. Καταλαβόντες δὲ ἔνθα ὁ Παλαιολόγος τὸν εὐνοῦχον κατέλιπε, παραδοὺς τοῖς ἰδίοις οἰκέταις, συμπαραλαβόντες αὐτὸν κατῆλθοσαν ἄρα

D 39. Tunc contigit quemdam Isaacium Contostephanum ex equo labi et Palæologum implorare voce magna, quod cum alio quodam indicatum esset, eunucho propriis commendato servis ipse cum alio quodam suorum famulorum eo se contulit qui esse Contostephanum aiebant. Et eum intuens procul clamantem, ipse caput contegens fingebat se non videre tentans videlicet lusu quodam. Cum autem ille Palæologum præclare agnoscens validius inclamaret, et alioqui Turcos ad eum appropinquantes Palæologus animadvertit, non jam ludendi ac per jocum simulandi tempus ratus, accedens ad ipsum et alio intuens quærebat, num quis Contostephanum vidisset. Ille vero tanto contentius vociferabatur Palæologum invocans. Qui tunc ad eum accedens conscendere jussit quem ipsi ducebat equum, ac cum ipso reversus est. Qui cum eo pervenissent ubi Palæologus eunuchum reliquerat sub cura servorum suorum, illo eorum opera secum

Digitized by Google

assumpto, Helenopolim primum, deinde hinc in urbem ingressi sunt una cum reliquis copiis.

40. At fraudulentissimus eunuchus omnium oblitus quæ Palæologo debebat, jam præoccupaverat in eum imperatoris animum litteris ita scriptis, quasi ea expeditione tota contumeliosissime fuisset a Palæologo et Curtice **166** vexatus. Quod veluti præsentiens Curtices ipso in Constantinopolim ingressu avunculo dixit: « Videbimus omnino quantum malorum machinaturus nobis hic spado sit. » Cum ergo ad fores palatii pervenissent, præoccupans eunuchus aditum insusurravit in aurem janitori ut arcebos repelleret. Quod ille statim fecit, ingredi conantem Palæologum manu extrudens et utrique intercludens ingressum. Nec cessavit deinde ingratissimus spado paria beneficiis acceptis Palæologo quoad potuit maleficia reddere, turbas in eum ciens et variis artibus exitium ipsi moliens.

A εἰς Ἑλενούπολιν, κἀκεῖθεν εἰς τὴν πόλιν εἰσῆεσαν μετὰ τοῦ καταλειφθέντος στρατεύματος.

μ'. Ὁ δὲ δολιώτατος εὐνοῦχος ἁπάντων ἐπιλαθόμενος καὶ ὥσπερ τὰ αἴσχιστα παθὼν παρὰ τοῦ Παλαιολόγου κατ' αὐτοῦ καὶ τοῦ Κουρτίκη πρὸς τὸν βασιλέα εὐθὺς ἔγραφεν. Ἐν δὲ τῷ εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν μεγαλόπολιν τοιαῦτα ὁ Κουρτίκης πρὸς τὸν Παλαιολόγον ἔλεγεν· « Ὀψόμεθα πάντως ὅσα κακὰ ὁ ἐκτομίας οὗτος πρὸς ἡμᾶς ἐνδείξεται. » Φθασάντων οὖν πρὸς τὰς πύλας τοῦ παλατίου προεισελθὼν ὁ εὐνοῦχος προσεψιθύρισε τῷ πυλωρῷ ὥστε ἀποκλεῖσαι τούτοις τὴν εἴσοδον. Ὁ δ' εὐθὺς τὸ προσταττόμενον ἐπλήρου καὶ ὠθήσας τὸν Παλαιολόγον ἀποκλείει τὴν εἴσοδον. Ἔκτοτε γοῦν ἀνθ' ὧν ἐπεκόντει ἀγαθῶν οὐκ ἐνεδίδου κατ' αὐτοῦ τυρεύων καὶ παντοίως τὴν αὐτοῦ ἀπώλειαν μελετῶν.

B

ANNO DOMINI MLXXXI.

CONSTANTINUS MANASSES

NOTITIA

(Fabric. *Bibliotheca Græca*, tom. VI, p. 157.)

Post Glycam scripsit circa A. C. 1150, sub Manuele Comneno, quem laudat pag. 53 edit. Reg., Chronicon suum ab orbe condito ad A. C. 1081, sive Nicephori Botaniatæ imperium et Alexii Comneni initia Constantinus Manasses. Titulus ms. Philippi Labbei : Τοῦ Μανασσῆ κυροῦ Κωνσταντίνου τοῦ γραμματικοῦ λαμπροῦ σύνοψις χρονικὴ διὰ πολιτικῶν στίχων ἐκ τῆς κοσμοποιίας ἀρχομένη μέχρι τῆς Βασιλείας τοῦ Βοτανιάτου κυροῦ Νικηφόρου, πρὸς τὴν Σεβαστοκρατορίαν κύρην Εἰρήνην, τὴν ἐπ' ἀδελφῷ νύμφην τοῦ βασιλέως Μανουὴλ τοῦ Κομνηνοῦ. Non prosa sed versibus prosæ simillimis quos *politicos* Græci recentiores appellant scripsit Annales suos, sive σύνοψιν ἱστορικὴν ad Irenem Andronici Comneni uxorem, de qua Cangius in *Familiis Byzantinis*, pag. 181. Vertit hunc scriptorem ex Italico codice vulgavitque Latine Jo. Leunclavius Basil. 1573, 8. Græce ex codice Palatino descriptum Jo. Meursius edidit, subjuncta Leunclavii versione ad calcem voluminis et notis ejusdem suisque castigationibus Lugd. Bat. 1616, 4. Hinc inter Historiæ Byz. scriptores lucem vidit Græce et Latine Paris. 1655, fol., additis præter Meursii et Leunclavii notas variis lect. e ms. codice Allatii, et quas Carolus Annibal Fabrottus collegit e duobus Regiis codicibus, ejusdemque Fabrotti glossario. Andreas Schottus in litteris ad Meursium datis 28 August. A. 1615 : *De Manasse scito et penes me esse ms. ex libris Petri Pantini, eodem etiam Latino interprete*, cum ignoraret fortasse a Leunclavio esse conversum.

JOANNIS MEURSII DEDICATIO.

SERENISSIMO INVICTISSIMOQUE PRINCIPI GUSTAVO ADOLPHO D. G. SUECORUM GOTHORUM VANDALORUM REGI ET PRINCIPI HEREDITARIO MAGNO DUCI FINLANDIÆ ESTHONIÆ WESTHMANNIÆQUE, ETC. PRINCIPI.

Quantus sit historiæ usus, etiam regibus, Gustave Adolphe, rex auguste, jam toties et a tam multis dictum ut nemo ignorare possit ; eaque de re sermonem hic instituere velle merito putidum habeatur.

Digitized by Google

Itaque hoc sufficiat unum, cum post ardua regni negotia fessum animum oblectare reges volunt, nusquam dignius occupari otium posse quam in historiæ lectione. Hanc ob rem augustæ majestati tuæ Constantinum Manassem offero, qui compendio res ab orbe condito gestas usque ad annos a Christo Servatore nato mille ducentos comprehendit. Facio audacter, quod ea majestatis tuæ apud nos sit fama, imo orbem Christianum universum, inter cæteras virtutes hoc propositum maxime habere, amare et æstimare litteras. Id quod maximos quosque principes tanto studio consectatos in comperto est, ut imperfectam sibi gloriam aliam omnem existimare viderentur, nisi hanc assecuti essent. Nomina prudens non recenseo, satis ex historia nota. Quorum omnium cum virtutes sedulo conjunxeris ad miraculum ævi hujus, rex auguste, hanc quoque laudem deesse majestati tuæ noluisti. Nempe tot illustria exempla, quæ perpetuo animo majestatis tuæ vere regio obversantur, aliter facere haud patiebantur. Et ut illa etiam deessent, domi majestatis tuæ unum erat, omnium instar, divi Caroli, parentis tui, quem benevolentia Dei asserendis forti manu majestati tuæ regnis excitavit. Ad reliquas autem virtutes quod attinet, quis non pietatem miratur, raram in tam excelso fastigio? Quis non animi magnitudinem inconcussam? quis constantiam? quis fortitudinem? qui in primis istis annis, cum hostem barbarum et ætas majestatis tuæ et sua feritas securum facerent, timere tamen coegisti, et regni fines ut intrepidus ita invictus vindicasti. Ibit hæc res in historiam, rex auguste, et posteritas vix sine stupore leget. Ac hujus quidem felicitatis instrumentum sane magnum, vir illustris et incomparabilis Axelius ob Oxenstierna, regiæ majestatis tuæ cancellarius, immortale regni decus; quem ut singulari illa prudentia habes Nestori prisco comparandum, ita ut etiam ætate habere olim possis voveo et opto. Non te rege, et illo tam fido ac prudenti consultore, adversi quidquam majestatis tuæ regnis accidere possit. Nec tacebo Joannem Skytte, virum nobilissimum et amplissimum, in Gronsio et Elffio, tuæ majestati a consiliis et rationibus; quem legationibus pluribus valde clarum alii principes non ignorant, et apud nos quicunque aliquam rei publicæ partem tenent. Hæc ut omnia majestati tuæ gratularer, vis fortunæ tuæ expressit et pronus quoque in rem publicam nostram animus; cui tam impense faves, ut cum a regnis majestatis tuæ abis, non invenias cui favere magis possis. Hinc fœdus illud cum illustrissimis ac potentissimis Belgii fœderati ordinibus nuper ictum. Hinc et quod ex illa gente virum magnificum et amplissimum Jacobum Dyckium elegisti, cujus consiliis prudentissimis in maximis tot regnorum negotiis utereris; cujusque fide ac virtutibus præstantissimis exploratis in legatione non una ad Galliæ ac Britanniæ reges, tandem hic loci apud eos quos dixi ordines legati ordinarii munus sustinere voluisti. Neque hoc satis. Janum Rutgersium inter prima patriæ ingenia consiliarii dignitate exornasti, ut animum majestatis tuæ in gentem ac rem publicam nostram propensissimum etiam isto modo ostenderes. Nemo igitur posthac mirabitur, si ingenia patriæ nostræ, rex auguste, studia sua votaque omnia majestati tuæ consecrent. Ego certe mihi id faciendum putavi; eoque nomine ad regiæ tuæ benignitatis aram sisto Constantinum hunc Manassem, historicum minime contemnendum, maxime in re Byzantina. Confidere ausim veniam huic audaciæ fore cum a majestatis tuæ in litteras favore, tum ab ea, quam prædicavi, in gentem nostram benignitate. Concludam voto, rex auguste, Deus ille optimus, regum regnorumque Arbiter, regiam majestatem tuam quam diutissime incolumem servet, ad nominis sui sanctissimi gloriam, subditorum utilitatem et hostium terrorem. Lugduni Batavorum, a. d. VI Kalend. Mart. 1616.

Regiæ Majestati tuæ humillime devotus
JOANNES MEURSIUS.

LECTORI JOAN. MEURSIUS.

Non te multis morabor, lector. Constantinum en Manassem, pridem tibi a me promissum et per occupationes dilatum, descripsi ex codice bibliothecæ Palatinæ, cui jam auctores aliquot antea non editos mecum debes. Versio, quam addidi, est Joannis Leunclavii, viri clarissimi et de republica litteraria præclare meriti editis tot monumentis quibus antea carebamus. Ad Græcum textum notas ego pauculas adjeci, quibus loca minus integra restituerem. Nam ut diffunderem me et historiam cum historia compararem, non est visum operæ pretium. Contentus fui ipsum Manassem repræsentare. Vale, et, quisquis es, æternitatem cogita.

Digitized by Google

ΤΟΥ ΚΥΡΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΤΟΥ ΜΑΝΑΣΣΗ ΣΥΝΟΨΙΣ ΧΡΟΝΙΚΗ

ΑΡΧΟΜΕΝΗ

ΑΠΟ ΚΟΣΜΟΠΟΙΙΑΣ ΜΕΧΡΙ ΤΟΥ ΚΥΡΟΥ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ ΤΟΥ ΒΟΤΑΝΕΙΑΤΟΥ.

—

CONSTANTINI MANASSIS COMPENDIUM CHRONICUM

AB EXORDIO MUNDI

USQUE AD DOMINUM NICEPHORUM BOTANIATEM.

Joanne Leunclavio interprete.

—

Ἡ μὲν φιλόϋλος ψυχὴ ταῖς ὕλαις ἐπιχάσκει,
Καὶ πάντα πραγματεύεται πρὸς τὸ τυχεῖν τοῦ πόθου·
Σὺ δέ, ψυχὴ βασίλισσα καὶ φιλολογωτάτη,
Ἀεὶ διψῶσα γνώσεως καὶ λόγου καὶ παιδείας,
Βίβλοις ἀεὶ προστέτηκας, ἐπεντρυφᾷς τοῖς λόγοις,
Καὶ γίνεταί σοι τῆς ζωῆς ἅπας ὁ χρόνος λόγος.
Ἐπεὶ γοῦν ἐπεπόθησας οἷα τροφίμη λόγου
Εὐσύνοπτόν σοι καὶ σαφῆ γραφὴν ἐκπονηθῆναι,
Τρανῶς ἀναδιδάσκουσαν τὰς ἀρχαιολογίας,
Καὶ τίνες ἦρξαν [1] ἀπ' ἀρχῆς καὶ μέχρι τοῦ προῃλθον
Καὶ τίνων ἐβασίλευσαν, ἐτῶν δὲ μέχρις [2], πόσων

Ἡμεῖς ἀναδεξόμεθα τὸ βάρος τοῦ καμάτου,
Κἂν δυσχερὲς, κἂν ἐπαχθὲς τὸ πρᾶγμα, κἂν ἐργῶδες·
Πσραμυθοῦνται γὰρ ἡμῶν τοὺς ἐν τοῖς λόγοις μόχθους
Αἱ μεγαλοδωρίαι σου καὶ τὸ φιλότιμόν σου,
Καὶ τὸν τοῦ κόπου [3] καύσωνα καὶ τῆς ταλαιπωρίας
Αἱ δωρεαὶ δροσίζουσι κενούμεναι συχνάκις.
Καὶ ταῦτα μὲν ἐνταῦθά μοι καὶ μέχρι τούτου στήτω,
Μή πως κολακικώτερος δόξῃ τισὶν ὁ λόγος,
Καὶ τὸν σκοπὸν καταλιπὼν ἄλλην ἀκούσῃ τρέχειν.
Πολλῶν ἱστορησάντων δὲ καὶ χρονογραφησάντων,
Καὶ σπουδασάντων μὲν εἰπεῖν ὀοθῶς καὶ φιλαλήθως,

Vers. 22

1 Ut cupidus rerum terrestrium animus iis ipsis inhiat, et omnem lapidem movet, quo potiri suo desiderio possit, ita tu, domina, regio animo prædita et eruditæ doctrinæ studiosissima, semper aliquid cognoscere ac percipere gestiens libris incumbis, ex scriptis eruditorum voluptatem percipis, totam denique vitam in disciplinis liberalibus conteris. Quando igitur ut alumna doctrinæ postulasti a me tuum in usum conscribi libellum perspicuum et intellectu facilem, qui clare tradat res priscis gestas sæculis, et qui ab initio potiti rerum fuerint, quousque progressi, quibus nationibus, et

A

quandiu imperio præfuerint, exponat, sane onus illud in nos recipiemus, tametsi rem nos difficilem, gravem et operosam moliri non nesciamus. Nam labores in perficienda commentatione nostros munificentia et liberalitas tua recreat, et æstum lassitudinis ac æruminæ munera tua crebro repetita veluti roris cujusdam respersione mitigant.

Ac de his quidem dictum hactenus esto, 2 ne forte comparata videatur ad assentandum oratio, neve relicto scopo evagari alio perhibeatur. Cum autem complures litteris mandarint historias ac annales, et recte quidem vereque cuncta narrare

B

Variæ lectiones.

(Ex ed. Paris. 1632. — A, id est codex Leonis Allatii; RR, codices Regii duo ab Annibale Fabroto collati. Ex tribus hisce codicibus multa in textu supplcta sunt.

[1] καὶ τίνες ἦρξαν... πόσων A et RR. [2] καὶ μέχρις ἐτῶν A. [3] πόνου R.

Digitized by Google

Ἀλλήλοις ἀνομοίως δὲ ταὐτὰ συγγραψαμένων,
Ἡμεῖς προχειρισάμενοι τοὺς μάλιστα δοκοῦντας
Τῆς ἀκριβείας ἔχεσθαι καὶ μᾶλλον ἀληθεύειν,
Τὸ κατὰ δύναμιν ἡμῶν [a] ἀποπληρώσομέν σοι.
Ὁ τοῦ Θεοῦ παντέλειος καὶ κοσμοκτίστωρ Λόγος
Τὸν οὐρανὸν τὸν ἄναστρον παρήγαγεν ἀρχῆθεν,
Ἁπλέτῳ κάλλει λάμποντα μαρμαρυγῶν ἐνθέων,
Καὶ γῆν τὴν παντοθρέπτειραν, καὶ σὺν αὐτῇ τὸ [φάος.
Ἡ γῆ δ' ἀπερικόσμητος ἀόρατος [b] ὑπῆρχε.
Καὶ σκότος ἐπεκάθητο βαθὺ τοῖς ταύτης νώτοις.
Τοῦ δὲ φωτὸς αὐγάσαντος καὶ πανταχοῦ χυθέντος,
Καὶ λευκοπέπλου λαμπραυγοῦς [c] ἡμέρας γενομένης,
Ὤφθη τὰ πρὶν ἀθέατα, καὶ σκότους [d] ἡ στυγνότης
Ἐφυγαδεύθη τῷ πυρσῷ τῶν φωτοβολημάτων.
Ἐν τούτοις οὖν [e] παρέδραμε τῶν ἡμερῶν ἡ πρώτη.
Τοῦ δὲ βλεφάρου [f] λάμψαντος ἡμέρας τῆς δευτέ- [ρας
Τὸν οὐρανὸν τὸν δεύτερον ἐσφαίρωσε πανσόφως,
Ὃν τοῖς ἐν γῇ παντοστεγῆ δημιουργήσας στέγην
Ὠνόμασε στερέωμα Θεὸς ὁ καλλιτέχνης.
Παρὰ τὴν πρώτην ἄναστρον ἑτέραν [g] ὄντα σφαῖραν.
Τότε καὶ τὴν παντόχυτον φύσιν τὴν ὑδατίαν [h]
Καὶ τὰς ἀβύσσους διελὼν, καὶ τούτων τὸ μὲν ἄνω
Πρὸς ὕψος ἀνεννόητον κούφως μετεωρίσας,
Τὸ δ' ἐπὶ γῆς ἀπολιπὼν, ἔστησε τούτων μέσον
Τὸν οὐρανὸν ὥσπερ φραγμὸν, ὥσπερ στερρὸν τεῖχον.
Κόρη μὲν οὖν ἐπέμυεν [i] ἡμέρας τῆς δευτέρας,

A Καὶ τρίτη πάλιν ἠύγαζε, καὶ πάλιν ὁ Τεχνίτης
Ὁ παντοτέκτων ὁ σοφὸς ἄλλοις προσεῖχεν ἔργοις [j].
Ἐπεὶ γὰρ ἐξεκέχυτο κατὰ τῆς γῆς ἁπάσης
Ὁπόσον ἦν ὑπ' οὐρανὸν ὕδωρ περιπολεῦον [k],
Καὶ πᾶν τὸ πρόσωπον αὐτῆς [l] ἐκάλυπτε λιμνάζον,
Πᾶσαν τὴν χύσιν εἰς ταὐτὸ συνήγαγεν ἀθρόως,
Ὡς εἴ τις γάλακτος λευκοῦ νοτίδα [m] γλυκυχύμου
Ὅπῳ συμπήξει [n] καὶ τυροῦ κύκλον ἀποτορνεύσει.
Ἀπορραγέντος τοιγαροῦν τοῦ πρὶν ἐπιπροσθοῦντος
Ὤφθη τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, ἡ μόρφωσις ἐφάνη,
Καὶ τῶν πετρῶν, καὶ τῶν ὀρῶν [o], καὶ λόφων βα- [θυκρήμνων.
Ἐντεῦθεν τὸ μὲν σύστημα σύμπαν τὸ τῶν ὑδάτων
Θάλασσαν κατωνόμασε· τῆς δὲ ξηρᾶς τὴν φύσιν,
Ὁπόση πετροστοίβαστος, ὅση λιπαροβώλαξ,
B Γῆν ὁ τεχνίτης κέκληκε Θεὸς ὁ παντεργάτης.
Τὴν δ' [p] ὑπερφέρουσαν αὐτῷ [q] δύναμιν ἐμφανίζων.
Μήπω λαμψάσης τῆς αὐγῆς τοῦ γίγαντος ἡλίου
Παντοδαπὴν ἐκέλευσε βοτάνην ἐκφυῆναι.
Τὴν μὲν πρὸς μόνην ἡδονὴν καὶ τέρψιν τῶν βλε- [φάρων,
Τὴν δὲ καὶ ζωοθρέμμονα καὶ τοῖς ἐν γῇ χρησίμην.
Τότε τὸ πρῶτον στολισμοῖς ἡ γῆ κατηγλαΐσθη
Ὑπὲρ κορίσκην τρυφερὰν ἄρτι νυμφευομένην,
Χρυσοφόρον, στιλβουσαν πέπλοις καταμαργάροις.
Ἔλαμπεν ἴον εὔοσμον, ἀντέλαμπε τὸ ῥόδον.
Ἴων χροιὰ παντοδαπὴ πάντοθεν ὑπεγέλα,
Κυανανγὴς, πορφύρεος, ὑπόκιρρος ἑτέρα.

Vers. 74

conati fuerint, diversa tamen id via præstiterint, nos eorum auctoritatem secuti qui accurato maxime studio usi ad veritatem accedere proxime videbuntur, exspectationi votoque tuo pro viribus satisfecimus.

Perfectus ille Dei Sermo, rerum opifex omnium, ab initio cœlum sideribus carens, et immensa tamen venustate radiorum plane divinorum fulgens una cum terra et luce condidit. Erat autem id temporis tellus omnis ornatus expers, et cerni non poterat, incumbentibus illi crassissimis tenebris. At ubi lux orta se passim diffunderet ac dies exstitisset, quæ prius erant inaspectabilia, cerni cœperunt, et tristis illa caligo per radios lucidos expulsa fuit. Hoc modo primus dies effluxit.

Hinc altero illucescente cœlum secundum in orbem globumque solerter redegit, quod universis terrenis rebus ceu tectum quoddam obductum, opifex ipse firmamentum appellavit, diversum omnino a priore siderum experte globo. Tunc et fluxam aquarum naturam et abyssos a se invicem separavit, ac partim quidem sursum ad sublimitatem mentis intelligentia nequaquam comprehensibilem subvexit, partim in terra reliquit, utrisque cœlo, tanquam septo muroque solido, interjecto.

C Ita die secundo præterlapso certius effulsit; quo rursus opifex ille sapiens aliis condendis intentus erat. Nam quia super universam terram omnis infera liberaque aqua diffusa superficiem ejus quasi restagnando tegebat, repente liquidam hanc naturam non aliter coegit, ac si quis lac coaguli vi constringens caseum ex eo conficiat. In hunc modum ea re detracta quæ prius terræ quasi luminibus officiebat superficies ejus atque forma concepta fuit, una cum rupibus, montibus et præruptis collibus. Inde totum illud aquarum corpus et compagem mare nuncupavit: siccam vero naturam, sive lapideam sive glebosam, terram appellavit. Simul eximiam vim potestatemque suam declarans, tametsi nedum solis splendor exsisteret, omnis generis herbam D nihilominus e terra provenire jussit, partim solius voluptatis et oculorum delectationis causa, partim ad animalium pastum et terram incolentium utilitatem. Tunc primum terra suis est ornamentis condecorata splendidius 3 quam puella tenera primumque viro desponsa, quæ auro et unionibus intertexta veste fulget. Renidebant venustæ violæ

Variæ lectiones.

[a] ἡμῖν A. [b] ἀνόρατος A. [c] καὶ λαμπρᾶς R. [d] κάλλους MR. [e] δὲ R. [f] δὲ φωτὸς αὖ R. [g] ἕτερον AR. [h] τὴν ὑδατείαν R, τῶν ὑδατίων A. [i] ἐπέκυεν A. [j] λόγοις R. [k] ὑπουράνιον ἦν λελειμμένον ὕδωρ A cum RR. [l] νοτίδος R. [m] συμπήξαι A, συμμίξει R. [n] τῆς γῆς R. [o] ὀρῶν καὶ τῶν πετρῶν A. [p] δὲ A. [q] αὐτοῦ AR.

Digitized by Google

Τινὰ μὲν περιπόρφυρα τῶν ῥόδων ἐωρᾶτο,
Τινὰ δ' ὑπελευκαίνετο καὶ γλύκιον [21] ἀντηύγει.
Ἦν κρῖνον χιονόχροον, ἦσαν ἀναγαλλίδες.
Ὑάκινθος ἀνέβαινεν, ἦν καὶ ναρκίσσου κάλλος·
Καὶ πᾶν τὸ πρωτοφόρημα τῶν ἔαρος χαρίτων.
Ἀπεραυδοῦντο [22] στάχυες βαρούμενοι τῷ σίτῳ [23],
ιζ'. Ὁ δὲ ταπεινόφρων τῷ ὄντι, καὶ τῶν τοῦ Χριστοῦ ἐντολῶν ἀκριβέστατος φύλαξ, καὶ αὖθις ταπεινόφρων ἐδείκνυτο, καὶ οἷς εἰώθει τὸ Θεῖον θεραπεύειν ἐπεκτείνετο, νηστείᾳ συζῶν ὡς μόνοις τοῖς ἀναγκαίοις τρέφεσθαι, ταπεινώσει δὲ ἑαυτὸν ἐξευτελίζειν, ὡς μηδὲ γνωρίζεσθαι εἰ αὐτός ἐστιν ὁ προστάτης· ἀγρυπνίαις τε ἑαυτὸν κατατρύχων, ὡς μικροῦ τοῖς ἀσωμάτοις συναμιλλᾶσθαι· σὺν τούτοις καὶ ταῖς χερσὶ κοπιῶν, καὶ ἀδιαλείπτως πονούμενος. Ἔγραφε γὰρ ὁ θαυμάσιος καὶ εἰς κάλλος, εἰ καὶ [ὡσεὶ καὶ *vel* εἰ καὶ μή?] συγγράφων ἦν, καὶ οὕτως ἄμεμπτα, ὡς μηδεμίαν λαβὴν διδόναι τοῖς περὶ ταῦτα κομψοῖς (7). Ἑνὸς ἔτι μνησθείς, ἐπὶ τὴν αὐτοῦ τελευτὴν, καὶ τῶν ἐκείνης θαυμάτων τὸν λόγον καταπαύσω.

ιη'. Τῆς μονῆς τοιγαροῦν, τοῦ Θεοῦ συνεργοῦντος, εἰς πλῆθος ἐπιδούσης, ἔδει καὶ ζῶα εἰς ὑπουργίαν τῶν μοναχῶν καὶ τῶν ἑτέρων χρειῶν συνυπάρχειν, μεθ' ὧν καὶ ἵπποι. Εἷς δὲ τούτων ποτὲ μονώτατος ἀπολειφθείς, μὴ τοῦ ἁγίου τότε τῇ μονῇ ἐνδημοῦντος, φώρεσιν εὐάλωτος ἐγεγόνει. Ἠκολούθει οὗτος [οὖν?] ὁ ἵππος τοῖς φώρεσι μέχρι τινὸς, τοῦ Θεοῦ οὕτως οἰκονομήσαντος, ὥστε καὶ αὐτοὺς διορθωθῆναι, καὶ τὸν ὅσιον αὐτοῦ, καὶ μὴ παρόντα, δοξάσαι. Οἱ φῶρες δὲ, τοῦ ἵππου αὐτοῖς ἑπομένου, χαίροντες ἔθεον. Ἀλλὰ προσεκτέον τῷ διηγήματι· οὐκ ἄχαρι γὰρ, ἀλλὰ πολὺ μετὰ τοῦ θαύματος ἔχον καὶ τὸ χαρίεν. Ὡς γὰρ τὰ τῆς κλοπῆς, ὡς αὐτοῖς ἐδόκει, πέρας ἔσχε, καὶ τὸ κέρδος ἦν ἐν μυχοῖς, καὶ ἐλπίδων ἐμπεπλησμένοι ἔθεον, ἄφνω ἔστη ὁ ἵππος ἐοικὼς, καὶ μηδ' ὅλως τὸ παράπαν κινούμενος. Τῶν δὲ ῥαπιζόντων καὶ προπηλακιζόντων καὶ τῆς φορβιᾶς θάτερος θατέρου εἰλημμένοι, καὶ ὡς εἶχον ἕλκοντες, αὐτὸς ὥς τινων ἀψύχων ἵστατο, μηδ' ὅλως αὐτοῖς ὑπακούων, μήτε μὴν βαδίζειν ὅλως ἐπὶ τὰ πρόσω ἀνεχόμενος. Ἀπογνόντες οὖν οἱ φῶρες τῆς ἐπὶ τὰ πρόσω πορείας, δι' ἧς ἤρχοντο, τὸν ἵππον δοκιμάζοντες ὑπέστρεφον. Ὡς δὲ τοῖς ὄπισθεν βαδίζειν ἤσθετο (ὦ τοῦ θαύματος!) ὀξύτατος ἔβαινε καὶ προθυμίας πεπλησμένος τὴν ἐφ' ἣν ἤρχετο ἤλαυνε. Τοῦτο ἐκεῖνοι ἰδόντες, τέως μὲν ἐκπλήξει καὶ θάμβει συνείχοντο· ἀνενεγκόντες δὲ, καὶ τὸ θαῦμα συλλογισάμενοι, τὸν ἵππον φέροντες, τὸ μοναστήριον κατέλαβον ἐξομολογούμενοι καὶ διομνύμενοι μηκέτι τοῖς πρατέροις ἐπιχειρεῖν, ἀλλὰ ταῖς χερσὶ πονουμένους τὰς τῆς ζωῆς ἀφορμὰς πορίζεσθαι. Καὶ οὗτοι μὲν οὕτως· διὰ πάντων δὲ Θεὸς ἐδοξάζετο ὁ μειζόνως ἀντιδοξάζων.

A justi tamen areæ ne tantillum quidem propinquare ausa est: quam rem cuncti aspicientes, ad lætitiam ex gravi mœstitia conversi, gratiarum actiones Deo extollebant, sanctumque ejus magnificabant.

17. Ipse autem vere humilis, et Christi mandatorum diligentissimus custos, humiliorem adhuc se præbebat, et consueto Dei servitio semet intendebat, jejunium vitæ comitem habens, ita ut necessario tantum cibo uteretur: animi demissione semet vilificans, ita ut nemo eum monasterii prælatum esse cognosceret. Vigiliis quoque se atterebat, ut cum incorporeis prope certaret. Manibus item operabatur, indesinenter laborans. Scribebat etiam B venustissime vir hic mirabilis, quasi amanuensis esset, atque adeo emendate, ut nullam reprehensioni ansam præberet iis qui in hac arte excellunt. Uno adhuc dicto, orationem meam in ejus obitu editisque per id tempus miraculis concludam.

18. Cum ergo monasterium, auxiliante Deo, ad ingentem numerum provectum esset, animalibus quoque ad monachorum servitium et cæteros usus indigebat, in hisque equi erant; quorum unus solitarius relictus, sancto viro tunc monasterium non incolente, furibus facilis præda fuit. Sequebatur hic equus fures aliquanto tempore, Deo sic disponente, ut et ipsi emendarentur et Dei sanctus absens C quoque glorificaretur. Fures, inquam, sequente equo, læti cursim abibant. Sed narrationi attendamus, non enim invenusta est, sed multam cum prodigio habet jucunditatem. Nam cum ipsi furti sui fructum consecuti viderentur, et lucrum in crumenis habere, speque pleni decurrerent, repente equus substitit saxo similis prorsus, et omnino immobilis. Illis autem virga cædentibus, calces impingentibus, et capistrum sigillatim capientibus velideque trahentibus, ille ceu inanimis stabat, nullatenus ipsis obtemperans, neque ulterius progredi consentiens. Desperantes itaque fures via qua venerant progredi, equum experimenti causa converterunt; qui ut se retro pergere sensit (o miraculum!) velocissimus gradiebatur, et alacritate D plenus viam qua venerat terebat. Hoc illi videntes, tunc quidem metu ac stupore perculsi fuerunt: mox animis collectis, et prodigium considerantes, equum reportantes ad monasterium venerunt, remque confessi, jurarunt nunquam ut antea talia ausuros, sed manuum labore victum sibi comparaturos. Ita se isti gesserunt. In cunctis autem glorificabatur Deus, qui vicissim eum glorificantes luculentius glorificat.

(6) Hoc quoque miraculum visitur in Sampierii pictura, retro p. 519, appellata.

(7) Rei hujus testem in manibus habeo codicem sancti viri manu exaratum, ut epigraphe autographa in calce testatur; quem codicem in hac nova bibliotheca vulgabo. Est, inquam, hic codex pervenuste scriptus, mendisque plerumque carens, exceptis aliquot quæ a pronuntiandi ratione manant, puta, iotacismis...

Digitized by Google

19. Jam quia oportebat ipsum quoque Bartholomæum, cursu consummato et fide, ut ait divus Paulus, servata [5], complurium laborum atque sudorum finem facere, ac resolvi, et esse cum Christo [6], et vivificæ Trinitati præsentari, in eum morbum incidit, quo beatum exitum adeptus est. Ipsa autem die, qua de hoc tabernaculo migraturus erat, monachus quidam, nomine Leontius, dignitate presbyter et inter monasterii primates, matutinis hymnis de more finem habentibus, somno se tradens, vocem audivit tonitrui similem, quæ ita aiebat: « Paratus est Patri Bartholomæo thronus perpetuus. » Pavore ille correptus et ex cella saltu se propipiens, percontabatur occurrentes num et ipsi vocem illam audissent: quibus negantibus, Atqui, inquit ille, vocem ejusmodi Tusculi quoque auditam existimo. Profecto ea vox parata sancto viro bona et gloriam qua mox potiturus erat, nobis significabat. Jamque die inclinante, beatus vir ad Dominum migravit. Et nunc in cœlis est, Deumque cernit et cernitur: Deum *cernit* videlicet quem amavit, cui inservivit, quem proxime adstans pro nobis deprecatur.

20. Porro æquum non est, miraculum, post illius transitum editum, indictum prætermittere, præsertim quia voci a monacho Leontio auditæ æquipollet, eique fidem confirmat. Alius quidam monachus, Francus nomine, in morbum delapsus, mortem, ut videbatur, jam oppetebat; et voce deficiente, exstinctus apparebat, sine respiratione, sine motu, nullam vitalem facultatem præ se ferens. Facto itaque fratrum, ut mos est, concursu, et aliis quidem tumulandum dicentibus, aliis id differentibus, dies jam nocti propinquabat; ille nihilominus mortuus videbatur. Quamobrem funebrem lotionem aggredientes, dum in eum aquam injicerent et hinc inde converterent, repente mortuus, jam vivus erat; et qui paulo ante mutus, nunc loquebatur, lavantesque reprehendens aiebat: Cur mihi, fratres, vim facitis? Cur me suaviter dormientem excitastis? Hique ad illum: Mortuum te integra die conspicati, nunc lavare voluimus. Rursus autem qui jacebat, disserere cœpit: Ego, sive in corpore fuerim sive extra corpus, videbam me solitarium ad quemdam pergere locum, duabus me præcedentibus columbis; quarum una alba, altera nigra, circumvolabant me; alba quidem dextrorsum, nigra sinistrorsum. Sic ergo præeuntibus illis, meque subsequente, in campum quemdam devenimus, inenarrabili luce et fragrantia plenum; quo in campo dum animo attenderem, Patrem nostrum stantem conspexi, circaque eum pauperum multitudinem, quibus ille panem elargiebatur. Cum autem converso oculo me vidisset: Quid agis hic, inquit, France? quisve te huc adduxit? Ego vero illi, quo-

[5] II Tim. IV, 7. [6] Philipp. I, 23.

ιθ'. Ἐπειδὴ δὲ ἔδει καὶ αὐτὸν, τὸν δρόμον τελέσαντα καὶ τὴν πίστιν, κατὰ τὸν θεσπέσιον Παῦλον, τηρήσαντα, τῶν πολλῶν πόνων καὶ ἱδρώτων λυθῆναι, ἀναλῦσαί τε, καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι καὶ τῇ ζωαρχικῇ Τριάδι παρίστασθαι, νόσῳ περιπίπτει, ἐν ᾗ τὸ μακάριον τέλος ἐδέξατο. Αὐτῇ δὲ τῇ ἡμέρᾳ, ἐν ᾗ τοῦ σκήνους ἐκδημεῖν ἔμελλε, μοναχός τις ὀνόματι Λεόντιος, πρεσβύτερός τε τὴν ἀξίαν καὶ τῶν ἐν τῇ μονῇ τὰ πρῶτα φερόντων, τῶν ὀρθρινῶν ὕμνων, ὡς ἔθος, πέρας λαβόντων, ὕπνῳ ἑαυτὸν ἐκδεδωκὼς, φωνῆς ἀκούει βροντῇ παραπλησίας· ἡ δὲ φωνὴ τάδε ἐδήλου· « Ἑτοίμασται τῷ Πατρὶ Βαρθολομαίῳ θρόνος ἀδιάδοχος. » Σύντρομος οὖν γενόμενος, καὶ τῆς κέλλης ἀναστὰς, καὶ ἅλματι ἐκπηδήσας, ἤρετο τοὺς παρατυγχάνοντας, εἰ καὶ αὐτοὶ τῆς φωνῆς ἠκηκόεισαν; Τῶν δὲ μηδὲν ἀκηκοέναι φησάντων, ἐκεῖνος, Καὶ μήν, ἔφη, ἐν τῇ Τουσκουλάνῃ τὴν φωνὴν ἐκείνην νομίζω ἀκουτισθῆναι. Καὶ ταῦτα μὲν ἡ φωνὴ, τὰ τῷ ἁγίῳ ἑτοιμασθέντα ἀγαθὰ, καὶ ἧς ἀπολαβεῖν [*f.* ἀπολαύειν] ἔμελλε δόξης καὶ ἡμῖν κατάδηλα ποιοῦσα. Ἡμέρας δὲ ἤδη κλινούσης, καὶ ὁ μακάριος πρὸς Κύριον ἐξεδήμησεν· καὶ νῦν ἐστιν ἐν τοῖς οὐρανοῖς Θεὸν ὁρῶν καὶ ὁρώμενος, ὃν ἠγάπησεν, ὧν ἐθεράπευσεν, ᾧ καὶ ἐντυγχάνει ἀμέσως, τὰς ὑπὲρ ἡμῶν ἱκετηρίας ποιούμενος.

κ'. Οὐ δίκαιον δὲ τὸ μετὰ τὴν αὐτοῦ ἐκδημίαν γενόμενον θαῦμα παριδεῖν ἀδιήγητον, τῇ φωνῇ μᾶλλον, τῇ τῷ μοναχῷ Λεοντίῳ ἀκουτισθείσῃ, ἰσοδυναμοῦν, καὶ ταύτῃ τοῦτο πιστούμενον. Ἕτερός τις μοναχὸς, Φράγγος λεγόμενος, ἀσθενείᾳ περιπεσὼν, τὸ χρεὼν, ὡς ἐδόκει, ἀπῄτει· καὶ τῆς φωνῆς αὐτῷ ἐκλιπούσης, νεκρὸς ἐωρᾶτο, ἄπνους, ἀκίνητος, μηδεμίαν ζωτικὴν δύναμιν ἐμφαίνων. Συνδρομῆς οὖν τῶν ἀδελφῶν, ὡς εἰκὸς, γενομένης, καὶ τῶν μὲν ταφῇ παραδιδόναι λεγόντων, τῶν δὲ ἐπὶ τούτῳ ἀναβαλλομένων, ἡ μὲν ἡμέρα ταῖς ἀρχαῖς τῆς νυκτὸς ἤδη ἐπλησίαζεν· ὁ κείμενος δὲ αὖθις νεκρὸς ἐωρᾶτο. Λοῦσαι τοίνυν αὐτὸν τὸ ἐπιτάφιον προθυμηθέντων, ὡς τὸ ὕδωρ αὐτῷ ἔβαλον, καὶ περιστρέφειν ἔνθεν κἀκεῖθεν ἐπειρῶντο, ἄφνω ὁ νεκρὸς ζῶν ἦν, καὶ [*f. add.* ὁ] πρὸ μικροῦ ἄφωνος, λαλῶν ἐδείκνυτο, καὶ τοῖς λούουσιν ἐπιμεμφόμενος ἔλεγε· Τί με, ἀδελφοὶ, βιᾶσαι ἐπεχειρήσατε; Διὰ τί δέ με ἡδέως ὑπνώττοντα διυπνύσατε; Οἱ δὲ πρὸς αὐτόν· Νεκρόν σε ὅλην τὴν ἡμέραν βλέποντες, νυνὶ λοῦσαι διενοήθημεν. Αὖθις οὖν ὁ κείμενος διηγεῖσθαι ἀπήρξατο· Ἐγὼ, εἴτε ἐνδημῶν εἴτε ἐκδημῶν τοῦ σώματος, ἑώρων ἐμαυτὸν ἔν τινι τόπῳ μόνον πορευόμενον· δύο δὲ περιστερὰς προπορευομένας μου, ὧν ἡ μὲν μία λευκὴ, θατέρα δὲ μέλαινα, περιῐπταντό με, ἡ μὲν λευκὴ δεξιὰ, ἡ δὲ μέλαινα ἐξ ἀριστερῶν. Οὕτως οὖν ἐκείνων προπορευομένων, κἀμοῦ ἑπομένου, ἔν τινι χώρῳ κατηντήσαμεν, ὁ δὲ χῶρος φωτὸς ἀῤῥήτου καὶ εὐωδίας ἐπέπληστο, ἐν ᾧ χώρῳ προσεσχηκὼς, τὸν Πατέρα ἡμῶν τεθέαμαι ἱστάμενον· κύκλῳ δὲ αὐτοῦ πλῆθος πενήτων, αὐτὸν δὲ μέσον τὴν χεῖρα ἐκτείνοντα, καὶ ὡς δὴ ἐπιχορηγοῦντα αὐ-

Digitized by Google

τοῖς ἄρτον· ὡς δὲ τὸ ὄμμα περιστρέψας ἐθεάσατό με, τί σοι ἐνταῦθα, Φράγγε, ἔφη, καὶ τίς ὁ ἐνταῦθα ἀγαγών σε; Ἐγὼ δὲ πρὸς αὐτὸν ὅπως παρεγενόμην ἀπήγγελλον· ὁ δὲ πατὴρ αὐθις ἤρητο· Καὶ πῶς οἱ ἀδελφοὶ ἡμῶν διάγουσι; Καλῶς, διὰ τοῦ Θεοῦ, ἔφην ἐγώ· ὁ δὲ, Ὑπόστρεφε εἰς τὸ μοναστήριον, καὶ εἰπὲ τοῖς ἀδελφοῖς ἐμμένειν τῇ παραδόσει ἣ παρέδωκα αὐτοῖς. Ταῦτα εἰπὼν ἐνδοτέρω χωρεῖν ἔδοξε.

A modo pervenissem, nuntiavi. Tum denuo Pater dixit : Et quomodo fratres nostri se habent? Bene, per Deum, ego dixi. Ille autem : Redi in monasterium, et dic fratribus, ut in traditione perseverent, quam ego ipsis tradidi. His dictis, ad interiora loca proficisci visus est.

κα'. Πορευομένου οὖν αὐτοῦ, κἀμοῦ ἑπομένου, οὐ γὰρ ἤθελον χωρισθῆναι ἀπ' αὐτοῦ, εἰς τινα πόλιν κατηντήσαμεν, ἧς τὸ κάλλος ἐξειπεῖν γλώσσῃ ἀνθρωπίνῃ ἀδύνατον. Ἐν ἑνὶ δὲ τῶν ἐκεῖσε ἀνακτόρων τοῦ Πατρὸς εἰσελθόντος, κἀγὼ συνεισῆλθον αὐτῷ, ἐν ᾧ θρόνον ἐθεασάμεθα ἐνδοξότατον πάνυ, εἰς ὃν ἀνελθὼν ὁ Πατὴρ κεκάθικεν. Δύο δέ τινες αὐτῷ παρειστήκεισαν, ὧν τὰ πρόσωπα ὑπὲρ τὸν ἥλιον. Ἐπιστραφεὶς οὖν καὶ θεασάμενός με, φησί· Καὶ ἐνταῦθα, Φράγγε, ἥκεις; Ὑπόστρεφε εἰς τὸ μοναστήριον καὶ καθὼς εἶπόν σοι εἰπὲ τοῖς ἀδελφοῖς ἐμμένειν ἐν ἀρετῇ καὶ τῇ τῶν καλῶν ἐργασίᾳ καὶ ἐπιμονῇ· καὶ ἐν τῇ κυρίᾳ μου ἐλπίζω καὶ δεσποίνῃ, τὸ ὄμμα ὑπεράνωθεν ἐρείσας, ὅτι οὐκ ἐγκαταλειφθήσεσθε, οὔτε χωρισθήσομαι ὑμῶν, οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι. Οὕτως τῶν Πατρὸς εἰπόντος, κἀγὼ τὸ ὄμμα ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτοῦ ἐρεισάμενος, γυναῖκα εἶδον ἐπὶ θρόνου φοβεροῦ καθεζομένην, ἧς τὸ κάλλος καὶ τὴν ἐξ αὐτῆς ἐκπεμπομένην λαμπρότητα ἐξειπεῖν ἀμηχανῶ. Κύκλῳ δὲ αὐτῆς λαμπρούς τινας ἐν φόβῳ παρεστῶτας καὶ σεβάσματι, ἣν καὶ ὑπενόησα τὴν ἁγίαν Θεοτόκον εἶναι. Ταῦτα θεασάμενος καὶ ἀκούσας ἐξῆλθον τοῦ παλατίου, καὶ πάλιν τῶν περιστερῶν ἐκείνων προπορευομένων μου, τὰ ἐνταῦθα κατέλαβον. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ μοναχὸς καὶ θεασάμενος καὶ ἀκούσας ἀπήγγειλεν.

21. Quem abeuntem secutus ego, neque enim ab eo separari volebam, ad urbem quamdam devenimus, cujus pulchritudinem humana lingua nequit effari. In unum autem illic palatium ingresso Patre, ego quoque subsecutus sum vidique illic magnificentissimum thronum, in quem conscendens Pater resedit. Duo vero illi assistebant, quorum vultus sole lucidiores. Porro conversus, meque videns, ait : Huc etiam, France, venis? Redi ad monasterium, atque, ut tibi dixi, fratres admone, ut perseverent in virtute et operibus bonis vitæque constantia : speroque a domina ac regina mea (quod dicens, oculos sursum intendit) nunquam vos derelictum iri, neque me sine vobis futurum, sive in præsenti sæculo sive in futuro. Dum sic Pater loqueretur, ego quoque supra caput ejus oculum intendens, formidabili in throno sedentem, mulierem aspexi, cujus pulchritudinem et emicantem ex ea splendorem effari nequeo; circa vero ipsam splendidos quosdam, cum timore ac reverentia stantes; quam esse sanctam Deiparam suspicatus sum. His visis atque auditis, palatio exivi, et illis denuo columbis mihi præeuntibus, huc adveni. Hæc monachus de visu audituque testis narravit.

κβ'. Ἡμεῖς δὲ δι' ἀμφοῖν πληροφορηθέντες, ἀπό τε τοῦ ἐναρέτου καὶ ἡκριβωμένου βίου αὐτοῦ, ἀπό τε τῶν θαυμασίων ὧν δι' αὐτοῦ πεποίηκεν ὁ Θεὸς, ἀδιστάκτῳ τῇ γνώμῃ καὶ πόθῳ ζέοντι τὴν μνήμην αὐτοῦ ἑορτάζοντες, καὶ τὴν σορὸν τῶν λειψάνων κατασπαζόμενοι, μεσίτην αὐτὸν καὶ πρέσβιν πρὸς τὸν Σωτῆρα ἡμῶν καὶ Θεὸν ἔχειν ἐξαιτούμεθα, ἵνα ταῖς τούτου πρεσβείαις, καὶ τῆς Κυρίας ἡμῶν καὶ Δεσποίνης ἀειπαρθένου Θεοτόκου, τῶν ἐκείνῳ κληρωθέντων ἀγαθῶν μὴ ἀποτύχωμεν, ἀλλ' εὑρωμεν κλῆρον καὶ μερίδα μετὰ πάντων τῶν ἁγίων τῶν εὐαρεστησάντων αὐτῷ Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν· ᾧ ἡ δόξα σὺν τῷ προανάρχῳ αὐτοῦ Πατρὶ, καὶ τῷ συνανάρχῳ καὶ ζωαρχικῷ καὶ ζωοποιῷ καὶ ἀγαθῷ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν

22. Nos vero dupliciter persuasi, tum a vitæ ejus virtutibus, tum etiam a patratis per eum a Deo miraculis, memoriam ejus indubitante judicio fervidoque amore celebrantes, et reliquiarum ejusdem loculum venerantes, mediatorem ipsum atque oratorem apud Salvatorem Deumque nostrum habere postulamus; cujus intercessionibus, nec non dominæ nostræ ac reginæ semper virginis Deiparæ, bonis sancto viro jam assignatis, utinam non excludamur; sed sortem partemque cum sanctis omnibus, Christo Deo nostro charis, consequamur. Cui gloria, cum sempiterno ejus Patre, et cum coæterno et vitæ auctore vivificoque et bono Spiritu, nunc et semper et per sæcula sæculorum. Amen.

Τέλος τοῦ Βίου τοῦ ἁγίου Πατρός.

Explicit sancti Patris Vita.

Digitized by Google

ΕΓΚΩΜΙΟΝ

ΕΙΣ ΤΟΝ ΟΣΙΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΗΜΩΝ ΒΑΡΘΟΛΟΜΑΙΟΝ.

ENCOMIUM

IN SANCTUM PATREM NOSTRUM BARTHOLOMÆUM *.

f. Admirabilis est Deus in sanctis suis [1] : decet enim a carminibus psalmicis dicendi exordium facere, et quia tempori maxime convenit. Vere admirabilis est Deus in omnibus sanctis suis : et ut Trinitatem in hoc quoque veneremur, admirabilis est Deus in omnibus servis suis. Neque enim solum in prophetis et apostolis et martyribus, sed jam in sanctis quoque et ascetis admirandus exstitit Dominus : neque tunc solum cum in corpore vitam angelicam vivebant, sed etiamnum per processionem annuam, qua, stellarum orientium instar, illorum memoria recurrit, ipse Deus in iis glorificatur, eorumque certamina ærumnæque celebrantur, ac fidelium cœtus, illorum præconiis incitatus, ad eumdem zelum adducitur. Memoria enim, inquit, justi præconiis coronatur. B

2. Vos igitur, o concio divinitus collecta, quotquot filiorum spiritualium Patres facti et quotquot Patres Patrum esse dignati, et quotquot filiorum sortem nacti estis, agite gaudio spirituali exsultemus. Neque enim Patris solummodo, sed Patris patrum, et pastoris pastorum, et ductoris ductorum, memoriam hodie celebramus. Patris autem, et præsertim ejusmodi, memoriam recolere, omnino magnum est debitum : Patris, inquam, qui non ex sanguine neque ex voluntate carnis nos genuit, sed qui ex Deo per Spiritum nos regeneravit. Jam vero quis mihi dabit forcipe spirituali os aperiri, et carbone purgare labia? Quænam C enim lingua humana viri illius virtutes digno modo efferre valebit?

3. Jam quidem scio me magnum incurrere periculum, utpote parvus ego comparatus cum illo magno quem Patris denominatio cunctis, et regibus et magistratibus et universo populo illustrem ac notum reddidit, imo, qui Patris nomen per divina opera jure meritoque adeptus est et cognomen rebus gestis maxime conveniens acquisivit. Scio, inquam, scio et persuasum habeo, me, illius virtutes laudare aggredientem, juxta currum

α'. *Θαυμαστὸς ὁ Θεὸς ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ.* Καλὸν γὰρ ἀπὸ ψαλμικῶν ᾠδῶν τοῦ λέγειν ἀπάρξασθαι, καὶ λίαν τῷ καιρῷ προσφορώτατον· θαυμαστὸς ὁ Θεὸς ἀληθῶς ἐν πᾶσι τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ· καὶ ἵνα τὴν Τριάδα κἀν τούτῳ τιμήσωμεν, θαυμαστὸς ὁ Θεὸς ἐν πᾶσι τοῖς δούλοις αὐτοῦ. Οὐ γὰρ μόνον ἐν προφήταις καὶ ἀποστόλοις καὶ μάρτυσιν, ἀλλ' ἤδη καὶ ἐν ὁσίοις καὶ ἀσκητοῖς ἐθαυμαστώθη ὁ Κύριος· καὶ οὐ τότε μόνον, ὁπότε ἐν σώματι τὸν ἰσάγγελον βίον ἐπολιτεύοντο, ἀλλὰ καὶ νῦν διὰ τῆς ἐτησίου περιδρομῆς, οἷον ἀστέρων ἀνατολῆς τῆς μνήμης ἐπιδημούσης αὐτῶν, αὐτός τε δοξάζεται ἐν αὐτοῖς ὁ Θεὸς, καὶ οἱ τούτων ἀγῶνες καὶ κόποι σαλπίζονται, καὶ τὰ συστήματα τῶν πιστῶν εἰς ζῆλον παρακινοῦνται τὸν ὅμοιον τοῖς εἰς ἐκείνους ἐγκωμίοις ἑλκόμενοι· μνήμη γὰρ, φησὶ, δικαίου τοῖς ἐγκωμίοις ἐμπέπλεκται.

β'. Ὑμεῖς τοίνυν, ὦ θεοσύλλεκτον ἄθροισμα, ὅσοι τε Πατέρες παίδων πνευματικῶν ἐγεγόνειτε, καὶ ὅσοι Πατέρες Πατέρων εἶναι ἠξιώθητε, καὶ ὅσοι τῆς μοίρας τῶν τέκνων ὑπάρχετε, δεῦτε καὶ ἀγαλλιασώμεθα πνευματικὴν ἀγαλλίασιν· Πατρὸς γὰρ οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ πατέρων Πατρὸς, καὶ ποιμένων ποιμένος, καὶ ὁδηγῶν ὁδηγοῦ, τὸ μνημόσυνον ἑορτάζομεν σήμερον. Τὸ δὲ πατρὸς τὴν μνήμην ἐπιτελεῖν, καὶ μᾶλλον τοιούτου, κατάχρεως πάντως ἐποφειλόμενον· καὶ Πατρὸς, οὐχ ὃς ἡμᾶς ἐξ αἱμάτων καὶ ἐκ θελήματος ἐγέννησε τῆς σαρκὸς, ἀλλ' ὃς ἐκ Θεοῦ διὰ Πνεύματος ἀνεγέννησεν. Ἀλλὰ τίς μοι δώσει λαβίδι ἑτοιμῶσθαι προφητικῇ, καὶ τῷ ἄνθρακι τὰ χείλη καθάρασθαι; ποία γὰρ ἀνθρωπίνη γλῶσσα τρανῶσαι κατ' ἀξίαν δυνήσεται τοῦ ἀνδρὸς ἐκείνου τὰ κατορθώματα;

γ'. Οἶδα μὲν ὅτι μέγαν ἀναρριπτῶ κίνδυνον, ὁ βραχύς τις ἐγὼ τῷ μεγάλῳ ἐκείνῳ παραμετρούμενος· ὃν ἡ τοῦ Πατρὸς προσηγορία τοῖς πᾶσιν ἐγνώρισε, καὶ βασιλεῦσι καὶ ἄρχουσιν καὶ τῷ κοινῷ τοῦ πλήθους δῆλον κατέστησε· μᾶλλον δὲ, ὃς τὴν τοῦ Πατρὸς προσηγορίαν ἐκ τῶν ἐνθέων ἔργων ὀξίως ἐκτήσατο, καὶ προσφορώτατον εὗρε τῇ πράξει τὸ ὄνομα· οἶδα μὲν οὖν, οἶδα καὶ πέπεισμαι ὅτι πεζὸς δραμοῦμαι παρὰ λύδιον ἅρμα (1), τὰ ἐκείνου σεμνὰ

[1] Psal. LXVII 36.

(1) Diogenianus cent. VI, 28, dicit proverbium in eos qui longo intervallo in certamine relinquuntur.

* Ex interpretatione nostra. EDIT. PATR.

Digitized by Google

νειν βουλόμενος· ὁ γὰρ μηδὲ τῶν φαινομένων καὶ αἰσθητῶν τοὺς λόγους εἰδέναι δυνάμενος, πῶς διὰ γλώττης ἐκφᾶναι τὰ κατ' ἐκεῖνον τὸν μύστην νοουμένων ἰσχύσειν; Ἀλλ' ἐπειδήπερ ἡ σή με θειότης, Πάτερ πατέρων κοινὲ καὶ ἡμέτερε, ἐπὶ τοὺς λόγους τούτους κεκίνηκε, καὶ ταῦτα νοσερῶς πως καὶ ἀθλίως τοῦ σώματος ἔχοντα, ἔνθους ὥσπερ τις γίνομαι τῷ παρὰ σοῦ μοι ἐμπνεόντι πνεύματι· καὶ ἐπείπερ κινεῖ μὲν βορρᾶς καὶ ταράττει τὴν θάλασσαν, ἡ δὲ κυμαίνεται καὶ διεγείρεται· εἰ δ' ἀθρόον ἐπιλίποι τὸ πνεῦμα, καθίσταται· δεῖ γὰρ τοῖς ὑπό τινων διεγειρομένοις συνεχοῦς τῆς κινήσεως· διὰ ταῦτά μοι αὐτὸς, ὦ Πάτερ καὶ δέσποτα, ἡ μετὰ Θεὸν ἐμὴ ζωὴ ἢ καὶ πνοὴ, μὴ ἄπαξ μου τοῦ σου θειοτάτου πνεύματος ματαδοὺς, ἐπίχεε, ἀδιαλείπτως ἐπίπνεε, ἵνα μοι ὁ τῆς ψυχῆς τόνος εὐτονώτερος πρὸς τὴν ἄμιλλαν γένηται· ἄμιλλα γάρ μοι καὶ μέγα στάδιον ἀνέῳκται. Σὺ δὲ, καὶ οἱ σὺν σοί τε, καὶ μετὰ σὲ τὰ ἐκείνου γινώσκοντες ἀκριβέστατα, προκάθῃ τῶν ἐμῶν λόγων ἀκροατὴς καὶ ἐξεταστής· ἐγὼ δὲ διὰ τοῦτο δρόμον τρέχω διπλοῦν· τὸ μὲν, τῷ μεγάλῳ συνθέων Πατρί· τὸ δὲ, ὑπὸ σοὶ τῷ ἐκείνου μὲν ἐκλεκτῷ καὶ πρωτοτόκῳ παιδὶ, ἐν ᾧ καὶ ηὐδόκησεν, ἡμετέρῳ δὲ πατρὶ καὶ καθηγητῇ τὸν δρόμον τοῦ λόγου ποιούμενος.

δ'. Τί τοίνυν καὶ δράσομεν, ἀδελφοὶ, κάτω που ἐῤῥιμμένοι τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἀσυγκρίτου μεγαλειότητος; Τὴν τοῦ λόγου φλέβα ἀναστομώσωμεν; Ἀλλ' ὅπερ ἂν εἰπεῖν δυνηθείημεν, ἧττον ἐκείνου φανήσεται, καὶ τρόπον τινὰ ἀτιμάζειν τὰ ἐκείνου λογισθησόμεθα. Οἷς γὰρ οὐκ ἐφικνούμεθα, καθυβρίζομεν. Ἀλλὰ σιγήσωμεν; Καὶ ποῦ τῆς ὑπακοῆς ἡ ὑπόσχεσις; Πῶς δὲ ἄρα καὶ τὴν εὐγνωμοσύνην ἐπιδειξόμεθα; Ὁρᾶτε ὅπως διπλοῦς ἡμῖν ὁ κίνδυνος; ἑκατέρωθεν; Σκοπεῖτε ὅπως καὶ λόγος καὶ σιωπὴ εἰς ἔγκλημά μοι καθίσταται; Ἀλλὰ καὶ οὕτως ταλαντευόμενος, καὶ οὕτω τρυτανιζόμενος, καὶ τῇδε κἀκεῖσε περιφερόμενος, θαῤῥήσας ὡς εἴρηται τῷ γαληνωτάτῳ σου πνεύματι, σεβασμιώτατε Πάτερ, τὸ τοῦ λόγου ἱστίον πεποιθότως ἀναπετάσαιμι· σὺ δέ μοι ἐμπνέοις τὸν τοῦ παρὰ σοὶ πνεύματος γλυκύτατον ζέφυρον, ὁ διὰ Θεὸν, θεὸς ἡμῖν γνωριζόμενος· κἂν σὺ λέγῃς ὅτι Οὐκ ἐγὼ θεός εἰμι, θαῤῥούντως σοι ἀντιφθέγξομαι, ὡς διὰ τοῦτο μᾶλλον θεός· εἰκονίζει γάρ σου τὴν θέωσιν καὶ ὁ τῆς μετριοφροσύνης ὅρος, ἀκρ·βεστάτη εἰκὼν τῆς θεώσεως· ἀλλὰ πῶς οὐ θεὸς, Ὁ τοῖς θείοις κεκοσμημένος πλεονεκτήμασιν, οἷς ὁ θεῖος μεμόρφωται ἄνθρωπος· εἶτα καὶ πρὸς τὰ τῇδε ἐπεστρεμμένος, ὥσπερ τις νοερὰ δύναμις, καὶ ἡμῶν τῶν γηΐνων ἐπιμελούμενος;

ε'. Ἀρκεῖ μὲν οὖν, ὦ παρόντες, τῷ μακαρίῳ ἐκείνῳ καὶ ἀοιδίμῳ Πατρὶ εἰς ἐγκωμίων ὑπόθεσιν, ὁ Πατὴρ ὁ ἡμέτερος καὶ ὁ θεῖος οὗτος ὑμέτερος σύλλογος, ὁ νοητὸς οὗτος παράδεισος· οὗ μέσον μὲν ἵσταται ὡς τι δένδρον ὑψίκομον, ζωοποιοὺς ἡμῖν παρέχων διὰ γλώττης καρπούς· αὐτὸς οὗτος ὁ ποιμὴν ὁ ἡμέτερος· κύκλοθεν δὲ τούτου ὑμεῖς ὥς τινα θεῖα φυτὰ καὶ στερέμνια, τῆς ἐκείνου γλυκείας ῥίζης

A Lydium, ut proverbium habet, decurrere: cum enim ne ea quidem quæ apparent et sensibus percipiuntur, intelligere queam, qui potero eloqui illius viri mystici res gestas animum spectantes? At quoniam tua sanctitas, Pater patrum communis ac noster, ad hunc sermonem me, quamvis infelici corporis morbo oppressum, provocavit, spiritu tuo in me transeunte quasi inspiratum me sentio: et quoniam boreas quidem movet mare atque excitat, ita ut spumet et exagitetur, ubi vero procella subito deficit, ad quietem redigatur (siquidem omnibus ab alio excitatis perpetuo opus est impulsu), propterea tu, o Pater atque domine, post Deum vita mea vel halitus, tu qui haud semel divini tui spiritus participem me esse voluisti, affunde et continuo aspira, ut animi vigor vigorosior
B fiat ad certamen subeundum. Certamen enim et magna arena me exspectant: tu vero et qui cum te et post te illius virtutes accuratissime noverunt, tanquam præses et judex sermoni meo ades. Propterea duplicem cursum perficere debeo: primum quidem currens cum magno Patre, secundum autem, te auspice qui illius electus es ac primogenitus filius, in quo etiam sibi complacuit, nostro Patre ac præceptore stadium sermonis emensurus.

4. Quid jam faciemus, fratres, incomparabilis istius viri magnitudine depressi? Aperiemusne sermonis fontem? At quidquid dixerimus, illo inferius apparebit et quasi detrahere ejus virtutibus
C censebimur: ubi enim non attingimus, insultamus. An silebimus? Ubi vero obedientiæ promissio? quomodo promptæ voluntatis documentum exhibebimus? Videtisne quomodo duplex nos periculum urgeat? cernitisne quomodo et sermo et silentium in accusationem mihi cedant? Attamen vel sic velut in trutina jactatus, atque huc et illuc circumactus, placidissimo tuo, uti jam dixi, spiritu confisus, Pater reverendissime, sermonis velum cum fiducia pandam. Tu autem, qui per Deum deus nobis manifestatus es, suavissimo spiritus tui zephyro me affla: et si tu dixeris, Ego deus non sum, audacter tibi contradicam, ut propter hoc potius deus: divinitatem enim tuam demon-
D strat modestiæ virtus accuratissima Divinitatis imago. Sed quomodo non deus, qui est ornatus virtutibus divinis quibus homo divinus repræsentatur, deinde etiam ad terrena conversus, velut intellectualis quædam potestas, nostri mortalium curam habet?

5. Sufficit igitur, auditores, beato illi ac venerando Patri ad præconiorum argumentum, Pater noster et præcellens cœtus vester, intellectualis iste paradisus, in cujus medio collocatus est tanquam arbor altis frondibus eminens, vivificos ex ore suo nobis suppeditans fructus: hic ipse est pastor noster, circum eum autem vos uti divini ac fortes surculi, ex illius suavi radice proger-

Digitized by Google

minantes, et si nos νεόφυτοι (recens plantati) inter vos recipiamur, valde gaudebo : cæterum lignum amarum simul ac dulce longe abigatur. Hunc cœlestem paradisum cum Deo ille plantavit laboribus suis. Etenim si vos omnes ex eo qui nobis jam adest progerminastis, et ille primus plantavit, hic autem ex illo latices accipiens irrigavit : etiam hoc rursus gloriæ incrementum est illi. Deus autem, secundum meritum crescere fecit, idque per Patrem nostrum : hic enim vitam asceticam velut ditissimum talentum a summo viro accipiens, non in terra abscondidit et defodit, sed vobis probatis nummulariis tradidit ac Deo adjutore multis vicibus auxit. Atque hoc etiam, quod nimirum talis filii pater fuerit, illi in præconiorum locum cedit.

6. Si vero oportet etiam secundum alias virtutes illum depingere, quis in sudoribus et laboribus pro Deo subeundis proprio corpori non pepercit? quis oculum somni expertem conservavit uti bonus pastor, ad gregis sui securitatem? Cum enim sciret hanc ærumnosam vitam vere magi vicem tenere, et, quia propria pulchritudine, qua naturam nostram seducere queat, omnino destituitur, variis illecebris et quasi incantamentis, insuper deliciis fictitiis ac speciosis prætextibus allicere adse conari, ille hujus turpitudinem omnino manifestam reddidit, falsamque voluptatem removit atque refutato apparatu scenico mendacium apparere fecit. Quis subtilitate ingenii, quis vigore mentis æquiparavit illum qui animo vegeto quæ ad Deum resque divinas pertinent semper versabat? quis tam suavis in loquendo, promptus ad respondendum, hilaris in conversando? Quis tam aptus ad difficultates Scripturæ enucleandas verumque sensum detegendum? quis, illius instar, cum optimis degens, nec infirmorum discipulorum salutem negligebat? Sed quo excellebat ingenio, in medio divinarum humanarumque rerum constitutus, neque omnino inferiora omisit, et illis hæc temperare optime polluit. Quis tanta præditus experientia exstitit animarum medicus qui semper ad infirmitatis gradum miscere medicinam calleret? Modo enim balneis atque cataplastris, modo incisionibus et exustionibus ægrotum curabat; nunc medicamentis lenioribus, nunc acrioribus efficacioribusque utebatur; et sicubi morbi affectionem ulcerosam et periculosissimam deprehendisset, haud leviter illam tetigit, neque videres trementem eum vel palpitantem accedere, imo usque ad intimos animæ recessus ferrum infixit.

7. Quis æque divinis suavibusque sermonibus auditorum animas demulsit? quis æque tumentes depressit, lapsos autem erexit et a præcipitiis in planitiem reduxit? quis illius instar in omni rerum statu constans fuit, neque celeri abreptus est impetu? Multum enim abfuit quin omnibus cede

A ἀναδιδόμενα· εἰ δὲ καὶ ἡμεῖς οἱ νεόφυτοι ὑμῖν συντετάγμεθα, ἀγαπῴην ἄν· τὸ δὲ πικρόγλυκον ξύλον μακρὰν ἀπελήλατο· τοῦτον τὸν θεῖον παράδεισον, ἐκεῖνος μὲν σὺν Θεῷ κόποις ἰδίοις ἐφύτευσε· εἰ γὰρ ἐκ τούτου τοῦ νῦν συνόντος ἡμῖν πάντες ὑμεῖς ἀναφύητε· τὸν δὲ, πρῶτος ἐκεῖνος ἐφύτευσεν, ἤρδευσε πάλιν οὗτος ἐξ ἐκείνου τὸ ῥεῦμα δεξάμενος· καὶ τοῦτο δ' αὖθις, ἄλλη δόξης ἐκείνῳ προσθήκη προσγίνεται· ὁ δὲ Θεὸς κατ' ἀξίαν ἐπηύξησεν· ἐπηύξησε δὲ διὰ τοῦ ἡμετέρου Πατρός· οὗτος γὰρ τὴν ἀσκητικὴν πολιτείαν ἐκ τοῦ μεγάλου διαδεξάμενος ὡς πολύλοβον τάλαντον, οὐκ εἰς γῆν κατέκρυψε καὶ κατέχωσεν, ἀλλ' ὑμῖν τοῖς καλοῖς τραπεζίταις καταβαλὼν, κατὰ τὸ πολυπλάσιον ηὔξησεν ὑπὸ Θεοῦ συνεργούμενος. Καὶ τοῦτο δὲ πάντως προσθήκη τῶν B ἐγκωμίων ἐκείνῳ, τὸ τοιούτου γενέσθαι πατέρα παιδός.

ς'. Εἰ δὲ δεῖ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐκεῖνον καλοῖς κατὰ μέρος χαρακτηρίζεσθαι· τίς μὲν ἐν τοῖς κατὰ Θεὸν ἱδρῶσι καὶ πόνοις τοῦ οἰκείου σώματος οὐκ ἐφείσατο; τίς δὲ τὸ ὄμμα διετήρησεν ἄγρυπνον ὡς ποιμὴν ἀγαθὸς, πρὸς τὴν τοῦ οἰκείου ποιμνίου ἀσφάλειαν; Εἰδὼς γὰρ ὡς ἀτεχνῶς μάγος ἐστὶν ἡ τοῦ πολυμόχθου τοῦδε βίου ζωὴ, διὰ δὲ τὸ, κάλλους οἰκείου αὐτὴν ἀπορεῖν, δι' οὗ τὴν φύσιν ἡμῶν θέλγειν δυνήσεται, ἴυγξί τέ τισι καὶ θελγήτροις, ἀλλὰ μὲν καὶ κάλλεσιν ἐπιθέτοις, καὶ κατατέχνοις ἰδέαις πρὸς αὐτὸν ῥίπτειν ποιεῖ, ἐκεῖνος τὸ αἶσχος αὐτοῦ διὰ παντὸς ἀνεκάλυπτε, τὴν ἐπίπλαστον ἀφαιρούμενος ἡδονήν· καὶ ἀπελέγχων τὸ δρᾶμα αὐτοῦ, καὶ ὑποδεικνὺς τὴν ὑπόκρισιν· τίς τοσοῦτον ὀξὺς ἐν φρονήσει, καὶ ἀγχινούστατος ἐν συνέσει, καὶ ἐσπουδασμένον ἀεὶ πρὸς τὰ περὶ Θεοῦ καὶ τὰ θεῖα, καὶ ἄσχολον περιφέρων τὸ φρόνημα; Τίς οὕτω γλυκὺς ἐν τῷ λέγειν, ταχὺς ἐν τῷ ἀποκρίνεσθαι, καὶ ἱλαρὸς ἐν τῷ τυγχάνεσθαι; Τίς οὕτως ἐφευρετὴς ἀπορίων Γραφικῶν καὶ διαλύσεων ἀληθῶν; τίς οὕτω μετὰ τῶν κρειττόνων γενόμενος, ἢ καὶ τοῦ κρείττονος τῶν κάτω μαθητῶν οὐκ ἐπελάθετο; Ἀλλ' οἷον ἦν ἐκείνῳ τὸ τῆς φύσεως περιδέξιον, ὅτι θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων ὑπάρχων μεταίχμιον, οὔτε πάντη τῶν κάτω ἀφίστατο, καὶ τὴν πρὸς ἐκεῖνα ἀνάκρασιν ἐπλούτησε καθαρῶς· τίς οὕτω θεραπευτὴς ὑπῆρχε ψυχῶν ἐμπειρότατος, καὶ πρὸς τὸ τοῦ νοσήματος D μέτρον τὴν θεραπείαν ἐπάγων; Καὶ πῇ μὲν, λουτροῖς τισι καὶ μαλάγμασι τὸν νοσοῦντα ἰώμενος, πῇ δὲ τομαῖς τε καὶ καύσεσι· καί ποτε μὲν φαρμάκοις ἠπιωτέροις, ποτὲ δὲ δραστικωτέροις καὶ δηκτικοῖς· εἰ δὲ καὶ ἴσως ὑποῦλον ἐπέγνω τὸ τοῦ νοσήματος πάθος, καὶ ὅλως κακόηθες, οὐκ ἐπιπολαίως τούτου ἐφήπτετο· οὐδ' οἱ ἐπιμύσσον ὡρᾶτο τὸ ὑπογάστριον, ἀλλ' ἄχρι καὶ ἁρμονίας καὶ ψυχῆς μυελῶν τὸν σίδηρον ἐνέβαθυνε.

ζ'. Τίς οὕτω ταῖς θείαις καὶ μελιῤῥύτοις αὐτοῦ ἐπῳδαῖς κατέθελγε τὰς τῶν ἀκουόντων ψυχάς; καὶ κατέστελλε μὲν οἰδούσας, ἀνήγειρε δὲ πεπτωκυίας, καὶ ἀπὸ τῶν ἀκροτήτων περιῆγεν εἰς τὴν μεσότητα; Τίς οὕτως οὐ πάντη μὲν τοῖς πράγμασι μετεβάλλετο, οὐδὲ ταχείας ἐλάμβανε τὰς ῥοπάς; ἐφυλάττετο δὲ

Digitized by Google

μὴ πᾶσιν εἶναι ἐνδόσιμος· ἀλλὰ γὰρ τίς οὕτως ὑψηλότατος μὲν ὑπῆρχε τὸν νοῦν, τὴν δ' αὖ ἁρμονίαν, ἢ καὶ τὸ κάλλος τῆς φράσεως προέφερεν ἀπαράμιλλον; Μελιχρὸν ἐκείνου τὸ στόμα, τῶν καρδιῶν θέλγητρον· μοῦσα τοῖς πᾶσι τῶν ἐννοιῶν ἐγινώσκετο, γλεῦκος γλυκάζων, ἀμετάβλητος φύσις· ὁ αὐτὸς γὰρ ἦν ἁπανταχοῦ, οὐ μεταβάλλων, οὐδὲ μεταποιούμενος· ἐν τῷ διδάσκειν τὰ σαφῆ ὑψηλολογῶν· ἐν δὲ τῷ λέγειν, τὰ ὑψηλὰ τελέως διασαφῶν· ἀλλ' ἐπιστέλλων, ὑπέρευγε τῆς γλυκύτητος· τοιαύτην γὰρ ἐπλούτησε, καὶ γλῶτταν ἐν λέξεσι, καὶ φύσιν ἐν τοῖς νοήμασιν, οἵαν οὐδεὶς τῆς καθ' ἡμᾶς γενεᾶς· αὐτὸς γάρ μοι μάρτυς ὁ ἐκείνου Θεὸς, ὡς οὐδεπώποτε συνομιλήσας ἐκείνῳ ἀπῆλθον μὴ θαυμάσας καὶ ἐκπλαγείς τὴν τούτου ψυχὴν καὶ διάνοιαν· καὶ τοσοῦτον ἔσχε θνητῇ γλυκύτητι, ὡς μηδέποτε κόρον λαμβάνειν τῆς αὐτῶν ἀκροάσεως· ὡς ἐπιλανθάνεσθαι ὕπνου νηδύμου πόσις τε καὶ ἐδήτυος, 'μηδὲ μιμνήσκεσθαι· ὡς μίαν δέ μοι τῶν εἰκοσιτεσσάρων ὡρῶν τοῦ νυχθημέρου, οὐρανίαν εἶναι περίοδον.

ἡ'. Καί μοι τῶν ἠθῶν αὐτοῦ τύπος ἔτι ἐγκάθηται τῇ ψυχῇ, καὶ ἐνεσφράγισται ταύτῃ τὰ ἴχνη τῶν αὐτοῦ διαλέξεων, καὶ ἡ τῆς ἁρμονίας ἠχὼ ἔτι μου τὰ ὦτα περιβομβεῖ, καὶ μακάριον ἀληθῶς τῷ τηνικαῦτα ἐνόμιζον ἐμαυτόν, ὡς τῶν ἀπὸ τοῦ σωφρονοῦντος προϊόντων στόματος ὄντα ἐπήκοον, δι' οὗ Θεὸς φθέγγεται, καὶ πνεῦμα σοφίας ἐπιχορηγεῖται καὶ γνώσεως· οὐδὲν γὰρ ἀπεῖχε ὄντι σεραφικοῦ τινος ὄμματος ὀξύτατα βλέποντος, καὶ εἰς κύκλον τὴν ὅρασιν ἀπαρτίζοντος. Ἵνα δὲ καὶ ὑμεῖς εἰδῆτε τὴν ἄκραν τῶν λεγομένων ἀλήθειαν, καὶ μὴ τούτοις διὰ τὸ ὑπέρογκον ἀπιστήσητε, ἔν τι τῶν ἀπομνημονευμάτων ἐκείνου τοῖς φιλοτοιούτοις ὑμῖν ἀκροαταῖς παραθέμενος. Πρὸς δὲ καὶ μικρά τινα τῶν ἐκείνου κατορθωμάτων τούτοις ἐπενεγκών, τὸ μὲν, διὰ τὸν πολέμιον κόρον ταῖς ἀκοαῖς, τὸ δὲ, διὰ τὴν συνέχουσαν νόσον τοῦ σώματος (πέφυκε γάρ πως τὸ νοερὸν τῆς ψυχῆς συγκάμνειν τῷ σώματι, διὰ τὴν ξένην καὶ ἄῤῥητον ἕνωσιν), τῷ λιμένι τῆς σιωπῆς, τὸ τοῦ λόγου πλοιάριον καθορμίσαιμι.

θ'. Ὤχλουν ποτὲ τὸν μακάριον κατ' ἰδίαν γενόμενος σὺν αὐτῷ, καὶ Γραφικῶν τινων ζητημάτων ἀπῄτουν σαφήνειαν. Ὁ δὲ προσηνεῖ μοι ἐμβλέψας τῷ ὄμματι, καὶ μικρὸν δὲ ὑπομειδιάσας, ὡς ἐν τοῖς χαρίεσιν εἴθιστο, Φορολόγος μοι ἀτεχνῶς, ἔφησεν ἔοικας εἶναι, τέκνον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν λογοφόρος. Ἐγὼ δὲ, εἰ καὶ πρὸς βραχὺ παραιτοῦμαι τὴν αἴτησιν, σκόπησον ὡς ἀγχίνους αὐτὸς, μή ποτε ὃ δυσχεραίνω φιλῶ, καὶ ὃ παραιτοῦμαι ποθῶ· καὶ οὐ μέμῳ μου τὴν ὑπέρθεσιν. Ἐὰν γὰρ ψυχὰς εἶχον αἱ τῶν ὑδάτων πηγαὶ, ηὐφράνθησαν ἂν ἐξαντλούμεναι· ἀπεκρίθησαν δ' ὅμως τῷ λόγῳ, ὡς ἐπαχθῶς ἔχουσιν ἀρυόμεναι. Κἀγὼ τοίνυν προθύμως τὴν σὴν λεκανίδα καὶ κάλπιν προσδέχομαι· τὸ γὰρ νᾶμα τῶν λόγων οὐ δέδια μὴ ἐπιλείψαι με· ἐπεί τοί γε τὸ ἐμὸν παρέσικε τῶν

ret. Quis porro eum excelso æquavit animo? quis comparari poterit cum concinno ejus honestoque dicendi genere? Mellifluum illius os animas delectabat : ex omnibus ejus sententiis ingenium elucebat atque summa suavitas et naturæ constantia. Ubique idem erat, neque varians, neque arrogans : in docendo perspicua attollebat ; in dicendo ardua optime explicabat ; in scribendis autem litteris, qualis tandem suavitas ! Adeo enim leporibus facetis et sententiis amœnis abundavit, uti hac nostra ætate nemo alius. Deus mihi testis est, me nunquam discessisse ab ejus colloquio, quin admiratione illius ingenii perculsus essem, ac tanta erat ejus suavitas, ut auditores nunquam tædio afficerentur, imo dulcis somni, cibi potusque prorsus obliviscerentur, et ut diem cum eo transactum velut unam horam cœlestemque conversationem reputarem.

8. Adhuc memoriæ hæret morum illius ratio; adhuc animo impressa sunt sermonum ejus vestigia; adhuc harmoniæ sonus circumstrepit aures meas : nam vere beatum me existimabam illo tempore quo audire mihi licebat dicta provenientia ex sapiente ore per quod Deus loquitur et spiritus sapientiæ intelligentiæque donatur. Vere enim seraphico acutissimoque præditus fuit oculo quo omnia circum sese accuratissime perspiciebat. Ut autem vos quoque eorum quæ dico exactam intelligatis veritatem neque quasi exaggeranti fidem denegetis, unam rem ex illius vita memoria dignam vobis velut auditoribus gratificaturus enarrabo nec non leviora quædam ab eo dicta addam, partim ut tædium audiendo contrarium depellam, partim quia corpus minus bene valet (propter miram enim illam et infandam unionem ita a natura est constitutum, ut cum corpore simul anima rationalis doleat) : et sic tandem sermonis naviculam ad silentii portum appellam.

9. Accidit aliquando ut beatum virum, cum soli essemus, urgerem et quæstiones quasdam biblicas ut explicaret ab eo peterem. Ille vero, leni me intuens oculo et paululum, uti in rebus gratis solebat, subridens : Revera, inquit, tu φορολόγος (2) (vectigalium exactor), aut potius λογοφόρος (qui verba profert) esse videris. Quod si ego ad breve tempus quæstionem rejicio, tu velut prudens considera, quæso, annon illud quod reprobo diligam, et quod rejicio desiderem, atque sic dilationem haud reprehendes. Nam si aquarum fontes haberent animas, exhausti gauderent quidem, attamen quod exantlati sint, moleste se ferre dicerent. Igitur ego quoque libenter vasculum tuum accipio : neque enim fontem verborum mihi un-

(2) Hujusmodi facetias nonnisi rarissime in aliam linguam transferri posse dubio caret, ideoque duas voces Græcas in quibus auctor lepidissimo genio indulget, retinendas esse censuimus. Edit. Patr.

Digitized by Google

quam defuturum esse scio, siquidem iste fons mulierum mammis similis est (noli autem hac comparatione offendi : nihil enim turpe quod natura produxit). Quomodo igitur illæ lac illinc scaturiens effundant ? non est enim tale neque tantum in carne, sed labia parvulorum sugentium mammam exsugentia et summam mamillam comprimentia humores in profundo latentes hauriendo educunt atque profluere faciunt, estque sane evidens ex eo quod, simul atque parvulus sugere desinit, mamma arescit neque amplius lac fluit : eodemque modo se habent putei, in quibus per effossionem aqua educitur, neque, ut nonnulli opinantur, apparet agglomerata in quibusdam convallibus, sed latices fodiendo compressæ abundanter promanant : sic ego quoque iis qui verba mea effodiunt, rationales fontes suppedito, et quando me fodiunt, scaturio.

10. Quibus auditis, protinus obticui hæsique animo ac mecum sic fere reputavi : Quomodo tandem fit ut hic vir, morali ac politica philosophia optime instructus, et in theologia versatissimus, nec in rerum naturalium scientia hospes sit ? Jam vero animam ejus comparavi cum margarita, candidissima et fulgente et sursum coeunte et ad Deum vergente. Naturæ enim studio incumbens, velut quibusdam vinculis se constrinxit, ut ad instar lapidis, digitorum compressione in altum emissi, atque ad modum sagittæ a perito sagittario projectæ, ad cœlestem scopum dirigeretur.

11. At tu, o Pater patrum, solitariæ vitæ dux et magister (ignorabatur enim, cum inter nos versaretur, tanquam vas abjectum), qui hinc discessisti, et asceticis alis sublatus nunc apud Deum degis, jam haud amplius de terrenis curam agis : imo lex, opinor, vos in cœlum receptos ad nostram terram reverti prohibet : nos autem, ut filii ac discipuli, supplicamus, primogenitum tuum filium et zelatorem et Patrem nostrum tanquam mediatorem tibi adducentes, et precamur ut, siquidem divina mansuetudo, cujus a pueris tenebaris desiderio, te recepit et in divinis immutabilibusque habitationibus summa te voluptate imbui voluit, haud obliviscaris intercedere apud Dominum pro nobis, eumque precibus tuis propitium reddas nobis qui, quamvis adhuc in terra, tui sumus. Tu autem, Pater noster, te ipsum accusa, si sermonis nostri amplitudo nauseam tibi creet : tu enim ipse profundum hoc poculum tibi nos miscere jussisti.

12. Nos vero, o Patres et fratres, venerandum illum Patrem ac sempiterna memoria recolendum imitari studeamus : habemus enim ducem imitationis hunccce nostrum præceptorem ac magistrum, qui ad illius vitam et mentem, ut nemo alius eorum qui adsunt, se formavit, ejusque imaginem simillimam et mores sincerissimos exhibet. Habemus,

A γυναικῶν ταῖς θηλαῖς (καὶ μή μοι τὸ παράδειγμα ἐπιμέμψοιο · οὐδὲν γὰρ ἀπόβλητον ἔργον τῆς φύσεως). Πῶς οὖν ἐκεῖναι τοῦτο πηγάζουσιν αὐτὸ τὸ γάλα τὸ βλύζον ἐκεῖθεν ; Οὐ τοιοῦτόν ἐστιν, ἀλλ' οὐδὲ τοσοῦτον ἐν ταῖς σαρξὶ, τὰ δὲ τῶν θηλαζόντων στόματα βρεφυλλίων τὸν μασθὸν ἐκπιέζοντα, καὶ τὸν ἔμπροσθεν μῦν ἐπιθλίβοντα, τὰς μὲν ἐγκατεσπαρμένας τῷ βάθει νοτίδας τῷ ἑλκυσμῷ ἀνυγραίνουσιν, εἰς ῥεῦμα δὲ μεταποιοῦσιν αὐτό · καὶ τεκμήριον, ὅτι ἐὰν ἐπιλίποι τὸ θηλάζον βρεφύλλιον, κατέψυκται ὁ μαστὸς, καὶ οὐδαμοῦ τὸ γάλα προχέεται · καὶ δοκεῖ πῶς τὸ πᾶν ἐοικέναι φρεωρυχίᾳ · κἀκεῖθεν γὰρ ἡ διωρυχὴ τὸ ὕδωρ ἐκθλίβει, καὶ οὐκ ἀναφαίνει, καθώς τινες οἴονται, ἐντεθαυρισμένον κάτω που τοῖς κοιλώμασιν, ἀλλὰ νοτίδες συνθλιβόμεναι τοῖς ὀρύγμασι, τὰς ἐπιῤῥοὰς ἐπιλείβουσιν. Οὕτω τοίνυν κἀγὼ τοῖς τῶν λόγων μου φρεωρύχοις τὰς λογικὰς ἀποδίδωμι πίδακας. Εἰ γὰρ ὀρύττομαι παρ' αὐτῶν, ἀνυγραίνομαι.

B ι'. Τούτων ἀκούσας ἐγὼ, παραχρῆμα γέγονα ἐνεὸς, καὶ διηπόρουν κατ' ἐμαυτὸν, καὶ ὥσπερ ὑπεφθεγγόμην τῷ λογισμῷ · Πόθεν ἄρα ὁ ἄνθρωπος οὗτος τὴν ἠθικήν τε καὶ οἰκονομικὴν φιλοσοφίαν εἰς ἄκρον ἐξασκηκὼς, ἤδη δὲ καὶ τὴν θεολογίαν κατωρθωκὼς, οὐδὲ τῆς φυσιολογίας αὐτῆς ἀπολέλειπται ; Ἀλλὰ καὶ μαργαρίτην ἀπείκαζον εἶναι τὴν ἐκείνου ψυχὴν, λευκότατόν τε καὶ στίλβοντα καὶ εἰς ἄκρον σφαιρούμενον, καὶ πρὸς Θεὸν ἄνω πεμπόμενον. Συνέσφιγγε γὰρ ἑαυτὸν οἷά τισι πείσμασι ταῖς τῶν ὄντων περιπλοκαῖς, ἵνα ὥσπερ οἱ πυρῆνες, διὰ τοῦ τῶν δακτύλων πιέσματος πρὸς οὐρανὸν ἀφεθεὶς, οἷα δὴ μέλος ἐντέχνου τοξότου χειρὶ, πρὸς τὸν ἄνω σκοπὸν ἀποτοξευθείη.

C

ια'. Ἀλλ', ὦ Πάτερ πατέρων, καὶ τῆς μοναδικῆς πολιτείας καθηγητὰ καὶ διδάσκαλε (ἠγνώητο γὰρ παρ' ἡμῖν, καὶ ὥς τι σκεῦος ἀπεριττοάχρηστον), σὺ μὲν ἀπάρας ἐντεῦθεν, καὶ ἀσκητικοῖς πτεροῖς κουφισθεὶς, καὶ τῷ Κρείττονι συγγενόμενος, ἤττον φροντίζεις τῶν λογυδρίων ἡμῶν · ἀλλὰ καὶ νόμος ἐστὶν, ὡς ἀκούω, τοῖς ἀποθεωθεῖσιν ὑμῖν, μηκέτι πρὸς τήνδε ἡμῶν τὴν ἐσχατιὰν ἐπιστρέφεσθαι. Ἡμεῖς δὲ καὶ παῖδες καὶ μαθηταὶ ἱκετεύομεν, τὸν σὸν πρωτότοκον παῖδα καὶ ζηλωτὴν καὶ Πατέρα ἡμέτερον εἰς μεσιτείαν σοι προβαλλόμενοι · καὶ ἀξιοῦμεν ὡς ἐπείπερ ἡ θεία γλυκύτης ἦν, ἣν ἐκ νεότητος ἐπεπόθησας, πρὸς ἑαυτὴν ἀνειλκύσατο, καὶ ταῖς θείαις καὶ ἀκηράτοις μοναῖς ἐπεντρυφᾷν σε ἠξίωσε · μὴ ἐπιλάθῃ πρεσβεύειν τὸν Δεσπότην ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ θεῖναι τοῦτον διατιθέναι ἡμῖν τοῖς κάτω καὶ σοῖς, ταῖς πρὸς αὐτὸν ἱκεσίαις σου · ἀλλ' ἐνεπλήσθης, ὦ Πάτερ ἡμεδαπὲ, τῆς ἅλμης τῶν λόγων μου · σαυτὸν αἰτιῶ · αὐτὸς γὰρ ἐπελέξω τὸ θαλάττιον πόμα τόδε κεράσαι σε.

D

ιβ'. Ἡμεῖς δ', ὦ Πατέρες καὶ ἀδελφοὶ, τὸν ἀοίδιμον ἐκεῖνον Πατέρα καὶ ἀείμνηστον μιμήσασθαι σπουδάσωμεν · ἔχομεν γὰρ ὁδηγοῦντα ἡμᾶς πρὸς τὴν μίμησιν τὸν ἡμέτερον τόνδε καθηγητὴν καὶ διδάσκαλον, ἐκείνου καὶ βίον καὶ λόγον ὡς οὐχ ἕτερος τῶν συνόντων ἀναμαξάμενον, καὶ εἰκόνα ἀπαράλλακτον καὶ χαρακτῆρα ἀπαράγραπτον αὐτοῦ χρη-

Digitized by Google

ματίσαντα. Ἔχομεν εἰ βουλόμεθα τὴν μετὰ λόγου καὶ θεωρίας πρᾶξιν· ἢ καὶ τὸν ἔμπρακτον λόγον τοῦ ἡμετέρου Πατρὸς, καθοδηγοῦντα ἡμᾶς καὶ φωτίζοντα, καὶ δυσὶ τοῖς στύλοις φαεινοτάτοις παρ' αὐτοῦ ποδηγούμεθα· ἢ τό γε ἀληθέστερον εἰπεῖν, διπλῇ τῇ διδασκαλίᾳ, τῇ διὰ λόγου καὶ τῇ διὰ πράξεως. οἶδε γὰρ ἀσφαλῶς ὁπόθεν κτήσαιτο τὸ μακάριον. Μὴ τοίνυν ὡς νόθοι τινὲς κατὰ καιρὸν λεχθείημεν, καὶ τῆς πατρικῆς οὐσίας ἐλεεινῶς ἀποκληρωθείημεν. Ὡς γὰρ ἐκ τῶν παλαιοτέρων ἱστοριογράφων μανθάνομεν εἶναι τινὰ ποταμὸν κελτικὸν, τὸν τὰ νόθα τῶν γνησίων ἐκκρίνοντα (3), οὕτω καὶ παρὰ τῶν ἡμετέρων μανθάνομεν, ἄλλον εἶναι πύρινον ποταμὸν, ἐν ᾧ τὰ οἰκεῖα τέκνα τῶν ἀλλοτρίων χωρίζονται.

A si libet, actionem cum ratione et intelligentia, seu Patris nostri actualem rationem quæ nos conducit et illuminat, ita ut duabus columnis splendidissimis ab eo dirigamur, vel potius duplici disciplina, nimirum doctrinæ et actionis. Bene namque novit unde beatitudinem acquisiverit. Utinam igitur nunquam velut spurii reputemur, aut paterna fortuna misere excidamus! Quemadmodum enim ex antiquis historicis comperimus fluvium quemdam exsistere Celticum, qui spuria a genuinis discernit, ita a nostris quoque novimus alium esse fluvium igneum, quo genuini infantes ab alienis separantur.

ιγ'. Φοβηθῶμεν τοίνυν τὸν χωρισμόν· κἂν γὰρ τὰς πρώτας ὑποσχέσεις ἐκείνας, ἃς πρὸς Θεὸν πεποιήκαμεν, ἐκ ῥᾳθυμίας διεψευσάμεθα, ἀλλὰ μὴ καὶ ταύτης τὰς τελευταίας, μεθ' ἃς οὐκ ἔστι ἑτέρων ἀφορμὴ ὑποσχέσεων, ὀδυνηθῶμεν προσκαίρως, ἵνα ἡδυνθῶμεν αἰωνίως. Στενοχωρηθῶμεν τὴν λυομένην στενοχωρίαν, ἵνα δι' αὐτῆς τὴν ἀκατάλυτον εὐρυχωρίαν κερδήσωμεν· ἵνα πλατυνθῶμεν διὰ στενώσεως· ἵνα διὰ πόνου ἀναπαυσώμεθα. Οὕτω καὶ Λάζαρος διὰ πόνου εὗρε τὴν ἀνάπαυσιν· οὕτως ὁ πλούσιος δι' ἀναπαύσεως εὗρε τὴν κόλασιν. Ἀναλογισώμεθα, ἀδελφοὶ, πόνον τοῦ σώματος πρόσκαιρον, καὶ θλῖψιν τῆς ψυχῆς ἀτελεύτητον· τρυφὴν καιρικὴν καὶ ἀνάπαυσιν, καὶ χαρὰν αἰωνίαν καὶ ἀναφαίρετον· τίς ὅλως κύριος ὢν λογισμοῦ, διὰ μικρὰν ἡδονὴν τὴν μακρὰν ὀδύνην ἀλλάξαιτο; Ἢ καὶ διὰ μικρὰν ὀδύνην τὴν μεγίστην ἡδονὴν παραιτήσαιτο; Ἀστεκτος ἡ γέεννα τοῦ πυρὸς, ἣν ἡμῖν προξενεῖ τὰ πεπυρακτωμένα βέλη τοῦ πονηροῦ. Φοβηθῶμεν, ἀγαπητοὶ, μὴ τῷ στήθει καὶ τῇ κοιλίᾳ ἡμῶν ἐμπεριπατήσει ὁ τούτοις ἀεὶ ἐμπεριπατεῖν πεφυκὼς, καὶ ἡμᾶς τὴν ὁμοίαν σπουδάζων ἐκδιδάσκειν διατριβὴν, δι' ἧς ἡμῖν ἐκπυροῦται τὸ πῦρ, καὶ ὁ σκώληξ ἐκεῖνος γεννᾶται ἀκοίμητος. Ὁ Θεὸς πῦρ καυστικὸν οὐκ ἐποίησε· μὴ τοίνυν ἡμεῖς ἑαυτοῖς ἐξ ἀδουλίας ἐκεῖνο ἀνάψωμεν· εἰ δὲ καὶ ἀνάψωμεν, σβέσαι τοῦτο δι' εὐδουλίας σπουδάσωμεν. Ἀνάπτεται δι' ἡδονῶν, καὶ βρασμωδῶν γελώτων καὶ διαχύσεων, σβέννυται δι' ὀδυνῶν καὶ θερμῶν δακρύων καὶ θλίψεων. Ὁ σκώληξ ἀκοίμητος· ἀλλ' ἡμεῖς κατακοιμίσαι τοῦτον ταῖς διὰ Θεὸν ἀγρυπνίαις ἀγωνισώμεθα. Ὁ τῶν ὀδόντων βρυγμὸς ἀκατάπαυστος, ἀλλ' ἑτέρῳ βρυγμῷ τῷ διὰ μεταμελείας καταπαῦσαι αὐτὸν ἐπειξώμεθα· κλαυθμῷ καιρικῷ τὸν αἰώνιον κλαυθμὸν καταπαύσωμεν· ἕρπει δὲ ἐπὶ βάθους σηπεδῶν, ἀλλ' ἡμεῖς τὰς πληγὰς τῷ ἰατρῷ ὑποδείξωμεν.

B 13. Metuamus igitur separationem, et si primas illas promissiones quas Deo dedimus, animi levitate seducti obliti sumus, ne etiam hujus ultimæ simus immemores, post quam promissionibus haud amplius erit locus. Doleamus paululum ut æterno gaudio perfundamur : ingrediamur per angustum tramitem, ut per eum æterno ac spatioso potiamur : ut per angustias dilatemur, ut per ærumnas ad requiem perveniamus. Sic et Lazarus per ærumnas adeptus est quietem : sic dives per quietem invenit pœnam. Reputemus, fratres, ærumnas corporis momentaneas, et afflictionem animæ infinitam : voluptatem et quietem temporalem, et gaudium æternum et indissolubile. Quis tandem, si modo mentis suæ compos est, brevi gaudio longum dolorem prætulerit? quis propter parvum dolorem summum gaudium aspernabitur? Intolerabilis est gehenna ignis quam ignea mali tela nobis præparabunt. Caveamus, charissimi, ne in pectore et ventre nostro ambulet ille qui in istis ambulare consuevit, et qui semper nos edocere conatur eam vivendi rationem qua nobis accenditur ignis, et progignitur vermis ille nunquam dormiens. Deus ignem urentem non fecit : ne igitur nos ipsi illum temere nobis accendamus, et si accenderimus, per vitam honestam exstinguere studeamus. Accenditur per effusos risus nimiamque hilaritatem, exstinguitur per dolores, afflictiones calidasque lacrymas. Vermis ille nunquam dormit; at nos vigiliis quas ob Deum sublimus, sopire eum conemur : stridor dentium finem non habet, at nos pœnitentiæ stridore ei finem imponere studeamus : planctu temporali effugiamus æternum planctum : in imis recessibus putredo gliscit, at nos vulnera medico ostendamus.

ιδ'. Οὐκ ἀκούομεν τοῦ Δαβὶδ λέγοντος, ἀνύποιστον ἀνθρώποις εἶναι τὴν τῶν ἀνομιῶν ἡμῶν τοῦ Θεοῦ παρατήρησιν; Φρίξωμεν τοιγαροῦν τὴν φρικτὴν ταύτην Δεσποτικὴν παρατήρησιν. Πάντα γὰρ τὰ ἔργα ἡμῶν ὁποῖά ἐστι, τὸ πῦρ δοκιμάσει· μὴ

14. Nonne audimus Davidem dicentem quod divina peccatorum nostrorum observatio hominibus sit intolerabilis? Horreamus igitur horrendam istam Domini observationem. Omnia opera nostra qualia sint, ignis probabit : ne igitur Christi funda-

(3) Intelligit Rhenum, cujus aquas vim habuisse legitimos partus a spuriis discernendi fabulantur varii auctores.

Digitized by Google

mento materiam facile inflammabilem superstruamus. Ad hoc autem requiritur spontanea hac in terra incensio. Uti enim aurum in fornace purgatur, ita etiam anima per comburentem afflictionem suum recipit splendorem. Caveamus, fratres, ne unquam, contaminantes primam ac secundam vestem, qua induti sumus per baptismum ac per pœnitentiam, purissimo illo splendidoque Sponsi conclavi ejiciamur, et sors nostra cum dæmonibus hypocritis cadat. Annon enim hypocritæ sunt mali auctores qui, cum tenebræ sint, lumen simulant? Collocemus spem nostram in eo qui per adustionem tentationum quas sponte aut per vim toleramus, puritatem nobis largiri voluit. Spes nostra haud differetur, et quod exspectamus ad exitum perducetur. Tunc autem beatitudo eorum qui patientiæ igne probati sunt, apparebit: cujus utinam nos omnes participes fiamus in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potestas et adoratio, cum Patre initii experte et sanctissimo et bono vivificoque Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum Amen.

A τοίνυν τῷ τοῦ Χριστοῦ θεμελίῳ τὴν εὔπρηστον ἐπικοδομήσωμεν ὕλην. Διὰ ταῦτα χρεία ἡμῖν τῆς ἐνταῦθα ἐκουσίου πυρώσεως τῆς διὰ θλίψεως. Ὡς γὰρ χρυσὸς ἐν χωνευτηρίῳ καθαίρεται, οὕτω καὶ ψυχὴ διὰ φλογώδους τῆς θλίψεως τὴν ἰδίαν ἀναλαμβάνει λαμπρότητα· φοβηθῶμεν, ἀδελφοί, μήποτε ῥυπάναντες τὴν πρώτην καὶ δευτέραν στολήν, ἣν διὰ τοῦ βαπτίσματος καὶ τῆς μετανοίας ἐνεδυσάμεθα, ἐκβληθῶμεν τοῦ ἀκηράτου καὶ φωτοειδοῦς ἐκείνου νυμφῶνος, καὶ ἡ μερὶς ἡμῶν μετὰ τῶν ὑποκριτῶν δαιμόνων τεθήσεται. Ἢ γὰρ οὐχ ὑποκριταὶ οἱ ἀρχέκακοι, οἳ σκότος ὄντες, τὸ φῶς ὑποκρίνονται; Ἐλπίσωμεν ἐπὶ τὸν εὐδοκήσαντα διὰ πυρώσεως ἐκουσίων ἢ ἀκουσίων πειρατηρίων χαρίσασθαι ἡμῖν τὸ καθάρσιον. Οὐ χρονιεῖ ἡ ἐλπὶς, καὶ καταλήψεται B ἡ τῆς προσδοκίας ὑπόστασις. Καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ μακαρισμὸς τῶν ἐν ὑπομονῇ πυρωθέντων· οὗ γένοιτο πάντας ἡμᾶς ἐπιτυχεῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος καὶ προσκύνησις, σὺν τῷ ἀνάρχῳ Πατρὶ καὶ τῷ παναγίῳ καὶ ἀγαθῷ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNO DOMINI MXCI.

NICON

MONACHUS RAITHENSIS IN PALÆSTINA.

NOTITIA.

(Cotelerius, *Monumenta Ecclesiæ Græcæ*, tom. III, 643, in notis.)

Nicon iste alius esse videtur a magno illo Nicone monacho Armenio, Armeniorum et Cretensium per decimum Christianismi sæculum apostolo, cujus (si fides viris doctis) in fine Balsamonis, necnon t. III Bibliothecæ Patrum, exstat Latine fragmentum ex epistola ad Enclistium (forte *Enclistum*, Ἔγκλειστον, *Inclusum*) cum libello contra Armenorum errores, quem Græce in lucem emisi ad Constitutiones apostolicas lib. II, cap. 24. Conjecturæ ratio est, quod Nicon noster proferat hic locum prioris Invectivæ Isaaci Catholici adversus Armenos, cap. 13, tametsi labante, opinor, memoria, sub nomine Joannis Nicæni epistola ad Zachariam catholicum. Florebat autem Isaac sæculo duodecimo, octingentis nempe annis post mortem Constantini, ut ipse ait cap. 14. Accedit huc auctoritas unius e tribus mss. Regiis, in quo Nicon hic monachus Palæstinus vocatur; item alterius, qui olim 1526, nunc 3027, f. 66, ubi habetur, Τοῦ ὁσιωτάτου Νίκωνος μοναχοῦ τῆς μονῆς τῆς Ἁγίας Θεοτόκου τῆς Ῥαιθοῦ εἴδησις περὶ τῆς πανσέπτου νηστείας τῆς παναγίας Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας. Χρὴ εἰδέναι, ὅτι ἡ τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου νηστεία οὐ κατὰ τάξιν ἐγγράφως κεῖται εἰς τὸ παρὸν τυπικὸν, etc. Et mox, Τὰς μαρτυρίας ἀλλαχοῦ εἰς ἕτερον σύγγραμμα ἐν τῷ βιβλίῳ τῶν ἑρμηνειῶν τῶν ἐντολῶν τοῦ Κυρίου ἐξεθέμεθα. Quam εἴδησιν, si in tempore occurrisset, hoc ioco edidissemus. Cæterum a Leone Allatio, cujus diligentiæ improboque labori plurima debemus Græcorum ecclesiasticorum scriptorum fragmenta, *De purgatorio*, etc., p. 746, laudatur S. Nicon in Narrationibus asceticis. Offendi pariter in opusculo nunc inedito, olim, si Deus dederit, edendo, De celebri schismate ob Josephum presbyterum, hæc verba, Ταῦτα εὕρηται ἐν τῷ τοῦ ἁγίου Νίκωνος δευτέρῳ βιβλίῳ, ἐν μιᾷ Μεθοδίου ἐπιστολῶν. Id est, *Hæc inveniuntur in* II *S. Niconis libro, in una ex Epistolis Methodii*; qui procul dubio est noster: ejus enim Pandectes de interpretationibus mandatorum divinorum, capitibus 63, dividitur in duos libros cod. Regio 2124, incipitque liber secun-

Digitized by Google

dus a capite seu sermone 39. Addo nunc ista relegens, nec auctorem epistolæ ad Inclusum esse magnum Niconem, in qua videlicet citetur Nicolaus Grammaticus, patriarcha CP., sæculo integro Nicone posterior.

ΒΙΒΛΟΣ ΠΕΡΙΕΧΟΥΣΑ ΤΑΣ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΕΝΤΟΛΑΣ, ΕΤΙ ΓΕ ΜΗΝ ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ ΑΥΤΩΝ· ΠΡΟΣ ΤΟΥΤΟΙΣ ΚΑΙ ΤΑΣ ΣΥΝΑΡΜΟΖΟΥΣΑΣ ΤΑΥΤΑΙΣ ΚΑΙ ΕΞΑΚΟΛΟΥΘΟΥΣΑΣ ΔΙΔΑΣΚΑΛΙΑΣ.

LIBER DEI PRÆCEPTA CONTINENS, INSUPERQUE INTERPRETATIONES EORUM, NECNON DOCTRINAM HIS CONVENIENTEM ET CONGRUENTEM.

(B. ms. de Montfaucon, *Biblioth. Coislin.* p. 189.)

ΠΡΟΛΟΓΟΣ ΤΟΥ ΠΑΡΟΝΤΟΣ ΣΥΝΤΑΓΜΑΤΟΣ.

Ἀντίοχος μὲν ἐκεῖνος ὁ παντὶ πάντῃ τῷ κόσμῳ ἀποταξάμενος, καὶ τῇ τοῦ μεγάλου Σάβα ἐν Ἱεροσολύμοις μονῇ ἐφησυχάσας χρόνον οὐχὶ μικρόν· οὕτω τε καθ' ἑαυτὸν γεγονὼς, καὶ σχολάσας καὶ γνοὺς τὰ σωτήρια κατὰ τὴν, *Σχολάσατε καὶ γνῶτε*, κελεύουσαν ἐντολήν· πλοῦτόν τε οὕτω συνεγείρας τοῦ Πνεύματος, καὶ μεταδοῦναι τούτου πλουσίως οὐ κατοκνήσας τοῖς χρῄζουσι, καρποφορήσας δὲ μᾶλλον εἰς ἑκατὸν, καὶ πολυπλασιάσας τὸ τάλαντον, ἵνα ὡς δοῦλος πιστός τε καὶ φρόνιμος, καὶ ἀγαθὸς παρὰ τοῦ φιλαγάθου Δεσπότου εὐλογηθῇ· οὗτος οὖν ὁ Ἀντίοχος κατὰ καιροὺς ἐκείνους ὅτε ἡ τῶν Περσῶν θηριώδης γνώμη, καὶ μιαιφόνος ὁρμὴ πᾶσαν χώραν ὁρμὸν (*sic*) πρὸς ἀνίσχοντα ἥλιον τῷ Ῥωμαϊκῷ σκήπτρῳ τελοῦσαν ὑποτελῆ ἑλκεινῶς ἑλκύσατο, τούτου αὐτοῦ ὥσπερ εὐκαίρου δή τινος δραξάμενος ἀφορμὴν, ἱεράν τινα βίβλον ἐκ τῶν θείων λογίων συνετάξατο, ὥσπερ αὐτὸς ἐν αὐτῇ ἀριδηλότατα παριστᾷ αὖτη (*sic*) ἐπονομάσας, καὶ προσθεὶς εἰς μέσον αὐτὴν εἰς μεγίστην τῶν ἔκτοτε καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἐντυγχανόντων ὠφέλειαν. Κατὰ (*l.* μετὰ) δὲ ταῦτα τοῦτο (*sic*) καί τις ἕτερος μοναχὸς ἰδιώτης μὲν τῷ λόγῳ, ἀλλ' οὐ τὴν γνῶσιν κατὰ τὸν Παῦλον τὸν θεοκήρυκα, καὶ ἐκ βρέφους μὲν τῷ θείῳ νόμῳ νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐμμελετήσας, ὡς ἁσματογράφος ἐκδιδάσκει Δαυὶδ, ἐλαία κατάκαρπος γεγονὼς, ἐν οἴκῳ πεφυτευμένος Θεοῦ, κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον πάλιν εἰπεῖν καὶ τοῖς κατὰ τὸ οὗτως (*sic*) ἐγχωρίοις τε καὶ ἁπλοϊκῶς (*f.* ἀποίκοις) Μῶρον (Μαῦρον *legitur cod.* 122) ὄρος καλούμενον σημείοις ἐνδιαπρέψας χρόνον ἐφ' ἱκανὸν, καθ' ὃν καιρὸν δηλαδὴ Κωνσταντῖνος ὁ Δουκᾶς ἦν τὸ ἐπώνυμον, τοὺς τῆς βασιλείας ἐνεχειρίσθη οἴακας εὔλογόν τε ἀφορμὴν καὶ αὐτὸς εὑρὼν τὴν τῶν ἀθέων Τούρκων ἐπιδρομὴν, καὶ καθ' ἑαυτὸν ὡς ἄ... (*deficit*) συνδιασκεψάμενος ὡς οὐσία (*sic*) τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας, κατὰ τὸν πολὺν (*deficit*)

PROLOGUS HUJUS OPERIS.

Antiochus ille, qui mundo penitus renuntiavit, et in magni illius Sabæ monasterio non exiguo tempore in secessu vitam duxit; dum sibi ipsi vacaret et attenderet, adeptus rerum salutarium notitiam secundum illud præceptum, *Vacate et scitote*, collectis Spiritus sancti divitiis, neque segnis ad eas egentibus largiter effundendas, cum centenarium fructum retulisset et talentum multiplicasset, ut tanquam servus fidelis, prudens et bonus a clemente Domino benedictionem acciperet: hic, inquam, Antiochus quo tempore efferus Persarum animus impetusque eorum sanguinarius totam Orientalem plagam Romano sceptro parentem miserabili exitu ad suum traxit imperium, hinc opportunam nactus occasionem, sacrum quemdam librum ex divinis eloquiis adornavit, ut ille eodem in libro manifestissime declarat, eidemque hujusmodi titulum indidit, illumque in medium protulit ad maximam præsentium sui temporis et futurorum utilitatem. Post hæc autem alius quidam monachus, verbo quidem imperitus, sed non scientia secundum Paulum divinum præconem, qui a teneris in lege divina meditatus fuerat die ac nocte, ut docet psalmista David, oliva fructifera effectus plantatus in domo Dei in monte cui nomen Maurus, multo tempore signis apud indigenas et advenas celebratus, quo tempore Constantinus cognomento Ducas imperii gubernacula administrabat, arrepta et ipse occasione invasionis impiorum Turcarum; secum reputans eloquia divinitus tradita secundum magnum et sublimem illum Dionysium esse nostræ hierarchiæ quasi substantiam et facultates, veramque perniciem et animæ mortem nec esurie nec siti induci, sed potius penuria audiendi verbi Dei: nec posse tali temporum conditione sacros libros magno numero transportari, quandoquidem grandi instante metu ex regione in regio-

Digitized by Google

nem transmeantes, vix vitam ipsam in tuto collocare poterant; maxime vero quia hujusmodi libri additis sanctorum ac deiferorum Patrum commentariis, in magnum numerum excreverant : unum hunc librum ex tota pene divina Scriptura, quasi apis laboriosa, spiritualibus collectis floribus quæ divinarum legum collectio est, composuit, iis additis divinorum Patrum commentariis quæ ipsi adaptantur et congruunt; ipsumque proposuit in communem quasi portum animabus utilem et salutarem iis, qui in profundum ignorantiæ miserabiliter demergi periclitantur ; sive ut vere dicatur, iis qui in tenebris hujus vitæ aberrant facem accendens procul apparentem et ætheream, ut ex barathris erueret eos quibus prospicit Dominus; educens, inquam, ex demissis illis humique repentibus et perplexis hæresibus et ex profunda caligine, quæ versatur in tenebris ignorantiæ atque in errore, erigens ad sublimitatem religiosorum dogmatum, et ad rectam vere divinæ scientiæ lucem manu ducens.

A φάναι καὶ μέγιστον Διονύσιον τὰ θεοπαράδοτα λόγια· καὶ ὅτι δὴ μᾶλλον ὅλεθρος ἀληθὴς καὶ θάνατος ψυχικὸς, οὐ λιμὸς ἄρτου, οὔδε δίψα ὕδατος, ἀλλὰ λιμὸς τοῦ ἀκοῦσαι λόγον Κυρίου· καὶ ὡς τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀδυνάτως ἔχοιεν, εἰς ἱερὰς βίβλους πλείστας ἐπιφορτίζεσθαι, ἅτε δὴ πλείστῳ φόβῳ ἐκ χώρας εἰς χώραν μεταναστεύοντες, καὶ γυμνὴν μόνην οἷόν τε τὴν ψυχὴν αὐτῶν διασώζοντες· καὶ μάλισθ' ὅτι πρὸς πλῆθος αὗται ταῖς τῶν κατὰ καιροὺς ἁγίων καὶ θεοφόρων Πατέρων διδασκαλίαις ἐπιδεδώκασι· μίαν τινὰ καὶ αὐτὴν ἐξ ἁπάσης τῆς θείας σχεδὸν Γραφῆς, μέλισσά τε φιλεργὸς (*sic*) καὶ φιλόπονος, ἄνθη πνευματικὰ συλλεξάμενος τὴν παροῦσαν βίβλον ὡς ἄριστα συνετάξατο περιοχθὺν (*sic*) τῶν θείων ἐντολῶν, καὶ μὴν φαν' αὐτῶν (*sic*) ἔτι καὶ τῆς συναρμοζούσης καὶ B ἐξακολουθούσης ταύτας τῶν θείων Πατέρων διδασκαλίας περίληψιν κατονομάσας αὐτὴν, προσθείς τε ταύτην εἰς κοινὸν ὥσπερ ὅρμον τινὰ ψυχωφελῆ καὶ σωτήριον τοῖς ἐν τῷ βυθῷ τῆς ἀγνωσίας ἐλεεινῶς καταποντίζεσθαι κινδυνεύουσιν, ἢ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν τοῖς ἐν σκότει τοῦ βίου τούτου πεπλανημένοις πυρσὸν ἀνάψας τηλεφανῆ καὶ αἰθέριον ἐκ βαράθρων τε καὶ ἐρ (*deficit*) οὓς καὶ ἐπισκοπεῖ Κύριος, τῶν χαμερπῶν φημι καὶ ἐμπαθῶν καὶ πολυπλόκων αἱρέσεων καὶ τῆς βαθείας ἐν σκότει τῆς ἀγνοίας σκοτομήνης τε καὶ πλανήσεως πρὸς ὕψος τε ἀνάγων δογμάτων θεοφιλῶν καὶ πρὸς ἀπλανοῦς τῷ ὄντι καὶ θείας φέγγος χειραγωγῶν ἐπιγνώσεως.

Hanc porro narrationem mire corruptam sæpe divinando Latine reddidimus. Ille vere monachus hic memoratus, qui tempore Constantini Ducæ floruit, est Nicon, ut docet codex Coislinianus CXXII.

ΕΡΜΗΝΕΙΑΙ ΤΩΝ ΘΕΙΩΝ ΕΝΤΟΛΩΝ

—

INTERPRETATIONES

DIVINORUM MANDATORUM,

Scilicet

SS. Patrum et Conciliorum explanationes in Præcepta Domini nostri Jesu Christi.

(Vide *Patrologiæ* tom. CVI, col. 1359.)

DE JEJUNIO DEIPARÆ.

(*Vide infra, col.* 525.)

(Sermo 57 Expianationum versatur circa festa, *jejunia*, genuflexiones, etc. Verisimile est igitur hoc fragmentum *De jejunio Deiparæ* decerptum fuisse ex eodem sermone 57. Bandini in *Bibl. Laurent.*, tom. II, p. 605, notat, *Capita ascetica* ejusdem Niconis servari in cod. ms. Laurent.)

Digitized by Google

ANNO DOMINI MXCV.

ANASTASIUS

CÆSARIENSIS IN PALÆSTINA ARCHIEPISCOPUS

—

NOTITIA

(Oudin, *De script. eccles*, II, 859.)

Anastasius, Cæsareæ Palæstinæ archiepiscopus, vixit circa annum 1090. Scripsit tractatum *De jejunio sanctissimæ Deiparæ, quodque illud servandum sit ut legitimum*, ex ms. codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ eductum, quem Græce et Latine produxit Joannes Baptista Cotelerius, *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* vol. III, pag. 432, ex Niconis Pandecte. Anastasius in hoc opusculo *De jejunio sanctissimæ Deiparæ*, pag. 458, ex sancti Niconis a se allegati auctoritate, inquit hinc jejunio duplex nomen impositum, appellarique passim *Quadragesimam vel Jejunium sanctorum apostolorum, nec non gloriosæ Deiparæ:* nominibus binis, *priori* quidem, quia maxima pars hujus Quadragesimæ protendebatur ab octava die festi Pentecostes usque ad festum Sanctorum Apostolorum, ex indulgentia Patrum modicis jejunii induciis datis, ab hoc festo ad Kalendas Augusti; *posteriori* autem, quod omnis tandem hæc Quadragesima in honorem Deiparæ fieret, atque ad festum Dormitionis illius terminaretur. Hic ergo claruit et scripsit post S. Niconem Armenum, qui ab anno sæculi decimi sexagesimo primo clarus, anno demum 998 die 26 Novembris debitum humanæ naturæ solvit. Atque hinc, aliquot post sancti Niconis mortem decadibus annorum exstitisse, nec anno 1090, hunc Anastasium Cæsareæ archiepiscopum anteriorem esse concludimus, cujus opinor solus mentionem facit, qui ejus Tractatum edidit Græce et Latine Joannes Baptista Cotelerius tomo III operis laudati.

ANASTASII CÆSARIENSIS

DE ARTZIBURIO

ADVERSUS FALSAM ARMENORUM RELIGIONEM.

(Vide *Patrologiæ* tom. I, col. 655, in notis Cotelerii ad Constitutiones apostolicas.)

Digitized by Google

ΑΝΑΣΤΑΣΙΟΥ

ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΤΗΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗΣ (1)

ΠΕΡΙ

ΤΗΣ ΝΗΣΤΕΙΑΣ ΤΗΣ ΥΠΕΡΕΝΔΟΞΟΥ ΘΕΟΤΟΚΟΥ,

Καὶ ὅτι χρῆ ταύτην φυλάττειν ὡς ἔνθεσμον.

—

ANASTASII

EPISCOPI CÆSAREÆ PALÆSTINÆ

DE JEJUNIO GLORIOSISSIMÆ DEIPARÆ,

Quodque servandum sit ut legitimum

(Cotelerius, *Monumenta Ecclesiæ Græcæ*, tom. III, p. 432 sqq.)

—

Quoniam tua erga me postulatio, frater spiritualis, erat de jejunio gloriosissimæ Dei Genitricis, ut ea de re scripto acciperes in benedictionem et munus; ego vero licet indignus, attamen ut omnes orthodoxi, ego quoque inutilis servus Matris Dei, quemadmodum accepi, observare connitor; tum maxime quia in loco ubi habitamus, sanctæ meæ Dei Genitricis monasterii templum est ac vocatur. Oportet ergo illud jejunium diligentius custodire, non solum nos, verum etiam Christianos omnes, quemadmodum a divinis Scripturis testimonia habemus. Quod enim caret testimonio, firmitate destituitur, et quod propria voluntate suscipitur, noxium est; quod autem ex Scripturis et legibus habet testimonia, firmum simul atque utile exsistit. Cæterum de legitimo hoc jejunio dictum est in opere quod *Synodicum* appellatur. Continet autem ille liber tres duntaxat synodos, quarum duæ de fide disserunt, tertia vero de nuptiarum differentia et dissidio, unde et Unionis nuncupatur. Aliud porro est hujusmodi synodicum ab eo quod dicitur Nomocanon; quod scilicet hoc quidem omnes simul sanctas synodos et divinos canones, legesque

Ἐπείπερ ἡ εἰς ἐμέ σου αἴτησις, πνευματικὲ ἀδελφὲ, περὶ τῆς νηστείας τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου ἦν, ὅπως ἔχῃ; ταύτην εἰς εὐλογίαν ἐγγράφως· ἐγὼ δὲ εἰ καὶ ἀνάξιος, πλὴν ὡς πάντες οἱ ὀρθόδοξοι, οὕτω κἀγὼ ἀχρεῖος δοῦλος ὑπάρχων τῆς Θεομήτορος, καθὼς παρέλαβον φυλάττειν ἐπείγομαι· καὶ μάλισθ' ὅτι καὶ ἐν ᾧ παροικοῦμεν τόπῳ, τῆς ἁγίας μου Θεοτόκου μονῆς ναός ἐστι καὶ ὀνομάζεται. Δεῖ οὖν ἀκριβέστερον ταύτην φυλάττειν, οὐ μόνον ἡμᾶς, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς Χριστιανοὺς, καθὼς καὶ ἀπὸ τῶν θείων Γραφῶν ἔχομεν τὰς μαρτυρίας. Τὸ γὰρ ἀμάρτυρον, ἀβέβαιον, καὶ τὸ οἰκειοθελὲς, ἐπιβλαβὲς τυγχάνει· τὸ δὲ Γραφικὰς καὶ ἐνθέσμους ἔχον τὰς μαρτυρίας, βέβαιον ὁμοῦ καὶ ἐπωφελὲς καθέστηκε. Περὶ δὲ τῆς ἐνθέσμου ταύτης νηστείας, εἴρηται εἰς τὸ λεγόμενον *Συνοδικὸν* βιβλίον. Τρεῖς δὲ καὶ μόνας συνόδους ἔχει τὸ τοιοῦτον βιβλίον· καὶ αἱ μὲν δύο τούτων περὶ πίστεως διαλέγονται, ἡ δὲ ἑτέρα περὶ γάμων διαφορᾶς, ἐξ οὗ καὶ τῆς Ἑνώσεως λέγεται. Ἕτερον δέ ἐστι τὸ τοιοῦτον συνοδικὸν παρὰ τὸ λεγόμενον Νομοκάνονον· ὡς τοῦ μὲν, πάσας ὁμοῦ τὰς ἁγίας συνόδους καὶ τοὺς θείους κανόνας καὶ τοὺς πολιτικοὺς νόμους κατέχοντος· τοῦ δὲ, μόνας τὰς

(1) *Ἀναστασίου ἐπισκόπου Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης.* In doctissimi Lambecii *Cæsarea Bibliotheca*, lib. VI, parte II, cod. ult., et sine nomine auctoris lib. VIII, ms. 45, p. 450, 451, ubi et memorat fragmentum Ἀναστασίου ἐπισκόπου Καισαρείας Παλαιστίνης, περὶ τῶν ἑπτὰ ἑβδομάδων τῶν νηστειῶν. Principium : Ὅτε δὲ λοιπὸν ἐτελεσιουργήθη ἡ τούτων ἕνωσίς τε καὶ συνάφεια, etc. Ejusdem Anastasii Cæsariensis opusculum de Artziburio exstat ad finem Typici S. Sabæ. Ipse autem hic dum agit de patriarchis Antiochenis, indicat ætatem qua vixit, finem videlicet sæculi undecimi. Præterea non dissimulandum modo quod non ita pridem comperi, cum beneficio clarissimi humanissimique Thevenoti, hominis multiplici eruditione instructissimi, retractarem thesauri Regii codicem 5027, eo contineri istud opusculum, sed multo longius, cumque varietatibus non paucis, atque adeo sub nomine ac titulo Niconis monachi Rhaithensis πρὸς τὸν αἰτησάμενον παρ' αὐτοῦ περὶ τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου νηστείας.

Digitized by Google

τρεῖς συνόδους, καθὼς προείπομεν. Ἐκεῖ τοιγαροῦν ἐν τῇ τῆς ἑνώσεως συνόδῳ, μετὰ τὸ εἰπεῖν καὶ ἀποφήνασθαι περὶ τοῦ ἐπιτιμίου τῶν τριγάμων, τόν τε ὅρον καὶ χρόνον τῆς τούτων ἀκοινωνησίας, ἐπάγει λέγων, ὅτι, *Τρεῖς μόνους καιροὺς ἀπολαύσονται τῆς τῶν θείων μυστηρίων μεταλήψεως· ἅπαξ μέν, ἐν τῇ σωτηρίῳ Ἀναστάσει τοῦ Χριστοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν· δεύτερον δέ, ἐν τοῖς Χριστουγέννοις· καὶ τρίτον, ἐν τῇ Κοιμήσει τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου· διὰ τὸ προηγεῖσθαι, φησὶν, ἐν ταύταις νηστείαν, καὶ τὸ ἐκ ταύτης ὄφελος.* Ἰδοὺ ὧδε ὡς ἀναγκαιοτέραν προτιμᾷ ταύτην, παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων τὴν νηστείαν. Καὶ πάλιν εἰς λόγον Ἰωάννου (2) μητροπολίτου Νικαίας γραφέντα στηλιτευτικῶς πρὸς τὸν καθολικὸν τῆς μεγάλης Ἀρμενίας (3) κατὰ τῆς τοῦ Ἀρτζιβουρίου νηστείας, ἀνατρέπων ταύτην ὡς παράνομον· ἐν οἷς φησὶν, ὅτι *Μήτε τῶν ἁγίων ἀποστόλων γραφέντων τὴν τοιαύτην νηστείαν, μήτε τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου, μήτε ἄλλου τινὸς τῶν Πατέρων, παρεκτὸς τετράδος καὶ παρασκευῆς καὶ τῆς μεγάλης Τεσσαρακοστῆς (3'), καὶ τῆς ἑβδομάδος τοῦ Πάθους τοῦ Κυρίου, καὶ τῆς τῶν Χριστουγέννων νηστείας, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου, τίς ὁ διδάξας ὑμᾶς νηστείαν νηστεύειν ἐθνῶν;* Ὁρᾷς πῶς καὶ ὧδε ῥητῶς καὶ ἠκριβωμένως συναριθμεῖ τὴν τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου νηστείαν, ταῖς λοιπαῖς τῶν ὀρθοδόξων νηστείαις; Ἐγὼ δὲ καὶ ἄλλαις περὶ ταύτης ἐνέτυχον μαρτυρίαις· ἀλλ' ἀρκεῖν ἡγημαι ταύτας [*al.* ταύταις], ὡς γέγραπται, ὅτι, *Ἐπὶ στόματος δύο ἢ τριῶν μαρτύρων πᾶν ῥῆμα σταθήσεται.*

civiles complectatur; illud autem, ut jam diximus, tres solas synodos. Illic igitur in synodo Unionis, postquam dixit ac pronuntiavit de pœna irroganda trigamis, modo et tempore excommunicationis eorum, subjungit hæc verba; *Tribus solum temporibus fruentur participatione divinorum mysteriorum; semel, in salutari Christi Deique nostri Resurrectione; secundo, in Natali Christi; tertio, in Obdormitione gloriosissimæ Dei Genitricis: quia*, inquit, *in his jejunium præcedit, et emolumentum ex eo proveniens.* Ecce hic velut magis necessarium præfert istud jejunio Sanctorum Apostolorum. Et adhuc in Invectiva quam Joannes metropolita Nicææ scripsit ad Catholicum magnæ Armeniæ contra jejunium Artziburii, quod tanquam illegitimum evertit; ubi ait: *Cum nec sancti apostoli hoc jejunium scripto consignarint, neque Nicæna synodus, neque alius quispiam ex Patribus, sed tantummodo tetradem et parasceven, sive quartam et sextam feriam, et magnam Quadragesimam, et hebdomadem Passionis Dominicæ, atque jejunium Natalis Christi, necnon jejunium Sanctorum Apostolorum, itemque gloriosissimæ Deiparæ, quis docuit vos jejunare ac peragere gentium jejunium?* Vides quomodo etiam hic ad verbum et accurate reliquis recte de fide sentientium jejuniis connumeret jejunium gloriosæ admodum Deiparæ? Ego vero alia quoque de eodem nactus sum testimonia; sed hæc arbitror sufficere, sicut scriptum est: *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum* [1].

Ὅτι δὲ μετὰ τὰς προγραφείσας μαρτυρίας πολλοὶ ταύτην κρατοῦσι καὶ ἐκ παραδόσεως ἁγίων καὶ ἀρχαίων Πατέρων καὶ εὐσεβῶν, δῆλον ἡμῖν ἔκ τε τῶν εἰρημένων, καὶ πάλιν ἑτέρου τινὸς τῶν Πατέρων ἰσχυρῶς ἀνατρέποντος τὰς τῶν ἐναντίων ψευδεῖς καὶ ἐπικινδύνους νηστείας. Ὅμως οὖν λέγομεν καὶ ἡμεῖς ὧδε, ὅτι ἐνταῦθα τὸ ὄνομα τῆς Θεομήτορος ἐν τῇ ταύτης νηστείᾳ ὁμολογούμενον, οὐ συνεσκιασμένως, ἀλλὰ τρανῶς καὶ φανερῶς, τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου λέγεται. Οὐδὲ γὰρ εἰς ὄνομά τινος τῶν παρ' Ἕλλησι μυθευομένων παρ' αὐτοῖς καὶ τιμωμένων λέγεται ἡ τοιαύτη νηστεία, οὔτε πάλιν τῶν τινῶν αἱρέσεων, ὥσπερ ἡ τοῦ Ἀρτζιβουρίου, καὶ ἄλλων τοιούτων ψευδῶν. Ἀλλ' οὐδὲ ψιλῶς τῆς ἁγίας Μαρίας λέγεται, καθὼς οἱ τῶν αἱρετικῶν παῖδες φρονοῦσι καὶ λέγουσιν· οὔτε ἄλλως καὶ ἄλλως καθ' οἱονδήποτε ἐπιτήδευμα καὶ συνεσκιασμένως, καθάπερ οἱ τὰ τοιαῦτα ποιοῦσι πρὸς ἀπάτην καὶ ἀπώλειαν τῶν ἁπλουστέρων· ἀλλὰ φανερῶς, ὡς εἴρηται, εἰς

Quod autem post superius scripta testimonia, multi hoc jejunium ex traditione sanctorum et veterum Patrum piorumque teneant, nobis liquet tum ex memoratis, tum præterea ex alio quodam Patre, qui adversariorum falsa periculosaque jejunia fortiter evertit. Attamen nos quoque hoc loco dicimus, nomen Matris Dei hic in ejus jejunio professum, non obumbrate et obscure, sed clare ac aperte nominari gloriosæ supra modum Virginis. Neque enim jejunium hoc profertur nomine alicujus ex iis qui a Græcis seu gentilibus fabulose excogitati sunt atque honorati, nec etiam ex iis quarumdam hæresum, sicut jejunium Artziburii, aliorumque pariter mendacium; sed nec simpliciter sanctæ Mariæ dicitur, uti sentiunt aiuntque hæreticorum filii seu hæretici; neque aliter juxta ullum artificium aut tenebricose, quemadmodum ii similia faciunt ad deceptionem exitiumque simpliciorum; at manifesto, ut dictum est, in nomine Deiparæ effertur

[1] Deut. XIX, 15, Matth. XVIII, 16; II Cor. XIII, 4.

(2) *Εἰς λόγον Ἰωάννου.* Errato memoriæ citat Joannem Nicænum, loco Isaaci Catholici; cujus verba sunt Invectiva I in Armenios, cap. 14, Auctarii II Combefisiani col. 372. Scripsit ergo uterque ante Anastasium, non multo tamen ante, ut videtur.

(3) *Καθολικὸν τῆς μεγάλης Ἀρμενίας.* Hormeni seu Hormenii *specialem habent papam, quem ipsi sua lingua* Katelcoste *appellant.* In Itinerario Willebrandi ab Oldemborg., ubi archiepiscopus et episcopus appellatur, lib. I *Συμίκτων* Allatii.

(3') *Καὶ τῆς μεγάλης Τεσσαρακοστῆς, καὶ τῆς ἑβδομάδος τοῦ Πάθους τοῦ Κυρίου.* Ad Constitutiones apostolicas, lib. V, capp. 13 seqq.

Digitized by Google

ac peragitur hujusmodi jejunium ; quo nempe modo reliqua nomen Filii Deique ejusdem Virginis gerunt : cum Ecclesia sibi proponat, Christianos prius purificari, ad occursum festorum Domini ejusque Matris, ex afflictione ad gaudium et spiritualem lætitiam transeuntes, pie considerantes ea quæ in ejusmodi solemnitatibus a Servatore Christo propter salutem ex dispensatione simul ac benignitate peracta sunt. Est enim festum celebrare, ut illi qui in theologia præcellit (*Gregorio*) et nobis ac veritati placet, cognoscere vim mysterii. Porro qui non ita affecti sunt, non a vertunt se Judaice festa peragere. Quod si quis quæsierit, ubinam et quando, et a quo synodus Unionis celebrata sit, audiat a nobis, non in angulo, inquam, neque in civitate una e multis, neque a vili quodam, sed in regia urbe, hoc est Constantinopoli, et a religioso patriarcha, et episcopis, cæterœque Ecclesiæ cœtu, ac per pios orthodoxosque imperatores, Romanum senem et Constantinum, perque reliquos religiosos, sapientes et cognitione prædictos viros. Ii quippe omnes in Spiritu sancto congregati, Eccles am ex causa diversarum nuptiarum scissam, Dei gratia unierunt, quo factum est ut convenienter appellationem Unionis acceperit. Sancta ergo hæc synodus, post finem totius constitutionis, velut confirmans et obsignans ea quæ a superioribus synodis fuerant statuta, hujusmodi verba subjungit : Canon primus : *Universa quæ præter ecclesiasticam traditionem, et doctrinam ac dispositionem sanctorum celebriumque Patrum innovata gestaque sunt, vel in posterum gerentur, anathema.* Canon quartus : *Contemptui habentibus sacros divinosque canones beatorum Patrum nostrorum, qui et sanctam Ecclesiam fulciunt, totamque rempublicam Christianam ornant, et ad divinam pietatem dirigunt, anathema.*

Atque ita quidem scripta testimonia constituunt, legitimum esse immaculatæ prorsus Deiparæ jejunium. Non minori vero multum apud me loco ea sunt quæ ex traditione per vivam vocem accepi. Namque patriarcha Antiochiæ totiusque Orientis, beatæ memoriæ domnus Petrus, ipse hæc observabat tradebatque cæteris. Simili quoque modo domnus Theodosius ; prætereaque qui nunc patriarchatum tenet sanctissimus domnus Joannes, hoc omnibus tradidit jejunium, scriptis usus testimoniis. Atque illi omnes, coryphæi seu apostolorum principis sedem obtinentes, non a se exorsi illud servaverunt, sed cunctos prædecessores suos secuti : quibus nos etiam viles obsequendo, initium Augusti custodimus, sive postquam sanctorum Maccabæorum solemnitatem peregerimus. Sin vero esurialis dies

A ὄνομα τῆς Θεοτόκου λέγεται καὶ τελεῖται ἡ τοιαύτη νηστεία· ὥσπερ οὖν καὶ αἱ λοιπαί, εἰς ὄνομα τοῦ Υἱοῦ καὶ Θεοῦ αὐτῆς ὀνομάζονται· σκοπὸν ἐχούσης τῆς Ἐκκλησίας τοῦ προαγνίζεσθαι τοὺς Χριστιανοὺς, εἰς τὴν ἁπαντὴν τῶν ἑορτῶν τοῦ Κυρίου καὶ τῆς Μητρὸς αὐτοῦ· ἐκ θλίψεως εἰς χαρὰν μεταβαίνοντας, καὶ εὐφροσύνην πνευματικήν· εὐσεβῶς ἀναθεωροῦντας τὰ ἐν ταῖς τοιαύταις ἑορταῖς, ἐπὶ σωτηρίᾳ ἡμῶν παρὰ τοῦ Σωτῆρος Χριστοῦ τελούμενα οἰκονομικῶς ἅμα καὶ φιλανθρώπως. Ἑορτάσαι γάρ ἐστιν, ὡς τῷ τῆς Θεολογίας προσῆκοντι, ἡμῖν τε καὶ τῇ ἀληθείᾳ δοκεῖ, τὸ γνῶναι τοῦ μυστηρίου τὴν δύναμιν. Οἱ δὲ μὴ οὕτω διακείμενοι, λελήθασιν ἑαυτοὺς Ἰουδαϊκῶς ἑορτάζοντες. Εἰ δέ τις ζητοίη, ποῦ καὶ πότε καὶ παρά τίνος ἡ τῆς ἑνώσεως γέγονε σύνοδος, ἀκουέτω

B παρ' ἡμῶν, ὅτι οὐκ ἐν γωνίᾳ φημὶ, οὔτε εἰς τὴν τυχοῦσαν πόλιν καὶ παρὰ τοῦ τυχόντος, ἀλλ' ἐν τῇ βασιλευούσῃ τῶν πόλεων, τῇ Κωνσταντίνου φημὶ, καὶ παρὰ εὐσεβοῦς πατριάρχου καὶ ἐπισκόπων, καὶ τοῦ λοιποῦ πληρώματος τῆς Ἐκκλησίας, καὶ παρὰ εὐσεβῶν καὶ ὀρθοδόξων βασιλέων, Ῥωμανοῦ τε τοῦ γέροντος, καὶ Κωνσταντίνου, καὶ τῶν λοιπῶν εὐσεβῶν σοφῶν τε καὶ γνωστικῶν ἀνδρῶν. Οὗτοι γὰρ ἅπαντες ἐν ἁγίῳ Πνεύματι συναχθέντες, τὴν Ἐκκλησίαν ἐσχισμένην (4) οὖσαν ἐξ αἰτίας τῶν διαφόρων γάμων, τῇ τοῦ Θεοῦ χάριτι ἥνωσαν· ἐξ οὗπερ καὶ τὴν τῆς Ἑνώσεως προσωνυμίαν εἴληφε προσηκόντως. Ἡ τοιαύτη τοίνυν ἁγία σύνοδος, μετὰ τὸ τέλος πάσης διατάξεως, ἐπικυροῦσα ὥσπερ καὶ σφραγίζουσα τὰ διὰ τῶν πρώην συνόδων διαταχθέντα, ἐπάγει λέγουσα· Κανὼν πρῶτος· *Ἅπαντα τὰ παρὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν καὶ τὴν διδασκαλίαν καὶ ὑποτύπωσιν τῶν ἁγίων καὶ θεοδιλμων Πατέρων καινοτομηθέντα καὶ πραχθέντα, ἢ μετὰ τοῦτο πραχθησόμενα, ἀνάθεμα.* Κανὼν τέταρτος· *Τοῖς ἐν καταφρονήσει τιθεμένοις τοὺς ἱεροὺς καὶ θείους κανόνας τῶν μακαρίων Πατέρων ἡμῶν, οἳ καὶ τὴν ἁγίαν Ἐκκλησίαν ὑπερείδουσι, καὶ ὅλην τὴν Χριστιανικὴν πολιτείαν κοσμοῦσι, καὶ πρὸς θείαν ὁδηγοῦσιν εὐλάβειαν, ἀνάθεμα.*

Ἀλλ' οὕτω μὲν αἱ γραφικαὶ μαρτυρίαι συνιστῶσιν, ἔνθεσμον εἶναι τὴν τῆς παναχράντου Θεοτόκου νηστείαν. Εἰσὶ δέ μοι καὶ κατὰ παράδοσιν διὰ ζώσης φωνῆς, οὐχ ἧττον τούτων καταπολύ. Ὁ γὰρ πατριάρχης Ἀντιοχείας καὶ πάσης Ἀνατολῆς ὁ ἐν μακαρίᾳ τῇ λήξει κῦρι; Πέτρος, αὐτὸς ταῦτα ἐφύλαττε,

D καὶ τοῖς λοιποῖς παρεδίδου· ὁμοίως καὶ ὁ κῦρις Θεοδόσιος· πρὸς δὲ καὶ ὁ νυνὶ πατριάρχης κῦρις Ἰωάννης καὶ ἁγιώτατος, πᾶσι παρέδωκε ταύτην, ἐγγράφως ἔχων τὰ μαρτυρίας. Καὶ οὗτοι δὲ πάντες τὸν τοῦ κορυφαίου θρόνον ἐπέχοντες, οὐκ ἀφ' ἑαυτῶν ὁρμώμενοι, ταύτην ἐφύλαττον, ἀλλὰ τοῖς πρὸ αὐτῶν πᾶσιν ἑπόμενοι· οἷς καὶ ἡμεῖς οἱ εὐτελεῖς ἑπακολουθοῦντες, ἀπαρχὴν Αὐγούστου φυλάττομεν, ἤγουν μετὰ τὸ τελέσαι τὴν τῶν ἁγίων Μακκαβαίων ἑορτήν. Εἰ δὲ καὶ συμβαίνοι νήστιμος ἡ ἡμέρα, τετρὰς

(4) *Τὴν Ἐκκλησίαν ἐσχισμένην.* Epist. ad Nestorium Cœlestinus papa, ὁπότε οὕτως ἀκούομεν σφάζεσθαι καὶ σχίζεσθαι τὴν Ἐκκλησίαν. Concil. Ephes. part. I, cap. 18. Et Latine, *cum sic scindi in partes audiamus Ecclesiam.* Rectius ergo in editione Commelini, ὁπότε οὕτως ἀκούομεν σχίζεσθαι εἰς μέρη τὴν Ἐκκλησίαν. Forte σφάζεσθαι positum fuerit pro σχάζεσθαι, quod sit varia lectio, vel respondeat ad verbum *findi* et *scindi*.

Digitized by Google

ἡ παρασκευὴ, προλαμβάνοντες εἰς τρίτην καὶ εἰς τὴν πέμπτην ἢ εἰς τὴν προλαβοῦσαν Κυριακὴν, ἀποτυρούσθωσαν, καὶ τοῦ λοιποῦ τὴν νηστείαν κρατείτωσαν· καὶ μὴ ἡ τῶν Μακκαβαίων νηστείας οὖσης ἡμέρα, πρόφασις γένοιτο ἡ ἑορτὴ αὐτῶν, ἐν τῷ καταλεύειν τὴν νηστείαν. Καὶ μακάριοι καὶ εὐλογημένοι, οἱ τῆς εὐλογημένης Θεοτόκου τὴν Τεσσαρακοστὴν φυλάττοντες ἐν τῇ κοιμήσει αὐτῆς. Τῷ δὲ Θεῷ ἡμῶν δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

A contigerit, quarta aut sexta feria, prævenientes die tertio vel quinto, aut præcedente Dominica, a lacticiniis abstineant, et deinceps jejunium teneant; neque Maccabæorum dies, si in jejunium inciderit, prætextus fiat solvendi jejunium ob festum eorum. Atque beati et benedicti ii qui Quadragesimam benedictæ Deiparæ in obitu ejus observaverint, Deo autem nostro sit gloria in sæcula. Amen.

Ἄλλως, περὶ τῆς αὐτῆς νηστείας.

Ἡ πρὸ τῆς Κοιμήσεως τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου νηστεία παραδεδομένη ἐστὶν ἐξ ἁγίων Πατέρων καὶ θείων πατριαρχῶν, καὶ ἐντίμως ταύτην φυλάττουσι πᾶσαι αἱ πόλεις καὶ χῶραι τῶν ὀρθοδόξων, ἐξαιρέτως ἡ μεγαλόπολις καὶ εὐδαίμων Κωνσταντινούπολις, καὶ ἡ Μεγάλη Ἐκκλησία. Πλὴν καὶ ὕστερον ἐπὶ τῶν ἡμερῶν τοῦ Φιλοσόφου κυροῦ Λέοντος καὶ βασιλέως, τῆς ἑορτῆς τῆς Μεταμορφώσεως ἐφευρεθείσης, κατὰ ταύτας δὴ τὰς ἡμέρας, τῆς νηστείας φημὶ, παρ' ἐκείνου τυπωθείσης ἑορτάζεσθαι, ἐδράξαντο τῶν φιληδόνων τινὲς ἀφορμῆς, ὡς δῆθεν τιμῶντες τὴν τοῦ Σωτῆρος ἑορτὴν, ἥσθιον τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τὸ κρέας. Ὅ καὶ ὁ σοφώτατος καταλύσας ἐνθέσμως, ὅλη ἡ νηστεία τῶν δεκαπέντε ἡμερῶν φυλάττεται παρὰ πᾶσι καὶ καθαρῶς νηστεύεται· οἳ καὶ παρὰ τῆς τοῦ κόσμου σκέπης καὶ ὑπεραγίας Θεοτόκου μᾶλλον καὶ πλέον φυλάττονται.

B

Aliter, de eodem jejunio.

Jejunium quod præcedit sanctissimæ Deiparæ Dormitionem, a sanctis Patribus divinisque patriarchis traditum est, et honorifice illud servant cunctæ urbes ac regiones orthodoxorum, præsertim magna felixque civitas Constantinopolis, Magnaque Ecclesia. Verum postea ætate domini Leonis Philosophi et imperatoris, adinvento festo Transfigurationis, cum ille constituisset ut id celebraretur, per hosce dies, jejunii inquam, occasionem ceperunt quidam voluptatis studiosi, et quasi honore persequerentur solemnitatem Servatoris, eo die carne vescebantur. Quod sapientissimus imperator lege lata prohibuit; unde integrum jejunium quindecim dierum a cunctis servatur, et jejunatur pure; qui etiam a sanctissima Deipara, totius mundi protectrice, magis magisque defenduntur.

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΝΙΚΩΝΟΣ.

Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς νηστείας τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου εἴρηται. Ὁρῶμεν δὲ καὶ ἑτέραν νηστείαν (5) γινομένην· καὶ περὶ ταύτης οὐκ ἠδυνήθημεν τιποτοῦν ἐγγράφως εὑρεῖν· πλὴν πάντη καὶ πανταχοῦ ταύτην νηστεύουσι· λέγω δὴ τὴν Ὕψωσιν τοῦ τιμίου σταυροῦ. Καὶ καθὼς ἄνωθεν προείρηται περὶ τῶν μεγάλων ἁγίων τῶν ἐκ πίστεως εἰς τὰς ἑορτὰς αὐτῶν προαγνιζόντων, οὕτω καὶ περὶ ταύτης τῆς ἑορτῆς φασὶν, ὅτι τινὲς μὲν ἐκ πίστεως προαγνίζονται, διὰ τὸν ἀσπασμὸν τοῦ τιμίου σταυροῦ, καὶ πάλιν αὐτὴν τὴν ἡμέραν, διὰ τὸν ἀσπασμὸν, καὶ ὅτι καὶ σταυρώσιμα πάντα ψάλλονται καὶ ἀναγινώσκονται ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ, ὅτε Ἀπόστολος καὶ τὸ Εὐαγγέλιον, καὶ ἁπλῶς ὅλη ἡ τάξις σταυρώσιμος γίνεται· καὶ ὅτι μία ἡμέρα ἐν ταῖς καθολικαῖς Ἐκκλησίαις τελεῖται, καὶ εὔλογός ἐστιν ἡ νηστεία. Περὶ δὲ τὴν νηστείαν τῆς δευτέρας ἡμέρας τῆς ἑβδομάδος, εἴς τε τὸ νομοκάνονον τοῦ Νηστευτοῦ καὶ εἰς τὸν τύπον τῶν Ἱεροσολύμων, ταύτην διαγορεύει· ὁμοίως καθὼς καὶ ὄπισθεν ὁ λόγος ἀπέδειξε τὴν τῆς ὑπερενδόξου Κοιμήσεως τῆς Θεοτόκου νηστείαν, εἰς τὸ Συνοδικὸν ἐν τῷ ἐπιτιμίῳ τῶν τριγάμων ἀναφέρει ταύτην. Αὗται δὲ αἱ καθολικαὶ νηστεῖαι τῶν Χριστιανῶν, ἐκ τῶν θείων Γραφῶν, δευτέρα, καὶ τετράς, καὶ παρασκευὴ (6) ὅλου τοῦ ἐνιαυτοῦ, παρεκτὸς εὐλόγου αἰτίας, καὶ ἡ μεγάλη Τεσσαρακοστὴ, καὶ ἡ

C

D

SANCTI NICONIS.

Atque hæc quidem de jejunio sanctissimæ Deiparæ dicta sint. Porro aliud quoque jejunium agi videmus, de quo nihil scripto traditum invenire potuimus; tametsi illud penitus et ubique jejunent. Loquor autem de Exaltatione venerandæ crucis. Et sicut superius de magnis sanctis dictum fuit, quod quidam fideles ad festa eorum per purificationem se præparent, ita etiam de hoc festo aiunt, quosdam ex fidelibus ante purificari, ob pretiosæ crucis salutationem ac venerationem, adhucque per ipsum diem, propter eamdem salutationem, quodque eo die omnia quæ de cruce sunt psalluntur et leguntur, tum Apostolus, tum Evangelium; uno verbo totum peragitur crucis officium; atque unum diem in catholicis Ecclesiis celebrari, et rationi consentaneum esse jejunium. Cæterum de jejunio secundi diei hebdomadis, et in Nomocanone Jejunatoris, et in Typo Hierosolymitano illud edicitur; parique modo, sicut antea sermo demonstravit, jejunium Obdormitionis gloriosissimæ Deiparæ, in Synodico, ubi de pœna et pœnitentia tertiis nuptiis implicitorum, refertur. Sunt autem hæc universalia Christianorum jejunia ex divinis scriptis: secunda feria, tetras, parasceve, per totum annum, nisi obstet causa æquo congruens, magna Quadragesima, hebdomas Passionis Domini, Natalis Christi Quadragesima vel

(5) *Ἑτέραν νηστείαν.* Quo de jejunio etiam Typicum et Anthologium, cum Horologio. Locus Niconis exsistat quoque cod. Regio 2424, in ejus Pandecte, serm. 57.

(6) *Δευτέρα καὶ τετρὰς καὶ παρασκευὴ.* In Græcis Pœnitentialibus etiam δευτέρα καὶ τετραδοπαρασκευὴ, et δευτεροτετραδοπαρασκευαί.

Digitized by Google

jejunium, Sanctorum Apostolorum, necnon glorio- A sissimæ Deiparæ. At jejunium honorandæ crucis, non a scripturis, sed ex communi traditione accepimus, sicut supra scriptum est. Atque ita habet exacta de jejuniis exploratio et observatio.

ἑβδομὰς τοῦ Ἁθους τοῦ Κυρίου, καὶ ἡ τῶν Χριστουγέννων Τεσσαρακοστὴ, καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ ἡ τῆς ὑπερενδόξου Θεοτόκου. Τοῦ δὲ τιμίου σταυροῦ οὐκ ἀπὸ τῶν γραφῶν, ἀλλ' ἐκ κοινῆς παραδόσεως παρελάβομεν, καθὼς προεγράφη. Καὶ αὕτη μὲν ἡ ἀκρίβεια περὶ τῶν νηστειῶν.

Nicon in Pandecte, sermone 57, *cod. Reg.* 2423, *postquam meminit Synodici Unionis, et Antirrhetici Joannis Nicæni, subdit.*

Investigavimus autem de jejunio Deiparæ. Et alii quidem dicunt legitimum esse et canonicum; alii vero agnoscunt illud, at observari a se negant; alii denique nullatenus admittunt, sed etiam observatores illius accusant. Et ii quidem qui admittunt B servantque, testimoniis utuntur supra allatis: qui autem non recipiunt, verum incusant, sine testimonio id agunt: qui demum agnoscunt, nec observant, aiunt multa jejunia, non ex divinorum canonum traditione, sed ex consuetudine quadam et successione in nonnullis regionibus observata reperiri; tum quosdam homines, non prava mente, sed fide ac amore in nonnullos magnos sanctos, præpurgari, quo pure ad festa eorum veniant; atque hujusmodi jejunia nequaquam esse universalia, sed ad uniuscujusque nutum ac voluntatem. Porro de jejunio Deiparæ dicimus hæc: Festum Transfigurationis, et festum Occursus non tradita fuere ab initio per sanctos apostolos, verum posterioribus tempo- ibus. Unde jejunium Deiparæ solvimus, gau- C dentes in festivitate Transfigurationis. Aiunt autem quod magnorum monasteriorum Typica, ut illa Hierosolymorum, per dies octo festum agere constituant, Studiticum vero quatuor; at patriarchii Ecclesiæ Antiochenæ Typus, unum diem festum habet; ubi multi jejunium Deiparæ integrum servant. Cæterum aliud quoque jejunium peragi cernimus; de quo nihil scriptum nancisci potuimus. Complures enim ante Exaltationem venerandæ crucis purificant se, iterumque ipso die, propter crucis salutationem, et quia tunc omnia ad crucem spectantia canuntur et leguntur. Typica porro, Suditicum et Hierosolymiticum, duos dies celebrant, ipsum nempe festum et diem consequentem. Pretiosæ igitur crucis jejunium quibusdam scriptis traditum non fuit, sed communi traditione tenetur. Atque de jejuniis hic finis sit.

Ἠρευνήσαμεν δὲ περὶ τῆς τῆς Θεοτόκου νηστείας. Καὶ οἱ μὲν λέγουσιν, ἔνθεσμός ἐστι καὶ κανονική· ἕτεροι δὲ ὁμολογοῦσι μὲν αὐτὴν, λέγουσι δὲ μὴ φυλάττειν· ἄλλοι δὲ οὐδόλως αὐτὴν παραδέχονται, ἀλλὰ καὶ κατηγοροῦσι τῶν φυλαττόντων. Καὶ οἱ μὲν δεχόμενοι καὶ φυλάττοντες ταύτην, ἔχουσι μαρτυρίας ἃς προειρήκαμεν. Οἱ δὲ μὴ δεχόμενοι ταύτην, ἀλλὰ καὶ κατηγοροῦντες, ἁμαρτύρως τοῦτο ποιοῦσι. Οἱ δὲ ὁμολογοῦντες καὶ μὴ φυλάττοντες, φασὶν ὅτι πολλαὶ νηστεῖαι οὐκ ἐκ παραδόσεως θείων κανόνων, ἀλλ' ἐκ συνηθείας τινὸς καὶ διαδοχῆς εἰς τινὰς χώρας φυλάττεσθαι εὑρίσκονται, καί τινες οὐ κακῷ λογισμῷ, ἀλλὰ πίστει καὶ ἀγάπῃ τινῶν μεγάλων ἁγίων προαγνίζονται, ἵνα ἐν ταῖς ἑαυτῶν ἑορταῖς καθαρῶς ὑπαντήσωσι· καὶ αἱ τοιαῦται νηστεῖαι οὐκ εἰσὶ καθολικαὶ, ἀλλ' ὁ καθεὶς, ὡς προῄρηται καὶ βούλεται. Περὶ δὲ τῆς νηστείας τῆς Θεοτόκου τάδε φαμέν· Ἡ ἑορτὴ τῆς Μεταμορφώσεως καὶ τῆς Ὑπαπαντῆς, οὐκ ἐξ ἀρχῆς παρεδόθησαν παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ἀλλ' ἐν ὑστέροις καιροῖς. Διὸ καὶ καταλύομεν τὴν νηστείαν τῆς Θεοτόκου χαίροντες ἐπὶ τῇ πανηγύρει τῆς Μεταμορφώσεως. Λέγουσι δὲ ὅτι τὰ τυπικὰ τῶν μεγάλων μοναστηρίων, ὥσπερ τὰ τῶν Ἱεροσολύμων, ὀκτὼ ἡμέρας ἑορτάζειν ὁρίζουσι· τὸ δὲ Στουδιτικὸν, τέσσαρας· ὁ δὲ τύπος τοῦ πατριαρχείου τῆς Ἐκκλησίας Ἀντιοχέων, μίαν ἡμέραν ἑορτάζει· ἔνθα καὶ πολλοὶ ὁλοκλήρως τὴν νηστείαν τῆς Θεοτόκου φυλάττουσιν. Ὁρῶμεν δὲ καὶ ἑτέραν νηστείαν γινομένην· περὶ ἧς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐγγράφως τι εὑρεῖν. Πολλοὶ γὰρ πρὸ τῆς Ὑψώσεως τοῦ τιμίου σταυροῦ προαγνίζονται, καὶ πάλιν κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν, διὰ τὸν ἀσπασμὸν, καὶ ὅτι πάντα τὰ σταυρώσιμα τηνικαῦτα ψάλλονται καὶ ἀναγινώσκονται. Τὰ μέντοι τυπικὰ τὸ Στουδιτικὸν καὶ τὸ Ἱεροσολυμιτικὸν, δύο ἡμέρας ἑορτάζουσιν, ἤγουν αὐτὴν τε τὴν ἑορτὴν, καὶ μεθέορτα. Ἔστι τοίνυν ἡ νηστεία τοῦ τιμίου σταυροῦ οὐκ ἀπό τινων γραφῶν παραδοθεῖσα, ἀλλ' ἐκ κοινῆς παραδόσεως. Καὶ τὰ μὲν περὶ νηστειῶν, ὧδε τὸ πέρας ἐχέτω.

Et codice Regio 2424. *Idem, eodem sermone.*

Non paucos vero de Deiparæ jejunio interrogavimus; et nescio qua ratione illorum responsa invenimus dissona. Alii quippe dicunt jejunium legitimum esse et canonicum, atque a se accurate servari; alii autem illud esse fatentur, negant tamen a se observari, quia præter legem est; alii nullatenus recipiunt, quin imo eos qui observant reprehendunt. Et ii quidem qui suscipiunt ac servant, habent, quemadmodum supra dictum fuit,

Οὐκ ὀλίγους δὲ περὶ τῆς νηστείας τῆς Θεοτόκου ἐπηρωτήσαμεν, καὶ οὐκ οἶδα ὅπως, ἀσυμφώνους εὕρομεν τούτων τὰς ἀποκρίσεις. Καὶ οἱ μὲν λέγουσιν ὅτι ἔνθεσμός ἐστι καὶ κανονικὴ νηστεία, καὶ ἐν ἀκριβείᾳ φυλάττεται παρ' αὐτῶν· ἕτεροι δὲ ὁμολογοῦσι μὲν αὐτὴν εἶναι, λέγουσι δὲ μὴ φυλάττειν αὐτὴν ὡς ἔνθεσμον οὖσαν· ἄλλοι δὲ οὐδὲ ὅλως αὐτὴν παραδέχονται, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον κατηγοροῦσι τῶν φυλασσόντων ταύτην. Καὶ οἱ μὲν δεχόμενοι καὶ φυ-

Digitized by Google

λίσσοντες ταύτην, ἔχουσιν, ὡς προείρηται, ἐκ τῶν θείων Γραφῶν μαρτυρίας, ἀκριβέστερον δὲ εἰς τὰς λοιπὰς νενομισμένας νηστείας εὑρίσκονται διακείμενοι, καὶ μετ' εὐνοίας φυλάττοντες ταύτας. Οἱ δὲ μὴ δεχόμενοι ταύτην, καὶ μάλιστα ταύτης κατηγοροῦσιν, οὔτε μαρτυρίαν τινὰ γραφικὴν εἰσδεχόμενοι, οὔτε πάλιν εἰσφέροντες, ἀλλ' ἁπλῶς πάλιν ταύτην ἀναπολογήτως ἀποστρέφονται. Ἕτεροι δὲ πάλιν οἵτινες καὶ ὁμολογοῦσιν αὐτήν, οὐ φυλάττουσι δὲ ὅλως, οὐκ ἔχουσί τινα μαρτυρίαν γραφικὴν οὐδὲ οὗτοι, ἀλλ' ἢ τοῦτο μόνον ἀγράφως ἡμῖν κατὰ συμβουλὴν παραινοῦσι. Φασὶ γὰρ ὅτι Πολλὰς νηστείας, οὐκ ἐκ παραδόσεως θείων κανόνων, ἀλλ' ἐκ συνηθείας τινῶν καὶ ἐκ διαδοχῆς εἰς τινὰς χώρας φυλάττεσθαι εὑρίσκομεν· οὐ κακῷ δὲ λογισμῷ, ἀλλὰ πίστει καὶ ἀγάπῃ τινῶν μεγάλων ἁγίων προαγνιζομένων τῶν νηστευόντων, ἵνα καθαρῶς ταῖς ἑαυτῶν ἑορταῖς ὑπαντήσωσι. Τὰ δὲ τοιαῦτα οὐκ ἐπιτρέπονται ἐπὶ πάντων παραδίδοσθαι εἰς τὸ κοινόν, ἀλλ' ὁ καθεὶς ὡς προαιρεῖται καὶ βούλεται· μόνον μὴ κεκωλυμένον ἔστω παρὰ τῶν θείων Πατέρων· οἷον ἡ νηστεία τοῦ Ἀρτζιβουρίου, ἡ τοῦ Δωδεκαημέρου, ἡ τῆς τετράδος καὶ παρασκευῆς τῆς τυροφάγου, καὶ ἄλλαι τῶν αἱρετικῶν διά [φοροι] νηστεῖαι. Ἐν ταῖς τοιαύταις γὰρ νηστείαις οὐχ ἁπλῶς οἱ αἱρετικοὶ νηστεύουσιν, ἀλλ' αἱρετικῷ δόγματι, καὶ ἔξω τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας συμμιγνύντες παράδοσιν· καὶ οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν τὰ ἐκείνων ἐν τοῖς τοιούτοις. Περὶ τῆς νηστείας τῆς Θεοτόκου, τοιοῦτον οἴδαμεν τρόπον. Ἡ ἑορτὴ δὲ τῆς Μεταμορφώσεως καὶ τῆς Ὑπαπαντῆς, οὐκ ἐξ ἀρχῆς παρεδόθησαν παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων, ἐν ὑστέροις δὲ καιροῖς παρὰ τῶν θείων Πατέρων, καὶ διὰ τὸ ἑστάναι τὴν ἑορτὴν τῆς Μεταμορφώσεως εἰς τὰς ζ' τοῦ Αὐγούστου μηνός. Ἑορτάζομεν δὲ ταύτην εἰς τὸ κοινὸν ἐπὶ μέσου ἡμέρας ὀκτώ· τούτου χάριν καταλύομεν ἐπὶ μέσου εἰς τὸ κοινὸν τὴν τοιαύτην νηστείαν. Καὶ ὅτι καθὼς καὶ προείρηται περὶ τῶν ἑτέρων νηστειῶν τῶν μεγάλων ἁγίων, φυλάττεσθαι καὶ ταύτην τὸν καθ' ἕνα ὡς βούλεται ἔξεστιν· εἰς τὸ κοινὸν δὲ ἀνάρμοστόν ἐστι παραδίδοσθαι. Καὶ ταῦτα μὲν οἱ νυνὶ Πατέρες ἡμῖν συμβουλεύουσι. Λέγουσι δὲ καὶ τοῦτο, ὅτι, Εὑρίσκομεν εἰς τὸ τυπικὸν τῶν μεγάλων μοναστηρίων τὴν ἑορτὴν τῆς Μεταμορφώσεως ὀκτὼ ἡμέρας ἑορτάζειν, καὶ αὖθις ἑστᾶναι τὴν τῆς Θεοτόκου ἑορτήν, καὶ οὐ χωρεῖται καθολικῶς ἐπὶ μέσου νηστεία εἰς τὸ κοινόν. Τοῦτο δὲ ἕτερον λογισμὸν ἡμῖν ἐντίθησι πάλιν. Καὶ γὰρ τῶν Ἱεροσολύμων μὲν τὸ τυπικὸν, ἡμέρας ὀκτὼ ἑορτάζει· τῶν δὲ Στουδίων, τέσσαρας· τῆς δὲ μεγάλης Ἐκκλησίας Ἀντιοχείας, ἤτοι τοῦ πατριάρχου ὁ τύπος, μίαν ἡμέραν ἑορτάζει· καὶ ταῦτα δὲ καὶ πολλοὶ ταύτην νηστεύουσι τὴν νηστείαν καὶ εὐγνωμόνως φυλάττουσι, καὶ μάλιστα τῶν γνωστικωτάτων οἱ προὔχοντες τῆς αὐτῆς μεγαλοπόλεως. Καθὼς γὰρ καὶ προείπομεν, ἐκ τοῦ Συνοδικοῦ, ὅπερ καὶ ἐπὶ ἄμβωνος ἐν τῷ πατριαρχείῳ ἀναγινώσκεται, τὴν μαρτυρίαν λαμβάνοντες· οἱ μὲν ἀπ' ἀρχῆς τὴν Αὐγούστου μηνὸς τὴν νηστείαν ταύτην κρατοῦσι, καὶ εἰς τὴν ἑορτὴν τῆς Μεταμορφώσεως καταλύουσι,

A testimonia ex divinis Scriptis sumpta, præterea que ad reliqua solemnia jejunia seduli magis ac prompti reperiuntur, eaque libenter peragunt. Qui vero nequaquam admittunt, imo maxime accusant, nec ullum scriptum testimonium recipientes, nec vice versa afferentes, temere adhuc sine prætextu jejunium illud aversantur. Tertii denique qui agnitum nequaquam retinent, neque ipsi aliquod producunt scripto traditum testimonium, verum eo destituti, hoc duntaxat nobis ut consilium tradunt; sic enim loquuntur: Multa jejunia, non ex divinorum canonum traditione, sed per quorumdam hominum consuetudinem, atque ex successione, nonnullis in regionibus observari reperimus; dum non mala mente, at fide ac amore erga quosdam magnos B sanctos, ii qui jejunant præpurgantur, ut cum puritate ad eorum festa perveniant. Quæ porro ejusmodi sunt, non permittuntur in commune tradi apud cunctos, cum unusquisque prout statuit ac vult agat; dummodo non sit a divinis Patribus prohibitum; quale est jejunium Artziburii, item Dodecaemeri, vel tetradis et parasceves hebdomadæ Lacticinii, variaque alia hæreticorum jejunia. Hæc namque jejunia non simpliciter usurpant hæretici, sed hæretico dogmate, atque extra catholicam Ecclesiam commiscentes traditionem; neque in hujusmodi rebus licet nobis eorum gesta imitari. De jejunio Deiparæ, hunc in modum novimus. Festum vero Transfigurationis, et festum Occursus ab initio tradita non fuere per sanctos apostolos, C verum per sanctos Patres posterioribus temporibus, et quod Transfigurationis festum sexto mensis Augusti celebretur. Cæterum hoc festum communiter in medio octo diebus agimus; ideoque in medio in commune jejunium illud solvimus. Et sicut superius dictum fuit de aliis jejuniis magnorum sanctorum, hoc quoque qui voluerit poterit observare; in commune tamen tradi non decet. Atque hæc nostri temporis Patres nobis suadent. Addunt etiam istud: Ex Typico magnorum monasteriorum discimus festum Transfigurationis octo diebus celebrare, adhucque instare Deiparæ festum; et generaliter in medio tenetur jejunium ad commune. Hoc porro aliam rursus nobis cogitationem indit. D Siquidem Hierosolymorum Typicum octo dies festos habet, Studii quatuor; verum magnæ Ecclesiæ Antiochiæ, seu patriarchæ Typus unicum diem celebrat; ad hæc etiam multi hoc jejunium agunt, et grate servant, præsertimque qui in ea magna urbe inter maxima cognitione præditos eminent. Nam, uti antea diximus, testimonium sumentes ex Synodico, quod ex ambone in patriarchio legitur, alii quidem ab initio mensis Augusti jejunium colunt, et festo Transfigurationis illud solvunt, unum diem honorando, iterumque jejunium usque ad ipsum purissimæ et omnino immaculatæ Dominæ nostræ Dei Genitricis festum tenent; alii autem post celebratum Transfigurationis festum, jejunium inchoant; uno verbo a singulis, quemadmodum jam dixi, ob-

Digitized by Google

servatur. Atque hæc de iis qui aut suscipiunt, aut non suscipiunt illud jejunium, seu potius quotannis dissident, dicta sunt, etc.

Α τιμῶντες τὴν μίαν ἡμέραν, καὶ πάλιν τὴν νηστείαν κρατοῦσιν ἕως αὐτῆς τῆς ἑορτῆς τῆς πανάγνου καὶ παναχράντου Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου· ἕτεροι δὲ μετὰ τὸ ἑορτάσαι τὴν ἑορτὴν τῆς Μεταμορφώσεως, ταύτην κρατοῦσι καὶ ἁπλῶς ὁ καθ' ἕνα, ὡς προείρηται, ταύτην νηστεύει. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῶν δεχομένων καὶ περὶ τῶν μὴ δεχομένων ταύτην τὴν νηστείαν, καὶ μᾶλλον εἰπεῖν διαφωνούντων κατ' ἔτος, εἴρηται, κ. τ. λ.

ANNO DOMINI MXC

NICETAS SERRONIUS.

NOTITIA.

(Leo Allatius *De Nicetis* ap. Mai *Bibl. nov. Patr.* tom. VI.)

Nicetas Serron male a Possevino in duos discerpitur in apparatu, in Nicetam nimirum Heracleæ episcopum, et Nicetam Serron. Sed pessime ab Epitomatoribus gesnerianis in Nicetam Heradium, Nicetam Serronium, Nicetam τοῦ Σερρῶν, et Nicetam metropolitanum Heracleæ. Namque unus et idem est auctor, qui omnia prædictis ascripta composuit. In diatriba mea de Psellis, cum de ætate Michaelis Psselli adversus hæreticos disceptarem, ut eos refellerem, multa de Niceta Davide, et Niceta Serrone, quæ et illi concedere debebant, ex codicibus manuscriptis attuli, et postmodum conclusi Nicetam Serronem, et Nicetam Davidem alium atque alium fuisse; in eamque ivi sententiam, Theophylacti Bulgariæ archiepiscopi ætate floruisse, ad quem nona Theophylacti epistola inter impressas a Meursio legitur. De diversitate Nicetarum mecum habeo doctissimum Vossium in nova de scriptoribus Græcis editione : *Diversos tamen esse hos Nicetas, Leonis Allatii sententia est, in diatriba de Psellis, cui hac in parte potius subscribo.* Fuit is primo magnæ ecclesiæ diaconus et magister seu doctor, postea Serrarum metropolita, inde translatus Heracleam. Vir oppido doctus et pius. Scripsit plura et varia. Sed præcipui illius neque inglorii conatus fuere in exponenda Biblia ex mente sanctorum Patrum.

Quæ ad manus nostras pervenere sunt : canones illius γραμματικοὶ κατὰ μουσικὸν ἦχον ψαλλόμενοι. *Regulæ grammaticæ, quæ ad cantum musicum concinuntur*, itemque *troparia*. Titulus operi præfixus : τοῦ τῶν Σερρῶν πόνημα Νικήτου τόδε, *Serronis labor Nicetæ hic est*. P. Ἐπίθετα Διός· Δωδωναῖος, Ἰδαῖος Ἐρκεῖος, Κηναῖος, Μειλίχιος. Ejusdem κανὼν εἰς κανόνας γραμματικούς. *Canon in regulas grammatices*. P. Εἰς ος τὰ ὀξύτονα.

Ejusdem ἕτερος κανὼν εἰς διάφορα γραμματικά. *Alius canon in varia grammatica*. P. Τὸ α' κατὰ ἀρχὰς ἀσπάζεται. Et alia in bibliothecis Vaticana, Vallicelliana, regia Parisiis, Altempsiana.

Carmina iambica in idem opus. P. Πέδον τιθηνὸν ἀκριβοῦ πεφιλμένον. *Ibid.*

Carmina iambica alia. P. Καιρὸς μὲν ὕπνου, καὶ καθεύδειν ἦν δέον. Regia Parisiis.

Addunt alii : *Ejusdem imperatores Constantinopolitani hæretici ac Christiani*. Ipse quid sit, nondum vidi.

In Gregorii Nazianzeni orationes sexdecim *Enarrationes, et Commentaria*, nempe *in sanctum Pascha, et in Tarditatem. In aliam orationem in sanctum Pascha. In novam Dominicam. In Pentecostem. In Christi diem Natalem. In Epitaphium divi Basilii. In sancta Lumina. In sanctum Baptisma. De amore pauperum. In patrem reticentem propter plagam grandinis. In Macchabæos. In S. Cyprianum martyrem. In Julianum tributorum exactorem. In præsentiam CL. episcoporum. In Gregorium Nyssenum Magni Basilii fratrem. In S. Athanasium :* quæ Latine interprete Joanne Leunclavio excusa sunt cum operibus Gregorii Nazianzeni Basileæ anno 1571. Ex his Commentariis Jacobus Billius partim in aliquas orationes Nazianzeni, partim ex illis in alias collegit, ediditque in sua editione. Græca manuscripta passim inveniuntur in Italicis bibliothecis, et regia Parisiis cod. 429 et 1353.

Ejusdem *Commentarii in Nyssenum*, index ms. Ambrosianus. Nicetas absque dubio erit, qui et in Nazianzeno elaboravit. Utinam tamen index, vel titulus non fallat! Et suspicor ea esse, quæ ipse Nicetas scripserat in orationem Nazianzeni, quam ille habuit in Gregorium Nyssenum Basilii fratrem.

Industriam quoque suam posuit in exponendis sacræ Scripturæ libris; non ex propriis, sed ex sanctorum aliorumque præstantissimorum virorum, imo etiam ex hæreticorum, si modo a catholicorum intelligentia et sensu non disjunguntur, decerpens, et ordine disponens, et aptissime collocans, ut non videantur disjuncta ac separata, optimorum pannorum frustis consarcinata, sed uno continuo textu ab uno auctore ordita. Eas Græci σειρὰς dixere, Latini *catenas :* quemadmodum enim diversi disjunctique

Digitized by Google

annuli alter alteri implicitus in unum coarctantur, et continuatum unum efficiunt, ita et sententiæ illæ in scriptis Patrum dispersæ, recollectæ ac debito ordine congestæ, veluti una serie continuantur. Sic sub illius nomine in variis bibliothecis latent *in Hexameron Mosis explicationes collectæ. In Psalterium Davidis*. Possevinus scribit exstitisse in bibliotheca imperatoris Vindobonæ. In Altempsiana legitur : Νικήτα Σερρῶν ἐξήγησις εἰς τοὺς ψαλμούς, καὶ συλλογὴ ἄχρι τοῦ μϵ' ψαλμοῦ· παρέμπροσθεν δὲ ἄχρι τοῦ σ', τοῦ Ἀταμηνοῦ. *Nicetæ Serronis expositio in psalmos et sylloge usque ad XLV. Quæ vero sequuntur usque ad LXX, sunt Agameni.* Franciscus etiam Patritius in notis ad Clementis primam epistolam ad Corinthios refert apud se exstare catenam in psalmos, collectore Niceta, quam sæpius vocat suam, ex eaque testimonia Patrum non uno in loco profert. Ex hac Patrum expositione pius nescio quis varias precum formulas concinnavit varii argumenti, quas ipse legi sub hoc titulo : Εὐχαὶ διάφοροι πρὸς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, ὑμνολογητικαὶ, ἐξομολογητικαί τε, καὶ εὐχαριστήριοι, πρὸς δὲ καὶ διηγηματικαὶ, καὶ παρακλητικαὶ, διασκευασθεῖσαι κατὰ παράφρασιν ἐν ὁμοιότητι τῶν ψαλμῶν τοῦ Δαυὶδ ἀπὸ τῶν ἐξηγησαμένων εἰς τὸ ψαλτήριον αὐτοῦ θειοτάτων Πατέρων ἡμῶν καὶ ἁγίων καὶ σοφῶν διδασκάλων· συνετέθησαν δὲ ἀπὸ τοῦ βιβλίου τοῦ Ἡρακλείας. P. Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς τῶν ἁπάντων τοὺς καταλαβόντας με διὰ παγίδων, καὶ τὴν ψυχήν μου ταπεινώσαντας. Sunt num. 39. Nec non et illæ : Ἑτέρα συνθήκη ψαλμῶν ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας τοῦ Ζυγαβηνοῦ εἰς τοὺς ψαλμοὺς ὅλους κατὰ παράφρασιν εὐκτικῶς, δοξολογικῶς, εὐχαριστηρίως, καὶ διηγηματικῶς, καθὼς γέγονε καὶ προγέγραπται, καὶ ἀπὸ τῆς συλλογῆς τοῦ Ἡρακλείας εἰς τὸ ὅλον ψαλτήριον. P. Κύριε ὁ Θεὸς πολλοὶ τῶν κατεξανισταμένων μου παραθαρρύνοντες ἀλλήλους λέγουσιν. Preces sunt num. 146.

Subdit Possevinus : *In Ecclesiastem, Canticum canticorum, in Duodecim prophetas, in quatuor Evangelia, in Acta apostolorum, in Epistolas Pauli, Joannis, Jacobi et Petri. Sed cum ejusdem exstet explicatio in Job, vereor quin ei sit, ut fortassis aliæ falso ascriptæ. Nam et in decem manuscriptis Græcis codicibus, quos Paulus Comitolus noster e variis bibliothecis conquisivit ob Catenam Patrum Græcorum in Job a se versam, nullus exstat in illis Nicetas, præter quam in codice, qui erat Joannis a S. Andrea canonici Parisiensis. Quin etiam cum ei fuisset in Galliis a quodam attributa, idem Comitolus in disputatione, quam de ejus Catenæ auctore suæ versioni præfixit, solidis evincit argumentis, eam nullam esse, sed Olympiodoro tribuendam, qui e quatuor et viginti Græciæ doctorum explanationibus illam contexuit.* In Bavarico ducis bibliothecæ catalogo adnotatur cod. 12 et 13 : *Catena Nicetæ Serrarum episcopi in Matthæum ; Catena ejusdem Nicetæ in Evangelium S. Joannis.* Et in bibliotheca Augustana habentur : *Variorum Patrum Enarrationes in Evangelium S. Lucæ, Niceta collectore.*

Visitur in Vaticana bibliotheca codex in membrana minutissime et elegantissime scriptus cum hac epigraphe : Συναγωγὴ ἐξηγήσεων εἰς τὸ κατὰ Λουκᾶν ἅγιον Εὐαγγέλιον ἐκ διαφόρων ἑρμηνευτῶν παρὰ Νικήτα διακόνου τῆς τοῦ Θεοῦ μεγάλης Ἐκκλησίας ἐν βιβλίοις δ' (*a*). *Collectio explicationum in sanctum Evangelium secundum Lucam, ex variis interpretibus per Nicetam diaconum magnæ Dei ecclesiæ, libris quatuor.* P. Ἐξ ἀρχῆς μὲν ὁ Θεὸς δι' ἑαυτοῦ τοῖς ἀνθρώποις διελέγετο. In qua sylloge illud singulare cernitur, quod cum in aliis catenis sententiæ Patrum verbis decurtatæ, et compendio efferantur, hic ipsissimis verbis uti jacent textus, nullis suis partibus imminuti digeruntur, ut non frusta interpretationum, sed integræ ipsæ interpretationes, et tantum non orationes describantur. Interpretes sunt, ne te quoque id lateat, Africanus, Alexander monachus, Ambrosius, Amphilochius, Anastasius, Antipater Bostrensis, Apollinaris, Asterius, Athanasius, Basilius, Clemens, Cosmas monachus, Cyprianus, Cyrillus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymitanus, Dionysius Alexandrinus, Dionysius Areopagita, Dorotheus, Ephræm, Epiphanius Cyprius, Eusebius, Eutychius patriarcha, Evagrius, Flavianus, Gregorius Nyssenus, Gregorius Theologus, Hippolytus, Hypatius, Ignatius, Joannes Cassianus, Joannes Chrysostomus, Joannes Climax, Joannes Damascenus, Joannes Geometra, Josephus, Irenæus, Isaac monachus, Isidorus Pelusiota, Justinus, Macarius, Marcus monachus, Maximus, Methodius Patarensis, Nicetas qui et David, Nilus, Origenes, Paulus Emesenus, Philo, Photius patriarcha, Proclus, Severus Antiochenus, Silvester, Simeon Metaphrastes, Synesius, Theodoretus, Theodorus Mopsuestenus, Theophanes, Titus Bostrensis, Victor presbyter (*b*). Ex his prolixis admodum expositionibus collectæ sunt expositiones magis succinctæ a studioso quodam in idem Evangelium, ne lectione tam longa lectores absterrerentur, quæ in bibliothecis italicis leguntur.

Relatum etiam mihi est, exstare sub nomine ejusdem e diversis item Patribus *in Matthæi Evangelium expositionem*, Patresque esse, Apollinarem, Athanasium, Basilium, Cyrillum Alexandrinum, Epiphanium, Eusebium Cæsariensem, Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nyssenum, Gregorium Thaumaturgum, Joannem Chrysostomum, Irenæum, Isidorum Pelusiotam, Origenem, Photium, Severum Antiochenum, Theodoretum, Theodorum Heracleensem, Theodorum Mopsuestenum, Theophilum, Titum.

Catenam in Job non esse Nicetæ, sed Olympiodori contendit Comitolus, solidisque eum id evincere argumentis, tradit Possevinus. Verum solidas ipsas Comitoli ratiocinationes consideremus. Ait scripto

(*a*) Ex hoc ipso codice plurimas egregiasque S. Cyrilli Alex. partes nos protulimus in *Bibl. nov. PP.* t. II ; item alias aliorum Patrum in *Script. vet.* t. IX. A. M.

(*b*) Paulo numerosiorem nominum indicem, ascriptis etiam codicis locis, nos dedimus t. IX, cit. p. 725, 726. A. M.

Digitized by Google

admonitum, eum, qui non Olympiodorum Alexandrinæ Ecclesiæ diaconum, sed Nicetam Heracleæ episcopum catenæ hujus auctorem existimabat, sensisse se captiosa probabilitate deceptum, ideoque semel et iterum datis litteris errati sui veniam deprecatum, et in sententiam suam manibus pedibusque venisse, erratum professum. Licet enim, ut ille asserebat, a Joanne Parisiensis Ecclesiæ canonico dictum esset, tum in suo, tum in regis Gallorum (et Cæsaris, et in ottob.) exemplaribus et non paucis quæ Constantinopoli visuntur, summo cum consensu, Nicetæ nomen præfixum habeatur, et stylus una cum reliquis Nicetæ operibus plane consentiat, suo tamen judicio Comitolus, et aliorum eximiorum virorum, diversorum exemplarium diversos esse auctores censet, et Nicetæ nominis hujusmodi libris affixi repellit antiquitatem : tum demum quia Græcæ nationi, quo præsertim tempore ab Romana Ecclesia secessit, solemne fuit, adulterinis notis libros aspergere : et varios esse auctores suadent, vel omnibus in libris non eumdem esse explanatorum numerum, vel explanationum auctorum non esse eamdem dispositionem et ordinem, vel ad eosdem locos sacræ Scripturæ non eorumdem doctorum explicationes adhiberi, vel eorumdem doctorum explicationes in nonnullis libris concisas, in aliis magis diffusas esse, vel nullam præfixi nominis Nicetæ notam vetustioribus codicibus videri. Adde in ipsa inscriptione, quæ Nicetam præfert, nihil recinere purum, nihil veteris linguæ Græcæ resonare domesticum. Ἐξήγησις εἰς τὸν μακάριον Ἰώβ, συγγραφεῖσα παρὰ τοῦ ἱερωτάτου μητροπολίτου Ἡρακλείας, κυρίου Νικήτα. Νικητοῦ enim, si regulis grammaticorum insistere voluisset, dicendum erat. Græcos porro non suorum sed alienorum nomina assuesse libris præfigere, probant Commentarii in Joannem, qui Cyrilli nomen præferebant (*c*), cum essent Chrysostomi; Commentarii Origenis in Job, qui prorsus Origenis non sunt (*d*). Nec potest dissimulari, multa Hieronymo non Hieronymi, Augustino multa ascripta esse non Augustini (*e*). De stylo quoque Nicetæ præter rem esse videtur, cum nullum in hoc toto Commentario Nicetæ verbum reperiatur, sed omnia aliorum verbis exposita, et licet omnes aliæ catenæ, quæ cum Nicetæ nomine conjunguntur, Nicetæ sint, quam est interpretatus Comitolus, nullo modo Nicetæ tribuendam esse. Et hæc quidem sunt Comitoli argumenta adversus eos, qui hujusce catenæ in Jobum auctorem Nicetam existimant.

Olympiodorum vero diaconum hujus opificii esse auctorem necessario probat, quod catenæ auctor in extrema præfatione, cum Chrysostomi oratione suam connectens, *Nunc ad ipsam verborum*, inquit, *interpretationem veniendum est; quæcunque vero historiæ congruunt, atque allegoriæ*, etc. Atqui verba hæc prorsus consequitur nomen Olympiodori, ejusque protheoria. Si superior oratio est catenæ auctoris, tum historiam, tum theoriam, cum res feret, in singula capita pollicentis, cum in utriusque sensus et historici et theorici pervestigatione fuerit Olympiodorus perdiligenter versatus, cum illius duntaxat sint omnes illæ protheoriæ, quis vocabit in dubium, quin idem sit interpres? Olympiodori interpretatio cum reliquorum doctorum explanationibus ita cohæret, ut non multorum expositio, sed unius tantummodo videatur esse continuatio. Sententiæ illius ex aliorum sententiis efflorescunt, et pleræque illius commentationes in allena junctione verborum sæpe considunt, aliorum verba et sententiæ Olympiodori comprehensionibus astringuntur : aliorum interpretum infracta ab Olympiodoro sanantur, et vitiosa quæque complentur : quæ variis ex eadem catena adductis exemplis Comitolus confirmat. Tandemque cardinalis Gulielmi Sirleti, Francisci Turriani, et Petri Galesini protonotarii apostolici sententias, suæ comites allegat, et Vincentii Pinelli codicem pervetustum, in cujus primis paginis est Olympiodori, tanquam legitimi auctoris, litteris Latinis nomen ascriptum. Tandemque Parisiensium Patrum et sodalium suorum patrocinium adnectit, qui cum sua causa regis reginæque bibliothecas acri studio perlustrassent, singulosque libros ac librorum indices diligentius inspexissent, responderunt : *Non est autem quod rev. patrem Comitolum pigeat conjecturæ, catenam istam Olympiodoro tribuentis. Nam et in Epitome bibliothecæ Gesneri, et in Catalogo librorum edito a Simlero anno* 1586, *catena in Job Olympiodoro tribuitur quædam, quæ dicitur in bibliotheca Sambuci servari : itemque ejusdem Olympiodori diaconi hypotheses in Job.* His concludit esse vero quam simillimum hujus catenæ scriptorem Olympiodorum, Alexandrinæ Ecclesiæ diaconum, exstitisse. Pro qua sententia defendenda, ingentes Comitoli conatus, et concitatum animi ardorem conspexeris. Ad Comitoli quoque sententiam accedit Possevinus in apparatu, in Olympiodoro : *Accedo enim lubens ad sententiam Pauli Comitoli, qui eamdem catenam, ut alibi diximus, e Græca Latinam fecit eleganter. Qui item solidis rationibus in editione Veneta, quæ prodiit apud Iolitos anno* 1587, *evincit eam esse non Nicetæ Heracleensis episcopi, sed ipsius Olympiodori.*

(*c*) Memini reapse me videre in bibliotheca Vaticana codicem magnum insignem, litteris venustis exaratum, cum præfixo titulo Cyrilli in Joannem, cum tamen nihil Cyrilli proprium inesset; sed Compendium potius Chrysostomi illud, quod Patavii observavit Comitolus. A. M.

(*d*) Recte hæc dicuntur. Etenim ego Commentarii adhuc Græce inediti in Jobum, falsum Origenis nomen in codicibus gerentis, verum auctorem (priscum scilicet et famæ nobilis hominem) cum ipso opere vulgaturus aliquando sum. De Comitoli autem nonnullis hallucinationibus verba feci in tomo X, p. 201, seq. Spicilegii Rom. A. M.

(*e*) Augustino scripta aliquot falso utique inscripta fuerunt : sed alia vicissim erepta eidem constat philologorum audaci judicio, reclamantibus valde codicibus antiquissimis et ingenuæ famæ primis editoribus. Sic ex. gr. nostra fere ætate Mita Chrysologum, Brunus Maximum taur., dum studiose illorum tomos amplificare volunt, alienis non semel plumis exornaverunt. A. M.

Digitized by Google

Quid interim nos? In tanta conjecturarum copia, et eximiorum hominum consensu acquiescemus? Etiam si producta sententia quam longissime abesset a vero, tanta dicendi copia præstructa, nos quoque etiam invitos ad se pellexisset. Sed veritatis studium, quo semper incontinenter exarsimus compellit, ut dictas conjecturas conjecturis aliis (quæ enim in rebus hujusmodi demonstratio fuerit?) ponderatas, sapientiorum examini committamus. Qui semel oppositum sentiebat, rationibus Comitoli persuasus, in sententiam Comitoli venit. Optime factum, laudo ingenium, id quoque suasus ipse faciam; et si peccatum est, talibus in rebus diversa ab aliis sentire, veniam deprecabor; et rem agam. Joannis Parisiensis canonici codex Nicetam præferebat auctorem hujus catenæ, et regis Galliæ exemplar, et non pauca alia, quæ Constantinopoli visuntur, quamvis Comitolus nullam exstare in bibliotheca regia catenam affirmet; sed Constantinopoli exstitisse tradit grammaticus in Catalogo exhibito in bibliotheca patriarchæ Constantinopolitani, ut ex Antonii Verderii supplemento colligo; in Anglia duo Bodleiani codices, ex quibus suam eruit, ediditque Patricius Junius. Olympiodorum unus solummodo qui fuit Sambuci. Quibus fides adhibenda est? unine tantummodo Sambuci, relato ab epitomatoribus Gesneri, an tot aliis, qui nobis Nicetam præfigunt? Et si attentius verba epitomatorum considerentur, non nobis Olympiodorum auctorem catenæ dant, sed unum ex iis, ex quibus interpretationes illæ collectæ sunt. En verba : *Olympiodori et aliorum piissima catena in Job, in bibliotheca Sambuci.* Ni alios quoque auctores catenæ auctores substituere velimus. Et cum Comitolus dicat, *diversorum exemplarium auctores esse diversos*, undenam ille habuit in Sambuciano illo codice catenam a se versam, et quam Olympiodoro ipse vindicat, et non aliam atque diversam, contineri? Quare in hujusmodi conjectura, rei dubiæ majorem fidem faciunt plures codices, pluresque testes firmioris auctoritatis reputantur. Quid si Olympiodorum nullus alius testis, nullus hujusce commentationis fœtus alius, Nicetam autem hæ et in alios sacræ Scripturæ libros, perplures collectiones accusant? At Nicetæ stylus cum aliis operibus Nicetæ non consentit. Cum nullus hic cernatur, verum est; sunt enim aliorum scriptorum sententiæ eorumdem verbis expositæ, vel quandoque etiam decurtatæ, in quo nulla certa styli ratio formari potest. Quamvis in aliis suis scriptis, in quibus λογοειδὴς dicendi genus sectatur, non inelegans sit, sed gravis, facundus, et plenus sententiis. At hic in inscriptione nihil purum retinet, nihil Græcæ linguæ domesticum resonat. Quis id ait? Res ipsa, si Comitolo credimus viro in Græcis litteris versatissimo. Νικήτα enim illud pro Νικητοῦ non videtur e grammaticorum schola. Et tamen purum hellenismum sonat. Nomen enim illud fere in omnibus etiam antiquioribus ita enuntiatur. Hinc legitur : Συναναγνὴ ἐξηγήσεων εἰς τὸ κατὰ Λουκᾶν παρὰ Νικήτα διακόνου. Νικήτα Σερρῶν εἰς Γρηγόριον τὸν Θεολόγον. Νικήτα μονάζοντος τοῦ Στηθάτου εἰς τὸ βιβλίον τῶν θείων ὕμνων. Νικήτα τοῦ Βυζαντίου. Νικήτα τοῦ φιλοσόφου. Et in editis conciliis Romanis, de Vita sancti Ignatii : Συνεγράφη δὲ παρὰ Νικήτα δούλου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Sic etiam vulgatum est, Νικήτα τοῦ Χωνιάτου. Et in expositione Græca carminum Gregorii Nazianzeni, Νικήτα φιλοσόφου, τοῦ καὶ Δαυὶδ ἑρμηνεία. Possem etiam infinita alia ex historicis referre, qui Nicetæ nomen in secundo casu ita efferunt, neque propterea præter puritatem Græci sermonis locutos eos fuisse aliquis criminatus est. An ergo tot auctores ob unius syllabæ male scriptæ in ipso titulo, suis Commentariis spoliandi sunt? De Niceta Heracleensi, et de hac catena tantummodo id decernere, de aliis non item, λῆρος plane esset, καὶ οὐδὲν ὑγιές. Quod si Nicetas ideo ex hac catena exterminandus est, quod in exscribendo in declinatione peccatum est, fortasse etiam Olympiodorus ejiciendus ex hoc eodem opere est, cujus nomen in emendatissimo exemplari, quod asserit Patricius Junius, constanter et per omnia ita scriptum reperitur, lege compositionis, ut videtur, aliter postulante, per ω in antepenultima exprimitur Ὀλυμπιωδώρου. Sed nimius ipse sum in similibus referendis.

Reliqua Comitoli videantur. Solemne fuit Græcæ nationi adulterinis notis libros aspergere. Sit certum atque indubitatum, neque enim nunc ego Græcæ nationis causam ago. Quid ergo inde sequitur? Ergo et hoc quoque nomen, eraso vero auctore, catenæ præfixerunt. Hoc vero probandum est, ut in exemplis allatis de Cyrillo et Origene probatur. Neque propterea licebit Comitolo, pulso Niceta, alium substituere. Tum enim et in libris quoque Latinis id facere pro libidine uniuscujusque concederetur; cum, ut ille ait, dissimulari non possit, multa Hieronymo non Hieronymi, Augustino multa ascripta esse non Augustini. Hinc concludet nescio quis plane non dissimili argumento : Ergo catena quæ prostat sub nomine divi Thomæ Aquinatis, divi Thomæ non est, cum Latini sueverint nonnullis libris ac voluminibus non suorum auctorum, sed alienorum nomina, titulosque affigere. Imo permulta in libris suæ Societatis, si hunc eumdem ratiocinandi modum sequemur, decerni possint. Audiatur Comitolus : *Hæreamus in nostris. In hac ipsa catena, quæ superiore anno est impressa Lugduni, annon exstat Epistola ad Antonium Caraffam cardinalem amplissimum? quam cum temporis angustiæ, eorumque preces qui editionem urgebant, ab universi nostri ordinis moderatore acrius extorquerent, videretque eorum cupiditati satisfieri non posse, si a me exspectanda Romam erat Epistola, ejus scribendæ diserto sodali datum est negotium : neque ea re mentitur Epistola, quod non sit auctorem Paulum nacta; prodiit enim ipsa meæ quoque testis locuples voluntatis, illamque quasi prolem meam agnovi.* Quasi vero integerrimi sanctissimique Patres, et præcipue tanti ordinis moderator, scriptiones jussu suo ab hoc vel illo sodali factas, nutu suo aliis ex suis distribuat, et alienos labores, cui ipsi libuerit supponat. Sed vim argumenti inspiciamus. Græci item atque Latini multa auctori non suo falsis inscriptionibus donant, et aliquando

Digitized by Google

moderator Societatis Epistolam ab alio scriptam, perinde atque si Paulus Comitolus eam scripsisset, publicavit. Ergo catena in Jobum a Comitolo versa, licet Nicetæ nomen præferat, Nicetæ non est. An non solidius conclusisset catenam ipsam, quæ sub Comitoli nomine cusa est, Comitoli non esse? Et qua in posterum certitudine suis auctoribus tractatus et libros vindicabimus, si pondus aliquod argumentum hoc in se contineret? Certe nulla. Par enim atque unum omnium judicium erit.

Quid porro pro Olympiodoro suo argutatur? Quæ superius breviter expressimus. Et diceret fortassis aliquid, si Olympiodori verba illa essent. At cum auctoris catenæ sint, frustra tot aggerit exempla. Solent scilicet hujuscemodi tractationum auctores, ne sententiæ allatæ elumbes atque dissolutæ, orationis seriem infringere videantur, aliquid de suo addentes, apposito veluti vinculo, antecedentia cum subsequentibus colligere. Id facile deprehenderit, qui catenas antiquas, et hujusce Nicetæ potissimum examinet. Namque, verbi gratia, cum duæ vel tres alicujus expositionis causæ non ab eodem auctore, sed a diversis redduntur, ille de suo solet addere : *Duplex est hujus loci expositio, aut enim hoc dicit*, et postea nomen auctoris appingit; eaque sententia finita, ponit verba illa : *Aut id potius significare voluit;* et tum alterius nomen subdit. *Multiplex est his verbis subjecta sententia, aut enim hoc dicit;* tum profertur sententia ex aliquo auctore. Postmodum subjicitur, *Aut vero hoc aliud*, et similia. Et cum ista sententiarum connexio de substantia rerum nihil mutet, non opus erat in hisce verbulis auctorem catenæ suum nomen apponere. Undenam id habeam? dicet Comitolus. Ex ipsa catenarum natura. Non placet? Audiat : Potuit id ita fieri. Contemnet hæc Comitolus? contemnat ergo et illa sua, dum Nicetam oppugnat, toties inculcata : *Potuit Olympiodorus a primo integras absolutasque interpretationes singulis historiæ sacræ partibus adhibuisse*, etc. *Potuit primo separato Commentario*, etc. *Potuit suarum sententiarum ac verborum selectione utens*, etc. Si ille quia potuit, fecit; quare non et Nicetas, qui non minus Olympiodoro potuit?

Ut vero de formulis ab Olympiodoro usurpatis aliquid exactius habeatur, dicimus Olympiodorum hunc diaconum Alexandrinum a Joanne archiepiscopo Alexandrino, cognomento Niciota, promotum, varios sacræ Scripturæ libros suis expositionibus elucidasse sic, ut ante singula capita suas protheorias scriberet, quibus succincte et breviter argumentum et sensa proponeret, postea suas expositiones, easque brevissimas subjungeret, ut videre quisque poterit in Expositionibus ab eodem concinnatis in Jeremiæ Prophetias, Lamentationes et Epistolas, necnon in Vaticinia Baruch, quæ in antiquissimo, optimo, et vere aureo codice bibliothecæ Barberinæ asservantur. Ut vero suas protheorias et explicationes connecteret, formulis illis, quas colligit Comitolus, utitur : *Atque in his caput primum situm est : nunc ad secundi capitis protheoriam aggrediendum. Sed de secundo capite tractemus. Igitur capitis tertii protheoriam instituentes dicimus. Atque hujusmodi est superiorum versuum sententia; operæ pretium tamen est, singulos versus seorsum exponere. Aut ex priore interpretatione debemus intelligere; aut vero ad illa ipsa verba hanc sententiam accommodabis. Atque hæc est verbis Jobi subjecta sententia, deinceps singula videamus. Nunc igitur ad reliquam interpretationem pergamus.* Et quod illi validissimum videtur : *Ergo historiæ Jobi prima atque extrema sunt hujusmodi. Atque ita est nobis hujus ipsius libri explanatio ad exitum adducta. Quod si nonnulla conjectura potius, quam certa comprehensione ducti interpretati sumus, sane certe id nec a primis nobis, nec a solis est factitatum. Sed hoc ipsum cum iis omnibus fuit nobis commune, qui hujus libri interpretes et explanatores fuerunt.* Has itaque formulas, quas Olympiodorus, si tamen Olympiodori sunt, in sua interpretatione Jobi usurpaverat, auctor catenæ cum ad sententias expositorum colligandas judicasset aptissimas, ne de suo minus aptiora apponeret, in contextu catenæ immisenit, ut connexionem etiam ex alienis, quemadmodum et reliqua alia, ingeniosissime comparasse demonstraret. Et rem ita se habere perspicue intelliget, qui hasce allatas a Comitolo cum reliquis Olympiodori, quarum supra meminimus in Jeremiam et Baruch Expositionibus conferet. Et hæ nostræ conjecturæ pro Niceta adversus Olympiodorum sunt. Committantur itaque conjecturæ cum conjecturis, et vero similioribus attendatur. Neque enim id mihi arrogo certum hujusce catenæ parentem, e tenebris erutum antiquitatis ante curiosorum oculos ponere, et latentem in apertum educere. Et, ut ingenue fatear, pro Olympiodoro argumentum efficacissimum fuerit, Patres in hac catena laudatos, omnes ante annum sexcentesimum, circa quæ tempora Olympiodorum quoque floruisse vero simillimum est, scripsisse, nullumque qui post id tempus floruerit adduci. Quod utique non facit Nicetas, qui cum illo longe recentior sit, multa ex Simeone Metaphraste, Niceta Davide, Joanne Damasceno, Joanne Geometra, Cosma monacho et aliis, qui post ea tempora vixerunt, in suis catenis mutuatur. Id si momenti alicujus non est, nescio quid aliud fuerit : non evincit tamen, Olympiodorum hujusce catenæ auctorem fuisse : cum forsan ex his vel aliis scriptoribus recentioribus, quod ad propositum faceret, vel non invenerit, vel inventum, prolixitatem effugiens, neglexerit, præcipuis tantummodo Patribus in hac Expositione contentus. Neque enim omnia adnotare omnes cogimur; sed genium quisque sequitur suum.

Antequam finiam, illud etiam subjungam, in sermones Gregorii Nazianzeni exstare tum Nicetæ Heracleensis, tum Eliæ Cretensis Commentaria, ea distinctione, ut Nicetæ sint εἰς τοὺς λόγους τοὺς ἀναγινωσκομένους, *in sermones qui leguntur*. Eliæ, in sermones τοὺς μὴ ἀναγινωσκομένους, *in eos qui non leguntur*. Primos sexdecim, secundos viginti quinque numerant. Quæritur a nonnullis vocabula hæc quid sint? In promptu responsio est : ἀναγινωσκόμενοι sunt, qui in Ecclesiis legi, quemadmodum et aliorum Patrum scripta

Digitized by Google

inter divina Officia ibidem sueverant; μὴ ἀναγινωσκόμενοι, qui silebant in Ecclesiis, licet singulis momentis eruditorum manibus tererentur, et sua lectione optima quæque legentium animis ingererent. Quod etiam ante me indicaverat Joannes Zonaras comm. ad can. 4 concilii I Constantinopolitani : Τούτου (τοῦ Μαξίμου τοῦ κυνικοῦ) καὶ ὁ Θεολόγος ἔν τινι τῶν μὴ ἐπ' ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων λόγῳ αὐτοῦ μέμνηται. *Hujus (Maximi Cynici) Theologus quoque in uno ex iis, qui in Ecclesiis non recitantur, sermone mentionem facit.* Indigne equidem factum, tali vocabulo sermones luce dignissimos denotari. Id quoque indignatus Joannes Euchaitarum episcopus, acriter in eos, qui eo nomine dictos sermones prænotarunt, carmine iambico invectus est. Et ut quoque ostendam ipse, me talia ægre pati, carmen illud adversus eosdem, latens atque obscurum, in publicam lucem proferam.

Τίς ὁ θρασυνθεὶς πρῶτος εἰπεῖν τοὺς λόγους
Ἥκιστα τούτους ἀναγινωσκομένους;
Τίς κοσμολαμπὰς φῶς καλύπτει γωνίᾳ;
Τίς ἀστέρας λάμποντας ἐγκρύπτει νέφει;
Τίς μαργάρους στίλβοντας εἰς γῆν χωνεύει;
Φεῦ κλήσεως μὲν βασκάνου ψευδωνύμου,
Εἰ δ' ἔργον εἶχε, ζημίας παγκοσμίου.
Νῦν δ' οὐ γάρ ἐστιν ἔργον, ἀλλ' ἁπλῶς λόγος.
Τὸ φῶς ὁράσθω φαῖνον ἐν τῇ λυχνίᾳ,
Πᾶσιν προκείσθω, πᾶσι κοινῇ λαμπέτω,
Ὅσοι βλέπειν ἔχουσι τῶν ἄλλων πλέον,
Ὡς εἶθε πάντες εἶχον εἰδέναι τάδε.
Εἶθε προσεῖχον τοῖσδε πάντες τοῖς λόγοις.
Οὕτω γὰρ ἂν πρόχειρος ἡ σωτηρία
Παρῆν ἅπασιν ἐκ μιᾶς ταύτης βίβλου.
Ἐῶ γὰρ εἰπεῖν, ὡς σοφοὺς ποιεῖ μόνη,
Ἀρκοῦσα πρὸς παίδευσιν ἀνθρώποις ὅλην·
Πλήρης μέν ἐστι δογμάτων ἀποκρύφων,
Πλήρης δὲ θείων καὶ σοφῶν μυστηρίων,
Πλήρης δὲ χρηστῶν ἠθικῶν διδαγμάτων,
Πλήρης δὲ κομψῶν τεχνικῶν μαθημάτων,
Μουσεῖον αὐτόχρημα γνῶσιν ἐμπνέων.
Ταύτης ἅμεμπτον τὴν γραφὴν καταρτίσας,
Πολλοῖς τροφὴν προὔθηκα μὴ κενουμένην.

Quis primus fuit adeo temerarius ut hos sermones nullo modo legi affirmaret? Quis lumen per totum terrarum orbem splendens in angulo occulit? Quis lucida sidera nube tegit? Quis margaritas splendidas sub terra sepelit? Heu compellationem invidam et falsam! quæ si in opus adduceretur, detrimentum mundo universo afferat. At enim nullo modo id opere præstatur, sed rumor tantum inanis est. Lumen aspiciatur illuminans in candelabro, omnibus coram ponatur, omnibus communiter lumen exhibeat, illisque præcipue, qui plus aliis vident. Utinam omnes hæc tenerent! Utinam omnes his sermonibus animum adverterent! Sic enim in promptu salus adesset omnibus ex hoc unico volumine. Namque præterea, ut ipsum solum sapientes efficiat, cum ipsum satis sit hominibus ad universas disciplinas comparandas. Plenum siquidem est dogmatum reconditorum : plenum divinorum et doctorum mysteriorum : plenum optimorum moralium præceptorum : plenum elegantium artificialium doctrinarum. Musæum revera scientiam inspirans. Hujus inculpabilem scriptionem expedians, plerisque cibum proposui nunquam deficientem.

Leguntur etiam sive ejusdem, sive alterius (sed certe Nicetæ Heracleensis metropolitæ sunt) *responsa ad interrogationes cujusdam episcopi.* Memineruntepitomatores Gesneriani, et Possevinus; dicuntque exstare apud Zonaram in canonibus conciliorum. Edidit ea Græce et Latine Joannes Leunclavius in *Jure Græco-Romano*, p. 310.

EDITORIS PATROLOGIÆ MONITUM.

Ex catenis quas collegit Nicetas eæ sunt quæ typis lucem viderunt :

1. *Catena in Job, Londini anno* 1638 *edita cura et studio Patricii Junii, bibliothecarii regii.*

2. *Catena duplex in S. Matthæi Evangelium quam P. Petrus Possinus, S. J., recensuit et Tolosæ anno* 1647 *edidit duobus voluminibus in-folio.*

3. *Catenam in Lucæ Evangelium, ab Allatio supra memoratam, ex codice Vaticano exscribendam curavit et tomo IX* Scriptorum veterum *inseruit card. Angelus Maius.*

4. *Catena in Epistolam I ad Corinthios prodiit curante Joanne Lamio in libro cui titulus :* Deliciæ Eruditorum, *Florentiæ* 1738.

Lectorem studiosum non fugit, fragmenta ex catenis hic recensitis desumpta suo quodque auctori in Patrologiæ *decursu reddita fuisse, vel omissa si, post accuratam collationem, inter scripta edita occurrerent. Non parum enim erraret qui has interpretationes omnes ex peculiari commentario desumptas crederet; catenarum nempe consarcinatoribus mos est loca suo scopo accommodare ex scriptis varii argumenti delibata et catenæ annulis illigare. Cum ergo quæ Nicetas derivaverat, ad proprium locum redierint, quis nos vituperet quod tam spissis operibus collectionem nostram jam adeo ponderosam iterum et sine ullo fructu gravare noluimus?*

Superest ut aliqua dicamus de Joannis Geometræ et Symeonis Metaphrastæ in Lucam commentario, ut fidem liberemus quam de eo hic loci edendo dedimus. Postea enim comperimus fragmenta omnia sub Geometræ nomine ab Angelo Maio edita legi in ejusdem homilia in B. Mariæ Præsentationem *ab Antonio Ballerinio S. J. edita in* Sylloge Monumentorum ad mysterium Conceptionis immaculatæ Virginis Dei-

Digitized by Google

paræ illustrandum, *quam post eum dedimus inter opera Geometræ; unde fortasse concludendum esset Geometram in Lucam ex professo non scripsisse, sed Nicetam ex hac homilia hausisse quæ sub Geometræ nomine Maius edidit.*

Metaphrastæ etiam « inedita fragmenta in Lucam » exstare deprehendimus inter ejus scripta edita. Præcipuum fragmentum, quod de S. Lucæ patria et rebus gestis tractat, legitur inter Vitas sanctorum quas collegit Metaphrastes (supra tom. CXIV-CXVI), ad diem 18 Octobris.

Nicetæ Præfatio, Catenæ in Psalmos ab ipso collectæ, et nondum typis editæ, præmissa, exstat in Bibliotheca nova Patrum *cardinalis Ang. Maii in fronte Commentariorum S. Cyrilli Alexandrini in Psalmos, apud nos Operum S. Cyrilli tom. II,* Patrologiæ LXIX, col. 697.

NICETÆ SERRONII

COMMENTARIUS IN ORATIONES S. GREGORII NAZIANZENI.

Vide *Patrologiæ* tom. XXXVII, Opp. S. Gregorii, tom. II.

NICETÆ METROPOLITANI HERACLEÆ

Responsa

AD CONSTANTINUM EPISCOPUM.

Vide *Patrologiæ* t. CXIX, col. 958.

NOTA. — Deorum dearumque Epitheta, quæ Creutzer (*Meletemata e disciplina antiquitatis,* Lipsiæ 1827, 8°, p. 14-41) Nicetæ Serroni restituit, et ex codicibus mss. cum notis in lucem protulit; et *Carmina grammatica* Nicetæ quæ Boissonade primus edidit in *Anecdotis Græcis,* tom. III, p. 323-327, hic non recudimus, utpote quæ argumenti profani sunt. EDIT.

LABENTE SÆCULO XI

JACOBI MONACHI

EX MONASTERIO COCCINOBAPHI

ORATIONES ENCOMIASTICÆ

IN SS. VIRGINEM DEIPARAM.

(Ex Orationibus quæ subjiciuntur, primam, tertiam, quartam, quintam et sextam primus Græce et Latine edidit Ant. BALLERINI, S. J., in opere cui titulus: *Sylloge monumentorum ad mysterium Conceptionis immaculatæ Virginis Deiparæ illustrandum.* In Monito quod Editor præmisit, ostendit, Jacobum hunc neque ad sæc. XIII cum Allatio et Kollario, neque ad sæculum VIII cum Montfauconio rejiciendum esse, sed labente sæculo XI floruisse. — Orationem secundam, quæ est *in Nativitatem B. Mariæ,* ex Auctario Combefisiano mutuamur.)

ORATIO I (1).

In Conceptionem sanctissimæ Deiparæ et de historiis duodecim tribuum Israelis (2) e sacris Scripturis selecta (3).

1. Hodie terra gratiæ illustrata fulgoribus præ

ΛΟΓΟΣ Α'.

Εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου ἐκλεγεὶς ἀπὸ τῶν θείων Γραφῶν καὶ περὶ τοῦ ἐν ἱστορίαις τῶν δώδεκα φυλῶν τοῦ Ἰσραήλ.

Α'. Οὐρανὸν, ἡ γῆ ταῖς τῆς χάριτος μαρμαρυγαῖς,

(1) Scripsit Hippolytus Marraccius (in not. mss. ad hanc orat.) non modo Jacobum plura e Georgii Nicomediensis scriptis mutuatum esse, sed hanc orationem integram ac prouti jacet, in Vaticano codice 654 sub nomine Georgii reperiri. Verum quisquis id Marraccio (neque enim per se Græcos hic volutabat codices) renuntiaverit, plane deceptus est. Nulla enim alia est oratio Georgii in memorato codice quam quæ ordine tertia a Combefisio edita est de Deiparæ Conceptione.

(2) De hac *duodecim tribuum Israelis historia* nonnulla jam innuimus in monito ad orationem Joannis Eubœensis. Hunc autem orationi titulum sive auctor ipse inscripserit, sive quispiam alius apposuerit, id, uti patet, receptissimam vulgo eam historiam fuisse confirmat.

(3) Cum e *sacris Scripturis electa* dicatur oratio, et quidem in titulo id affirmetur, facile quispiam

Digitized by Google

ὑπερφαιδρύνεται σήμερον· οὐρανὸν ταῖς νοηταῖς ὑπεραγλαΐζεται λαμπρότησιν· οὐρανῷ ὑπερκοσμίῳ ὡραΐζεται· τὸν γὰρ ὑπέρτερον οὐρανὸν ἀποτικτόμενον δέχεται, τὸν ὑπέρφωτον ὄντως καὶ εὐρυχωρότερον, τὸν οὐχ ἥλιον δυόμενον, ἀλλὰ τὸν ἄδυτον ἀνίσχοντα τῷ κόσμῳ τῆς δικαιοσύνης· τὸν οὐ κατ' ἄστροις ὁρωμένοις, ταῖς νοηταῖς δὲ ποικιλλόμενον δαδουχίαις. Τοῦτο γὰρ ἡμῖν ἐστι τὸ πανηγυριζόμενον σήμερον, τοῦτο τὴν λαμπροτάτην προῦδηκε πανδαισίαν, τοῦτο τὴν παροῦσαν συνεκρότησε χορείαν· τοῦτο τὸν λόγον διαναστῆσαν, εἰς οἰκείαν ἅπαντας συγκαλεῖται μέθεξιν, καὶ φαιδρύνει τὸ πλῆθος, τῇ τῶν χαρίτων ἐπιλάμψει. Οὐκ ἐκ μετοχῆς τινος τὴν τοῦ φωτὸς ἐπίτασιν δεχομένη, τῇ μεταδόσει δὲ τὴν οἰκείαν εἰς τοὺς ἀγειρομένους ἐφαπλούσῃ καὶ παραδεικνύσῃ λαμπρότητα, τῇ περιφανείᾳ τῆς αἴγλης συνεπεκτείνεται. Καὶ ὥσπερ ὁ ὁρώμενος οὗτος ἥλιος ἔχει μὲν παρ' ἑαυτῷ, καὶ τῶν ὄψεων ἀποκρυπτόμενος, τὸ φαιδρότατον· διανίσχων δὲ καὶ ἐξ ἡλιβάτων προκύπτων ὀρέων, ἐπὶ τὰ κάλλιστα μὲν ἐφαπλοῖ τῆς κτίσεως τὰς ἀκτῖνας, τῇ ἐκείνων δὲ περιαυγάσει, τὴν τοῦ θαύματος συνεπιτείνει μεγαλειότητα· οὕτω καὶ ἡ τῷ νοητῷ φωτὶ τῆς χάριτος ὑπεραυγαζομένη σήμερον ἑορτὴ, ἔχει μὲν καὶ καθ' ἑαυτὴν τὸ ἀβλαμπὲς, ὑπερεκτείνει δὲ τοῦτο, τῇ ἀναλόγῳ τῶν συντρεχόντων καὶ φωτιζομένων συνελεύσει. Οὐκοῦν ἐπειδὴ ταῖς μυστικαῖς αὐτὴ τοῦ Πνεύματος ἀκτῖσι καταυγάζει, φωτίζονται δὲ πάντες οἱ ἐν ταύτῃ συντρεχόμενοι, κρεῖττον ἂν εἴη παντὸς αἱρετοῦ, προσδραμεῖν αὐτῇ προθύμως καὶ φωτισθῆναί τε τὴν διάνοιαν, καὶ περιλαμφθῆναι φωτὶ, νέφει τῶν ἐπικήρων μὴ καλυπτομένῳ. Τοιαύτη γὰρ ἡ ἐν τῇ παρούσῃ εὐφροσύνῃ, ἐφαπλουμένη λαμπρότης· καὶ οὕτω διαρκεστέραν, μᾶλλον δὲ ὑπερφανῆ τοῖς φαινομένοις, τὴν αἴγλην ἐνίησι.

cœlo nitescit; præ cœlo spiritali claritate coruscat; ac cœlo mundanis hisce cœlis longe excellentiore condecoratur. Sublimius enim, hodie genitum, cœlum in se ipsa recipit; cœlum lucidius prorsus et spatiosius; cœlum, quod non quidem solem occasui obnoxium, sed justitiæ solem qui nullum novit occasum, mundo profert; cœlum, quod non visibilibus astris, sed spiritualium luminum accensione exornatur. Hoc est enim, quod hodierna die festive a nobis celebratur: hoc nobis splendidissimum convivium præbuit; hoc nos ad præsens congregavit tripudium: hoc, ad loquendum dum excitat, omnes in partem vocat bonorum suorum, splendidisque gratiæ muneribus multitudinem exhilarat. Non enim præsens hæc Solemnitas (4), quasi vero ab iis, qui ad eam accurrunt, splendoris incrementum reciperet, quidpiam a nobis participat; quin imo ipsa fulgores suos in eos, qui conveniant, larga effusione emittens atque expandens, semet lucis propriæ claritate longius protendit. Et quemadmodum sol iste corporeis oculis conspicuus habet quidem per se, etiam cum ab intuentium aspectu subtrahitur, ut lucidissime effulgeat; dum vero exoritur, atque e celsis montium verticibus vultum promit, in creaturas quasque pulcherrimas suos ita radios explicat, ut harum quoque dum circumquaque jubar emicat, admirandi spectaculi magnificentia augeatur; haud aliter hodierna quoque festivitas, spirituali gratiæ luce supra modum refulgens, habet quidem et in semetipsa jubar indeficiens; hoc ipsum tamen pro eorum frequentia qui accurrunt atque illuminantur, mira quadam ratione diffundit. Cum itaque mysticos Spiritus radios ipsa emittat, illustrentur autem omnes quotquot ad ipsam conveniunt; nihil prorsus optandum magis est, quam ut quisque ad eam alacriter properet, et illuminetur, menteque collustretur, atque illa luce, quæ nebulis corruptibilibus non obducitur, perfundatur. Ejusmodi enim est splendor, qui in læta hac celebritate se explicat, et hæc ratio est, qua perennius lumen micantiusque convenientibus ingeri,

Β'. Σήμερον γὰρ τῆς νοητῆς νεφέλης ἐφαπλοῦσθαι κηρυττομένης, αἱ τοῦ ἀδύτου μὲν φωτὸς προανίσχουσιν εἰς τὸν κόσμον ἀκτῖνες, τὸ κρατῆσαν δὲ τῆς ἀθεΐας, ἀπομειοῦσθαι καὶ ἀπελαύνεσθαι ἄρχεται σκότος. Σήμερον τῆς τοῦ θεϊκοῦ σκηνώματος οἰκοδομῆς μηνυομένης, οἱ τῆς εὐσεβείας μὲν καταπήγνυνται θεμέλιοι, ἐκ βάθρων δὲ τὰ τῆς ἀσεβείας ὀχυρώματα κατασείεται. Σήμερον τῆς βασιλικῆς ἐξυφαινομένης ἀλουργίδος, ἡ τοῦ τῶν ὅλων Βασιλέως προκαταγγέλλεται ἐνδημία.

II. Hodie enim dum spiritalis illius nubis prædicatur expansio, mundo præoriuntur inocciduæ lucis radii; quæ vero dominabantur infidelitatis tenebræ, imminui incipiunt ac dispelli. Hodie dum tabernaculi divini annuntiatur exstructio, pietatis quidem fundamenta jaciuntur; ab imo vero concutiuntur impietatis munitiones. Hodie dum contexitur regalis purpura, universorum Regis adventus prænuntiatur.

Τὰ μὲν γὰρ ἐνέχυρα προτέθειται, καὶ ἡ ἀνύμφευ-

Jam enim arrhabo proponitur, et sponsa innupta

existimabit, auctori propositum fuisse, ut e sacris Litteris corrogaret quæcunque huic argumento congruant. At nihil minus præstitit auctor tum in præsenti, tum in aliis orationibus, in quarum titulis id ipsum legere est. Neque iterum suspicari licet, sacrarum Scripturarum nomine hic venire *historiam illam duodecim tribuum*; nam et in hoc et apertius in aliarum orationum titulis Scripturæ sacræ ab eadem historia distinguuntur. Censeo itaque, sacrarum Scripturarum nomine hic nihil aliud signi-

ficare auctorem voluisse, quam ecclesiastica antiquiorum doctorum scripta. Eo autem verius de hisce lucubrationibus id enuntiatur, quo certius ac manifestius auctor non tam mutuari quam exscribere ab aliis consuevit.

(4) Verba *præsens solemnitas* necessario ex contextu supplenda visa sunt, ut sensus clarior evadat, imo ut sibi constet. Quanquam nec debent suppleta videri, cum infra diserte occurrat vox ἑορτή, quam unam habes, quacum conjungas vocem δεχομένη.

Digitized by Google

deligitur; regale quoque palatium hodie productum est ac præparatum (5). Præsens itaque celebritas præludium (6) atque inchoatio ejus est lætitiæ, quæ ex ineffabili incarnationis dispensatione dimanat. Hanc itaque solemnitatem, quam velut præambulum quoddam ad finem illum, ac tanquam ejusdem principium celebramus, exteriori quidem habitu nitentes, at magis interiori animæ apparatu splendentes laudibus coronemus oportet, choreasque hilariores ducamus, et spiritu magis quam corpore exsultantes intellectualium ac supernorum ordinum tripudium æmulemur, dum universi omnem ad id ipsum ciere aggrediamur creaturam.

III. At ecce nostrum omnem convocationis vocem prævenit angelorum chorus, et eam, per quam impletum conspexere mysterium, hodierna die collaudant; cœli quoque præveniunt, et novi (7) hujus ac sublimissimi firmamenti celsitudinem honore prosequuntur; præcurrunt astra, et radiis illius nubis, quæ solem spiritalem involvit, præclarius illustrantur; spontanea adest tellus, suoque ipsius germine gloriatur ac merito superbit. Omnis denique natura novis aquarum scaturiginibus suo modo tripudians, sanctificationis suæ conciliatricem veneratur.

IV. Cum res itaque universæ hodierna die propriæ exsultationis signa tanta fiducia dederint; potiori egomet jure, maxime nobilem compellabo creaturam, altisona voce ita clamans: Age mihi omnis ætas, omnisque dignitas, quotquot ordines estis in mundo et quotquot super illum, sacerdotes et reges, et qui in superioribus estis constituti, et qui in inferioribus vitam agitis; principes et subditi, senes et juvenes, virgines et matres ac steriles, quique innocentia estis infantes; salutiferam hanc diem divinitori cum gaudio susciplamus, ac celebremus.

Hac enim die progenita est communis omnium

τος προκέκριται νύμφη· τὸ δὲ πάλατιον καὶ παρῆκται καὶ ἡτοίμασται σήμερον. Οὐκοῦν ἡγεῖται μὲν, τῆς κατὰ τὴν ἄῤῥητον οἰκονομίαν εὐφροσύνης, ἡ παροῦσα φαιδρότης· διὰ τοῦτο δὲ δεῖ τὴν προεόρτιον ταύτην καὶ τοῦ τέλους αἰτίαν προπανηγυρίζοντας, φαιδροὺς μὲν τῷ φαινομένῳ, φαιδροτέρους δὲ τῇ ψυχικῇ κοσμιότητι, τὴν παροῦσαν ἐπαίνοις καταστέφειν πανήγυριν, σκιρτᾷν εὐθυμότερον, εὐφραίνεσθαι πνευματικώτερον μᾶλλον ἢ σωματικώτερον, τῇ τῶν νοερῶν καὶ θείων ἀμιλλᾶσθαι τάξεων ἀγαλλιάπει, πᾶσαν ἀπάντων προτρεπομένων διανιστᾷν ἐν τούτοις τὴν κτίσιν.

Γ'. Ἀλλὰ προφθάνει τὸν συγκαλοῦντα λόγον ἡ τῶν ἀγγέλων χοροστασία, καὶ τὴν, δι' ἧς τὸ τοῦ μυστηρίου κατεῖδε πέρας, ἀνευφημεῖ σήμερον· προφθάνουσι καὶ οὐρανοὶ καὶ τὰ τοῦ καινοῦ καὶ ὑπερτάτου στερεώματος καταγεραίρουσιν ὕψη· προτρέχουσι φωστῆρες, καὶ ταῖς τῆς τοῦ νοητοῦ ἡλίου νεφέλης ἀκτῖσι, φαιδρότερον καταγλαΐζονται· αὐτόκλητος ἡ γῆ παραγίνεται, καὶ τῷ οἰκείῳ σεμνύνεται καὶ συνεπαίρεται βλαστήματι· καινοῖς ἡ τῶν ὑδάτων ἐξάλμασιν ἐπισκιρτῶσα φύσις, τῇ τοῦ ἁγιασμοῦ αὐτῆς θεουργεῖ προξένῳ.

Δ'. Πάντων τε τὴν ἰδίαν ἐπιδεικνυμένων σήμερον παῤῥησίαν, οἰκειοτέρως ἂν ἔγωγε τὴν γνησιωτάτην συγκαλεσαίμην φύσιν, διαπρύσιον ὧδε κεκραγώς· Ἄγε μοι πᾶσα ἡλικία καὶ ἅπαν ἀξίωμα, ὅσον τε τῆς ἐγκοσμίου, καὶ ὅσον τῆς ὑπὲρ ταύτην τάξεως· ἱερεῖς τε καὶ βασιλεῖς, καὶ οἱ τὴν ἄνω στάσιν καὶ τὸ πολίτευμα, ἐν τοῖς κάτω ἐπιδεικνύμενοι, ἄρχοντές τε καὶ ἀρχόμενοι, πρεσβύτεροι καὶ νεώτεροι, παρθένοι καὶ μητέρες καὶ στεῖραι, καὶ οἱ περὶ τὴν ἀκακίαν νηπιάζοντες, σὺν εὐφροσύνῃ θειοτέρᾳ, τὴν σωτήριον ταύτην καὶ ὑποδεξώμεθα καὶ διανευφημήσωμεν ἡμέραν.

Ἐν ταύτῃ γὰρ τὸ πᾶσι κατάλληλον ἀπεκυήθη

(5) Ex hisce manifestissimum fit, quo spectaret festivitas Conceptionis Deiparæ, quidve de eadem Conceptione Orientalis Ecclesia sentiret. Celebratur scilicet *expansio spiritalis nubis, extructio divini tabernaculi, textura purpuræ, quam Rex induturus erat, electio sponsæ, productio regalis palatii*, atque ejusdem *præparatio*. Quæ quidem omnia ad Deiparæ *Conceptionem* referri tum rei natura tum occasio, qua dicebantur, aperte proclamant. Cujusmodi porro fuerit hæc, quæ variis imaginibus adumbratur, divini tabernaculi exstructio ac præparatio, norunt fideles omnes; eamque tum ad animam, tum ad corpus S. Deiparæ referri canit Ecclesia inquiens: *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti.* Proinde in hymnis hujus festi Ecclesia Orientalis usurpans illa Proverbiorum cap. IX, vers. 1, profitebatur, Deum in Virginis Conceptione sibi domum ædificasse: ita enim in Men. ad diem IX Dec. ad finem Matutini: *Dei sapientia ex sterili utero* (nempe S. Annæ) *sibi domum ædificat, Mariam nempe Deiparam; quam ea generationes omnes pro merito celebremus.* (Ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία οἰκοδομεῖ τὸν ἑαυτῆς οἶκον ἐκ στείρας νηδύος τὴν Θεοτόκον Μαριάμ· ἣν μακαρίσωμεν πᾶσαι γενεαὶ κατὰ χρέος).

(6) Quod diximus *præludium*, Græce habes προεόρτιον: est autem Græcis προεόρτιον festivitas, qua mysterii alicujus celebrationem immediate præveniunt, ac Latini *pervigilium* appellare solemus. Solemniter igitur Conceptionis Deiparæ festum agebatur ea etiam de causa, quod inchoatio quædam sit festivitatis, qua incarnatio Dominica celebratur.

(7) Huc spectant et illa Damasceni, seu Theodori Studitæ, (*In Nat. Deipar.* orat. 2, n. IV): *Cum itaque omnia corruptio occupasset, motus misericordia Deus, ne quem suis ipse manibus efformaverat, in nihilum cederet penitusque aboleretur, cœlum aliud novum, terramque ac mare fabricat... Isthæc porro est beata multipliciterque celebranda Virgo.* Porro si opus restaurationis sumpsit exordium a creatione novi cœli, repugnat plane contextui et rei naturæ, creatum fuisse cœlum æque corruptum, atque ea quæ instauranda erant. Cum itaque Deiparæ conceptio celebretur uti novi cœli seu novæ terræ formatio, manifestissime ab ipsa excluditur quævis corruptionis suspicio.

Digitized by Google

σεμνολόγημα· ἐν ταύτῃ, ἐξ ἀγόνων λαγόνων ἐβλάστησεν, ὁ τῶν ἱερέων κόσμος, τὸ βασίλειον κράτος, ἡ τῶν ἐν ἀρετῇ τελειότης· τῶν ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων ἡ ἀστασίαστος εὐταξία, ἡ τῶν νηπίων σύνεσις, παρθένων τὸ ἐγκαλλώπισμα, μητέρων ὁ στέφανος, τῶν ἀτεκνούντων ἡ εὐτεκνία, στειρώσεως ἡ λύσις· ἐκ στείρας, ἡ τῶν ἀγαθῶν ἠνθοφόρησεν ἀφθονία· ἐκ δικαίων, ὁ δικαιότατος ἐπλεόνασε καρπός.

A gloriatio; hac die ex infecundis germinavit humilis sacerdotale decus, regale robur, eorum, qui in virtute exercentur, perfectio, principum et subditorum inconcussus ordo, parvulorum intellectus, virginum ornamentum, matrum corona, infecundarum fecunditas, sterilitatis solutio; e sterili efflоruit opulentia bonorum; justissimus ex justis fructus exuberavit.

Ἀλλὰ τίς ἂν ἐγκωμιαστῶν ἐπίδειξις ἀρκέσειε; τίς παράδοξος; τῶν παραδοξοτάτων ἂν ἐφευρεθείη τιμή; ἀναλογίζου μοι τὴν τῶν δικαίων ἁπάντων καὶ προφητῶν ἐκλογήν, τήν τε πρὸς τὸν ἐκλεξάμενον Θεὸν οἰκειότητα, καὶ ὄψει τὴν Ἰωακεὶμ καὶ Ἄννης ἀσύγκριτον ὑπεροχήν· ὄψει τὸ ὑπὲρ ἔννοιαν αὐτῶν καὶ προτετιμημένον καὶ δεδοξασμένον ἀξίωμα· σκόπει γοῦν ὅπως ἅπασαν συγκριτικὴν ἀντιπαράθεσιν, τὰ κατ' ἐκείνους διαδιδράσκει· ἐκ τῶν ἐκείνων αἱμάτων, ὡς βασιλικωτέρων ἀρεταῖς, τὴν βασίλειον τοῦ γένους ἀμφιέννυται πορφύραν.

At quæ tandem laudum videri posset exaggeratio? quis honor nimium insolens in rebus omnium maxime insolitis reperiri queat? Cogita, quæso, justorum omnium ac prophetarum electionem: cogita eorum cum Deo, qui eos elegit, familiaritatem, et incomparabilem cernes Joachimi et Annæ supereminentiam; cernes eorum dignitatem præter modum omnem honore cumulatam et glorificatam. Inspice, inquam, quomodo quæ ad eos pertinent, comparationem omnem excedant; (quando) ex sanguine eorum, quippe qui propter B virtutes vel eminentiam regiam superarent, ipse (Dominus) regiam naturæ nostræ purpuram indutus est (8).

Ε'. Ἀλλὰ συνοῖσον ἂν εἴη τῇ τε πανηγύρει καὶ τῇ τῶν πλεονεκτημάτων αὐτῶν φανερώσει, εἰ βραχέα τινὰ τῆς τὰ περὶ ἐκείνους ὑφηγουμένης, διαναπτύξαιμεν ἱστορίας· οὕτω γὰρ τρανοτέραν ἡμῖν, τὴν τῶν λεγομένων καθυποδείξειεν ἀλήθειαν. Ἔχει δὲ, ὡς ἀπ' ἀρχῆς αὐτῶν εἰπεῖν τὸν λόγον, ὧδε· *Ἐν ταῖς ἱστορίαις*, φησὶ, *τῶν δώδεκα φυλῶν τοῦ Ἰσραὴλ ἦν τις Ἰωακεὶμ πλούσιος σφόδρα.* Τί δὴ τὸ, *ἐν ταῖς ἱστορίαις* ὑποσημαίνειν βούλεται; *Ἐν ταῖς γενεαλογίαις*, φησὶ, τῶν δώδεκα τοῦ Ἰσραὴλ φυλῶν· δείκνυσι γοῦν αὐτὸν ἐντεῦθεν ἀνεπίμικτον ἄνωθεν τὸ βασίλειον κατάγοντα γένος· προγονικαῖς τε καὶ οἰκείαις γεραιρόμενον εὐνομίαις, καὶ ὡς ἐπίσημόν τινα καὶ ἐξαίρετον ἐν ταῖς τοῦ Ἰσραὴλ προκρινόμενον φυλαῖς.

V. Verum utile fuerit tum præsenti celebritati, tum ipsorum prærogativis illustrandis (9), pauca quædam persequi ex historia, quæ ab ipsis sumit exordium; sic enim manifestius eorum, quæ dicuntur, veritas elucescet. Sic porro, ut a principio eorum exordiamur, habet narratio: *In historiis duodecim tribuum Israelis* (ita enim scriptum est), C *erat quidam Joachimus valde dives.* Quid porro illud significat, *in historiis? In genealogiis* nempe duodecim tribuum Israelis: et per ista oppido vult innuere, impermixtum a majoribus regale eum genus duxisse, et tum avita, tum propria legum custodia nobilem exstitisse; ac propterea velut insignem quemdam egregiumque virum in tribubus Israelis primus fuisse consecutum.

Εἶτα καὶ τὸν πλοῦτον τεκμήριόν τι τῆς ὑπεροχῆς ὁ συγγραφεὺς τεθεικώς, λέγει καὶ τὰ τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἰδιαίτατον ὁμοῦ, καὶ πάντων ὁμοφύλων ὑπερανεστηκός. *Προσέφερε γὰρ*, φησὶ, *τὰ δῶρα Κυρίῳ διπλᾶ.* Τὸ γὰρ διπλᾶ τὰ δῶρα καθιεροῦν, τὰ τοῦ παρόντος μὲν καὶ ῥέοντος ἐκμειοῦν· τὰ δὲ τοῦ μένοντος εἰσαεὶ πληθύνειν παρεσκεύαζε θησαυρίσματα. Ἢ δῆλον, ὡς οὐδὲ πλοῦτον εἴα τὸν παρατρέχοντα, μένειν· πρὸς τὸ αὔταρκες αὐτὸν ὁσημέραι συστέλλων. Τοῦτο γὰρ καὶ ὁ λόγος καθυποδείκνυσι· *Προσέφερε γὰρ τὰ δῶρα Κυρίῳ διπλᾶ, λέγων ἐν ἑαυτῷ· Ἔστω τὸ τῆς περιουσίας μου παντὶ τῷ λαῷ· καὶ τὸ τῆς ἀφέσεώς μου, Κυρίῳ τῷ Θεῷ μου.*

Deinde et divitias, ceu quoddam excellentiæ argumentum, historicus cum memorasset, singularissimam illius præ omnibus contribulibus suis justitiæ eminentiam deprædicat. *Offerebat enim*, inquit, *Domino dona duplicia.* Duplicium sane donorum oblatio præsentia quidem ac fluxa bona imminuebat; sed ut mansuri in æternum thesauri D cumularentur, efficiebat. Cætorum, uti manifestum est, ipse non committebat, ut fluxæ divitiæ congererentur, eas nempe tantummodo servans, quæ ad quotidianum usum satis essent. Id quidem et præfata historia indicat: *Dona enim Domino duplicia offerebat, dicens intra se: Quod ex mea substantia superabundat, sit omni populo: quod vero est pro debiti mei solutione, sit Domino Deo meo.*

(8) Purpura, a Christo induta, caro est S. Virginis, quæ ex sanguine Joachimi et Annæ erat: hujus autem purpuræ textura, ut sup. § II auctor dixerat, in festo Conceptionis celebrabatur. Supplevimus hic nonnulla; et revera supplenda fuisse patet ex collatione cum Georgii loco (apud Combefis. *Auct.* vol. I, col. 1050), e quo Jacobus hæc desumpsit.

(9) Jam alias diximus, veteres in sermonibus de Conceptione Deiparæ ad parentum ipsius laudes digredi consuevisse. Vides tamen, quantopere ii et decipiantur et decipiant, qui inde concludunt, veteres hac solemnitate tantum Joachimi et Annæ memoriam, non S. Virginis Conceptionem celebrasse.

Digitized by Google

Vide quam longe ultra legalem justitiam progreditur! inspice evangelicam vitæ rationem apostolorum propriam in justis istis præformatam, imo melius dixerim, superatam. *Fruatur omnis populus abundantia mea;* nihil superfluum servetur; cedant in usum omnis populi quæ mihi necessaria non sunt; in commune omnium bonum vertantur facultates meæ. O plenum justitia consilium ac judicium! O divitias in thesauris non prædandis reconditas! Adeo ab ipsis initiis eorum virtus excelluit! Neque enim ad alios respiciens, aut ullius sibi proposito exemplo hæc præstabat; sed ipse per se id excogitans, quod optimum esset, adimplebat; neque veteribus præceptis aut institutis ad præclara hæc facta instruitur; sed ipse eximiis hisce operibus initium dedit, iis, qui post se futuri essent, exemplo suo institutor exsistens. Vide igitur, quomodo justis omnibus merito prælati sint; merito, inquam, non quod attinet ad donum mysterii proprium (nam omnem operum mercedem gratia excedit), sed comparatione cum ipsorum gentilibus instituta.

A Ὅρα τῆς ἐν νόμῳ δικαιοσύνης ὑπερβολήν· σκόπει τὴν ἐν ἀποστόλοις εὐαγγελικὴν ἐν τοῖς δικαίοις τούτοις προκατορθωθεῖσαν πολιτείαν, κρεῖττον δὲ λέγειν ὑπερκατορθωθεῖσαν· Ἔστω τὸ τῆς περιουσίας μου παντὶ τῷ λαῷ· μηδὲν, φησὶν, εἴη περιττὸν τῶν ἀναγκαίων· παντὶ τῷ λαῷ τὰ ὑπὲρ τὴν χρείαν προκείσθω· πᾶσι κοινὰ τὰ τῆς περιουσίας ἐφείσθω. Ὦ δικαιοτάτης καὶ γνώμης καὶ κρίσεως! ὦ πλούτου ἐν ἀσυλήτοις συγκεκομισμένου ταμιείοις! οὕτως ἡ ἐκ προοιμίων ὑπερανέστηκεν αὐτῶν ἀρετή. Οὐ γὰρ εἰς ἑτέρους ἀπιδὼν, οὐδὲ παραδείγμασί τισι προσεσχηκὼς, ταῦτα ἔπραττεν, ἀλλ' αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ τὸ ἀγαθὸν ἐφευρίσκων, ἐξεπλήρου· καὶ οὐχ ὑποθήκαις παλαιαῖς καὶ νομοθεσίαις, πρὸς τὸ τοιοῦτον χειραγωγεῖται κατόρθωμα· ἀλλ' αὐτὸς κατάρχει τῆς B τῶν καλῶν ἐργασίας, καὶ πρακτικὸς νομοθέτης, τοῖς μετ' αὐτὸν καθίσταται. Ὅρα πῶς ἀξιολόγως τῶν ἁπάντων οὗτοι δικαίων προκέκρινται· ἀξιολόγως δὲ λέγω, οὐ τῇ τοῦ μυστηρίου δωρεᾷ (ὑπὲρ γὰρ ἀμοιβὴν ἔργων ἡ χάρις), τῇ δὲ τῶν ὁμοφυῶν ἀντιπαραθέσει.

VI. Sed juvat reliquam historiam prosequi. Refert enim ipsum cum recurrente insigni quadam festivitate dona sua de more oblaturus accessisset, a quopiam contribuli suo (10) acerbissimis probris, propterea quod careret prole, exceptum fuisse. *Non enim*, inquit, *tibi licet dona tua offerre, cum semen in Israel non suscitaveris.*

Γ'. Ἀλλ' ἀκόλουθον πρὸς τὸ τῆς ἱστορίας ἐξῆς ἰέναι· φησὶ γὰρ ὡς ἐθίμως κατ' εὐσημόν τινα τῶν ἑορτῶν προσάγοντι τὰ δῶρα, ὁ παρὰ τῶν συμφυλετῶν δι' ἀτεκνίαν ἐπετρίβη ὀνειδισμός· *Οὐκ ἔξεστι γάρ σοι*, φησὶν, *προσενεγκεῖν τὰ δῶρά σου, καθότι σπέρμα οὐκ ἐποίησας ἐν Ἰσραήλ.*

Quædam vero exemplaria habent: *Non tibi fas est, ut primus offeras.* Æquum profecto erat, ut ipse, quippe qui et justus erat, et duplici nobilitate conspicuus, primas ferret cum in omnibus, tum in donis offerendis. Atqui id invidis intolerabile accidebat, cum tamen nihil haberent, quod in ejus vita possent carpere; non solum enim cujusvis expers culpæ, sed et extra accusationis aleam ob virtutis excellentiam positus cognoscebatur. Ut itaque contenderent, eum secundum legis præscripta non agere, orbitatem filiorum objiciunt. Hoc vero, videlicet justos istos usque ad id temporis infecundos permansisse, tunc autem ad obtinendam per preces sobolem fuisse excitatos, supernæ fuerat providentiæ. Alterum enim fiduciam eorum in Deo, quando petentibus non dilatus est in posterum petitionis effectus, patefecit; alterum vero mysterium gratiæ definito tempore completum ostendit.

C Τινὰ δὲ τῶν ἀντιγράφων, *Οὐκ ἔξεστί σοι πρῶτον προσενεγκεῖν*, περιέχει. Εἰκὸς γοῦν αὐτὸν, ἅτε δίκαιον ὄντα, καὶ τῇ διττῇ σεμνυνόμενον εὐγενείᾳ, προκρίνεσθαι τέως ἐν ἅπασι, κἂν τῇ τῶν δώρων ἀφιερώσει· τοῖς δὲ οὐκ ἀνεκτὸν διαφθονοῦσι πρασῆν, μηδὲν δὲ ἔχουσιν ἐκ τοῦ κατ' ἐκεῖνον ἐπισκήπτειν βίου· οὐ μόνον γὰρ ἀνεπίληπτος αὐτοῖς οὗτος, ἀλλὰ καὶ ἀκαταιτίατος τῷ ὑπερβάλλοντι τῆς ἀρετῆς διεγινώσκετο· τὴν ἀπαιδίαν εἰς ἀφορμὴν τοῦ μὴ κατὰ λόγον εὐνομεῖν αὐτῷ προβάλλονται· τοῦτο δὲ, προμηθείας ἦν τῆς ἀνωτάτω, τὸ ἀγόνους τέ φημι μέχρις ἐκείνου τοὺς δικαίους διατελεῖν, καὶ τὸ δι' ἐντεύξεως τηνικαῦτα πρὸς τὴν τεκνογονίαν διαναστῆναι· τὸ μὲν γὰρ, τὴν πρὸς Θεὸν αὐτῶν ὑπέφηνε παῤῥησίαν· αἰτήσασι γὰρ, οὐκ εἰς δευτέραν ὑπερετέθη· τὸ δὲ, τὸ D τῆς εὐδοκίας τοῦ μυστηρίου, συντετμημένῳ καιρῷ ἐνεργούμενον.

VII. Contumeliis itaque affectus, vel repulsam insuper passus, gravissimo vir justus corripitur mœrore, non quia maledictis impetitus fuisset, aut quia existimationis subiisset jacturam; sed quod vereretur, ne qua mandatorum divinorum negligentia hoc sibi repudium apud Deum peperisset, in propatulum autem per homines perferretur. Adeo

Ζ'. Ὀνειδισθεὶς οὖν ὁ δίκαιος, ἢ καὶ ἀποπεμφθεὶς ἀνιᾶται σφοδρότερον· οὐχ ὡς τοῖς λόγοις πεπληγὼς, ἢ ἀδοξήσας τῷ πράγματι, ἀλλὰ δεδιὼς μήπου τι; αὐτῷ τῶν θείων ἐντολῶν παροφθεῖσα, παρὰ Θεοῦ μὲν τὴν ἀπόπεμψιν ἔτεκε, δι' ἀνθρώπων δὲ εἰς τοὐμφανὲς παρήχθη· οὕτως ἦν ἔν τε τῇ περὶ τῶν νόμων πληρώσει, καὶ τῇ τῶν ἀφανῶν τοῦ συνειδότος

(10) Dicendum est, aut ab hujus historiæ exemplari, quo scriptor usus est, abfuisse nomen ejus, qui Joachimum maledictis incessisse perhibebatur, aut certe scriptorem consulto verba facere ea de re noluisse. In hac enim oratione nihil occurrit eorum, quæ de Ruben et tribu Rubenitica disputari vidimus in Petri Argivi oratione, ac multo amplius in oratione Joannis Eubœensis.

Digitized by Google

ἐξετάσει, ἀκριβέστατος λογοθέτης· οὕτως θείας ἠγεῖτο τὰ περὶ αὐτοῦ προνοίας ἅπαντα. Διὰ τοῦτο οὐ διηνέχθη, οὐ τοῖς λόγοις ἀντικατέστη, οὐ τὸ μὴ κεκωλῦσθαι τῶν ἐθίμων μίχρις ἐκείνου· διά τε τὸ τοῦ βίου καὶ τὸ τῶν δωρεῶν ἀνεπίληπτον, προσελάβετο· ἀλλ' ὁμοῦ τε τὴν δι' ὀνειδισμοῦ ἐπίπληξιν εἰσεδέξατο, καὶ ἐπὶ τὸν τῶν ἀπορρήτων ἐξεταστὴν καταφεύγει Θεόν· καὶ τὴν ἐρημίαν ὡς συνεργὸν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ὁμιλίας καταλαμβάνει· μήτε αὐτῇ τῇ συνοίκῳ καὶ ὁμογνώμονι φανείς, ἢ κοινωσάμενος τὴν γνώμην, μήτε τοῖς κατ' οἶκον τὴν περὶ τῶν ἐκτὸς ἐπιμέλειαν διαθέμενος. Τίς τοιαύτην κἂν τοῖς καθ' ἡμᾶς ἐλπίδα πρὸς Θεὸν ἀδίστακτον, καὶ τῶν παρόντων καταφρόνησιν ἐπεδείξατο; μήτιγε ἐν τοῖς κατ' ἐκεῖνο καιροῖς, ἐν οἷς καὶ τῶν μετριωτέρων καὶ τεθεσπισμένων ἀρετῶν ἐργώδης ἦν ἡ ἐκπλήρωσις.

A et in legibus adimplendis et in occultis conscientiæ inquirendis exactor erat solertissimus! adeo divinæ providentiæ omnia, quæ ad se pertinerent, deputabat! Idcirco non contendit, non rixatus est, non objecit, sed ad illam usque diem nunquam a consuetis donis offerendis prohibitum fuisse, sive vitæ suæ sive donorum ratione habita, quod utrumque reprehensione careret. Verum et contumeliosam patienter tulit objurgationem, ac simul ad Deum occultorum scrutatorem confugit; atque in solitudinem tanquam agendo cum Deo aptissimam, ne ipsi quidem conjugi, eique unanimi, se sistens, aut consilium suum aperiens (11), neque domesticis curam externorum committens, sese recepit. Quis vel nostris hisce temporibus firmam adeo in B Deum spem, ac temporalium contemptum ostenetiam præscriptas virtutes exercere arduum videdisset? nedum ætate illa, quando etiam modicas, batur.

Η'. Καὶ παρείσω νῦν τὰ κατὰ τὸν πατριάρχην Ἀβραάμ. Ὑπεξῃρῆσθαι γὰρ τῷ χρόνῳ καὶ τῷ τῆς δικαιοσύνης ἐνεστηκότι ὡς τῶν πάλαι, καὶ τούτου δόξειεν ἂν τισι. Ἠλήν εἰ καὶ ταῦτα τις ἀνεξετάζειν ἐκείνοις βούλοιτο, πολλὴν ἂν τὴν ὑπεροχὴν τῶν προκειμένων κατόψοιτο. Ἐκείνῳ μὲν γὰρ ἦτε μετανάστασις, καὶ ἡ ἐφ' ᾗ ἂν παροικήσειεν ἐρρήθη γῇ· ἔτι μὴν καὶ ἡ τῆς ἀπαιδίας καὶ στειρώσεως τῆς Σάρρας λύσις, ὑπὸ τοῦ ἀψευδοῦς προεπήγγελται· ἅπερ δὴ κατέχων ὑποσχέσει, τὴν μὲν ἐλπίδα ἔτρεφε, τὴν δὲ γνώμην πρὸς τὴν δι' αἰτήσεως ἔκβασιν, ἐψυχαγώγει. Τί γὰρ ἂν εὐθυμότερον τῆς ὑποσχέσεως C ὀφθείη Θεοῦ;

VIII. Et silentio quidem nunc prætereantur res patriarchæ Abrahæ. Hic enim quemadmodum tempore, sic et virtutis eminentia non vetustiores modo, sed et virum istum superasse quibusdam forte videbitur. Quanquam si quis ea gesta, quæ nunc exponimus, cum illis conferre vellet, multum enimvero præsentia hæc illis antecellere deprehenderet. Et sane illi tum transmigratio, tum terra, in qua sedem defigeret, prænuntiata fuit; insuper ab eo, qui mentiri nequit, tum orbitatis filiorum, tum Saræ sterilitatis cessatio prædicta fuit. Quæ quidem cum propter promissionem jam veluti teneret, spem interim alebat, animumque confirmabat ad felicem exitum precibus consequendum. Quid enim ad erigendos animos efficacius, quam Dei promissio videri queat?

Ὁ δὲ ἀνεπαγγέλτως μὲν παρὰ τοῦ δυνατοῦ πάντα τὰ μὴ δυνατὰ περαιοῦσθαι, καὶ τὴν φύσιν μεταρυθμίζεσθαι πιστεύσας, πρὸς ἀφανῆ δὲ τὴν αὐτοῦ προμηθείαν τὰ τῆς ἐλπίδος ἐρείσας, οὕτω καὶ τὴν τῶν οἰκείων διάστασιν, καὶ τὴν ἔμμονον πρὸς αὐτὸν δι' ἐντεύξεως ποιεῖται ὁμιλίαν.

Hic vero nulla adhuc promissione accepta, credidit, ab Omnipotente etiam impossibilia perfici, naturamque posse immutari, firmamque in occulta illius providentia spem defixit; ac propterea a domesticis sese curis subtrahens ad Deum precibus insistere perseverat.

Καὶ ὁ μὲν, τεκμηρίων τῆς τε κατασχέσεως τῆς γῆς καὶ τῆς τοῦ γένους ἐπιδόσεως δεῖται· καὶ ὅτῳ τρόπῳ τὰ ἐπαγγελλόμενα πληρωθεῖεν, ἐξαιτεῖται· ὁ δὲ, ὥσπερ ἐν τῇ εὐχῇ τὸ ἀνενδοίαστον, οὕτω καὶ τὸ εἰσεπήκουον ἀνενεχθῆναι πιστεύσας, καὶ ὑπὸ ἀγγέλου τὸν τόκον εὐαγγελίσθη, καὶ οὐχ' ὡς ἂν ἐκβαίη τὸ εὐαγγελιζόμενον αἰτεῖται· ὡς γὰρ πλήρωμα τὸ μήνυμα κατασχὼν, εἶχεν.

Ille quidem, ne de futura terræ possessione, deque miro posteritatis suæ incremento dubitaret, signo aliquo indiguit: tum etiam qua ratione implenda ea essent, quæ promittebantur, exquisivit. Hic autem certo credens, qualis cujusque sit in orando fiducia, talem votis exitum respondere, idcirco ab angelo de suscipienda prole monitus est, neque tamen qua ratione eventurum id esset, ab angelo percontatus est. Nuntium enim perinde ac promissi complementum habuit.

Ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸ τῆς θυσίας ἐνταυθοῖ προσκαλούμενον ἐξετασθῆναι παράδοξον, [οὐκ] ἐατέον· ὅπως μὲν ἐκεῖνος προστάξει, αὐτοπροαιρέτως δὲ οὗτος, ἱερούργησε· καὶ μονογενῆ μὲν, κυρίως οὗτος· ἐκεῖνος δὲ τῷ τῆς ἐπαγγελίας λόγῳ· καὶ ὅτι προσάξας μὲν ἐκεῖνος τὸ ἱερεῖον ἀντικομίζεται· οὗτος δὲ τῷ ὄντι

Verumenimvero nec admirandum illud sacrificium in medium accire ac perpendere hic absonum videatur: quomodo nimirum ille quidem imperio accepto, hic autem sua sponte sacrificaverit: atque hic quidem proprie unigenitam: ille vero eum, qui promissionis tantum ratione habita

(11) Alii contra narrant, communi consilio Joachimum et Annam ad jejunia ac preces confugisse. Nil mirum; quoties enim de rei adjunctis silet historia, perpetuo usuvenit, ut, dum quisque quod sibi verisimile videtur, excogitat, in plures ac diversas sententias singuli abeant.

Digitized by Google

velut unigenitus haberi poterat (12) : ac rursus quomodo victimam utique adduxerit, intactam tamen eamdem receperit ac secum reduxerit, hic vero holocaustum, quod voverat, reipsa perfecerit, oblatumque reddiderit : ac demum ille quidem tribuum et justorum patriarcham ; hic autem Dei matrem atque dignissimam patriarcharum reginam obtulerit. Egregium sane ejusmodi facinus non hanc modo, sed quamlibet comparationem excedit. Videsne ergo, quantopere justi hujus prærogativæ superemineant? Perpende porro et vitam ejus in solitudine traductam, eamque supra naturæ vires abstinentiam (quam vitæ rationem angelicam potius par est appellare); quam peregrina exstitit, quam insolens, sive gesta conferas sive sermones! Quadraginta namque dies, totidemque noctes illum sine cibo constanter transegisse (13), precibus tantum atque in Deum spe innutritum historia tradit. *Jejunavit enim quadraginta dies ac noctes, dicens : Nec cibi nec potus gratia hinc descendam.*

καθιερώσας, ὡλοκαύτωσε, καὶ ἀποδοὺς, ἀνήνεγκε· καὶ πατριάρχην μὲν αὐτὸς, φυλῶν καὶ δικαίων· μητέρα δὲ οὗτος Θεοῦ καὶ δικαιοτάτην πατριαρχῶν δέσποιναν. Κρεῖττον γὰρ οὐ τῆς παρούσης, ἀλλὰ καὶ πάσης ἀντιπαραθέσεως τὸ ἐγχείρημα. Ὁρᾷς ὅπη τὰ τοῦ δικαίου τούτου παρήλασε πλεονεκτήματα; θέᾳ δὲ καὶ τὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ διατριβὴν, καὶ ὑπὲρ τὴν φύσιν καρτερίαν, ἣν ἀγγελικὴν προσήκει λέγειν διαγωγήν· ὡς ξένη καὶ ἀκατάλληλος τῇ τε τῶν πραγμάτων καὶ λόγων ἀντιπαραθέσει, καθέστηκε· τεσσαράκοντα γὰρ τοῦτον ἡμέρας καὶ νύκτας ἄσιτον διατελοῦντα προσκαρτερῆσαι φησιν ἡ Ἱστορία τῇ δεήσει, καὶ μόνῃ τῇ εἰς Θεὸν ἐλπίδι τρεφόμενον· *Ἐνήστευσε γὰρ ἡμέρας καὶ νύκτας τεσσαράκοντα, λέγων· Οὐ καταβήσομαι οὔτε μὲν ἐπὶ βρωτῷ, οὔτε ἐπὶ ποτῷ.*

IX. Et hæc quidem justi illius gesta. Quæ vero præstitit Anna non minus illi morum conformitate quam conjugii vinculo copulata, quam magna ea sunt, et admiranda, quamque a conjugis gratia non modo non absunt, sed ulterius progrediuntur! Duplex enim patientiæ certamen subeundum ipsi fuit. Nam tum conjugis absentia et loci, quo hic secessisset, ignoratio, tum scommata propter prolis orbitatem inflicta, hinc inde ipsam premebant. Adversus quæ subsidio spei ac fidei decertans, superior evadebat. Quin etiam hæc propter sterilitatem convicia duplici ex parte ipsi inferebantur : primo quidem a contribulibus, deinde etiam ab ancilla sua, quod sane molestissimam efficit contumeliam : non enim solent eodem modo afficere quæ ab extraneis immittuntur convicia, ac ea, quæ a domesticis, præsertim vero si hæc a quopiam subjectorum ingerantur.

Θ'. Τοιαῦτα μὲν τὰ τοῦ δικαίου. Τὰ δὲ τῆς συνοίκου καὶ ὁμοτρόπου Ἄννης, ὡς μεγάλα καὶ θαυμαστά· καὶ τοῦ συγκοινωνοῦ τῆς χάριτος, οὐ μόνον οὐκ ἀποδέοντα, ἀλλὰ καὶ περαιτέρω χωροῦντα. Διπλοῦς γὰρ αὕτῃ τοὺς τῆς καρτερίας διήνυσεν ἀγῶνας· ἥ τε γὰρ τοῦ συζύγου διάζευξις καὶ παροικία ἄδηλος, καὶ τὰ δι' ἀπαιδίαν ἐπολιόρκουν ἄμφω ταύτην σκώμματα· πρὸς ἅπερ ἀνταγωνιζομένη, τῇ τῆς ἐλπίδος καὶ πίστεως ὑπερανεῖχε συμμαχίᾳ· ἀλλὰ γὰρ διττὸς αὐτῇ καὶ ὁ τοιοῦτος ἐπετρίβη ὀνειδισμός· ὁ διὰ τῶν συμφυλετῶν μὲν, πρότερον· ἔπειτα δὲ, ὁ διὰ τῆς οἰκέτιδος· ὃς καὶ δυσφορωτάτην τὴν ἐπίπληξιν ἐνεποίει προσαγόμενος· οὐ γὰρ οὕτω τὰ παρ' ἑτέρων ὀνείδη ὡς τὰ παρὰ τῶν γνησιωτέρων, καθάπτεσθαι τῶν προβαλλομένων πέφυκεν, καὶ μάλιστα εἰ τῶν ἐξ ὑπὸ χεῖρα τεταγμένων προσφέροιτο ταῦτα.

Quomodo autem generosissima sese gerit femina? Nihil horum ejus longanimitatem frangit; sed ornamenta sibi importune oblata rejiciens (14), simulque lugubrem vestem deponens, ac puram nuptialemque stolam spiritali vesti superinduens, duplici hoc indumento exornata apud eum, qui purissimus est, precibus atque obsecrationibus insistebat. Neque vero templi interiora petens ad universorum Dominum preces effundit, sed quietum et ab omni strepitu remotum locum in horto deligens, ibi occulte velut in penetrali investigabili orationem suam, in qua et diutius perseverare satagebat, e corde ingemiscens promebat.

Πῶς οὖν ἡ γενναιοτάτη διατίθεται; Οὐδ' οὐχ' ὑπό τινος τούτων τὴν ἄμαχον τιτρώσκεται προσδοκίαν· ἀλλὰ τὸν μὲν ἐπιδιδόμενον μὴ καθηκόντως ἀποσεισαμένη κόσμον, τὴν δὲ πενθικὴν ἐσθῆτα περιελομένη, καὶ τὴν καθαρὰν καὶ νυμφικὴν τῇ νοητῇ συμπεριθεμένη στολὴν, πρὸς τὴν εὐχὴν τῷ καθαρωτάτῳ τῆ διττῇ προσομιλῆσαι ἠπείγετο καταστολῇ. Οὐκ ἐν τοῖς ἔνδον δὲ τοῦ ναοῦ χωρήσασα, τὴν ἱκεσίαν τῷ τῶν ὅλων ἀποπέμπει Θεῷ, ἀλλ' ἀτάραχόν τινα καὶ ἀπερικτύπητον τὸν τοῦ παραδείσου καταλαβοῦσα χῶρον, ἐν τούτῳ καθάπερ ἀνυπονοήτῳ ταμιείῳ κρυφίως ταύτην ὀδυνωμένη, προὔτεινεν ἐγκάρδιον, καὶ πλείονος δεομένην ἐκμελετῶσα τοῦ χρόνου.

(12) Hæc manifeste respiciunt ad illud Pauli (*Gal.* IV, 22) : *Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit : unum de ancilla et unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est ; qui autem de libera, per repromissionem.* Joachimus autem nullam reipsa prolem, præter S. Mariam Deiparam, sortitus erat.

(13) Plus aliquid forte orationis auctor intellexit, quam efferre voluerit illius historiæ scriptor. Legimus in S. Lucæ Evangelio (cap. II, v. 37) de Anna filia Phanuel : *Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die :* nemo tamen suspicatus est, eam nihil cibi sumpsisse. Porro cum historiæ illius scriptor, gente Judæus et apostolis coævus censeatur, rectius quispiam existimabit, ejus verba ad communem quemdam dicendi modum referenda, quibus nihil aliud affirmare voluerit, quam quod in allegatis Lucæ verbis intelligimus.

(14) Narratur nempe in ea historia, ancillam dominæ suæ vana quædam obtulisse ornamenta; quæ cum Anna respuisset, illam iracundia percitam in contumelias prorupisse, ac inter alia sterilitatem dominæ suæ exprobrasse.

Digitized by Google

Καὶ διατί μὴ ταμεῖον ἀπερικτυπητον ἐν τοῖς κατ' A οἶκον ἀπολαβοῦσα, ἐν τούτῳ τὰ κατὰ τὸ κρύφιον, καὶ τὴν ὠδινομένην προσευχὴν ἀνέτεινε Θεῷ; Ὅτι οὐκ ἂν οὕτω τὸ πᾶν αὐτῇ τῇ; ἐπιθυμίας ἀπήρτιστο· πολλὰ μὲν ἐχούσῃ τὰ κατὰ διάνοιαν τῆς προσευχῆ; ἐκφέρεσθαι μέλλοντα, μὴ συγχωρουμένῃ δὲ ταῦτα καθαρῶς παραγυμνοῦν τῷ Θεῷ, διά τε τοὺς οἴκοι θορύβους καὶ τὰς τῶν παραγινομένων συμφυλετῶν ἐνοχλήσεις. Ταύτης ἕνεκα τῆς αἰτίας, οὐδὲ τὸν ναὸν καταλαβοῦσα, ἐν τούτῳ τὰ τῆς δεήσεως ἀναφέρει τῷ Δεσπότῃ ῥήματα, καίτοι πᾶσιν οὗτος τοῖς ὁμοφύλοις εἰς προσευχὴν ἀφώριστο τόπος. Ἀλλ' οὐδὲ οὗτος αὐτῇ τὸν ἐπιζητούμενον τῆς ἡσυχίας παρεῖχε καιρὸν, πολλὰ διδοὺς ὑφορᾶν τὰ διακόπτοντα. Ἐνενόει δὲ καθ' ἑαυτὴν, ὡσεὶ καὶ καρποφοροῦντας ἰδόντες αὐτήν τε καὶ τὸν ὁμόζυγον πρότερον τῷ Θεῷ, B καὶ τὸν ὅλον εὐεργετοῦντας λαὸν, φθόνῳ τῷ πρὸς αὐτοὺς οἱ συγκαρποφοροῦντες τῶν Ἰουδαίων ἐπωνείδισάν τε καὶ ἀπεπέμψαντο· τίνα κατ' αὐτῆς οὐκ ἂν ἐπινοήσειαν σκώμματα, μόνον αὐτὴν καὶ παρὰ καιρὸν ὁρῶντες διακαρτεροῦσαν, ἐν τῷ τῆς προσευχῆς ἐπιμόνῳ; Οὐδὲν δὲ τὸ κωλύον τὴν Ἰουδαϊκὴν παραπληξίαν ὑπῆρχε, μανίαν τινὰ ἢ μέθην, οὕτω διακειμένης, αὐτῇ καταψηφίσασθαι. Οὕτω γὰρ τῇ μακαρίᾳ καὶ προφήτιδι τῇ ὁμωνύμῳ ταύτης φημὶ πρότερον Ἄννῃ, οἱ τῶν ἄλλων ἐπιεικέστεροι δοκοῦντες εἶναι, διὰ τὸ τῆς ἱερωσύνης ἀντέχεσθαι, χαλεπῶς ἐπιθέμενοι προσωνείδιζον, μέθην αὐτῆς τὴν πρὸς Θεὸν διαλοιδοροῦντες ἔντευξιν. Αὐτὴ μὲν γὰρ ἐκ διαπύρου καὶ νήφοντος λογισμοῦ, τὴν ζέουσαν ἐκείνην ἀνέπεμπεν ἱκεσίαν, οἱ δὲ μέθην τὴν νῆψιν, C καὶ βαττολογίαν τὴν θεολογίαν, ὑπενόουν. Ἡ δὲ νέα καὶ συνετωτάτη πάντων, δεδοικυῖα μή τι τῶν τοιούτων πάθοι, τὴν ἐκτενῆ προσάγουσα δέησιν, ὥσπερ τῆς οἰκίας, οὕτω καὶ τοῦ ναοῦ ἐξίσταται· τὸν ἐρημικώτερον δὲ, διὰ τὸ ἥρεμον τοῦ παραδείσου, καταλαμβάνει χῶρον, ἐν ᾧ σοφῶς περιεσκόπει τὸ εἰλικρινὲς αὐτῇ τῆς ἐπιθυμουμένης συντηρήσεσθαι προσευχῆς. Τάχα δὲ, οὐ διὰ τοῦτο, διὰ δὲ τὴν ὄντως φανερουμένην ἀλήθειαν, τὴν περὶ αὐτῆς ἤδη προαναφωνεῖ διὰ πραγμάτων ἔκβασιν· προμηνύει τοίνυν ἡ τῆς χάριτος ἐπώνυμος Ἄννα, διὰ τῆς οὕτω προσφερομένης Θεῷ δεήσεως, καὶ λογικῆς καρποφορίας, ὡς ἀρχὴν ἤδη λαμβάνει τὸ μὴ τόπῳ περικλείεσθαι τοὺς ἀνθρώπους νομίζειν, τὰς θείας ἀκοάς· ἀλλ' ὡς παντα- D χοῦ παρόντος τοῦ Θεοῦ, καὶ πληροῦντος τὰ σύμπαντα, τὰς προσευχὰς ἀναφέρειν, κἀκεῖθεν τὰς ἐκπληρώσεις κομίζεσθαι τῶν αἰτήσεων. Τοῦτο δὲ καὶ Ἰωακεὶμ προσημαίνων ὁ δίκαιος, τοῦ ναοῦ μὲν ὑποχωρεῖ, ἐν τῷ ὄρει δὲ, τὴν εὐπρόσδεκτον ἐκείνην καὶ θαυμασίαν ἀναφέρει δέησιν· δηλῶν ἐντεῦθεν ὡς τῆς νέας χάριτος παραγενομένης, ἔρημος μὲν τῶν τυπικῶν ἐπισκιάσεων ὁ ναὸς καταλειφθήσεται, ἐν ἅπασι δὲ τοῖς οὖσι τῆς ἐπιλάμψεως αὐτῆς αἱ ἀκτῖνες, διαταθήσονται.

Γ'. Ἀλλὰ τίνα τὰ τῆς εὐχῆς ἐν τῷ παραδείσῳ τῆς

At cur non ipsa domo cubiculum delegit a strepitu remotum, in quo secreta sua et preces cum gemitibus Deo offerret? Quia hoc pacto desiderio suo non plene satisfecisset; multa enim animo volvebat per orationem efferenda, neque per turbas domesticas, et cognatorum adventantium molestias licebat ipsi ea pure Deo adaperire. Eadem de causa neque templum, in quo per preces Dominum alloqueretur, adiit, licet locus ille omnibus contribulibus suis ad orandum designatus esset. Sed ne istud quidem opportunam, quam quærebat, quietem pollicebatur, cum multa in eo essent, quibus impediri se posse metueret. Ut enim secum ipsa reputabat, si Judæi, qui oblationes simul afferebant, cum ipsam suumque conjugem dona Deo afferentes, cunctoque populo benefacientes prius vidissent, concepta invidia eos conviciis lacessiverant, atque a templo ejecerant: qualia nunc in eam dicteria non intulissent, si ipsam solam et intempestis horis in diuturna oratione constanter perseverantem conspexissent? Nihil sane Judaicam cohibuisset insaniam, ne illam in eo deprehensam aut amentiæ aut ebrietatis insimularent. Sic enim olim beatam illam, atque hujus cognominem, Annam [1] inquam, ii qui præ aliis videbantur modestiores, ut pote qui fungerentur sacerdotio, graviter invecti dicteriis exagitarunt, ejus ad Deum supplicationem ebrietatem per summum probrum appellantes. Ipsa sane ardenti affectu, ac mente sobria ferventia illa vota promebat; ii vero sobrietatem pro ebrietate divinumque sermonem pro inepta loquacitate habuerunt. At nova hæc, omniumque prudentissima Anna, verita ne quid hujusmodi perferre cogeretur, dum prolixam effunderet orationem, quemadmodum e domesticis parietibus, ita a templo quoque abstinet, atque ut quietem reperiret, maxime solitarium in horto suo locum seligit, in quo, prout optabat, sine impedimento obsecrandi facultatem sibi fore sapienter perspiciebat. Fortassis autem non propter hoc tantum, sed etiam propter veritatem sibi plane perspectam, quid sibi obventurum esset, factis ipsis præmonstrat. Jam ergo Anna, agnominis gratiæ, per eam supplicationem Deo hac ratione oblatam perque rationabile illud sacrificium, in antecessum ostendit, cœpisse jam tempus, quo homines non amplius existiment divinas aures loci cujuspiam ambitu circumcludi, sed coram Deo ubique præsente, universaque implente, preces esse fundendas atque inde postulationes exitu non fraudari. Id vero etiam justus Joachimus præmonstravit, dum et a templo abstinuit, et acceptabilem illam atque admirandam in monte orationem persolvit, per id palam faciens, nova gratia adveniente, solitarium quidem typicarum adumbrationum templum relinquendum esse, ipsius vero lucis radios ad omnes, quicunque essent, diffundendos fore.

X. At vero quænam oratio fuit, quam Anna in

[1] I Reg. I, 13 seqq.

Digitized by Google

horto effudit, quænam precantis verba? Nam juverit hæc quoque sermone enarrare, jucundamque eorum novitatem contemplari. Nova enim et admiranda quædam vox e corde contrito resonans audiebatur. Et sane ex ordine supplicationem suam promere justa illa incipiens, more jacentis in imis miseriis, cum beata illa humilitate preces suas conjunxit. Propterea ne gentiles quidem suas et contribules in comparationem adducit, quo nempe benedictionis et gratiæ illis impertitæ exsortem se esse, utpote indignam, profiteatur. Sed a conditione ipsorum quoque irrationabilium brutorum, et creaturarum sensu carentium, quod quidem ad fecunditatis benedictionem attinet, se prorsus alienam esse non reticet. Proinde in solitaria illa oratione, volucrum et quadrupedum, et ferarum, tum terræ ac eorum quæ in terra enascuntur, tum aquarum ac animalium, quæ in his gignunt, mentionem inducit, ut inde quam misera ipsa sit, ostendat: his enim affectibus et precibus misericordissima Creatoris providentia annuere postulata consuevit. Proinde, inquit prudentissima illa, omnibus, quæ gignendi facultate pollent, ego deterior exsisto. Hæc enim mandato tuo, Domine, subserviunt, et benedictionis ac gratiæ tuæ partem feliciter percipiunt. Ego vero tanquam indigna, felicitatis exsors feminei sexus, gignendi facultatis multiformibus animantibus communis, expers deprehendor. Hæc sane eamdem felicitatem gloriamque participant. Fecundissima est terra, quæ secundum præceptum tuum copiosum fructum assidue profert; fructum afferunt prata, et pulcherrima plantarum germina flores emittunt, fructumque tempestivum pariter ac suavissimum porrigunt, et per gratum eorum, qui iis fruuntur, affectum tibi gloriæ tributum persolvunt. Horum ego gratiæ expers sum; quoniam ne cum his quidem bonitatis tuæ operibus connumerari merito me posse censeo

A Ἄννης ῥήματα; Καλὸν γὰρ ταῦτα τῷ λόγῳ παραγαγεῖν, καὶ τὸ καινοπρεπὲς αὐτῶν κατιδεῖν· ἀπὸ γὰρ συντετριμμένης ψυχῆς, καινή τις καὶ παράδοξος, ἐνηχουμένη ἐξηκούετο φωνή· ἀκολουθίᾳ γὰρ καταρξαμένη τὴν ἱκεσίαν ἀναφέρειν ἡ δικαία, ἐλεεινολογίας ἐν τάξει, τὴν μακαρίαν ἐκείνην ἐπεισάγει τῷ λόγῳ ταπείνωσιν. Διὸ οὐχ ὁμογενέσι καὶ ὁμοφύλοις ἑαυτὴν ἀντιπαρατιθεῖσα τῆς ἐκείνων εὐλογίας καὶ χάριτος ἀποστερεῖσθαι δι' ἀναξιότητα λέγει· ἀλλὰ καὶ αὐτῶν τῶν ἀλόγων ζώων καὶ τῆς ἀψύχου κτίσεως, τῆς κατὰ τὴν εὐλογίαν ὁμοιώσεως, ἀλλοτριοῦσθαι πάντη καθυποφαίνει. Διὰ τοῦτο ἐν τῇ μονωδουμένῃ προσευχῇ, πετεινῶν καὶ τετραπόδων θηρίων τε καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τῇ γῇ φυομένων, ὑδάτων τε καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς ἐγγονιζόντων ζώων B παρεισάγει μνήμην, ὡς ἂν τὸ ἀχρεῖον ἑαυτῆς καθυποδείξῃ· τούτοις γὰρ καὶ ἤθεσι καὶ λόγοις ἡ τοῦ Δημιουργοῦ πολυεύσπλαγχνος ἐπινεύειν πέφυκε κηδεμονία. Διὰ τοῦτο πάντων μὲν γεννητῶν ἀχρειοτέρα, φησὶν ἡ σώφρων, ἐγώ· ταῦτα γὰρ τῷ σῷ καθυπουργοῦντα προστάγματι, Δέσποτα, καὶ τῆς σῆς εὐλογίας εὐμοιροῦσι καὶ χάριτος. Αὐτὴ δὲ ὡς ἀναξία τῆς τοῦ γένους εὐκληρίας ταύτης ἐστερημένη, ξένη τῆς τῶν πολυειδῶν ζώων γονῆς καθίσταμαι· καὶ αὐτὰ γὰρ τῆς ὁμοίας μετείληχεν εὐδοξίας. Πολύφορος ἡ γῆ· τὴν ἀφθονίαν διηνεκῶς κατὰ τὸ σὸν ἐπικομίζουσα πρόσταγμα· καρποφοροῦσι λειμῶνες καὶ τὰ εὐειδῆ τῶν φυτῶν ἀνθοφορεῖ βλαστήματα, καρπόν τε καίριον ὁμοῦ καὶ ἥδιστον προβάλλονται, καὶ τῇ C τῶν μετεχόντων εὐχαριστίᾳ σοὶ τὴν δοξολογίαν ἀναφέρουσι· τούτων ἐγὼ τῆς χάριτος ἀμέτοχος, ἐπεὶ καὶ τὸ μὴ κατ' ἀξίαν συναριθμεῖσθαι τούτοις, δημιουργήμασί γε οὖσιν ἀγαθότητος τῆς σῆς, ἑαυτὴν καταψηφίζομαι.

ΙΑ'. Τοιαῦτα τὰ τῆς Ἄννης ῥήματα, ἵνα κἀντεῦθεν εἰς ἔλεον τὸν μόνον συμπαθέστατον ἐφελκύσηται Θεόν· ἀλλὰ προφθάνει τοὺς λόγους οὗτος, καὶ πρὶν εἰς τέλος τὴν προτεινομένην ἐλθεῖν δέησιν, τὴν τῶν αἰτουμένων ἔκβασιν ὑπὲρ ἐλπίδα πᾶσαν εὐαγγελίζεται τῇ αἰτουμένῃ. Ἰδοὺ γάρ, φησὶ, λαλούσης, ἄγγελοι ἐπιφανέντες, τὸν παρ' ἐλπίδα τόκον ἐκδήσεσθαι κατεμήνυον. Τῇ Ἄννῃ, φημὶ, καὶ τῷ D δικαίῳ Ἰωακεὶμ ἐν τῷ ὄρει, ἄγγελοι τῆς τῶν ἀγγέλων τιμιωτέρας εὐαγγελίζονται τὴν κύησιν, ἄγγελοι τὴν τῆς στειρώσεως προαναφωνοῦσι σύλληψιν· Ἰδοὺ γάρ, φησὶ, λαλούσης, ἄγγελος Κυρίου ἦλθε λέγων αὐτῇ· Ἐπήκουσεν ὁ Θεὸς τῆς δεήσεώς σου, καὶ συλλήψῃ, καὶ γεννήσεις· καὶ λαληθήσεται τὸ σπέρμα σου ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ· ἐπήκουσεν ὁ πρὶν ἐννοηθῆναι τὰ τῆς δεήσεως ῥήματα, γινώσκων ταῦτα καὶ ἀναμετρῶν ἀπορρήτως, ἤκουσε δεήσεως ὁ ταύτην κινῶν, καὶ ἐξακούεσθαι παρασκευάζων· ἤκουσεν ἐκ συντετριμμένης ψυχῆς, ὁ διὰ τοῦτο ἐν αὐτῇ ἐπαναπαυόμενος· ἤκουσε τῆς δεήσεώς σου ὁ διὰ προφητικῶν φωνῶν τὴν ἔκβασιν αὐτῆς προαναφωνήσας.

XI. Hæ voces erant Annæ, ut Deum, qui solus misericordissimus est, ad miserandum inflecteret. Sed prævenit ille sermones; et antequam porrecta expleretur supplicatio, de eorum, quæ petebantur, successu præter omnem spem faustum roganti nuntium affertur. *Ecce enim*, inquit, *dum loqueretur, apparentes angeli, partum præter spem seculorum prænuntiavere.* Annæ scilicet et justo Joachimo in monte versanti angeli annuntiaverunt ortum illius, quæ angelos ipsos dignitate antecelleret: Angeli ejus, quæ sterilitate laborabat, conceptum prædixerunt. *Ecce enim*, inquit, *loquente illa, angelus Domini venit, dicens ei: Exaudivit Deus deprecationem tuam, et concipies, et paries, et celebrabitur semen tuum in universo mundo.* Ille exaudivit, qui precationis verba, priusquam mente conciperentur, noverat et ineffabiliter perpendebat. Ille orationem audivit, qui ad orationem excitabat, atque, ut consequeretur effectum, disponebat. Ille exaudivit cor contritum, qui propter hoc idem in illo corde moram faciebat. Ille exaudivit preces tuas, qui per voces prophetarum earumdem precum exitum prænuntiaverat.

Digitized by Google

ΙΒ'. *Λαληθήσεται γάρ, φησί, τὸ σπέρμα σου ἐν* A *ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ.* Λαληθήσεται τῇ οἰκουμένῃ τὸ πολυθρύλλητον αὐτῆς καύχημα, ἡ μόνη διαβόητος αὐτῆς καρποφορία, τὸ περιώνυμον τῶν κτισμάτων ἐγκαλλώπισμα. Λαληθήσεται τὸ λάλον τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως στόμα, ἡ εὔλογος τῶν σιγησάντων ἀπολογία, περὶ ἧς δεδοξασμένα ἐν πάσῃ λογικῇ φύσει λαληθήσεται, ἧς νοεραὶ δυνάμεις τὰ μεγαλεῖα διανυμνήσουσι, καὶ τὴν δόξαν ἀνακηρύξουσι· *Λαληθήσεται τὸ σπέρμα σου ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ.* Σὺ μὲν γάρ, φησὶν, ὦ Ἄννα, καρποφορήσεις τὴν τῶν ἀρετῶν ἀφθονίαν τῷ Θεῷ, καὶ τὴν ἐξακουσθησομένην ἐν τῷ γένει τῆς παιδοποιΐας ἕξεις φήμην. Τῶν ὀνειδισμῶν μὲν τῆς ἀτεκνίας ἀπαλλαγεῖσα, συναριθμηθεῖσα δὲ καὶ συγκαταλεγεῖσα ταῖς μητράσι, τῆς δοκούσης εὐλογίας ἐκείνων οὐκ ἀποκριθήσῃ· B οὐκ ἐν τούτοις δὲ τὰ τῆς φήμης στήσεται, ἀλλὰ τῆς δεήσεώς σου ὁ καρπὸς καὶ ἡ τῆς φύσεως εὐφορία, οὐ μόνον ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἢ ἐν τοῖς συμφυλέταις λαληθήσεται καὶ μεγαλυνθήσεται, ἀλλ' ἐν ὅλῃ διαβοηθήσεται τῇ οἰκουμένῃ, ἐν βασιλεῦσι καὶ δυνάσταις, ἐν ἱερεῦσι καὶ δικαίοις, ἐν πολυγλώσσοις ἔθνεσιν, ἐν σοφοῖς καὶ ἀσόφοις, ἐν τοσούτοις ὁ σὸς λαληθήσεται καρπὸς, καὶ εἰς τοσούτων διηχηθεὶς ἀκοὰς, καταλλήλως τοῖς οἰκείοις μεγαλυνθήσεται παραδόξοις.

ΙΓ'. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ ἄγγελος. Τί δ' ἡ μακαρία καὶ μεγαλόψυχος Ἄννα; Οἷον ἀντίδωρον τῷ τοιαύτην παρεχομένῳ δίδωσιν εὐλογίαν; οἵας τὸν εὐεργέτην ἀμείβεται ταῖς δωρεαῖς; οἵας τὰς τῆς εὐχαριστίας ὁλοκαρπώσεις ἀναφέρειν κατεπαγγέλλεται; οὐκ C ἀναθημάτων πολυτέλειαν, οὐ τὰ ἐξ ἀλόγων ζώων θύματα, οὐ καρπῶν ἀπαρχὰς, οὐκ ἄλλο τι τῶν ἀντεισφερομένων καλλιερημάτων, ἀλλ' αὐτὴν τὴν διδομένην αὐτῇ καρποφορίαν τῆς φύσεως· αὐτὸ τὸ εὐκταῖον καὶ ποθητὸν αὐτῇ βλάστημα, ὑπὲρ οὗ εὐαγώνιοι καρτερίαι, ὑπὲρ οὗ ἐπίμονοι δεήσεις καὶ δαψιλῆ κατεχέοντο δάκρυα, καὶ ὑπεροψίαι τῶν εὐπαθεῖν παρασκευαζόντων ἁπάντων.

Ζῇ γάρ, φησὶ, Κύριος ὁ Θεός μου· ἐὰν γεννήσω εἴτε ἄρσεν εἴτε θῆλυ, προσάξω αὐτὸ δῶρον Κυρίῳ τῷ Θεῷ μου, καὶ ἔσται λειτουργοῦν αὐτῷ πάσας τὰς ἡμέρας. Ὅρα τὸν πρὸς Θεὸν τῆς Ἄννης διάπυρον πόθον· ὅρα τὴν ὑπερβάλλουσαν αὐτῆς μεγαλοψυχίαν· ὅρα ὅπως διὰ τῆς παρούσης ἀφιερώσεως D καὶ τὴν ἀφθόνως Θεῷ τῶν ἐκτὸς προσαγομένην καρποφορίαν ὑπέδειξεν. Εἰ γὰρ τὴν διδομένην τῆς φύ

XII. *Celebrabitur enim*, inquit, *semen tuum in universo mundo.* Enuntiabitur orbi decus hoc suum eximium, unica sua ipsius celeberrima ubertas (15-16), nobilissimum creaturarum ornamentum. Celebrabitur disertissimum illud os humanæ naturæ, eloquentissima eorum, quibus pudor abstulisset verba, defensio (17); de qua inter creaturas omnes rationales gloriosa dicentur; cujus magnalia intellectuales virtutes celebrabunt hymnis, et gloriam prædicabunt. *Celebrabitur semen tuum in universa terra.* Tu enim, inquit, o Anna, Deo fructificabis ubertatem virtutum, et fecunditatis famam in muliebri sexu celeberrimam assequeris. Ab opprobrio sterilitatis liberata, atque inter matres connumerata et cooptata, nequaquam illius, quæ earum benedictio habetur, exsors eris. Sed neque angustis his finibus fama tui nominis continebitur; neque precum tuarum fructus ac naturæ fecunditas in Israele solum ac inter contribules tuos celebrabitur ac magnificabitur; sed in universa terra, inter reges et principes, inter sacerdotes et justos, inter multarum linguarum gentes, inter doctos et indoctos proclamabitur; tot inter ac tantos fructus hic tuus prædicabitur, et in tot aures personans condigna omnium admiratione certatim magnificabitur.

XIII. Hæc angelus. Quid vero beata illa ac magnanima Anna? Quodnam tantam sibi benedictionem largienti rependit donum? quænam benefacienti munera retribuit? quænam grati animi holocausta oblaturam se pollicetur? Non opulentam donorum copiam, non ex irrationabilibus animantibus sacrificia, non fructuum primitias, non aliud quidpiam eorum, quæ in gratiarum actiones offerri solebant; sed ipsum sibi donatum naturæ fructum, illud ipsum exoptatum ac desideratum ab ipsa germen, pro quo laboriosæ corporis afflictationes susceptæ, pro quo assiduæ preces atque uberes profusæ lacrymæ, et cujus gratia reliqua, quæ jucundam comparare possent vitam, neglecta fuerant.

Vivit enim, inquit, *Dominus Deus meus; sive masculum peperero sive feminam, illud ipsum offeram donum Domino Deo meo: et erit illi ministrans omnibus diebus.* Vide ferventem Annæ in Deum affectum, vide eminentem ipsius magnanimitatem, vide quomodo per ejusmodi oblationem exteriorum quoque rerum omnium copiam se Deo liberaliter offerre demonstravit. Etenim si concessam sibi

(15-16) Petrus Argivus, naturam humanam inducit gaudio gestientem, quod cum ad eam usque diem, qua Mariam protulit, sterilis fuisset ac maledicta, utpote quæ nullum bonum fructum, sed spinas tantum ac tribulos, filios scilicet vitio corruptos dedisset, nunc tandem germen optimum, Mariam nempe communis illius contagii expertem germinasset. Non absimilem porro hic habes sententiam, ubi Deipara ceu *unica* totius mundi ubertas exhibetur.

(17) Manifesto hic se prodit antithesis illa tam sæpe in scriptis sanctorum Patrum recurrens, qua Virginis Deiparæ conditio a reliquorum omnium mortalium conditione secernitur. Exhibetur enim Maria tanquam os et patrona eorum qui præ pudore reatus vultum attollere ac verba facere prohibebantur. Reatum porro hic intelligendum esse, qui omnes afficiat, liquido patet, tum quia *naturæ humanæ*, quæ homines sane omnes complectitur, *os* Deipara appellatur; tum quia hoc ipsa rei adjuncta exigunt: secus enim alii essent præter Mariam, a quibus pudor reatus abesset. At 1° Nullus est communis omnium reatus, nisi crimen ex primo parente propagatum. 2° Siquidem Deipara eodem reatu obligata fuisset, jam et ipsa inter eos, quibus pudor silentium indicebat, necessario versaretur. Ergo et per hæc a communi omnium reatu Deipara Virgo immunis declaratur.

Digitized by Google

naturæ benedictionem, si animi delicias, laborumque solatium tam ferventi proposito Deo obtulit, quandonam cæteris creatis rebus pepercisset? Quanquam et sacris Litteris nuspiam appareret, voto aut consecratione feminam Deo oblatam fuisse, maxime vero quæ in templo sacrarum rerum ministris connumeraretur; ipsa tamen divini amoris excessu inauditum hoc facinus aggreditur, præsignans in promissione novum illud, quod re ipsa futurum erat. Unica enim illa e sexu muliebri, quæ sola primitiæ erat naturæ humanæ, et Deo dedicata fuit, et tanquam pretiosissimum donarium Deo reddita (18).

XIV. Hæ felices justorum illorum sortes, hæc eorum sunt gesta. Hi sunt virtutum ipsorum characteres insignes, qui animi venustatem sinceram atque eorum, qui ante claruerant, præcellentia splendidiorem, nova luce collustrarunt. Oportebat scilicet, ut hoc donum, cui nulla comparari res creata potest, ex præeminenti electione prodiret. Oportebat ut sanctissimæ hæ divitiæ ex locupletissimis virtutibus emanarent. Oportebat, ut ex tantis laboribus tantus referretur fructus; ut ex nobili radice nobilissimum efloreret germen; exque bonis lumbis optimus redderetur fetus, semper virens (19), illud generis decus, pulcherrimum naturæ germen, truncus ille mysterii in altum tendens, e quo immortalitatis flos ascendens perennem odoris suavitatem exhalavit, cujus fructus est vita et incorruptio et stabilitas perpetua iis omnibus, qui participes illius sint. Verum quam gloriosa horum memoria in sæcula protenditur! quam jugis atque indelebilis ipsorum gloria perseverat! quam beata electio, ac porro beatissima laus virtutis eorum, per quam ut eligerentur ipsis contigit! Propterea enim universorum reginam tanquam pietatis ac fortitudinis fructum progignere meruerunt. E regalibus scilicet plantationibus te regalem virgam proferri oportebat. Oportebat ut ex omnigenis virtutibus tu, copiosissima bonorum omnium opu-

σεως εὐλογίαν, ψυχης τε εὐθυμίαν καὶ τῶν πόνων παραμυθίαν, οὕτω ζεούσῃ προαιρέσει Θεῷ ἀνατίθησι· πότε ἂν τῆς λοιπῆς ἐφείσατο κτίσεως; καί τοι οὐκ ἄν που τῆς Γραφῆς κατανοηθείη ἐν ἐπαγγελίαις ἢ ἐν ἀφιερώσει, Θεῷ ἀνατιθέμενον θῆλυ, καὶ μάλιστα ἐν τῷ ναῷ τοῖς λειτουργοῖς συναριθμούμενον· ἀλλ' ὅμως ὑπερβολῇ φιλοθεΐας, αὕτη καινουργεῖ τοῦτο, ἐν ἐπαγγελίᾳ προφητεύουσα, τὴν ἔσεσθαι μέλλουσαν ἐν τῷ πράγματι καινοτομίαν. Μόνη γὰρ τῆς γυναικείας φύσεως, ἡ μόνη τῆς ἀνθρωπότητος ἀπαρχὴ, καὶ ὑπεσχέθη καὶ ὑπέρτιμον ἀπεδόθη Θεῷ ἀνάθημα.

ΙΑ'. Τοιαῦτα τὰ τῶν δικαίων πλεονεκτήματά τε καὶ διηγήματα. Οὗτος τῶν ἀρετῶν αὐτῶν οἱ φαιδροὶ χαρακτῆρες, οἱ τὴν εὐγενῆ τῆς ψυχῆς καὶ λαμπροτέραν τῶν προφανέντων, ἐναπήστραψαν ὡραιότητα. Ἔδει γὰρ ἐξ ὑπερεχούσης ἐκλογῆς τὴν ἀσύγκριτον ἐν γεννητοῖς προελθεῖν δωρεάν· ἔδει ἐξ ἀφθόνων ἀρετῶν τὸν ὑπεράγιον ἐπιβρῖσαι πλοῦτον. Ἔδει τοιούτων πόνων τοιοῦτον συγκομισθῆναι τὸν καρπὸν, ἐκ ῥίζης εὐγενοῦς εὐγενέστατον ἐκφυῆναι βλαστὸν, ἐξ ἀγαθῆς ὀσφύος ἀγαθώτατον ἀναδοθῆναι κύημα· τὸ ἀειθαλὲς τοῦ γένους ἐγκαλλώπισμα, τὸ τῆς φύσεως ὡραιότατον βλάστημα, τὸ ὑψιτενὲς τοῦ μυστηρίου στέλεχος, ἐξ οὗ τὸ τῆς ἀθανασίας ἀναδραμὸν ἄνθος, τὴν ἀΐδιον διέπνευσεν εὐωδίαν, οὗ ὁ καρπὸς ζωὴ καὶ ἀφθαρσία καὶ διαμονὴ τοῖς μετέχουσι πᾶσι καθίσταται. Ἀλλ' ὡς δεδοξασμένον τὸ τούτων εἰς αἰῶνας συμπαρατείνεται μνημόσυνον! Ὡς ἀναφαίρετον αὐτῶν διαμένει τὸ κλέος· ὡς μακαρία μὲν ἡ ἐκλογὴ, μακαριστὸν δὲ αὐτῶν τὸ ἐν ἀρεταῖς εὐδόκιμον, δι' οὗ καὶ τὸ ἐκλεγῆναι αὐτοῖς προσεγένετο. Διὰ τοῦτο τὴν βασιλίδα τοῦ παντὸς, ὡς εὐσεβείας καὶ κράτους καρπὸν ἀποκυῆσαι κατηξιώθησαν. Ἔδει ἐκ βασιλικῶν φυτουργῶν τὴν βασίλειον σε ἀναδοθῆναι ῥάβδον· ἔδει ἐκ περιουσιῶν ἀρετῶν τὸν ἄφθονόν τε τῶν ἀγαθῶν ὑπερχεθῆναι πλοῦτον· ἔδει σε τοιούτων μὲν πατέρων χρηματίσαι θυγατέρα, αὐτοὺς δὲ θυγατρὸς τοιαύτης ἀναδειχθῆναι πατέρας. Καὶ γὰρ

(18) Fac perpendas rationem, propter quam tanquam maxime congruum id probatur, quod novum omnino et alienum a communi lege censendum fuit, feminam nempe Deo in templo consecrari. Quia, inquit auctor, primitiæ Deo dedicandæ sunt; sola porro Maria primitiarum humanæ naturæ locum tenet. Maria ergo primus et unicus fructus prædicatur, quem natura humana tanquam Dei dignum instar primitiarum offerre posset. Cogita vero, hanc de ipsa Deiparæ Conceptione efferri; ac perspicies illico, ejusmodi sententias, quas plus semel in Patrum scriptis legere est, ex insita ipsis persuasione de sancta Deiparæ Conceptione sponte dimanare.

(19) Sententia qua Deiparam aut semper puram, aut semper sanctam, aut semper Deo charam profitemur, ejusmodi est, quæ eamdem in ipsa sui Conceptione ab omni labe puram, ac sanctam plane exigat. Ergo immaculati Virginis Conceptus disertam habemus professionem etiam in hoc Jacobi loco, ubi Virginem appellat generis humani *semper virentem* gloriationem. Nisi forte minus roboris Jacobi verbis inesse ideo quis putet, quia figurata utitur locutione. At quid mirum, si ea dicendi formula usus est Jacobus, quam pluribus communem reperimus (qua de re in Commentario), et in ipsis sacris Orientis Ecclesiæ Officiis sæpius repetitam? Aut quænam, quæso, hic intelligeretur viriditas, præter eam, cujus gratia et ramus mysticus, et pulcherrimum germen ibidem proclamatur? Denique nulla obscuritas est in locutione figurata, quando omnibus nota est ac recepta sententia, quæ figuris obvolvitur. At hanc sententiam notissimam fuisse inde patet, quod in ipsis sacris Orientalis Ecclesiæ Officiis Deipara non modo tanquam nullo non tempore sancta celebrabatur, sed vel sublimissimis Seraphim *semper sanctior*. Sic enim in festo sancti martyris Athenogenis (*Men.* die xvi, Jul. ad Matutin. Od. γ') : *Cœlis sublimior apparuisti, o Innocens, et Seraphim semper sanctior, utpote quæ universorum Dominum ac Regem supra naturæ leges genuisti.* (Ὤφθης οὐρανῶν, Ἁγνὴ, ὑψηλοτέρα, καὶ τῶν Σεραφὶμ ἀεὶ ἁγιωτέρα, ὡς τῶν ἁπάντων Δεσπότην καὶ Βασιλέα ὑπερφυῶς κυοφορήσασα).

Digitized by Google

ὥσπερ σὺ τῆς ἁπάσης κτίσεως εἰς Θεοῦ Μητέρα προεξελέγης, οὕτως αὐτοὶ τῶν τεκόντων ἁπάντων προτιμηθῆναι κατηξιώθησαν. Ὡς ὑπερδεδοξασμένον γοῦν τὸ τῆς προμηθείας μεγαλεῖον· ὡς ἐφετῶν ἁπάντων ποθεινότερα, τὰ διὰ σοῦ παραγενόμενα καλά.

A lentia, prodires. Oportebat, ut ejusmodi parentum tu esses filia, ipsi vero ejusmodi filiæ parentes essent. Sicut enim in Dei Matrem præ omnibus creaturis præelecta tu fuisti; sic ipsi præ omnibus genitoribus condecorari promeruerunt. Quam itaque omni gloria major est providentiæ divinæ magnificentia! quam desiderabilia præ cunctis desiderabilibus sunt bona, quæ per te parta sunt!

Λαληθήσεται γὰρ τοῖς πᾶσι τὰ περὶ σοῦ· λαληθήσεται καὶ κηρυχθήσεται, οὐκ ἐπὶ γῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐν οὐρανοῖς· οὐκ ἀνθρωπίναις ἀκοαῖς, ἀλλὰ καὶ θείαις ἐνηχηθήσεται νοήσεσι. Καὶ γὰρ ὁ Δαυὶδ ταῦτα προανεφώνησε, καὶ ὡς γενομένην τὴν τῶν μελλόντων προανεκήρυξεν ἔκβασιν, τὴν ἀπαραίτητον τῶν ἐσομένων ἀλήθειαν, τῷ παρῳχηκότι διασημάνας χρόνῳ· *Δεδοξασμένα γὰρ, φησὶν, ἐλαλήθη περὶ σοῦ, ἡ πόλις τοῦ Θεοῦ.* Δεδοξασμένα ὑπὲρ πᾶσαν διηγουμένην δόξαν· δεδοξασμένα ταῖς ἀνωτάτω δυνάμεσι· τετιμημένα καὶ ποθητὰ τοῖς ὁμογενέσιν ἀνθρώποις, ἐπιθυμητὰ πατριάρχαις, σεπτὰ προπάτορσιν, ἀνάγραπτα καὶ ζητητέα προφήταις. Διὰ ταῦτα πᾶσα κτίσις εὐφραίνεται· τούτοις ἀγγελικαὶ συνήδονται στρατιαί· τούτοις ὁ σύμπας ἐνωραΐζεται κόσμος. Ὡς μακάριοι τῆς ἐντρυφήσεως οἱ τούτων κατ' ἀξίαν ἐπαπολαύειν τυχόντες. Αὕτη γὰρ ἂν εἴη μόνη δικαίως ἀπόλαυσις, αὕτη τρυφὴ ἐστιν ἀδαπάνητος, ἡ τῶν σῶν δηλαδὴ ἐντρύφησις παραδόξων.

Crebrescet sane fama magnalium tuorum, in ore omnium hæc erunt, et annuntiabuntur omnibus, non in terra solum, sed etiam in cœlis, neque modo humanis auribus insonabunt, sed cœlestibus etiam intelligentiis. Hæc enim David antea prædixit, ac veluti jam gesta essent, futurorum prænuntiavit eventum, certissimam eorum, quæ ventura erant, veritatem per tempus præteritum efferens: *Gloriosa enim*, inquit, *dicta sunt de te, civitas Dei* [1]. Gloriosa super omnem, quæ narretur, gloriam; gloriosa coram cœlestibus virtutibus; glorificata et exoptata ejusdem naturæ hominibus; desiderata patriarchis; veneranda progenitoribus, ante descripta et exquisita prophetis. Propter hæc universæ creaturæ exsultant; horum gratia angelici congaudent exercitus, his universus terrarum orbis condecoratus superbit. O quam beati, qui hac jucunditate, qui hisce pro dignitate perfrui meruerunt! Hæc enim sola jure merito fruitio dicenda fuerit, hæ deliciæ inexhaustæ, tuis scilicet mirabilibus delectari.

ΙΕ'. Ἀλλ' ὦ τῆς παρούσης καὶ τῆς ἐσομένης εὐφροσύνης πρόξενε, ὦ καὶ παῤῥησίας καὶ τιμῆς σεμνολόγημα, σὺ τῆς ὑπὲρ τῶν σῶν πανηγύρεων εὐωχίας, τὴν ἀνωτάτω πανδαισίαν ἀμείψαιο. Σὺ τοῦ ὑπὲρ τῶν τοιούτων προθύμου τὰς μεγάλας ἀντεισφέροις δωρεάς· κόσμησον ὡς τῇ αἰσθητῇ καὶ τῇ νοητῇ φαιδρότητι τὴν παροῦσαν ὁμήγυριν· ῥύθμισον τὴν συγκεκροτημένην θειοτέρως χοροστασίαν· ἐνήχησον αὐτῇ ἐναρμόνιον καὶ τῆς τῶν ἑορταζόντων ἐν οὐρανοῖς ἀγαλλιάσεως μέλος. Ἔπιδε πρὸς τὴν ἑκάστου διάνοιαν· ἔτασον τὸ τοῦ πόθου διάπυρον, καὶ τῷ ἐξετάζοντι τὰ τοῦ συνειδότος ἄῤῥητα, καθυπόδειξον τοῦτο Δεσπότῃ· πρότεινον τὰ τῆς διαθέσεως τῷ ἀνακεκαλυμμένως καθορῶντι τὰ κρύφια. Οἶδε μὲν ὡς τῶν ἀθεάτων ἅπαντα γνώστης, τόν τε δι' αὐτὸν εἰς σὲ τῶν ὑμνολογούντων συγκατανοεῖ πόθον, βούλεται δὲ καὶ λίαν ἀγαθοπρεπῶς διὰ μητρῴων ἐντεύξεων, καὶ προτείνεσθαι ταῦτα καὶ ἀποπληροῦσθαι. Τοῦτο γὰρ τὸ πρὸς αὐτόν σου καὶ ἡμῶν εἰς σὲ ἐγκαλλώπισμα· τοῦτο γνώρισμα τῆς διὰ σοῦ γεγενημένης αὐτοῦ φιλανθρωπίας. Ταύτῃ ταῖς ἐλπίσι συνανυψούμενοι, τῆς οἰκείας καταφρονοῦμεν ταπεινότητος, τῆς χαμαιζήλου καὶ γεώδους ἐπιλανθανόμεθα διαγωγῆς. Ἐντεῦθεν τῶν τῆς γῆς ἀπαίρειν καὶ πρὸς οὐρανὸν ἐπείγεσθαι προθυμούμεθα· ἐντεῦθεν ἡμῖν αἱ ἀδιάψευστοι τῶν αἰωνίων προσδοκίαι· διὰ τοῦτο φιλοφρόνως τὴν εὔσημον καὶ θείαν ταύτην ἄγοντες ἑορτὴν, τῷ εἰς οἰκείαν ἅπαντα προνοησαμένῳ δόξαν, εἰς μητρικόν τε καύχημα καὶ σωτήριον τῶν ὑπηκόων ἐγκαλλώπισμα, τὴν εὐχαριστίαν ἀνα-

XV. Sed o præsentis futuræque lætitiæ conciliatrix, o eorum qui ad te cum fiducia accedunt, teque honore prosequuntur, eximium præconium. Tu pro lætitia, qua tuæ peraguntur festivitates, cœleste rependas convivium; tu pro alacritate, qua hasce celebramus, fac tua munera adaugeas. Præsentem cœtum tum sensibili tum spirituali gaudio perfunde; ipsamet divinius congregatum moderare chorum; suggeras ipsi melos concinnum, ac quale est eorum, qui exsultantes festum in ipsis cœlis agunt. Respice ad uniuscujusque mentem; inspice desiderii fervorem, et eum demonstra Domino, qui conscientiæ secreta rimatur. Affectus nostros ei qui occulta videt manifesta, prætende. Novit quidem ille omnia utpote et invisibilium cognitor, atque eorum qui propter eum te collaudant, affectum ac desideria intuetur; voluntatis tamen ejus est, et quidem peramantissimæ, ut hæc mediante Matris intercessione et offerantur, et adimpleantur. Hæc videlicet tua est propter eum gloriatio, ac nostra propter te; hoc indicium est gratiæ, quam humanum genus per te apud illum invenit. Propterea spe erecti, humili conditione nostra non terremur; abjectæque ac terrenæ vitæ obliviscimur. Hinc ab imis istis abscedere, atque ad cœlum properare gestimus; hinc nobis certissima æternorum exspectatio. Propterea propensissimo animo insignem hanc divinamque celebrantes festivitatem, illi, qui universa ad suam ipsius gloriam, ad Matris suæ honorem, et ad salutiferum sibi

[1] Psal. LXXXVI, 3.

Digitized by Google

obsequentium decus prælisposuit, Christo, inquam, bonorum auctori ac largitori gratias referimus; ipsi enim debetur honor, adoratio et glorificatio cum Patre et Spiritu sancto nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

φέρομεν Χριστῷ τῷ τῶν ἀγαθῶν αἰτίῳ καὶ παρόχῳ, ὅτι αὐτῷ πρέπει τιμὴ, προσκύνησις, δοξολογία σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ORATIO II.

In nativitatem sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis Mariæ.

I. Universos nos ad suas epulas convocat magnificum præsentis gaudii convivium : quin potius, eo non abscedentes, cupiditatem augere insatiabilique desiderio appositas dapes percipere adhortatur. In eo enim sensa varia, instar ferculorum, prodeunt; ut et illa lautius quæ ad voluptatem superioribus habeant atque ad se nanciscentes trahant ac propriam cuique delectationem suggerant. Quia ergo eorum proprium, qui in manus sumunt, fruitionis efficitur lucrum, cum liceat, depulsa negligentia, incorruptam consequi voluptatem, ejusque gratiæ, quæ ubertim confertur, jacturam evitare; alacri proinde animo ad omnis illud generis dapibus instructum convivium adeamus, præclara illa conviva præduce quæ incomparabili Virgo dulcedine convivas impertit. Hæc enim, cum voluptas est tum provocatio; hæc convivium omnisque generis epulæ; hæc lætitia ac exsultatio est. Venite ergo una mecum, porrigendo gaudio collaborantes, exordia nectite. Gaudio ad adhortandum erigite, gaudio sermonem excitate atque ei gratiæ opem supplicationibus impetrate.

II. Quia enimvero propius jam argumentum adii, rei immensitate teneor ut ne loqui possim, animusque præ miraculi magnitudine defixus hæret, novum quoddam ac insolitum aspectans in terra mysterium. Quod arcane ante sæcula omnia promissum fuit Salutare, nunc diei accipit terminum. Peculiare hoc parentum Virginis exsistit encomium. Proœmium hoc sermonum omnium intentionem fugit. Huic animus incumbens ac factus debilior, suis ipse finibus excessit. Considera enim, quisque istorum auditor exsistis, quantum inde ac quam grande miraculum visum sit. Sola benignitate ex nihilo fueramus a Deo fictore producti : jussi eramus paradisum incolere in operibus bonis : malo mandatum consilio repuleramus : voluntate, in nostra capita mortem asciveramus : promissa nihilominus a Creatore fuit liberatio, eratque illa futura, quærebatque tempus qui idonei forent. Præteribant generationes; juges prophetiæ edebantur : patriarcharum res, ac omnium justorum in spe positæ erant. Abraham transierat, ac nepotes, cum ii in symbolis diei sacramentum edocti essent, atque hianti animo in futuri eventum haberent. Admirabilis ille Moyses claras mysterii figuras conspiciens, ac veritatis notas considerans, ipsius tempore implenda, quæ prius ostensa essent, arbitrabatur. Erat spes in deserto : in judicibus populi ducibus exspectatio : Samuel responsa

ΛΟΓΟΣ Β'.

Εἰς τὴν γέννησιν τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου.

Α'. Συγκαλεῖ πάντας ἡμᾶς εἰς τὴν οἰκείαν ἑστίασιν ἡ πολυτελὴς τῆς χαρᾶς εὐωχία· μᾶλλον δὲ ταύτης οὐκ ἀποστάντας, ἐπιτείνειν τὴν ἔφεσιν καὶ τῶν προθεμένων ἀκορέστως μετέχειν προτρέπεται. Προκύπτουσι γὰρ ἐν ταύτῃ ποικίλα νοήματα, καθάπερ ἐδέσματα· ὡς δὲ ταῦτα, πολυτελεστέραν ἐχόντων τῶν φθασάντων τὴν ἡδονὴν, καὶ πρὸς ἑαυτὰ μεθέλκοντα τοὺς ἐντυγχάνοντας, καὶ οἰκείαν ἑκάστῳ τὴν εὐφροσύνην πορίζοντα. Οὐκοῦν ἐπείπερ ἴδιον τῶν μεταχειριζομένων τὸ τῆς ἀπολαύσεως γίνεται κέρδος, ἐνὸν μὴ τῆς ἀκηράτου καταμελοῦντας ἀποτυγχάνειν τρυφῆς, καὶ ζημιοῦσθαι τὴν χάριν, ἀφθόνως παρεχομένην· ἰτέον τοίνυν εὐθύμως ἐπὶ τὴν πανδαισίαν, ἑστιάτορος καθηγουμένου λαμπροῦ, τῆς τὸν ἀσύγκριτον γλυκασμὸν εὐωχούσης Παρθένου. Αὕτη γὰρ καὶ τρυφὴ ἐστι καὶ προτροπή· αὕτη εὐωχία καὶ πανδαισία· αὕτη εὐφροσύνη καὶ ἀγαλλίασις. Δεῦτε οὖν τῷ ταύτης πορισμῷ, συγκάμνοντες χαρᾷ σὺν ἐμοὶ, τὰ προοίμια πλέξατε· χαρᾷ τὴν προτροπὴν διεγείρατε, χαρμονικῶς τὸν λόγον διαναστήσατε, καὶ χάριτι τοῦτον συνεργεῖσθαι καθικετεύσατε.

Β'. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἐγγὺς ἐγενόμην τῆς ὑποθέσεως, ἀμηχανία τοῦ πράγματος τὸν λόγον κατέχομαι, καὶ τῷ μεγέθει τοῦ θαύματος ἐκπλήττομαι τὴν διάνοιαν, ξένον ὁρῶν καὶ παράδοξον ἐπὶ γῆς τελούμενον μυστήριον. Ὃ πρὸ πάντων αἰώνων ἀῤῥήτως ἐπηγγέλθη σωτήριον, νυνὶ πέρας δέχεται. Τοῦτο τῶν τὴν παρθένον τεκόντων ἀνῳκισμένον ἐγκώμιον. Τοῦτο προοίμιον πᾶσαν ἐκφεῦγον λόγων ἐπίδοσιν. Τοῦτο προσβαλὼν μὲν ὁ νοῦς, ἐξασθενήσας δὲ τῶν οἰκείων ὅρων ἐξέστηκε. Σκόπει γὰρ ὅς τις ἂν ᾖς ὁ τούτων ἀκροατὴς, ἡλίκον ἐντεῦθεν ἐφάνη τὸ θαῦμα φιλανθρωπίᾳ μόνῃ ἐκ μὴ ὄντων ὑπὸ τοῦ Πλάστου παρήχθημεν· ἐπ' ἔργοις ἀγαθοῖς τὸν παράδεισον κατοικεῖν προσετάγημεν· τὴν ἐντολὴν κακοβουλήτως ἀπεκρουσάμεθα· θάνατον τῇ προαιρέσει ἐπεσπασάμεθα· ἐπηγγέλθη παρὰ τοῦ Κτίστου ἐλευθερία, καὶ τὸ πρᾶγμα ἔμελλε, καὶ ὁ χρόνος τοὺς ἐπιτηδείους ἀνηρεύνα. Παρέτρεχον αἱ γενεαί· αἱ προφητεῖαι συνεχεῖς κατεβάλλοντο· ἐν ἐλπίσιν ἦν τὰ τῶν πατριαρχῶν καὶ πάντων δικαίων. Ἀβραὰμ παρέδραμε, καὶ οἱ μετ' ἐκεῖνον, ἐν συμβόλοις τὰ τῆς ἡμέρας μυηθέντες, καὶ πρὸς τὴν ἔκβασιν τοῦ μελλόντος κεχηνότες. Μωϋσῆς δὲ ὁ θεσπέσιος ἐμφανεῖς τοὺς τύπους τοῦ μυστηρίου ὁρῶν, καὶ δείγματα τῆς ἀληθείας κατανοῶν, ἐδόκει πρὸς ἑαυτὸν πληροῦσθαι τὰ προδηλούμενα. Ἐν τῇ ἐρήμῳ ἡ ἐλπὶς· ἐν τοῖς τῶν κριτῶν δημαγωγοῖς ἡ προσδοκία· Σαμουὴλ ἐχρημάτιζετο· Δαβὶδ ἐγγὺς τὴν ἡμέραν ἀναφωνῶν, ἀπεμάκρυνε·

Digitized by Google

τῶν προφητῶν ὁ χορὸς διαπρυσίως ἐκήρυττε, καὶ ἐπὶ θύρας εἶναι τὸν Χριστὸν κατεμήνυε. Πάντες δὲ τῶν ἐλπισθέντων ἀποτυχόντες παρέδραμον. Καὶ ἐπειδήπερ ὁ χρόνος σὺν τοῖς ἀξίοις ἀπελιμπάνετο· εὗρε δὲ τοὺς ἀξίους οἰκείως ἐξ αὐτῶν ὡρμημένους, καὶ πρὸς τοῦτο τῷ Κτίστῃ εὐτρεπισμένους· Ἰωακείμ τε, φημὶ, καὶ Ἄνναν τοὺς τὴν αἰτίαν τοῦ τέλους τῶν μηνυθέντων ἀποτεκόντας (Ἰωακεὶμ μὲν γὰρ *ἀποκείμενος*, Ἄννα δὲ *χάρις* ἑρμηνευομένη κεχύρωται)· οὗτοι τὰ τῶν προρρήσεων εἰς ἔργον κατεβάλλοντο προοίμια· οὗτοι τῶν προσδοκηθέντων τὴν ῥίζαν ἐβλάστησαν· οὗτοι τῶν ἐπαγγελθέντων τὸν θεμέλιον κατέπηξαν· ἐκ τούτων ἡμῖν ἡ τῆς ἰατρείας μυροθήκη κατεσκευάσθη· ἐκ τούτων ἡ τῶν προφητῶν ἐπεδήμησε πλήρωσις· ἐκ τούτων ἡ τῆς εὐφροσύνης ἀνατέταλκε πρόξενος· ἐκ τούτων τὰ τῆς χαρᾶς προωδοποίησεν ἐνέχυρα. Οὗτοι τοίνυν δι' ὑπερβάλλουσαν ἀρετὴν παρὰ πάντας γνώριμοι τῷ Κτίστῃ καθίστανται. Διὸ πᾶσαν ὁδὸν βαδίσαντες, πρὸς τὴν ἀκρότητα τῆς τελειότητος κατήντησαν, καὶ μόνοι τῶν πλείστοις ἐξ αἰῶνος ἐπιθυμουμένων ἐπέτυχον.

A accipiebat : David, prope diem esse clamando, multus erat : prophetarum chorus clara prædicabat voce, Christumque jam in januis annuntiabat. Omnes nihilominus spe sua frustrati transierant. Quia vero deficiebat tempus, cum iis qui digni erant; tandemque illud vere dignos invenit ex eorum ortos prosapia, atque in eum finem a rerum Auctore præparatos, Joachim, inquam, et Annam, ejus parentes; quæ causa exstitit eventus promissorum : nam Joachim quidem, *repositus;* Anna vero, *gratia*, liquido exponitur. Hi, oraculis annuntiatorum exordia, in opus sternere cœperunt : hi rerum in spe positarum radicem germinarunt : hi promissionum fundamentum fixerunt : ex illis pigmentaria nobis medicaque officina structa est : B ex iis venit prophetarum impletio : ex iis orta est lætitiæ auctrix; ex iis præierunt gaudii pignora. Hi itaque ab excellenti supra omnes virtute Creatori conspicui constituuntur. Idcirco omni decursa via, ad summum perfectionis verticem occurrerunt, soliqueres plerisque a sæculo desideratas consequi meruerunt.

Γ'. Τῶν γὰρ ἐθίμων τοῦ νόμου προστάξεων τῇ εὐτεκνίᾳ προκρινουσῶν τὴν εὐσέβειαν, καὶ τεκμήριον ἀψευδὲς εὐλογίας τὴν εὐθηνίαν τῆς φύσεως λογιζομένων, ἐξ αὐτῆς τοῦ ἐξιλάσματος τῶν θυσιῶν, προέκρινον τὸ δεκτέον· οὐδὲν ἀλόγως, οἶμαι, οὐδὲ τῆς τῶν προσαγόντων παχύτητος ἀλλότριον θεσπιζουσῶν. Ἐπειδὴ γὰρ σωματικώτερον οἱ τότε διέκειντο, τῇ τῶν βιωτικῶν ἐπιδόσει τὰ τῆς ψυχῆς συγκαλύπτοντες ἀγαθὰ, ξένοι τε τῶν τοῦ Πνεύματος δαψιλῶν χαρισμάτων τυγχάνοντες, τὸ εὐαπόδεκτον ἐκ τούτων κατεστοχάζοντο. Τοῦτο τοίνυν οἱ τῇ σκιᾷ δουλεύοντες τὸ ἔθος κατέχοντες, ἀπαιδίας ἕνεκα τῶν δικαίων οὐ προσήκαντο τὰ προσαγόμενα δῶρα. Οὕτω γοῦν ὀνειδισθέντες οἱ δίκαιοι, ἢ καὶ ἀποπεμφθέντες, μίαν τούτων ἀπαλλαγὴν ἐφευρίσκουσι, τὴν εἰς Θεὸν καταφυγήν. Διὸ ἐπὶ τὸν Ἀβραὰμ, καὶ Σάῤῥαν, καὶ Ἄνναν ἀλλήλους καθορᾷν περικελεύοντο, καὶ μετ' ἐκείνων τὴν τῆς εὐχῆς ἀπολαμβάνειν παρώτρυνον ἔκβασιν. *Καλὰν ἡμῖν οὗτοι*, φησὶ, *παράδειγμα πρόκεινται, εἰ ἀδιστάκτως τὴν δέησιν προβαλοίμεθα. Καλὸν τεκμήριον ἡ τῆς Σάῤῥας στείρωσις, εἰς ἀπαλότητα μεταβληθεῖσα. Καλὸν σημεῖον ἡ τῷ γήρει καμφθεῖσα, καὶ εἰς ἀκμαζόντων μελῶν ἐνέργειαν μετασκευασθεῖσα. Βλέψωμεν εἰς Ἄνναν τὴν Ἑλκανὰ, τὸ ἴσον δι' εὐχῆς ἡμῖν πάθος ἀποθεμένην. Μάθωμεν αὐτῆς τὸ τῆς δεήσεως ἔμμονον, καὶ τὸ τῆς διανοίας ἔμπυρον. Γνῶμεν ὅπως, καὶ μέθην ἐγκαλουμένη, οὐκ ἐνεδίδου προσευχομένη. Ταύτην ἡμεῖς μιμησώμεθα· ταύτης κατόπιν ἐπειγώμεθα. Αὕτη χειραγωγεῖ πρὸς τῶν ἐλπιζομένων τὴν αἴτησιν, καὶ τὴν ἐπιτυχίαν, δι' ὧν ἐνήργησεν, ἐπαγγέλλεται.*

III. Nam cum legalium constitutionum jura prolis copia pietatem censerent, certumque benedictionis argumentum, naturæ ubertatem haberent, ex ea decernebant, ut hostiæ gratæ, ac acceptabiles essent : ita sane, ut mea quidem sententia, nihil illa a ratione, autve offerentium crasso animo, alienum sancirent. Quia enim ejus ætatis homines corporibus addictiores, sæcularium augmento animi C bona contegebant, atque ab uberibus Spiritus donis alieni erant, ex iis, ut quisque Numini acceptus esset, colligebant. Cum itaque qui serviebant legi, eam jure perpetuo consuetudinem haberent, oblata a justis munera ob sterilitatis culpam non admisere. Sic ergo illi probro affecti, atque altaribus vetiti, unum hoc adinveniunt remedium, ut confugiant ad Deum. Quamobrem mutua se exhortatione, ut ad Abraham, et Sarram, ac Annam respiciant, commonent, ac una cum illis orationis eventum recipere satagant. *Pulchro nobis*, inquit, *isti sunt exemplo propositi, siquidem indubia mente orationem proposuerimus. Pulchrum argumentum suggerit Sarræ sterilitas, in juventæ mollitiem commutata. Pulchrum signum, illa senio incurva, inque vegetorum membrorum virtutem demutata. Respiciamus ad Annam uxorem Elcanæ* [1] : *Annam, inquam, a simili nobis morbo precibus liberatam. Discamus ejus orationis constantiam, ac animi fervorem. Noverimus, ut neque ebrietatis illato crimine, studium orandi remiserit. Hanc ipsi imitemur. Hanc sequi festinemus. Illa dux erit ad ea petenda, quæ speramus, atque ex iis quæ gessit, fore ut impetremus promittit.*

Δ'. Ταύτην οὖν τὴν συμβουλὴν εἰς ἔργον ἐξήνεγκαν οἱ Δίκαιοι. Τὰ τῆς εὐχῆς ἐντεῦθεν αὐτῶν κατεπῇδετο ῥήματα. Σὺ, φησὶ, *Κύριε, τῷ πατριάρχῃ*

IV. Hoc ergo Justi consilium ad opus redegerunt. Hinc orationis cœperunt occinere verba. *Tu*, inquit, *Domine, pollicitus patriarchæ fore, ut ejus semen*

[1] I Reg. i.

Digitized by Google

super numerum arenæ maris, multiplicatum excresceret [1], *non ex multiplici prole rem prætitisti, sed ex uno fœtu, unaque editione. Tu, terram hæreditate possidendam, non ex multis, sed ex uno illo distribuisti. Tu Sarræ infecunditatem commutasti. Tu ejus remissa membra, ut tuo inservirent mandato, roborasti. Tu ejus incredulitatem in fidem convertisti, ac dubietatem in indubiæ mentis firmitudinem mutasti. Non ridemus, ut illa; sed supplices obsecramus, ut Anna. Non sumus in oratione dubii, sed de eventu creduli. Tu patribus nostris mirabilia operatus es. Tu benedixisti Jacob, ac Israelem mutato nomine appellans* [2], *ejus inde animi perspicacitatem indicasti. Tu, provide, ut ejus semen in Ægyptum proficisceretur, ac illic detineretur, disposuisti* [3]. *Non permisisti ut Ægyptiorum crudelitas tuum imminueret populum. Tu eos dirissimis plagis rebelles punivisti, quo et tuæ clementiæ specimen ederes, illorumque duritiæ palam fieret. Tu, novam in mari viam designasti. Tu, elementorum vires innovasti. Tu, naturam fluxam, in duræ ac solidæ speciem transtulisti, tuumque populum sicco vestigio traduxisti. Tu, uberem annonam in deserto pluens, eumdem esurientem abunde satiasti. Tu petram durissimam aquam scaturire fecisti, populumque sitientem potasti. Ad quam ipsi respicientes, non quasi dubii, precum obsecrationes supprimimus, sed sinceritate, spei supplicationes intendimus. Siquidem enim, in quibus nihil erat, ut ea producerent, quæ sunt producta, Domine, operatus es; nonne iis potius, quæ tuæ originali lege in nobis posita sunt, pro tua clementia auxiliaberis? Siquidem ea quæ toto genere discreta erant, communione temperasti; nonne quæ natura unita sunt, ac viribus defecta, ad id reduces quod est proprium? Qui creaturam ex nihilo produxisti; numquid male affectam non restitues, uti Dominus? Tuum hoc est, o Domine, opus: tuum unius facinus, aliis omnibus impossibile. Tua potentia, maxima quæque portenta eduntur. Tuo præcepto fluminum decurrentes aquæ, reducto fluxu revertuntur. Jussione tua, sol cursum reflectit. Tua jussione, multiplex genus non genitalium, genitale ad successionem perseverat. Ordinationi tuæ cedunt omnia, nec quidquam tuo præcepto obsistit. Tu Annam eodem sterilitatis morbo laborantem, copiosæ prolis matrem reddidisti: æmulamque, multos liberos habentem, sine liberis fecisti. Nobis quoque, o Domine, res probro vertitur, non una duntaxat contubernali femina inferente, sed tribu universa mirifice declamante. Tu ipsum auferre potes. Vales ipse naturæ infecunditatem, in fecunditatem facilis transferre.*

Hæc justorum oratio: quapropter etiam intemeratam illam generant; illam nobis regenerationis

ἐπαγγειλάμενος ὑπὲρ ἀριθμὸν ψαμμου θαλάσσης τὴν τοῦ σπέρματος αὐτοῦ πληθύνειν, ἐπίδοσιν οὐκ ἐκ πολυτεκνίας τοῦτο ἐνήργησας· ἀλλ' ἐκ μιᾶς προόδου τὴν ὑπόσχεσιν ἐξετέλεσας. Σὺ τὴν κατάσχεσιν τῆς γῆς οὐκ ἐκ πλειόνων, ἀλλ' ἐκ τοῦ ἑνὸς τούτου ἐκληροδότησας. Σὺ τὴν ἀγονίαν τῆς Σάρρας εἰς τεκνογονίαν μετέβαλες. Σὺ τὰ παρειμένα ταύτης μέλη πρὸς τὴν σὴν ἐντολὴν ἐνίσχυσας ὑπουργῆσαι. Σὺ τὴν ἀπιστίαν ταύτης εἰς πίστιν μετήνεγκας, καὶ εἰς ἀδίστακτον γνώμην τὰ τοῦ διαταγμοῦ μετεσκεύασας. Οὐ γελῶμεν, ὡς ἐκείνη· ἱκετεύομεν, ὡς ἡ Ἄννα. Οὐκ ἀμφιβάλλομεν εἰς τὴν δέησιν, ἀλλὰ πιστεύομεν πρὸς τὴν ἔκβασιν. Σὺ τὰ παράδοξα τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἐνήργησας. Σὺ τὸν Ἰακὼβ εὐλόγησας, καὶ Ἰσραὴλ μετεκάλεσας, τὸ διορατικὸν αὐτοῦ ἐντεῦθεν ὑπαινιττόμενος. Σὺ τῷ σπέρματι αὐτοῦ τὴν εἰς Αἴγυπτον ὁδοιπορίαν καὶ συντήρησιν ᾠκονόμησας. Σὺ τὴν Αἰγυπτίων μιαιφονίαν τὸν λαόν σου κατασμικρύνειν οὐ συνεχώρησας. Σὺ πληγαῖς ἀφορήτοις ἀπειθοῦντας τούτους ἐκόλασας, ἵνα καὶ τὸ σὸν φιλάνθρωπον ἀποδειχθῇ, κἀκείνων τὸ ἀμείλικτον φανερωθῇ. Σὺ ξένην ὁδὸν ἐν τῇ θαλάσσῃ ἐνεούργησας. Σὺ τὰς τῶν στοιχείων ἐνεργείας ἑκαινοτόμησας. Σὺ τὴν ῥοώδη φύσιν εἰς ἀντίτυπον σχῆμα μετέστησας, καὶ τὸν λαόν σου ἀβρόχῳ πορείᾳ διεβίβασας. Σὺ τὴν ἄφθονον τροφὴν ἐν ἐρήμῳ ἐπομβρήσας, πειρῶντα τοῦτον εἰς κόρον ἔθρεψας. Σὺ τὴν ἀκρότομον πέτραν ὕδωρ πηγάσαι πεποίηκας. καὶ διψῶντα τοῦτον ἐπότισας. Πρὸς ἣν ἡμεῖς ἀποβλέποντες, οὐκ ἀμφιβολίᾳ τὰς εὐχῆς καταστέλλομεν παρακλήσεις, ἀλλὰ εἰλικρινείᾳ τὰς τῆς ἐλπίδος ἐπιτείνομεν ἐντεύξεις. Εἰ γὰρ ἐφ' οἷς οὐκ ἔστι, Κύριε, προάγειν, ἃ προήχθη, ἐνήργησας· τοῖς ἐφ' ἡμῖν κειμένοις κατὰ τὸν ἀρχικὸν ὅρον οὐ συνεργήσεις φιλάνθρωπε; Εἰ τὰ παντὶ διεστηκότα τῷ γένει εἰς κοινωνίαν ἐκέρασας· ἡνωμένα τῇ φύσει πρὸς ἴδιον οὐκ ἀναστρέψεις ἐξασθενήσαν [ſ. σαντα]; Εἰ μὴ οὖσαν τὴν φύσιν παρήγαγες, μὴ εὖ διακειμένην οὐκ ἀνορθώσεις ὡς Κύριος; Σόν, ὦ Δέσποτα, τοῦτο τὸ ἔργον· σὸν τὸ κατόρθωμα, τὸ πᾶσιν ἀμήχανον. Τῇ σῇ δυναστείᾳ τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων τερατουργεῖται· τῇ σῇ προστάξει τῶν ποταμῶν τὰ ῥεύματα εἰς τοὔμπαλιν ἀνατρέχει· τῇ σῇ κελεύσει ὁ ἥλιος τὸν δρόμον ἀναχαιτίζει· τῇ σῇ κελεύσει τὰ πολυειδῆ τῶν ἀγόνων γένη, γόνιμα πρὸς διαδοχὴν διαμένουσι· τῇ σῇ διατάξει πάντα ὑπείκει, καὶ τῷ προστάγματί σου οὐδὲν ἀντιπίπτει. Σὺ τὴν Ἄνναν τὴν αὐτὴν ἀτεκνίαν νοσήσασαν εἰς πολύτεκνον μετεποίησας, καὶ τὴν πολύτεκνον εἰς ἄτεκνον μετέβαλες. Ἔστι καὶ ἡμῖν ὀνειδισμός, ὦ Δέσποτα, οὐκ ἐκ μιᾶς τῆς συνοίκου γυναικὸς προσφερόμενος, ἀλλὰ παρὰ τῆς φυλῆς ἁπάσης ἐκτραγῳδούμενος. Σὺ δυνατὸς τοῦτον ἐξᾶραι· σὺ ἱκανὸς τὴν τῆς φύσεως ἀκαρπίαν, εἰς καρποφορίαν ἐξευμαρίσαι.

Δ'. Αὕτη τῶν δικαίων ἡ δέησις· διὸ καὶ γεννῶσι τὴν ἄχραντον, τὴν τῆς ἀναγεννήσεως ἡμῶν πρόξενον,

[1] Gen. xvii, xviii, xxi. [2] Gen. xxxii, 28. [3] Exod. iii, etc.

Digitized by Google

τὴν τῆς ἀναπλάσεως ἡμῶν αἰτίαν, δι' ἧς τὸ κατ' εἰκόνα Θεοῦ ἀχρειωθὲν, πρὸς τὴν οἰκείαν ἐπανῆλθε εὐπρέπειαν· δι' ἧς ἀνεκαινίσθη τὸ παλαιὸν ἡμῶν φύραμα· δι' ἧς τοὺς τῆς ἁμαρτίας χιτῶνας ἀποβαλόντες, τὴν τοῦ φωτὸς στολὴν ἡμφιασάμεθα· τὸ τῶν προφητῶν ἀναφώνημα, τὸ τῶν θείων χρησμῶν ἐκπλήρωμα, τὸ τῆς ἡμῶν σωτηρίας κεφάλαιον. Ὦ τῆς τῶν τεκόντων εὐτεκνίας! Ὦ τόκου τὰ ὑπὲρ νοῦν ἀγαθὰ προξενήσαντος τοῖς ἐνεγγάσιν [*f.* ἐνέγκασιν]! Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν καθ' ἡμᾶς, ὅσοι πατέρες ἔτυχον γενέσθαι, ἢ κοσμικαῖς περιφανείαις τοὺς ἐξ αὐτῶν προελθόντας ἀνακηρυχθέντας ἰδόντες, ἢ τῶν ἀρετῶν φωτὶ καταλαμφθέντας, ἢ γενναῖόν τι καὶ μέγα δοκοῦν τῶν τῆς ἀνδρείας κατορθωμάτων ἐνδειξαμένους, οὐ τὸ τυχὸν ἐκ τούτων προσκτῶνται κλέος, τῇ κοινωνίᾳ τῆς φύσεως συμμετέχοντες τῆς εὐδοξίας· ἐπὶ δὲ τῶν παρόντων τίς ἂν ὑπερβολὴ δόξης ἐπινοηθείη, ἧς τῶν πρωτείων οὐκ ἔτυχον; Καὶ τί δεῖ μακρολογοῦντα τοὺς ἀκροατὰς παρενοχλεῖν; Ὥσπερ γὰρ ἡ τεχθεῖσα τὸ ἀνώτατον πλὴν τοῦ Δημιουργοῦ ἀπείληφεν· οὕτω καὶ οὗτοι, τὸ τοῦ κλέους ἀσύγκριτον παρὰ τοὺς τεκόντας ἀπεκληρώσαντο.

A auctricem : illam nobis reformationis causam ; per quam Dei in nobis oblita imago, ad pristinum rediit decorem : per quam vetus nostra conspersio renovata est : per quam exuentes peccati tunicas, lucis stolam induimus ; prophetarum illam exclamationem : divinorum oraculorum adimpletionem : nostræ illud salutis caput. O parentum præclaram prolem ! O partum majora cogitatu bona edentibus conciliantem ! Nam in omnibus quidem, si quos humano more contigit parentes effici, ut vel secularium dignitatum splendoribus auctos videant liberos, aut virtutum luce illustres redditos, aut strenuum quid ac magnum designasse, quo fortitudinis laudem habeant, non modicum inde decus comparant, ex communione naturæ, una gloriæ B ac celebritatis comparticipes effecti : in his autem, hoc argumento subjectis, quænam gloriæ excellentia excogitari queat, cujus illi prærogativam non sint consecuti ? Quid vero opus productiori sermone auditoribus molestiam facere ? Quemadmodum enim nata puella, ut auctorem excipias, quod est supremum recepit ; ita hi quoque incomparabilem decoris præstantiam sortiti, parentes universos superant.

Ε'. Τεχθείσης τοίνυν τῆς Θεόπαιδος, ἡ Ἄννα τὰς φυλὰς συνεκαλεῖτο, *Δεῦτε*, λέγουσα, *συγχάρητε τῷ ἐμῷ τόκῳ· δεῦτε, ταῖς ἐμαῖς ὠδῖσι συνευφράνθητε· δεῦτε, θεάσασθε τὴν παρ' ἐλπίδα θηλάζουσαν· δεῦτε, τὴν ἐξ ἀκάρπων λαγόνων ἀναφυεῖσαν ῥᾴδον κατίδετε, καὶ τὴν ἄγονον, κυο-* C *φόρον κατανοήσατε. Συνδράμετε προθύμως, καὶ τὴν ἐν τῷ ναῷ ἄφιξιν προοδοποιήσατε. Κοσμήσατε τὰς ἐπαύλεις· καταφωτίσατε τὰς εἰσόδους· καταφαιδρύνατε λαμπάσι τὰς προόδους. Ἐξάρξατε μετ' εὐφροσύνης. Ἄσατε ἐπιθαλάμιον, καὶ ὡς νύμφην καθαρὰν τῷ ναῷ τὴν παῖδα προσάξατε. Πληρώσατε σὺν ἐμοὶ τὴν εὐχαριστίαν, ὅτι ἐξ οἴκου μου Κύριος ἀφεῖλε τὸ ὄνειδος· ὅτι οὐκ εἰς κενὸν τὰ τῆς ἐλπίδος ἐξέβησαν. Ἰδοὺ τὰ τῶν δεήσεων εἰς ἔργον κατήντησαν· ἰδοὺ τὰ τῆς ἐπαγγελίας τὸ πέρας ἔλαβον· ἰδοὺ τὴν τεχθεῖσαν ὡς ὑπεσχόμην, ἐν οἴκῳ Κυρίου ἀνατίθημι. Δεῦτε, ταύτῃ συνεισέλθετε, καὶ ὡς εὐπρόσδεκτον δῶρημα κοινῇ ταύτην τῷ Δεσπότῃ προσενέγκωμεν.* Οὕτω γὰρ ἡ μήτηρ προθυμίας τόνῳ, τὰ μὲν τῆς ὑποσχέσεως ἐκπληροῦν κατηπείγετο, πρὸς ἀναβολὴν δὲ ἀνθεῖλκεν ὁ τῆς νηπιότητος χρόνος, οὐκ ἐγγυώμενος παραυτίκα τὴν τῶν τεκόντων στέρησιν, ἀλλὰ παραμένειν παρακελευόμενος τὸ τῆς ἡλικίας ἐπιτήδειον. Διὰ τοῦτο τριετίζουσαν ταύτην τῷ ναῷ προσφέρουσι, τὸ τίμιον ὄντως ἀνάθημα, καὶ ἀγγέλοις αἰδέσιμον· τὸ ὑπέρτατον καὶ καθαρώτατον κειμήλιον· ἐν ᾧ οἱ τῆς χάριτος θησαυροὶ ἐναπετέθησαν· ἐν ᾧ τὰ τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἐταμιεύθη ἐνέχυρα· ἐν ᾧ ὁ τῆς οἰκονομίας πλοῦτος ἀπορρήτως ἀπέκειτο· τὸ φωτοδόχον χωρίον, ἐξ οὗ σωτηρίας ἀκτῖνες τῇ οἰκουμένῃ ἐπέλαμψαν. Ἔδει γὰρ καὶ τὸν τρεῖς ἐν αὐτῇ τῇ ἀσπίλῳ τιμηθῆναι ἀριθμόν. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ ἀληθὴς ὑπεμφαίνει λόγος· ἡμᾶς δὲ πρὸς ἑαυτὴν

V. Divina itaque puella edita, Anna tribus convocat : *Venite*, inquit, *congaudete meæ prolis editioni. Venite, meo partui collætemini. Venite, videte insperato lactantem. Venite, virgam ex infecundis lumbis enatam perspicite ; eamque, quæ infecunda* C *erat, considerate fœtam redditam. Alacri concurrite animo, atque in templum eunti præite. Adornate atria : collustrate ingressus : læta lampadum luce processus exhilarate. Auspicamini cum lætitia. Canite epithalamium, puellamque ut mundam sponsam in templum adducite. Una mecum gratiarum actionem implete, quod Dominus opprobrium abstulerit a domo mea : quod spes non in vacuum evaserit. Ecce jam orationes in opus evaserunt. Ecce jam promissiones finem acceperunt. Ecce natam puellam, ut vovi, in domo Domini donarium offero. Venite, una cum illa intrate, ac ceu acceptabile munus, communibus eam studiis, Domino offeramus.* Sic enim mater alacritatis contentione votum implere festinabat : verum retrahebat ac D cogebat ad moras, infantiæ tempus, non ferens ut statim illa parentum cura destitueretur, ac jubens ut opportunior ætas exspectaretur. Quocirca triennem illam templo offerunt, pretiosum revera donarium, ipsisque adeo angelis venerandum : supremum ac mundissimum cimelium, in quo gratiæ thesauri repositi fuerunt ; in quo salutis recondita pignora ; in quo incarnationis divitiæ, arcana ac mirabili ratione depositæ ; luminis illud conceptaculum, ex quo salutis radii, orbi terrarum illuxerunt. Par quippe erat in ipsa quoque intemerata honorari ternarium numerum. Et hæc quidem verus indicat sermo ; nos autem progenitorum ac prophetarum ad se pertrahit cœtus.

ἕλκει τῶν προπατόρων καὶ προφητῶν ἡ ὑμήγυρις.

Digitized by Google

VI. Quia enim *mors ab Adam regnavit usque ad Moysen, etiam in iis qui non peccaverunt* [4]; adeo ut ab illo omnibus dominaretur : regnavit autem prævaricationis multa firmante : idcirco qui in humilitatis tenebris carcere clausi erant, jugem ei supplicationem offerebant, qui appariturus esset iis, *qui in tenebris mortis sederent* [5]. Respiciebant in futurum Redemptorem : libertatem sperabant : atque ii quidem, qui inferni olim carcere tenebantur, eos investigantes qui postea adveniebant, percontabantur, *Numquid de Redemptore intellexisti? Num jam inclinationis suæ in nostrum modum radios in mundo explicavit, qui Dominus, infernis his locis illucere habet? Illuminatio illa exsistentium in tenebris? Sol ille justitiæ? qui Deitatis splendore obscura inferni receptacula eversurus est; quique luce incomparabili, suum ipse figmentum eripiet? Nullumne in mundo ejus incarnationis certum indicium? Fuitne mundissimum ejus productum domicilium, quod olim in spiritu futurum prædicavimus? Estne explicata nubes lucida, jugem illum depluens rorem, quo mœstitiæ æstus exstinguendus est? aquam, inquam, qua mortui debeant reparari ad vitam? Fixane est scala, per quam cœlestium virtutum Rex ad infimum nostrum incolatum descensurus est* [6]? *Sublime positum est candelabrum, quod lampadulam Christum portaturum est? Quid de porta audistis, per quam nullus transiet* [7]? *Per quam solus ille Potens transiens, portas ac vectes inferni confringet; nosque ut Fortis rapiet? Quid didicistis de vero tabernaculo? Illine* [8] *ornatus, varioque opere excultus thalamus? Instructane est mensa, panem ferens vitæ redivivæ? Aureumne paratum altare, in quo desolatorius peccati carbo carne exardens* [9], *suavem nobis resurrectionis odorem efflaturus est? Jamne forceps mystica cusa est* [10]? *Productæ sunt tabulæ Novi Testamenti? Quodnam de his omnibus liquido signum cognitum est? Annuntiate speratam libertatem. Dicite lætitiæ symbolum, necessarium habentibus aliquod solatium.*

A Γ'. Ἐπειδὴ γὰρ ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωϋσέως καὶ ἐπὶ τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας, ὥστε κρατεῖν μὲν ἐξ ἐκείνου πάντων · ἐβασίλευσε δὲ τῷ τῆς παραβάσεως ἐπιτιμίῳ κροτυνόμενος · ἐντεῦθεν οἱ ἐν τῇ σκοτίᾳ τῆς ταπεινότητος καθειργμένοι, ἄπαυστον τὴν ἱκετηρίαν πρὸς τὸν ἐπιφάναι μέλλοντα τοῖς ἐν σκότει τοῦ θανάτου καθημένοις ἐποιοῦντο. Ἀπέβλεπον πρὸς τὸν λυτρωσόμενον · ἤλπιζον τὴν ἐλευθερίαν. Καὶ οἱ μὲν προκατασχεθέντες ἐν τῇ τοῦ ᾅδου φρουρᾷ, τοὺς ὕστερον ἐπιδημοῦντας ἀνηρεύνων, πυνθανόμενοι · Ἆρά τι περὶ τοῦ Λυτρωτοῦ συνήκατε, ἆρα τὰς τῆς συγκαταβάσεως ἀκτῖνας ἐφήπλωσεν ἐν τῷ κόσμῳ, ὁ μέλλων ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς, ἐπιλάμπειν Δεσπότης ; ὁ φωτισμὸς τῶν ἐν σκότει ; ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος ; ὁ τῇ λαμπρότητι τῆς θεότητος τὰ ἀφεγγῆ τοῦ ᾅδου καταστράψων ταμεῖα, καὶ ἐν ἀσυγκρίτῳ φωτὶ τὸ οἰκεῖον ἐξαρπάσων πλάσμα ; Ἔστι τεκμήριόν τι τῆς αὐτοῦ συγκαταβάσεως ἐν τῷ βίῳ; παρήχθη τε καθαρώτατον αὐτοῦ ἐνδιαίτημα, ὃ φθάσαντες ἐν πνεύματι προεκηρύξαμεν; Ἐφήπλωται ἡ φωτεινὴ νεφέλη, ἡ τὴν ἀέρναον ὑετίζουσα δρόσον, τὸν [f. τὴν] τῆς ἀθυμίας τὸν φλογμὸν κατασβέσοντα [f. -σουσαν] ; τὸ τοὺς νενεκρωμένους ζωοποιῆσαι μέλλον ὕδωρ, Ἥρεισται ἡ κλίμαξ, δι' ἧς τῶν οὐρανίων δυνάμεων ὁ Βασιλεὺς πρὸς τὴν κατωτάτην ἡμῶν καταβήσεται παροικίαν; Τέθειται μετέωρος ἡ τὸ λαμπάδιον Χριστὸν κομιοῦσα λυχνία ; Τί περὶ B τῆς ἀδιοδεύτου πύλης ἀκηκόατε ; δι' ἧς ὁ δυνατὸς μόνος ἐπιδημήσας, πύλας καὶ μοχλοὺς τοῦ ᾅδου συντρίψει, καὶ ἡμᾶς ὡς κραταιὸς ἁφαρπάσει, Τί περὶ τῆς σκηνῆς ἐμαθετε τῆς ἀληθινῆς; Κεκόσμηται ταύτῃ καὶ πεποίκιλται ἡ παστάς ; κατεστεύασται ἡ τὸν ἄρτον τῆς ἀναβιώσεως ἡμῶν βαστάζουσα τράπεζα ; Ἆρα τὸ χρυσοῦν ηὐτρέπισται θυσιαστήριον, ἐν ᾧ σαρκικῶς ἁνάψας ὁ δαπανητικὸς τῆς ἁμαρτίας ἄνθρακ, τὴν εὐωδίαν ἡμῖν ἐπιπνεύσει τῆς ἀναστάσεως ; Ἐχαλκεύθη ἤδη ἡ μυστικὴ λαβίς ; Παρήχθησαν αἱ πλάκες τῆς Νέης Διαθήκης ; Τί περὶ τούτων ἁπάντων ἐναργὲς συνέγνωσται σημεῖον ; Καταγγείλατε τὴν ἐλπιζομένην ἐλευθερίαν · εἰπατέ τι σύμβολον εὐθυμίας τοῖς δεομένοις παραμυθίας.

VII. Hæc omnia prophetæ ac justi, jugiter interrogabant; eoque communem ad Redemptorem, supplicationem submittentes : *Inclina, Domine, aiebant, cœlos, et descende. Veni vindictam facturus de tuo figmento. Imple tuæ bonitatis promissa, quæ olim annuntiasti servis tuis. Memento, tu clemens, testamenti* [10a] *quod condidisti. Ecce, Domine, figmentum tuum crudeliter tyrannidi mancipatum est. Mors tuarum manuum opus destruit. Carcere tenemur in terræ locis infimis; in tenebrosis incolæ sumus, ac umbra mortis : tenet tristis inferni tyrannis : mors gloriatur : hostis ille adversarius insurgit : res nostræ, qui tenemur, ad angustias redactæ sunt :*

D Ζ'. Ταῦτα πάντα οἱ προφῆται καὶ δίκαιοι οὐκ ἀπελίμπανον διερωτῶντες. Διὸ κοινὴν τὴν ἱκεσίαν πρὸς τὸν ἐλευθερωτὴν ἀνέπεμπον · Κλῖνον, Κύριε, τοὺς οὐρανοὺς λέγοντες, καὶ κατάβηθι ἐλθὲ τὴν ἐκδίκησιν τοῦ σοῦ ποιησόμενος πλάσματος. Πλήρωσον τὰς ὑποσχέσεις τῆς σῆς ἀγαθότητος, ἃς προκατήγγειλας τοῖς δούλοις σου. Μνήσθητι διαθήκης ἧς διέθου, φιλάνθρωπε. Ἰδοὺ, Δέσποτα, τὸ σὸν ἀπηνῶς τυραννεῖται πλαστούργημα · τὸ τῶν χειρῶν σου ἔργον, ὁ θάνατος καταλυμαίνεται. Καθειρχθημεν ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς · ἐν σκοτεινοῖς καὶ ἐν σκιᾷ θανάτου παρῳκήσαμεν · ἡ ἀμειδὴς τοῦ ᾅδου κρατεῖ τυραννὶς ·

[4] Rom. v, 14. [5] Luc. I, 59. [6] Gen. XXVIII, 12. [7] Ezech. XLIV, 1. [8] Luc. I, 21. [9] Psal. CXIX, 4. [10] Isai. VI, 6. [10a] Judith. IX, 13.

Digitized by Google

ὁ θάνατος ἐγκαυχᾶται· ὁ πολέμιος ἐχθρὸς κατ- A
επτοίηται· ἐν ἀπορίᾳ τὰ τῶν κατεχομένων·
ἐν ὀδύνῃ τὰ τῆς παροικίας. Οὐκ ἔστιν ἄλλη τῆς
ἀπολυτρώσεως ἐλπὶς, πλὴν τῆς παντευσπλάχνου
σου συγκαταβάσεως· ταύτην διψῶσιν ἐγκατά-
κλειστοι ψυχαί· ταύτην ἐλπίζουσιν οἱ αἰώνιοι
δεσμῶται. Παραγενοῦ τοίνυν, Κύριε, τοῦ σοῦ
ποιήματος ἀντιληψόμενος. Ἐξεγέρθητι συγκα-
ταβάσει τοῦ πατρικοῦ σου θρόνου, ὁ παντοχοῦ
παρὼν, καὶ τούτου μὴ ἀπολειπόμενος, καὶ δεῦρο
τῶν καταπονουμένων εἰς βοήθειαν. Ἐλθὲ, ἡ
προσδοκωμένη ἀνάστασις· ἡ ποθουμένη χαρά·
ἡ ἐλπιζομένη ἀναβίωσις· ἡ ἀναψυχὴ καὶ εὐ-
φροσύνη τῶν ἠπορημένων. Λάμψον, Ἥλιε τῆς
δικαιοσύνης τοῖς ἐν σκοτίᾳ θανάτου καθημένοις B
τὰς τῆς σῆς ἀγαθότητος ἀκτῖνας. Ἐπίφανον
τοῖς ἐν σκότει τὴν δόξαν σου. Σύντριψον πύλας
ἀῤῥαγεῖς, καὶ μοχλοὺς αἰωνίους, καὶ τοὺς πε-
πεδημένους ἐξάρπασον. Σύνθλασον τὸ τοῦ θανά-
του κέντρον. Διάῤῥηξον τὴν παμφάγον τοῦ ᾅδου
γαστέρα. Δέσμευσον τὸν ἀντίπαλον. Κατάβαλε
τὰς πολεμίας καὶ ἀντικειμένας σαυτῷ δυνάμεις.
Οἰκτειρον, παράγαθε, τοὺς ἐν δεσμοῖς κατεχο-
μένους. Ἐλέησον πρὸς τὸ τῆς αἰχμαλωσίας
ἀπιδὼν ἀνήλεον. Παρ' ἡμῶν, ὦ Δέσποτα, ἡ τῆς
θνητότητος ἐξεύρηται αἰτία· παρὰ δὲ τῆς σῆς
χρηστότητος ἡ τοῦ ἐλέους ἐλπίζεται ἐλευθερία.
Ἡμεῖς τὸν θάνατον ὠδινήσαμεν· σὺ τὴν ἀνά-
στασιν προκατήγγειλας. Ἡμεῖς θύρας ἐξηνεώ-
ξαμεν· σὺ ταύτην ὡς κραταιὸς ἐμῤῥάξαι καθ-
υπεσχέθης. Παρὰ τῆς φύσεως ἡ ἀπροσεξία, παρὰ C
δὲ σοῦ ἡ φιλανθρωπία. Σὺ, Κύριε, τὴν ἄῤῥητόν
σου συγκατάβασιν ἡμᾶς ἐμυσταγώγησας. Σὺ
τοῖς οἰκέταις σου ταύτην ἐνέπνευσας, ἣν ἐν τῷ
κόσμῳ προεκηρύξαμεν· ἧς τὰ σύμβολα καθυπε-
δείξαμεν, ταύτην δή σε τὸν φιλάνθρωπον ἐξαι-
τούμεθα. Ἀνάστηθι τοίνυν τῆς ταλαιπωρίας
ἕνεκεν τῶν πενήτων σου. Παῤῥουσιάσθητι μετὰ
σαρκὸς, ὁ ἀπερίγραπτος τῇ θεότητι. Περίζωσαι
τὴν ῥομφαίαν σου ἐπὶ τὸν μηρόν σου, δυνατέ. Περι-
βαλοῦ τὸ ἡμέτερον φύραμα ὁ περιβάλλων τὸν οὐ-
ρανὸν ἐν νεφέλαις· δι' οὗ τὴν ἡμετέραν ἐλευθε-
ρίαν ἀπεργάσῃ· δι' οὗ τὸν ἀντίπαλον παραδει-
γματίσεις. Στῆσον τὰ τῶν προῤῥήσεων· δὸς
ταχείας κατιδεῖν τοῖς δεομένοις τὰς ἐκβάσεις. D
Λάβε τὴν εἰς καταλλαγὴν ἡμῶν προορισθεῖσάν
σοι μεσῖτιν. Παράγαγε τὴν ἄσπιλον ἀμνάδα, ἐξ
ἧς τὸ τῆς φύσεως περιβαλλόμενος ἔριον, ὡραιό-
τατος ἡμῖν ὀφθήσῃ τοῖς ἐν τῷ σκότει. Ταύτην
ὑπὸ σοῦ ἐντυπωθέντες ποικίλως ἀνεκηρύξαμεν·
ταύτης ἐνέχυρον ἐλευθερίας τὴν ἐλπίδα κατέχομεν· ταύτην προφητείαις προκατηρτίσαμεν· ταύτην
ἐγκωμίοις κατεποικίλαμεν· τὴν κοσμιότητα τοῦ γένους· τὸ ἐγκαλλώπισμα τῆς φύσεως· τὴν
ἀψευδῆ τῆς ἀναστάσεως ἡμῶν προσδοκίαν· τὸ τῆς δεήσεως ταύτης εὐπαῤῥησιαστον στόμα. Οὕτω
δήπου ἅπαντας δικαίους μεμνημένους ἦν ἰδεῖν, καὶ τὴν σωτήριον ἐπικαλουμένους τοῦ Δεσπότου παρου-
σίαν. Οὐδὲ γὰρ ἄλλη τις κατελείφθη τῆς ἀπολυτρώσεως ἐλπὶς ἢ αὕτη.

in dolore est noster incolatus: nulla alia reliqua manet spes redemptionis, nisi ut tu te nobis, tua illa summa misericordia, inclines: hanc tui inclinationem sitiunt, quæ clausæ tenentur animæ: eam sperant vincti illi æterni [11]. *Veni ergo, Domine, auxiliaturus tuo figmento. Exsurge, benigno descensu ad nos e paterno solio, qui ubique ades, nec eo discessurus es; ac veni, ut eos qui laborant, adjuves. Veni, expectata resurrectio. Veni, gaudium desideratum. Veni, sperata vitæ instauratio: veni, refrigerium ac lætitia defectorum. Illuce, justitiæ Sol, tuæ bonitatis radios, iis qui in tenebris mortis sedent. Ostende gloriam tuam exsistentibus in tenebris. Contere inferni durissimas portas, ac æternos vectes, eosque libera quos ille compeditos habet. Confringe mortis aculeum. Dirumpe omnia devorantem inferni uterum. Hostem alliga; hostiles ac tibi adversarias destrue virtutes. Miserere, summe tu bone, eorum qui tenentur in vinculis. Miserere in crudelem respiciens captivitatem. A nobis quidem, o Domine, adinventa est mortalitatis causa: a tua enimvero bonitate speratur misericordiæ liberatio. Mortem ipsi parturivimus; tu resurrectionem olim annuntiasti. Nos aperuimus portam, tute ut fortis clausurum promisisti. A natura fuit negligentia, a te vero clementia. Tu, Domine, ineffabilem tuam illam in usum nostrum inclinationem nos docuisti. Tu tuis famulis eam inspirasti, eamque nos pridem in mundo prædicavimus. Cujus ostendimus symbola, eam a te benignitate præstandam flagitamus. Exsurge itaque propter miseriam tuorum pauperum* [12]. *Libere age cum carne* [13], *qui incircumscriptus exsistis deitate.* Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime [14]. *Induere nostram massam,* qui operis cœlum nubibus [15], *per quam nos in libertatem asseras; per quam adversarium ignominia traducas. Statue promissa. Da ut supplices, cito eventus aspiciant. Accipe, quam tibi in mediatricem prædestinasti ad reconciliationem nostram. Produc immaculatam agnam, ex qua naturæ lanam induens, speciosissimus nobis, qui in tenebris versamur, appareas. Hanc a te nos informati, varie prædicavimus. Ejus spem, libertatis pignus retinemus. Hanc prophetiis præconcinnavimus. Hanc variis præconiis exornavimus: decorem generis, naturæ gloriationem, veram resurrectionis nostræ expectationem, ejus orationis plenum os libertatis.* Sic videre erat universos justos memorantes, ac Domini salutarem adventum implorantes. Neque enim alia præter eum reliqua est spes ulla redemptionis.

Η'. Τί δ' ἄν τις περὶ τοῦ προπάτορος Ἀδὰμ ἐν-
νοήσειε· πῶς ἀμυθήτους τὰς τῶν ὀδυνῶν αἰτίας ἔχων,

VIII. Quid vero quis de primo parente Adamo cogitaverit? Ut dolorum causas majores habens,

[11] Thren. III, 34. [12] Psal. XI, 6. [13] Psal. XCIII, 1. [14] Psal. XLIV, 4. [15] Psal. CXLVI, 8.

Digitized by Google

quam ut consolationem admitterent, luctum lugeret inconsolabilem? Nedum enim deceptionis sensus, exsiliique damnatio, amissio item gratiæ, atque ab ineffabili illo honore abruptum, majestatis divinæ reatum incurrisse, triste illi ac amarum sæculum faciebant; verum etiam cum sanctorum chorum pari secum ergastulo detentum videret, causamque detentionis ac carceris sibi ipsi hærere perspiceret, quidnam, rogo; patiebatur? Quidnam sustinebat doloris? Quosnam gemitus edebat? Quanam mœstitia tenebatur? Quis vero ejus in specie ejulatus, stylo complecti queat? lamenta pro transgressione; mœrorem pro damnatione; tristitiam pro mortis pœna? jugem conscientiæ judicem, quem severe admodum ac dure generis causa condemnantem prospiceret? nec enim grave adeo quis habeat, ut solus ipse, pro iis quæ peccavit, pœnas luat, atque ut alios etiam in easdem, sua ipsius temeritate conjectos intelligat. Nam sibi quidem pœnæ causam ascribens, solatii aliquid congrua ratione percipiat: pro eo autem ut aliis, qui innoxii videantur, ejusdem secum pœnæ auctor exstiterit, quam demum consolationem inveniat? Sic sane et primus parens, non solum suam ipse deplorabat miseriam, verum etiam pro universo genere discruciabatur, tantoque amplius quam pro seipso, quo seipse, primitias, quibus mortis sententia ingressa esset, considerabat. Quid vero operæ pretium hunc ejus dolorem in lamentationum argumentum adlegere, antiqua nænia, omnem luctus materiam superante? Ut quis enim tristes illas lamentationes sub obtutum velit adducere, quas ille nuper paradiso ejectus lugubri planctu prosecutus est, rem inveniet omni majorem consolatione. Quid enim non dixit? Quem non planctum egit? Quam non pauxit lamentationem? Ejusmodi forte gemitibus verba commiscens, lugubriter acclamabat dicens:

IX. *O quam felici vitæ statu miseriam commutavi! Quali sum addictus exsilio! O malum illud profanumque consilium, quod deceptionem ac fraudem texuit; quod lethale virus meis auribus immisit! O livoris plenam, ac invidentiæ perversitatem, quæ exitiosum nuntium attulit! O mulier, quomodo acutum in nos gladium inferens, non intellexisti? Quomodo non perspexisti ferre te in lingua mortem? Utquid malum hoc excogitasti? Heu me! Quam receperam adjutricem, insidiatricem inveni. Quam in bonis auxiliaturam sperabam, contrariorum auctricem perspicio. Membrum meum, exitiale telum: Quæ matrimonii jure juncta fueras in adjutorium, una expellendi consilium iniisti. Utquid enim serpenti credidisti? Quamobrem vero relicto tuo capite, vaga, ac interitum asciscens circumisti? Quare subditorum cessisti consilio? Præfecti eramus ut animantibus brutis imperaremus, non earum jussi imperio parere: ut earum potiremur dominio, non ut illæ nostro. O deprecandam ac tristem mutationem! Qui imperii dignitate honestatus eram, subditis inhonoratior exsisto. Qui regiam vestestatem in-*

ἀπαρηγόρητον εἶχε καὶ τὸ πένθος. Οὐ γὰρ δὴ μόνον ἡ τῆς παραφάσεως; συναίσθησις, καὶ ἡ τῆς ἀποικίας καταδίκη· τό τε γυμνωθῆναι τῆς χάριτος, καὶ τῆς ἀφάτου τιμῆς ἀποῤῥαγῆναι, καὶ εἰς τὸ τῆς θνητότητος καταπεσεῖν ἐπιτίμιον, ἐπώδυνον αὐτῷ τὸν αἰῶνα διετίθει· ἀλλὰ καὶ τὸν χορὸν τῶν ἁγίων ἐνορῶν συγκαθειρχθέντα, καὶ τὴν αἰτίαν τῆς καθείρξεως ἑαυτῷ περιαπτομένην ἐνορῶν, τί ἄρ' ἔπασχεν; ὅσην τὴν ὀδύνην ὑπέμενεν; οἵας τὰς οἰμωγὰς ἀνέπεμπε; τίνα τὴν ἀθυμίαν εἶχε; Καὶ τίς ἂν τὰς αὐτοῦ κατ' εἶδος περιγράψαι δυνηθείη ὀλοφύρσεις; τὸν τῆς παρακοῆς θρῆνον· τὰς τῆς καταδίκης ἀνίας· τὸ λυπηρὸν τῆς τοῦ θανάτου τιμωρίας· τὸν διηνεκῆ τοῦ συνειδότος δικαστὴν, ὃν διὰ τὸ γένος ἅπαν χαλεπῶς καταδικάζοντα προώρᾶτο. [Οὐ γὰρ οὕτω δεινὸν ἡγεῖταί τις, ὁπόταν μὲν αὐτὸς τῶν οἰκείων ἁμαρτημάτων δίκην δίδωσιν, ὡς ἡνίκα ταῖς αὐτοῦ συμπάσχοντας ἀβουλίαις, καὶ ἑτέρους κατανοοῖτο. Ἑαυτῷ μὲν γὰρ εἰκότως ἂν ἐπιγράφων τὴν αἰτίαν τῆς τιμωρίας, εὔλογον παρηγορηθήσεται· περὶ ὧν δὲ ἀφορμὴ καθίσταται τοῦ συμπάσχειν ἑτέρους ἀνευθύνους εἶναι δοκοῦντας, τίνα τὴν παραμυθίαν εὑρήσει; Οὕτω δὴ καὶ ὁ προπάτωρ ἡμῶν, οὐ μόνον τὴν οἰκείαν κατωλοφύρετο ταλαιπωρίαν, ἀλλὰ, καὶ ὑπὲρ παντὸς ὠδυνᾶτο τοῦ γένους, καὶ μᾶλλον ἢ περὶ ἑαυτοῦ, ὅσον ἀπαρχὴν ἑαυτὸν τῆς τοῦ θανάτου κατενόει εἰσόδου τῆς ψήφου. Καὶ τί δεῖ τὴν αὐτοῦ ταύτην ὀδύνην εἰς θρήνων ἀφορμὴν καταλέγειν, παντὸς ὑπόθεσιν πένθους, τὴν πρώην μονῳδίας ὑπερβαινούσης; Εἰ γάρ τις τὰς ἐλεεινολογίας ἐκείνας ἐπ' ὄψιν ἀγαγεῖν βουληθείη, ἃς ἔναγχος ἐκβεβλημένος ἐτραγῴδησε τοῦ παραδείσου, εὑρήσει τὸ λεγόμενον ἀπαραμύθητον. Τί γὰρ οὐκ ἂν εἶπε; τίνα κοπετὸν οὐκ ἐκόψατο; τίνα θρηνῳδίαν οὐκ ἔπλεξε; τάχα τοιούτους ταῖς οἰμωγαῖς ἀναμίξας τοὺς λόγους, ὀδυνηρῶς ἐπεβόα,

Θ'. Ὢ οἵας της μακαρίας διαγωγῆς, τὴν ταλαιπωρίαν ἀντηλλαξάμην! οἵαν τὴν παροικίαν κατεδικάσθην! Ὢ πονηρᾶς ἐκείνης καὶ ἀνοσίου συμβουλῆς! Ἧτις τὴν ἀπάτην συνέπλεξεν· ἥτις τὸν θανατηφόρον ἰὸν ἐν τοῖς ἐμοῖς ἐκαφῆκεν ὠσίν! Ὢ φθονερᾶς καὶ μισοκάλου σκαιωρίας τῆς τὴν ὄλεθρίαν κομισάσης ἀγγελίαν! Ὢ γύναι, πῶς τὸ καθ' ἡμῶν ἠκονημένον ἐπιφέρουσα ξίφος οὐ κατενόεις; πῶς ἐν γλώττῃ τὸν θάνατον οὐ συνεώρας βαστάζουσα; Τί τὸ χαλεπὸν τοῦτο ἐποίησας; Οἴμοι! ἦν βοηθὸν ἐδεξάμην, ταύτην ἐπίβουλον εὗρον· ἦν συνεργὸν ἠλπιζον ἐν τοῖς καλοῖς, ταύτην τῶν ἐναντίων πρόξενον κατανοῶ. Τὸ ἐμὸν μέλος, ἀναιρετικὸν βέλος. Ἡ εἰς βοήθειαν συνεζευγμένη, συνωθεῖν ἐμελέτησας. Τί γὰρ τῷ ὄφει ἐπείθου; τί δὲ τὴν σὴν ἐγκαταλείψασα κεφαλὴν, περιῆγες πλανωμένη, καὶ τὸν ὄλεθρον ἐπεισάγουσα; διατί τῇ τῶν ὑποχειρίων ὑπείξας συμβουλῇ; Ἄρχειν τούτων ἐτέθημεν, μὴ ἄρχεσθαι ὑπ' αὐτῶν προσετάγημεν· βασιλεύειν αὐτῶν· μὴ γὰρ βασιλεύεσθαι ὑπ' αὐτῶν. Ὢ τῆς ἀπευκταίας μεταβολῆς! Ὁ τῷ τῆς ἀρχῆς

Digitized by Google

τετιμημένος ἀξιώματι, τῶν ἀρχομένων ἀτιμότερος. Ὁ τὴν βασίλειον περιβαλλόμενος ἐξουσίαν, τοὺς δερματίνους περιβέβλημαι χιτῶνας. Ὁ καθάπερ πορφυρίδι τῇ τοῦ κατ' εἰκόνα σεμνυνόμενος ὡραιότητι, τῇ αἰσχύνῃ καλύπτομαι τῆς παρακοῆς. Ὦ πικρῶν ῥημάτων τῶν διακοπησαμένων φθόγῳ! Ὦ βασκανίας τῆς τοσαύτην ἀποσυλησάσης δόξαν, τῆς τὴν ἐμὴν εὐπρέπειαν περιελούσης! Ὁ ἐν παραδείσῳ διαιτώμενος, ἐν ἐργασίᾳ ταλαιπωροῦμαι. Ὁ παῤῥησίας ἀπολαύων, ἐν κατηφείᾳ διατελῶ. Τί πέπονθα, ὁ περίβλεπτος τῇ κτίσει, πολυθρήνητος ταύτῃ; πῶς κατ' ἐμαυτοῦ τὸ ξίφος ὤθησα; πῶς οἰκείᾳ δεξιᾷ τὸν θάνατον ἀπεσπασάμην [*f.* ἐπεσ.]; Ὦ τῆς τοῦ φθόνου φονικῆς ἐπηρείας! Ὦ ἀνελπίστου μεταβολῆς! Ἐκ τοῦ ὑπερβάλλοντος πλούτου εἰς ὑπεραλγουσαν κατηνέχθην πενίαν· ἐκ βασιλείας εἰς ἰδιωτείαν. Ὁ ὑψηλὸς τοῖς ὑποτεταγμένοις, ταπεινότερος ἁπάντων· ὁ φοβερὸς, περίφοβος· ἄδοξος ὁ ἐν εὐδοξίᾳ. Περίστη μοι νῦν ἡ τῆς τρυφῆς ἀπόλαυσις εἰς πολύμοχθον ἐργασίαν, καὶ ὁ τῇ χάριτι κιαιρόμενος, ἰδρῶτι περιῤῥέομαι· ὁ τῇ δόξῃ ἐστολισμένος, γυμνός· ἄτιμος, ὁ τετιμημένος· ἐξάριστος ὁ βασιλεύς. Ποῦ ποτε ἦς, ἡ μακαρία διαγωγή; ποῦ ἡ ἀνώλεθρος τρυφή; ποῦ ἡ ἀνώδυνος διατριβή; πῶς τὸν σὸν ἀπεσυλήθης φύλακα, ὦ παράδεισε θεῖε, καὶ χῶρος ἅγιος, καὶ ποθεινὴ ἀπόλαυσις; Δεῦρό μοι τὸν θρῆνον συνεπαίσασθε. Συμπένθησον, ἡ ἐπίγειος ἅπασα κτίσις, ὅτι τὸν σὸν ἀφῄρησαι στέφανον· ὅτι δόλῳ τὸν βασιλέα σου ὁ τύραννος ἐχειρώσατο· ἀπάτῃ τὴν ἀρχικὴν ὁ λῃστὴς ἀπεξέδυσεν ὡραιότητα. Κύριε, Κύριε, δίκαιος εἶ, καὶ οἰκτιρμονικώτατόν ἐστι τὸ κρῖμά σου τοῦτο, ὡς πολλῇ συγκεκραμένον φιλανθρωπίᾳ. Οὐ γὰρ τὴν κατ' ἀξίαν ἐγὼ δίκην εἰσπράττομαι· οὐδὲ πολὺ τῶν ὀφειλομένων ἀποδέουσαν. Ἄπειρον περὶ ἐμὲ τὸν ἐπταικότα τὴν κηδεμονίαν ἐπεδείξω.

Ι'. Ἔδει οὖν, ὦ Δέσποτα, μὴ μόνον ταύτῃ με τῇ ἀποικίᾳ καταδικασθῆναι, ἀλλὰ καὶ ἐκ προσώπου πάσης τῆς γῆς εὐθὺς ἀφανισθῆναι τῷ προσήκοντι λόγῳ. Δι' ἀγαθότητα γὰρ μόνην ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναί με παρήγαγες. Ὑπὲρ πᾶσαν τὴν ἐπίγειον ἐτίμησας κτίσιν. Ψυχὴν μοι νεαρὰν ἐδημιούργησας. Λόγῳ προέκρινας· σοφίᾳ κατεκόσμησας· καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τούτων ἁπάντων εἰς ἀπολογίαν ἔχοντι προβάλλεσθαι, μειζόνως σὺ τὰς δωρεὰς ἐπηύξησας. Κατ' εἰκόνα σὴν καὶ ὁμοίωσιν κατεσκεύασας. Ἄρχοντα καὶ βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς ἀνεκήρυξας. Πάντα τῇ χειρί μου καθυπέταξας, καὶ τῇ αὐτεξουσιότητι τὴν τῶν πρακτέων ἐκλογὴν ἐγκατέλιπες. Τῶν ἀπείρων τοίνυν τούτων ἀγαθῶν, καὶ τῆς ἀφάτου κηδεμονίας ἀμνημονήσας ἐγὼ, τὸ ἀνεπαχθὲς τῆς ἐντολῆς σου παρέβην· ἀγνώμων περὶ σὲ τὸν εὐεργέτην ἐγενόμην· παρήκουσα τοῦ σωτηρίου νόμου· ἐμαυτοῦ τὸν ὄλεθρον περιεποιησάμην, καὶ διὰ τοῦτο κατ' ἐμαυτοῦ τὴν ψῆφον ἐξάγω· κατ' ἐμαυτοῦ τὴν ἀποτομίαν ἀποφαίνομαι. Μεῖζον τὸ

A dutus eram, pelliceas tunicas indui. Qui velut purpura imaginis decore honestabar, inobedientiæ pudore operior. O amara verba, quæ invidiæ servierunt! O livorem, ingentem adeo gloriam prædatum; quique decorem abstulit meum! Qui vitam in paradiso agebam, operando ærumnis conficior. Qui libertate potiebar, tristis ac confusus ago. Quid mihi hoc accidit! Qui creatis, ac naturæ spectabilis, eidem impendio lamentabilis. Quomodo in me ipse impuli gladium? Quomodo mea ipse manu mortem mihi ascivi? O invidiæ crudelem noxam! O insperatam mutationem! Ab exuperantibus divitiis, in extremam dejectus sum paupertatem; a regni statu, ad privatam sortem. Ille ego sublimis, subjectis omnibus humilior sum; terribilis ille, meticulosus; inglorius, B qui præclare gloria clarus eram. Nunc mihi voluptas atque deliciæ, in molestum operis laborem cesserunt; quique gratia impinguatus eram, undequaque lacrymis diffluo. Qui gloria indutus, nudus ago. Sine gloria, qui honore auctus; exsul, qui regno potiebar. Ubinam tandem es, o beata vita? Ubi voluptas immortalis? Ubi demoratio doloris expers? Quomodo tuus tibi custos ablatus est, ὁ paradise divine, sanctaque regio ac possessio desiderabilis? Venite, una mecum luctum conferte. Pariter deplora universa terra quod tuam coronam amiseris; quod tyrannus regem tuum dolo devicerit; quod latro eum, fraude, originali decore exuerit. Domine, Domine. justus es, et misericordia maxima plenum judicium istud tuum, tanquam C clementia multa contemperatum. Nec enim pro meritorum ratione ego punior: non quas par esset pœnas luo, sed quæ multum absint, ut æquis rationibus meritis respondeant. Immensam enim misericordiam judicio temperasti. Summam quamdam mei curam, qui Deum offenderam, egisti.

X. Oportebat ergo, o Domine, ut nedum exsilio hoc damnarer, verum etiam ut statim a facie universæ terræ exterminarer, justa quidem ratione. Sola enim bonitate ex nihilo produxeras; terrestri omni natura amplioribus honoribus auxeras; ani- D mam intellectus facultate præditam mihi creaveras; rationis privilegio donaveras; sapientia perornaveras: cumque nihil suppeteret, quod pro iis defensionis titulo proferre possem, majorem tu in modum munera auxeras. Ad imaginem tuam et similitudinem feceras; principem ac regem, eorum quæ sunt super terram, creaveras; omnia mihi in manu subjeceras, liberoque arbitrio agendorum electionem reliqueras. Immensorum itaque horum bonorum immemor ego, mandatum nihil grave transgressus sum. Factus sum in te beneficum, ingratus: inobediens fui salutari tuæ legi. Mihi ipsi interitum conscivi, eoque adversus me ipse sententiam profero. Adversum me judicium durum pronuntio. Majus est peccatum meum retributione. Deficiunt pœnæ a condigna, ac quæ par esset, ultione. Exsuperanter enim scaturit

Digitized by Google

tua misericordia, Domine, ac supereffluunt clementiæ ac benignitatis diritiæ.

XI. Talia forte primus ille generis parens proloquebatur, sicque, ut videtur, ejulatibus habebat: quin multo plura, ac si qua doloris magnitudo cogebat, ea promebat. Verum conversa est tristitia in lætitiam, plenaque doloris mœstitia, in pristinam cessit jucunditatem. Siluerunt gemitus, apparuitque laudatio in gratiarum actionem effusa. Venit namque exsultatio. Illuxit gaudium. Nam pignora quidem proposita sunt, sponsaque innupta prælecta. Productum est atque paratum hodierna die palatium. O præsentis lætitiæ gratiam! O diei hodiernæ jucunditatem! Quam claris gratiæ radiis varie illustratur! Quam sol eximie pulchros ostendit roseos radios, ac limpidissimo in terram inspexit lumine, cum solis justitiæ ferculum structum est! Quam mundo lætissima luce collustratum est cœlum, glorioso illo ac capaciori adveniente Cœlo! Quam nubes lætitiam stillabant, cum imbris illius vitalis nubes, orbis finibus explicaretur! Quam sanctus locus, ac gloriosi lares, ubi edita est Dei sanctificatio! ubi domus gloria fundata, ubi præsanctum ac incomprehensibile templum exstructum est! Quam divinum tunc libertatis pignus accepit terra, desiderabilem illam ac sanctam terram, mundi instaurationis causam, per quam spinarum diris liberata, benedictionis fructus edidit! Beata domus, quæ spiritale tabernaculum produxit! Ter beatum parentum decus, qui illam, quæ sola est gloriosa, sint gloriam sortiti! Honorabilis contribulium in genealogia assumptorum nuncupatio; divino afflatu dictæ diei hujus prophetiæ. Gloriosa partus indicia. Desiderabiles fasciæ, quæ regalem susceperunt purpuram. Benedictæ manus, quæ universorum contrectaverunt Reginam. Quam pulchra tunc nostræ salutis surgentia symbola! Quam tunc creatura, ineffabili replebatur lætitia! Exsultabant angelorum chori. Sancta sanctorum ad eam suscipiendam parabantur, quæ sola sanctificatio exsistit.

A

B

C

ἁμάρτημα τῆς ἀνταποδόσεως. Ἐπιλείπουσιν αἱ τιμωρίαι τῆς προσηκούσης κατα δίκης. Ὑπερβλύζει γὰρ τὸ σὸν ἔλεος, Κύριε, καὶ ὁ τῆς φιλανθρωπίας ὑπερχεῖται πλοῦτος.

ΙΑ'. Τοσαῦτα τυχὸν κατολοφυρόμενον λέγειν εἰκὸς τὸν προπάτορα· μᾶλλον δὲ πολλαπλασίονα, ὅσα προάγειν τῷ τοῦ πάθους κατηνάγκαζε μέγεθος. Ἀλλ' ἐπανῆλθεν ἡ λύπη πρὸς εὐφροσύνην, καὶ ἡ κατώδυνος ἀθυμία, εἰς τὴν πάλαι μετεποιήθη εὐθυμίαν. Κατεσιγάσθησαν οἱ στεναγμοὶ, καὶ τῆς εὐχαριστίας ἀναφαίνεται δοξολογία. Ἦλθε γὰρ ἡ ἀγαλλίασις· ἐπέλαμψεν ἡ χαρά. Καὶ γὰρ τὰ μὲν ἐνέχυρα προτέθειται, καὶ ἡ ἀνύμφευτος προκέκριται νύμφη· τό τε παλάτιον παρῆκται, καὶ εὐτρέπισται σήμερον. Ὦ χάριτος τῆς νῦν εὐφροσύνης! Ὦ φαιδρότητος τῆς παρούσης ἡμέρας! Ὡς διαυγέσι ταῖς τῆς χάριτος ἀκτῖσι καταποικίλλεται! Ὡς ὑπερφαεῖς αἱ ὧραι, ἐν αἷς ἡμῖν ἡ τοῦ φωτὸς ἀνέτειλε νεφέλη! Ὡς ὑπερωραῖα ῥοδοειδῆ καθυπέδειξε κάλλη ὁ ἥλιος, καὶ φανοτάτῳ τῇ ὑπ' οὐρανὸν διέκυψε φωτὶ, ἡνίκα, τὸ τῆς δικαιοσύνης τοῦ Ἡλίου ὄχημα κατεσκευάσθη! Ὦ; φαιδροτάτῳ κόσμῳ ὁ οὐρανὸς περιελάμπετο, τοῦ δεδοξασμένου, καὶ εὐρυχωροτέρου παραγενομένου οὐρανοῦ! Ὡς εὐφροσύνην αἱ νεφέλαι κατέῤῥαινον, ὅτε ἡ νεφέλη τοῦ ζωπαρόχου [*f.* ζωοπαρ.] ὑετοῦ τοῖς πέρασιν ἐφηπλοῦτο! Ὡς ἡγιασμένος ὁ τόπος, καὶ δεδοξασμένη ἡ ἑστία, ἔνθα τὸ τοῦ Θεοῦ ἀπεκυήθη ἁγίασμα· ἔνθα ὁ οἶκος ἐθεμελίωσε τὴν δόξαν· ἔνθα ὁ ὑπεράγιος καὶ ἀκατάληπτος ᾠκοδομήθη ναός! Ὡς ἀῤῥαβῶνα θεῖον τῆς ἐλευθερίας ἡ γῆ τότε τὴν ἐπιθυμητὴν καὶ ἁγίαν ὑπεδέξατο γῆν, τὴν τοῦ καινισμοῦ τῆς κτίσεως αἰτίαν, δι' ἧς τῆς ἀκανθώδους ἀρᾶς ἀπηλλάγη, καὶ εὐλογίας καρποὺς προενήνοχε! Μακάριος ὁ οἶκος ὁ τὴν νοητὴν προσάξας σκηνήν! Τρισμακάριον τὸ τῶν τεκόντων κλέος, ὡς τὴν μόνην δεδοξασμένην κληρωσαμένων δόξαν! Τετιμημένη τῶν γενεαλογουμένων συμφυλετῶν ἡ προσηγορία· θεόπνευστοι τῆς παρούσης ἡμέρας αἱ προῤῥήσεις. Δεδοξασμένα τὰ τοῦ τόκου μηνύματα. Πεποθημένα σπάργανα τὰ τὴν βασιλικὴν δεξάμενα πορφύραν. Εὐλογημέναι αἱ χεῖρες, αἱ τῆς τῶν ὅλων προσψαύσασαι βασιλίδος. Ὡς λαμπρὰ τηνικαῦτα τὰ τῆς σωτηρίας ἡμῶν διανίσχοντα σύμβολα! ὡς ἀνεκλαλήτου τότε ἡ κτίσις ἐπληροῦτο τῆς εὐφροσύνης. Αἱ τῶν ἀγγέλων ἠγαλλιάσαντο χορεῖαι· τὰ τῶν ἁγίων Ἅγια πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ μόνου ἁγιάσματος ἐξηυτρεπίζοντο.

XII. Omnia ergo tunc exsultabant editæ prolis gaudio; verum modo supereffluit facta tunc gratia. Superabundat lætantium jugis jucunditas. Abundantius exundant perennis gaudii flumina, totamque terram in orbem gyrantia, inexhaustam restagnant gratiam. Aperta enim est bonorum abyssus, ac pro hujus fluentorum ratione, gratas pariter scaturigines influit. Nunc derivantur naturæ rivi divites misericordiæ. Copiosam virtutum segetem, rationales valles fructificant. Nunc aperiuntur inviolabiles thesauri. Nunc regni panduntur portæ. Nunc una ratione præditorum digna illa agitur chorea. Modo terrenis conserta sunt cœlestia. Nunc pariter exsultant angelorum ordines. Nunc intel-

D

ΙΒ'. Πάντα τοιγαροῦν ἐπαγάλλετο τῇ κυηθείσῃ τότε· ἀλλ' ὑπερεκχεῖται νῦν ἡ τότε χάρις. Ὑπερπλεονάζει τῶν εὐφραινομένων ἡ ἀδιάδοχος θυμηδία. Ὑπερεκβλύζουσι τῆς ἀενάου χαρᾶς οἱ ποταμοὶ, καὶ κύκλῳ πᾶσαν τὴν ὑπ' οὐρανὸν περιθέοντες, πλημμύρουσιν τὴν ἀνεξάντλητον χάριν. Διηνοίγη γὰρ ἡ τῶν ἀγαθῶν ἄβυσσος, καὶ ταῖς ταύτης ἀναλόγως προχοαῖς τοὺς κεχαρισμένους συνεπιῤῥέει κρουνούς. Ὀχετηγεῖται νῦν τῇ κτίσει τοῦ ἐλέους ὁ πλοῦτος. Καρποφοροῦσι τὴν τῶν ἀρετῶν ἀφθονίαν αἱ λογικαὶ κοιλάδες. Νῦν οἱ ἀσύλητοι διανοίγονται θησαυροί. Νῦν αἱ τῆς βασιλείας ἀναπετάννυνται πύλαι. Νῦν μία τῶν λογικῶν ἀξία συγκροτεῖται χοροστασία. Ἄρτι τοῖς ἐπιγείοις τὰ οὐράνια συνήρμοσται. Νῦν

Digitized by Google

ἀγγελικαὶ συνεπαγάλλονται τάξεις. Νῦν αἱ νοεραὶ φύσεις τῇ μεθ' ἡμῶν συγχορεύουσι δόξῃ. Οὐρανὸν γὰρ τὸν σὸν ναὸν καὶ τὰ ἐν αὐτῷ τελούμενα οὐράνια κατανοοῦσι. Συνείρουσιν ἡμῖν τὰ εἰς Θεὸν εὐχαριστήρια. Τοὺς σοὺς τοῖς ὑμνηταῖς συνεξάδουσιν ἐπαίνους. Τῇ ὑπερφώτῳ σου συναστράπτουσι φαιδρότητι, καὶ τὸ τερπνὸν τοῦ νοητοῦ φωτὸς τῇ νοητῇ ἀπαστράπτουσιν αἴγλῃ. Ἀλλὰ πρὸς τὴν τῆς ἀποκυήσεως ἡμᾶς ὁ λόγος ἐκκαλεῖται χαράν, καὶ τῇ κυούσῃ συνεπαγάλλεσθαι, καὶ συμπανηγυρίζειν προτρέπεται. Οὕτω γοῦν ἡ δικαιοτάτη τῶν μητέρων Ἄννα τὴν ἀσύγκριτον ἀποκυήσασα μητέρα, πρός τε τὴν οἰκείαν ἅπαντας συγκαλουμένη χαράν, ἀπὸ τῆς ἀνωτάτω καὶ νοερᾶς ἄρχεται μετακλήσεως.

ΙΓ'-ΙΔ'. *Δεῦρο τῶν ἀσωμάτων ἐπιδημήσασα, φησὶ, χοροστασία, ἁρμόδιον σὺν ἐμοὶ τὴν πρὸς τὸν κοινὸν Δεσπότην ἀπήχει δοξολογίαν. Ἄγε τῆς ἐμῆς καρποφορίας κήρυκες, τὴν ὑπὲρ ταύτης τῷ δεδωκότι διαπορθμεύσατε εὐχαριστίαν. Δεῦρο τοῦ γένους ἀρχηγέτα, εἴ τίς ἐστιν αἴσθησις ἀνακαλούμενος, πρὸς τὴν κοινὴν παραγενοῦ θυμηδίαν· ἤ καὶ τὰ τῆς προελπισθείσης ἀνακλήσεως κατανόησον ἐνέχυρα· τὸ τῆς ἀρᾶς τοῦ δεσμοῦ λυτήριον· τὸ τῆς ἀϊδίου χαρᾶς προοίμιον· τὴν τῆς μωρᾶς [Lego μακρᾶς] καταδίκης ἐλευθερίαν. Ἥκε τῆς τῶν ὠδίνων ὀδυνηρᾶς ἀπαλλαγῆς τὰ σύμβολα κομισομένη, προμῆτορ. Δεῦρο, τῶν τῆς λύπης διαῤῥηχθέντων χειρογράφων τὰ εὐαγγέλια προκομίζου. Ἡ τῶν προπατόρων καὶ δικαίων παρέστω χορεία, καὶ τὴν τῆς ἐκβάσεως ἀρχὴν τῶν ἐν ἐλπίσιν ἀγαθῶν κατανοείτω. Ἄγε, τῶν προφητῶν ἡ διαπρύσιος συμφωνία, τῆς τῶν χρησμῳδηθέντων ἐπαγγελίας τὸ πέρας ἤδη καταβαλλόμενον θέασαι· τὰς προῤῥήσεις ἐπ' εὐθὺ προϊούσας· τοὺς τύπους εἰς ἀλήθειαν, καὶ τὰ αἰνίγματα εἰς πράγματα μετακήρυττε. Δεῦρο, προπάτορ Δαβίδ, τῇ ἐκ σῆς ὀσφύος ἀναδεδομένῃ συνεπαγάλλου, ἀδρυνομένῃ· τὸ βασίλειον ἐκ βασιλικῆς ἀνεβλάστησε στέλεχος. Αἱ ἀψευδεῖς ὁρκωμοσίαι τὸ πέρας εἰσδέχονται· ὁ βασιλικώτατος προτέθειται θρόνος. Τὸ ἀκατάλυτον τεθεμελίωται παλάτιον. Ἡ βασιλὶς καὶ θυγάτηρ, τὴν ἀκοὴν ὑποθεῖσα, τὴν πατρῴας ἐπαΐουσά σου φωνῆς, ὑπεράνω τῆς φυσικῆς ἀνάγκης ἀνήρτησεν ἑαυτήν. Οὐ δεσμεῖται τῷ πατρῴῳ νόμῳ, πρὸς τὴν τῶν τεκόντων συμπάθειαν. Ἐπιλανθάνεται τῶν ἀνθρωπίνων, καὶ ἐν τοῖς αὐτῶν ἰδίοις τελοῦσα. Τῷ τοῦ βασιλέως καθαρωτάτῳ συνδέδεται πόθῳ. Πρὸς τὴν αὐτοῦ ἐπιθυμίαν τὰ οἰκεῖα τῆς καθαρότητος ἠτρέπισε κάλλη. Ἐπιποθεῖ ταῦτα ὁ βασιλεύς. Ἐπιτέρπεται ταῖς τῆς ἁγνείας ὡραιότησιν· ἐραστὴς γὰρ τῆς ἀθίτου καθέστηκεν καθαρότητος ὡραιότητος. Καὶ γὰρ ταύτης μᾶλλον ἐρᾷ μόνης, ὡς τῷ ἀκροτάτῳ ἐκείνης κεκοσμημένης. Λιτανευέτωσαν οἱ ἐν θεοπτίαις πλούσιοι τὸ αὐτῆς ἐπιπόθητον πρόσωπον. Τὴν ἐναπόθετον αὐτῆς διανυμνείτωσαν δόξαν. Τὸν ἀπερρήτως ἐν*

lectrices naturæ comminui nobiscum gloria tripudiant. Templum enim templum, cœlum habent, ac quæ in eo celebrantur, cœlestia reputant. Gratiarum in Deum actiones nobiscum conserunt. Tuas laudes una cum laudantibus concinunt. Vincenti lucem læto tuo splendore pariter refulgent; luciſque spiritalis dulcedinem, spiritali micatu effulgent. Enimvero, nos sermo ad nativitatis gaudium evocat, utque cum puerpera pariter exsultemus, ac festum agamus diem, admonet. Sic ergo omnibus matribus justitiæ laude prælata Anna, quæ matrem edidit universis incomparabilem, universos ad gaudii sui communionem invitans, a supernis ac spiritalibus invitationem inchoat.

XIII-XIV. *Venite, accedite, spiritalium sacrati chori; concinnamque mecum communi Domino resonate laudationem. Eia vos, mei partus præcones, gratiarum pro eo actiones datori afferte. Veni, dux generis, si quis sensus est, revocans excitansque, communi intersis jucunditati: eaque olim speratæ reparationis perspice pignora: vinculum maledictionis solutum: sempiterni gaudii exordium: concessam a longa maledictione liberationem. Veni, prima parens, dolorum partus sublatorum symbola referens: Adesdum, dirupti tristitiæ chirographi fausti nuntium, prior recipe. Adesto, proavorum ac justorum choreu, primosque bonorum in spe positorum eventus intelliges. Ades, prophetarum clara consensio; oraculis editarum promissionum jactum jam fundamento finem aspice; prædictiones recta procedentes: figuras in veritatem, ac ænigmata in res conversa, prædica. Veni, parens David, cum ea exsulta, quæ de tuis lumbis magnifica prodiit. Regalis ex regali stipite surculus germinavit. Vera juramenta finem accipiunt. Summe regalis productus est thronus. Palatii insolubilis fundamenta jacta sunt. Regina, filiaque aurem inclinans* [16] *ac paternam tuam audiens vocem, naturæ se necessitate superiorem effecit. Haudquaquam paternæ alligata est legi, ut sæculi hujus rebus afficiatur. Obliviscitur humana, tametsi in iis agat quæ sunt hominum propria. Devincta est mundissimo Regi, desiderio. Ad ejus cupiditatem sua ipsius puritatis decora comparavit. Hæc Rex concupiscit. Delectatur castitatis pulchritudine: illibatæ namque puritatis amator est. Unam quippe illam universis impensius amat, tanquam summa illa ornatam. Deprecentur in divinis visionibus divites cultum ejus desiderabilem. Internam ejus dilaudent gloriam. Arcana ratione in ea occultum mundum magnificent. Deauratis Spiritus illustrationibus variegatam stolam honori habeant. Externam illi adjacentem virtutum gratiam stupeant. Præparate futuras ei comites virgines. Faces gestantem præaptate chorum. Sanctorum omnium Reginæ vias in templum, perornate. Ejus pro ascensu laudationes prævie concinnate. Ecce enim promissa illa exhibita est; dataque aptatur,*

[16] Psal. XLIV, 11.

Digitized by Google

datori reddenda. Venite porro qui e tribubus etiamnum superstites, sterilitatis quondam probrum objecistis; felici prolis editione depulsum videte vituperium. Venite, magna auctam prole, orbam prole matrem aspicite. Una vos, familiæ, exsultate, videntes paternam spem evenisse. Gaudete, contribules, ac generis socii, communem gloriam recipientes. Cum jam mihi, tum universis socia lætitia coepulemini, qui ab sterili agro superefflluentes divitias colligatis: qui fontem e sicca petra scaturientem videatis; qui sterilitatis uberes fructus, qui probrorum succedaneam præclaram laudem, qui supra vota orationis finem, olimque promissam generi benedictionem, in effœta natura impletam.

A *αὐτῇ ἐγκεκρυμμένον μεγαλυνέτωσαν κόσμον. Τὴν διαχρύσοις ταῖς τοῦ Πνεύματος ἐλλάμψεσι πεποικιλμένην γεραιρέτωσαν στολήν. Τὴν ἔσωθεν αὐτῇ τῶν ἀρετῶν περικειμένην καταπληττέσθωσαν τερπνότητα. Εὐτρεπίζετε τὰς συνεψομένας αὐτῇ παρθένους. Τὸν λαμπαδηφόρον προκαταρτίζετε χορόν. Τὰς ἐν τῷ ναῷ τῆς τῶν ἁγίων ἁπάντων βασιλίδος κατακοσμεῖτε πορείας. Τὰς ἐπιβατηρίους αὐτῆς προαρμόζετε δοξολογίας. Ἰδοὺ γὰρ ἡ ὑποσχεθεῖσα παρεσχέθη· καὶ δεδομένη, ἀντιδίδοσθαι τῷ δεδωκότι εὐτρεπίζεται. Δεῦτε δὴ, καὶ τῶν φυλῶν οἱ περιόντες ἔτι, οἵτινές ποτε τὸ τῆς ἀτεκνίας ὄνειδος ἐπετρίψατε· τῇ εὐτεκνίᾳ τὸν μῶμον ἀποτριβέντα κατίδετε. Δεῦτε, μεγαλότεκνον, τὴν ἄτεκνον θεάσασθε μητέρα. Συνεπαγάλλεσθε, πατριαὶ, τὴν πατρῴαν ἐκβεβηκυῖαν ἐλπίδα καθορῶσαι. Χαίρετε, συμφυλέται, καὶ τοῦ γένους μέτοχοι, τὴν κοινὴν εὐκληρίαν ἀπειληφότες. Ἤδη καὶ τῇ ἐμῇ καὶ πάντων συνευωχήθητε εὐφροσύνῃ, τὸν ἐξ ἀκάρπου χώρας ὑπερβλύσαντα συλλεγόμενοι πλοῦτον· τὴν ἐξ ἀνίκμου πέτρας ἀναδεδομένην θεώμενοι πηγήν· τὴν τῆς στειρώσεως εὐκαρπίαν· τὴν τῶν ὀνειδισμῶν εὐφημίαν· τὸ ὑπὲρ ἐπίτευξιν πέρας τῶν προσευχῶν, καὶ τὴν τῷ γένει προϋποσχεσθεῖσαν εὐλογίαν ἐν ἀπορίᾳ τῆς φύσεως παραγενομένην.*

XV. In eum modum dilaudans mater, ac intus animo repositam lætitiam, gratiarum ejusmodi actione prodens, iis quæ deinceps mirabilia secuta sunt, ad potiorem quemdam, eumque congruum cogitatum provexit. Septem enim, contra ætatis rationem, gressibus, senos menses nata, quæ nova secutura forent, certo conjiciens, moras ac locum quo agat, Dei tabernaculo definit. *Vivit* enim, ait, *Dominus Deus meus, non ambulabis in terra hac, donec offeram te in templo Domini. O quam Deus matri gratiam illuxit! O Spiritus instinctu sapientissimeque decretum judicium! Mirabilia,* inquit, *sunt, quæ te contingunt, filia. Nova ac exspectatione majora in te ostensa magnalia. Congrua exspectanti te moræ, prævia illi exhibita indicia. Non ergo licet ut in communi terra stes. In sacrum adduceris locum, tanquam excelsum ac elevatum domicilium. Dominico inservi templo. Locus illibatus præcastos suscipiat pedes. Nihil communis vitæ ratio incontaminatam columbam conservet, quam ego componam, tanquam promissis finem imponens. Fecit* enim, inquit, *mater ejus oratorium in cubiculo, nec quidquam commune aut immundum per illud sinebat transire.* Par namque erat ut seorsim electum sacellum sacratis ac dicatis Deo penetralibus conversaretur. Par erat ut secuturis mirabilibus, congrue ei res infantiæ procederent, quæ nova ac singulari dignitate honestata esset; ei, inquam, quæ una humani totius generis, supremam præsidentiam sortita esset: nihil quidem illa eo exempta, ac minus homo; incomparabilem tamen supra creata omnia gloriam consecuta. Sic sane sancta illa ac magnifica mater: pater vero sensibus conspicua hilaritate, spiritalem exhibens jucunditatem, etiam processu temporis una promoventem lætitiam opere demonstravit. Locum enim magnificum ac varium adornans, cum dulcissimis epulis, impensioris gaudii suavitatem sacerdotibus

B ΙΕ'· Οὕτω τῆς μητρὸς δοξολογούσης, καὶ τὴν ἐναποκειμένην εὐφροσύνην τῇ εὐχαριστίᾳ παραδεικνύσης, πρὸς κρείττονά τινα καὶ κατὰ λόγον διάνοιαν τοῖς ἐπιγινομένοις ἀνήγετο παραδόξοις. Τοῖς γὰρ ἑπτὰ παρ' ἡλικίαν ἐξαμηνιαίοις βήμασι τὸ καινοφανὲς τῶν ἐσομένων τεκμηραμένη, τήν τε διατριβὴν καὶ διαγωγὴν τῇ τοῦ Θεοῦ σκηνῇ ἀφορίζει, καὶ, *Ζῇ*, φησὶ, *Κύριος ὁ Θεός μου, οὐ μὴ περιπατήσῃς ἐν τῇ γῇ ταύτῃ, ἕως ἂν ἀπάξω σε ἐν τῷ ναῷ Κυρίου. Ὦ τῆς θεόθεν ἐλλαμφθείσης τῇ μητρὶ χάριτος! Ὦ πνευματοκινήτου καὶ σοφωτάτης κρίσεως! Παράδοξα*, φησὶ, *τὰ περὶ σὲ, τέκνον. Ξένα καὶ παρὰ προσδοκίαν τὰ ἐπὶ σοὶ παραδεικνύμενα μεγαλεῖα. Κατάλληλα τῇ ἀπεκδεχομένῃ σε διατριβῇ τὰ προϋποφαίνοντα ταύτην τεκμήρια.* C *Οὐ τῇ κοινῇ γοῦν ἐνόν σοι παρίστασθαι γῇ. Πρὸς τὸν ἱερὸν ἀπαχθήσῃ τόπον, ὡς ἐξῃρημένον ἐναύλισμα. Τῷ Δεσποτικῷ καθυπηρέτει ναῷ. Ἀθιγὴς χῶρος, καὶ τοὺς ὑπεράγνους ὑποδεχέσθω πόδας. Ἀκοινώνητος διαγωγὴ τὴν ἀκηλίδωτον διατηρείτω περιστερὰν, ἣν ἐγὼ παρασκευάσω, ὡς ταῖς ὑποσχέσεσι τὸ πέρας ἐπιτιθεῖσα. Ἐποίησε γὰρ*, φησὶν, *ἁγίασμα ἡ μήτηρ αὐτῆς ἐν τῷ κοιτῶνι, καὶ κοινὸν καὶ ἀκάθαρτον οὐκ εἴα διέρχεσθαι δι' αὐτοῦ.* Ἐχρῆν γὰρ τὸ διακεκριμένον τέμενος, ἐν ἀφιερωθεῖσιν ἐνδιαιτᾶσθαι ταμιείοις. Ἔδει τοῖς ἑπομένοις παραδόξοις καταλλήλως τὰ τῆς νηπιότητος προβαίνειν τῆς παραδόξῳ τετιμημένης ἀξιώματι· τῆς μόνης τοῦ ἀνθρωπείου γένους τὴν ἀνωτάτω κεκληρωμένης προεδρίαν· τῆς τούτου μὲν D μὴ ἐκστάσῃς, ὑπὲρ πάντα δὲ τὰ κτίσματα δεδοξασμένης ἀσυγκρίτως. Οὕτω μὲν ἡ ὁσία καὶ μεγαλόψυχος μήτηρ· ὁ δὲ δὴ πατὴρ τῇ αἰσθητῇ φιλοφροσύνῃ τὴν νοητὴν παρίστησι θυμηδίαν, καὶ τῷ προϊόντι χρόνῳ τὴν συνεπιδιδομένην ἔργῳ καθυπέφαινεν εὐφροσύνην. Τόπον γὰρ καὶ μεγαλοπρεπῆ, καὶ ποικίλον παρασκευάσας, τοῖς τῶν ἐδωδίμων ἡδίστοις τὸ τῆς περιχαρείας γλυκύτατον τοῖς ἱερεῦσι καὶ διδα-

Digitized by Google

σκάλοις συμπαρετίθει. Τούτους γὰρ δὴ συγκεκλη- A
μένους ἀνακλίνας, τῷ φαιδροτάτῳ τῆς γνώμης κατα-
γλυκαίνει μᾶλλον, ἢ τοῖς διαφόροις τῶν ἡδέων.
Ἀλλὰ γὰρ καὶ θεία τις ἦν ἡ καθηδύνουσα τότε τὴν
εὐωχίαν χάρις, ἥτις τὸ ὑπέργλυκύ τε καὶ ἀκόρε-
στον ὑπεδήλου τῆς τεχθείσης, καὶ τὴν ἐσομένην δι'
αὐτῆς ἀδιαφόρητον προανεκήρυττε τῆς θεογνωσίας
ἡδύτητα. Οὕτω τοίνυν μεγαλοπρεπῶς ἑστιαθέντας,
καὶ ἡ τοῦ Πνεύματος τοὺς κατ' ἀξίαν αὐτῶν ἐμφορεῖ
χάρις, δι' ὧν τῇ προταθείσῃ δεήσει τὰ δι' ἣν αὐτῇ
προσήγετο μεγαλεῖα κατεμήνυεν. Ἀχθείσης γὰρ
ἐπ' ἀγκαλῶν φερομένης ἐπὶ τῆς εὐωχίας τῆς κοινῆς
ἁπάντων εὐφροσύνης, τῆς μόνης ἀστείῳ καὶ ἀσυγκρί-
τῳ καταλαμπομένης κάλλει· τῆς τὴν ἀνόθευτον
περικειμένης ὡραιότητα· τοῦ εὐγενοῦς τοῦ γένους B
βλαστήματος· τῆς εὐθαλοῦς παραφυάδος τῆς φύ-
σεως· τῆς τοῖς συμβόλοις τῆς ἀδιαδόχου φαιδρυνο-
μένης χαρᾶς· τῆς τοὺς θησαυροὺς τῶν ἀγαθῶν, καὶ
τὸν τῆς εὐλογίας ταμιευσαμένης πλοῦτον, κατα-
πλήττονται μὲν πρῶτον τῷ θεοειδεῖ ταύτης οἱ ὁρῶν-
τες κάλλει· θυμηδίας δὲ αὐτίκα χαριεστάτης ἡ
εὐωχία πληροῦται, πάντων αὐτοῖς τῶν παρόντων
συνησθέντων ἐπίσης· καὶ τῶν μὲν κεχαρισμέναις
δεξιουμένων φωναῖς· τῶν ἱερέων δὲ, κρείττοσι ταῖς
πρὸς τὸ Θεῖον εὐχαριστίαις τὰ τῆς θεοπνεύστου συν-
αναφερόντων ἱκεσίας ῥήματα· ταῦτα δὲ τοιαῦτά τινα
προὐτείνετο, ὡς προφητείαν δηλαδὴ τῶν ἐσομένων
εἶναι βεβαιοτάτην νομίζεσθαι.

ΙϚ'. Οἱ μὲν γὰρ τὸν τῶν προπατόρων ἐπικαλού- C
μενοι Θεὸν, εὐλογῆσαι τὴν παῖδα, καὶ διαιωνίζον
αὐτῇ παρέξειν ὄνομα προσηύχοντο· οἱ δὲ τὸν τῶν
ὑψωμάτων ἐπιβλέψαντα Θεὸν, ἀδιαδόχῳ ταύτην εὐ-
λογίᾳ κατακοσμῆσαι. Δὸς γὰρ *αὐτῇ*, φησὶν, *ὄνομα*
αἰώνιον ἐν πάσαις ταῖς γενεαῖς, καὶ εὐλόγησον
αὐτὴν εὐλογίᾳ, ἥτις διαδοχὴν οὐκ ἔξει. Πάντα
προκηρύγματα τῶν ἐκβεβηκότων ἤδη· τὸ αἰώνιον
ὄνομα, τὸ πάσαις θρυλλεῖσθαι ταῖς γενεαῖς, καὶ
ἀδιάδοχον εἶναι τὴν εὐλογίαν. Τῶν ὑψωμάτων δὲ,
τὸν τῶν θαυμασίων ἐπεκαλοῦντο Θεὸν, τὸν ἐξαίσια
καὶ ἀπόῤῥητα καινοτομοῦντα πράγματα, τὸν πᾶσαν
γεννητὴν ὑπεραίροντα νόησιν. *Ὁ Θεὸς*, φησὶ, *τῶν*
ὑψωμάτων, ἐπίβλεψον ἐπὶ τὴν παῖδα ταύτην,
καὶ εὐλόγησον αὐτὴν εὐλογίαν, ἥτις διαδοχὴν
οὐκ ἔξει. Τῶν ὑψωμάτων, φησὶ, τῶν ὑψηλοτέρων
νοήσεως· τῶν ἐξῃρημένων διανοίας· τῶν ἀνερμηνεύ- D
των καὶ ἀκαταλήπτων. *Ὑψηλὸς γάρ ἐστιν ἐπὶ*
πάντας τοὺς λαοὺς ὁ Κύριος· τουτέστι, θαυ-
μαστότατος, καὶ πάσης λογισμῶν περινοίας ἀνώ-
τερος. Οὐκ ἐννοεῖται νῷ τὰ παράδοξα· οὐχ ἑρ-
μηνεύεται λόγῳ· ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν περιίπτα-
ται· τῆς τῶν ἀσωμάτων νοήσεως ἀποκρύπτεται·
τὴν τῶν πολυομμάτων ὀξυωπίαν ὑπεκφεύγει· θαύ-
ματι μόνῳ καὶ ἀφασίᾳ τὸ καταληπτὸν ἔχει.

ΙΖ'. Ἀλλὰ πρὸς τὴν γλυκεῖαν πάλιν ἡμᾶς ἡ μήτηρ
ὧν γενεσίων ἐπισυνάγει πανδαισίαν, καὶ τὴν ἐκ
ταδοχῆς αὐτῇ προσάδειν εὐχαριστίαν παρακελεύε-

ac magistris apponit. Invitatos enim discumbere A
faciens, animi ingenti lætitia, quam delicata dapium
varietate magis delectabat. Sed et divina quædam
gratia ei tunc convivio dulcorem affundebat, quæ
nimirum editæ puellæ supra modum dulces mores,
ac insatiabile desiderium habentes, declararet, ac
per eam, universis perviam, promiscuamque futu-
ram scientiæ Dei dulcedinem prænuntiaret. Sic
ergo magnifice epulatos, Spiritus quoque adimplet
gratia, si qui ex illis digni erant, quibus porrecta
oratione, ejus propter quam ipsi offerretur, ma-
gnalia ostendit. Illata enim convivio in ulnis gestata,
communi universorum lætitia : ea, inquam, quæ
sola eleganti ac incomparabili decore splenderet;
quæ sincera specie prædita esset; nobili illo sur- B
culo generis; virenti illo naturæ stolone : sem-
piterni illa gaudii symbolis exhilarata; illa, quæ
bonorum thesauros recondidit, ac benedictionis
divitias : primum obstupescunt, augusti, ac divi-
num quid habentis, ejus decoris aspectu; tum
statim convivium suavissima jucunditate repletur,
universis perinde convivis invicem gratulantibus :
ac aliis quidem gratis vocibus excipientibus; sa-
cerdotibus autem, potioribus gratiarum actionibus,
inspiratæ a Deo supplicationis verba pariter refe-
rentibus; hæc, ac ejusmodi quædam promebantur,
ut certissima futurorum prophetia viderentur.

XVI. Nam alii quidem, Deum patrum invocantes, C
puellam benedicere, ac sempiternum ei nomen
præbere precabantur : alii vero suo, Deum celsita-
tum, aspectu, sempiterna eam benedictione or-
nare : *Da enim*, inquit, *ei æternum nomen in*
universis generationibus, eamque ejusmodi bene-
dictione adauge, quæ non sit habitura finem. Uni-
versa, eorum quæ jam evenerunt, quædam oracula.
Æternum nomen, celebritas illa in omnibus gene-
rationibus, ac sempiterna benedictio est. Celsita-
tum vero Deum invocabant, Deum utique mira-
bilium; qui nimirum stupenda ac inenarrabilia
innovat; qui creatam omnem intelligentiam exce-
dit. *Deus*, inquit, *celsitatum, aspice super istam*
puellam, eaque eam benedictione adauge, quæ non
sit habitura finem. Celsitatum, inquit; id est, su- D
blimiorum intellectu, omni majorum cogitatu,
quæ explicari nequeunt ac comprehendi. Excelsus
enim supra omnes populos Dominus [17], hoc est,
summe mirabilis, ac omni sublimior mentis co-
gitatu. Ejusmodi sunt mirabilia, ut mens non
intelligat, ut oratio explicare nequeat. Supra cœlos
volat; incorporeorum intelligentiæ occultatur;
subtilem obtutum multis oculis præditorum illo-
rum, ac sensum fugit. Solo miraculo ac silentio
potest comprehendi.

XVII. Verum nos iterum mater ad dulce con-
gregat natalitiorum convivium, succedaneamque
ipsi gratiarum actionem accinere jubet. Sic enim

[17] Psal. xcviii, 2.

Digitized by Google

vicariis, ac mutuo succedentibus dulciariis, tum antiquos, tum novos convivas magnifice excipit. Quam ergo dulce canticum illud quod accinit! Quam spectantibus desiderabiles charissimi pignoris complexus, quæque id temporis prophetiæ edebantur cum gratiarum actione! Ubi enim, iis consona, quæ prius annuntiata essent, sacerdotum sermones, ac ab eis precantium specie prolata perspexisset, haud ultra quam parturiebat, prophetiæ gratiam, retinet; sed thesaurum repositum in lucem producit, palamque ac publice divitias proprias proponit. Tollens enim mater e medio convivio delicias suas, ac naturæ universæ delectamentum, atque in sinu suo collocans, fusa osculis amplexabatur, ac cito in sacellum referens, ferventi animo, ac cogitatu ferventiori, in omnium auribus, Spiritus canticum ac prophetiam pro gratiarum actione pangit, dicens: *Cantabo canticum Domino Deo meo, quia visitavit me, abstulitque opprobrium meum, ac dedit mihi fructum justitiæ suæ, singulari illum substantia, multipliciumque divitiarum, æternum.* Ex impensiori gaudio, animique lætitia nedum maxima, verum etiam certa prophetia, ac fide eorum quæ eventura essent, producuntur isthæc cantici verba; ipsa quidem dictu quoque gravia, graviora autem, occultorum mysteriorum profundo intellecta. *Cantabo canticum Domino Deo meo.* Cantabo, inquit, canticum Domino Deo meo, pro iis quæ mirabilia facta sunt. Ejus namque potentia evenerunt, quæ majora exspectatione erant, ac naturæ imbecillitas corroborata est. Benignitate ipsius atque clementia, soluta sum sterilitatis vinculis, ac liberata probro infecunditatis. *Abstulit*, inquit, *a me opprobrium, et dedit mihi fructum justitiæ suæ.* Omnia accepta refert ei, qui dedit, ne quid minimum in rem se contulisse arbitrata. Hoc enim vult jugis illa precum instantia, judiciumque ejusmodi, sinceræ specimen humilitatis habet. Non enim precum, aut lacrymarum, vel laborum appellavit fructum: sed *justitiæ ejus.* Solius, inquit, ejus justitiæ munus est: quasi dicat: Sua justitia omnem superante intellectum, suo ipse plasmati impendit curam. Vide autem, quam graviter simul alteque divinam explicaverit dispensationem. Quippe docta eam erat Spiritus sancti magisterio. Singulari autem substantia appellat, vel eam, quæ unius esset ac singularis naturæ, vel unam illam ac singularem ad ejusmodi electam justitiam: quam et multiplicium divitiarum dicit, tanquam eam, quæ peculiares illas ac substantiales divitias conciliat. Quod enim multiplicium divitiarum fructum appellasset, ut ne quis corruptibilem illum existimaverit, ejus abunde sempiternitatem, et ut sit immortalis, ostendit. Singulari enim, inquit, substantia, multipliciumque divitiarum fructum præbuit æternum. Quem enim multiplicium divitiarum consecuta est, perpetuum illum, supra cogitatum omnem ac exspectationem, inauferibilem suscepit

A ται. Οὕτω γὰρ ἀμοιβαίοις τοῖς τῆς δοξολογίας ἡδύσμασι τοὺς πάλαι, καὶ τοὺς νῦν φιλοφρονεῖται δαιτυμόνας. Ὡς ἡδεῖα τοίνυν ἡ τῶν ἐκείνης ἐπᾳσμάτων ᾠδή! Ὡς ποθειναὶ τοῖς θεωμένοις αἱ τε μητρῷαι πρὸς τὸ φίλτατον περιπλοκαὶ, καὶ αἱ σὺν εὐχαριστίᾳ κηρυττόμεναι τηνικαῦτα προφητεῖαι! Ἐπειδὴ γὰρ σύμφωνα τοῖς ἤδη προαγγελθεῖσι τά τε παρὰ τῶν ἱερέων λεγόμενα, καὶ δι' ἐντεύξεως προσφερόμενα κατεῖδε, οὐκέτι σιγῇ τὴν προφητικὴν ὠδινομένην κατέχει χάριν· ἀλλὰ προάγει τὸν ἐναποκείμενον θησαυρὸν, καὶ δημοσίᾳ τὸν κοινὸν καὶ οἰκεῖον προτίθησι πλοῦτον. Ἀνελομένη γὰρ ἡ μήτηρ ἐκ μέσης τῆς πανδαισίας τὸ ἐντρύφημα αὐτῆς, καὶ τῆς ὅλης φύσεως ἡδυσμα, ἐπί τε κόλπων ἀναπαύσασα, περιεπλέκετο καὶ κατεφίλει, καὶ σπουδαίως ἐν τῷ ἁγιά-
B σματι εἰσκομίσασα, ζεούσῃ γνώμῃ, καὶ ἐπινοίᾳ θερμοτέρᾳ τοῦ Πνεύματος εἰς ἐξάκουστον τὴν εὐχαριστήριον ᾠδὴν καὶ προφητείαν ἐπῆσε, λέγουσα· Ἄσω δὴ ᾠδὴν Κυρίῳ τῷ Θεῷ μου· ὅτι ἐπεσκέψατό με, καὶ ἀφείλετό μου τὸ ὄνειδος, καὶ ἔδωκέ μοι καρπὸν δικαιοσύνης αὐτοῦ, μονοούσιον, καὶ πολυπλούσιον αἰώνιον. Ἐκ περιχαρείας οὐ μόνον μεγίστης, ἀλλὰ καὶ ἀσφαλοῦς προφητείας, καὶ πίστεως τῶν ἐκβησομένων τὰ ἐπᾳδόμενα παράγεται· σεμνὰ μὲν καὶ λεγόμενα, σεμνότερα δὲ καὶ νοούμενα τῷ βάθει τῶν ἐγκεκρυμμένων μυστηρίων. Ἄσω δὴ ᾠδὴν Κυρίῳ τῷ Θεῷ μου. Τὴν ὑπὲρ τῶν παραδόξων, φησὶν, ᾠδὴν Κυρίῳ τῷ Θεῷ μου ᾄσω. Αὐτοῦ γὰρ δυνάμει τά τε παρ' ἐλπίδα ἐξέβη, καὶ ἡ τῆς φύσεως ἀνερρώσθη ἀσθένεια. Τῇ αὐτοῦ φιλαν-
C θρωπίᾳ, τῶν τε τῆς στειρώσεως ἀπελύθην δεσμῶν, καὶ τῶν τῆς ἀτεκνίας ἀπηλλάγην ὀνειδισμῶν. Ἀφείλετό μου τὸ ὄνειδος, φησὶ, καὶ ἔδωκέ μοι καρπὸν δικαιοσύνης αὐτοῦ. Πάντα τῷ δεδωκότι ἀνατίθησιν, οὐδὲ τὸ τυχὸν ἑαυτὴν λογιζομένη εἰσκεκομικέναι τῷ πράγματι. Τοῦτο γὰρ καὶ τὸ περὶ τὴν δέησιν διηνεκῶς, καὶ δεῖγμα ταπεινώσεως ἀψευδοῦς ἡ τοιαύτη καθέστηκε κρίσις. Οὐ γὰρ, Εὐχῆς, ἢ δακρύων, ἢ πόνων, ἔφη, καρπόν· ἀλλὰ, Δικαιοσύνης αὐτοῦ. Μόνης, φησὶ, τῆς αὐτοῦ δικαιοσύνης τὸ δῶρον· ὡς εἰ ἔλεγεν, ὅτι δικαιοσύνη αὐτοῦ γενήσεται πάντα νοῦν ὑπερεχούσῃ, ἡ περὶ τὸ οἰκεῖον πλάσμα κηδεμονία. Καὶ θέα, ὅπως σεμνῶς ὁμοῦ, καὶ βαθέως τὴν θείαν οἰκονομίαν ἐδήλωσεν. Ὑπὸ τοῦ θείου
D γὰρ ταύτην ἐμυσταγωγεῖτο Πνεύματος. Μονοούσιον δὲ, ἢ τὴν μονογενῆ φησιν, ἢ τὴν μόνην ἐπὶ τὴν τοιαύτην ἐκλελεγμένην δικαιοσύνην· ἣν καὶ πολυπλούσιον λέγει, ὡς τοῦ περιουσίου πρόξενον πλούτου. Ἐπειδὴ γὰρ πολυπλούσιον ἔφη καρπὸν, ὅπως ἂν μὴ ἐπίκηρόν τις οἰηθείη τὸν τοιοῦτον, τὸ διαιωνίζον, καὶ ἀτελεύτητον αὐτοῦ ἐπισημαίνεται. Ἀδιάδοχον γὰρ τοῦτον, ὃν περιούσιον ὄντα κεκλήρωται, ὑπὲρ ἔννοιαν καὶ προσδοκίαν τὸν ἀναφαίρετον ὑπεδέξατο θησαυρόν. Ὑπὲρ ἅπασαν ἐκδοχὴν, ἡ τῶν ἀγαθῶν αὐτῇ καὶ ἀνεξαντλήτων ἀνέβλυσε πηγή. *Μονοούσιον* γὰρ, φησὶ, *καὶ πολυπλούσιον παρέσχεν αἰώνιον.* Μόνος γὰρ οὗτος πολύολβος ἐν πάσαις γενεαῖς ὁ καρπός· μόνος τῆς ἀφθαρσίας πρόξενος· μόνος ἐκ μόνης ἀγεωργήτου χώρας τὴν ἀφθαρσίαν

Digitized by Google

ἐμπρο;όρησε · μόνος τοὺς τῆς εὐλογίας διήνοιξε θησαυρούς · μόνος τὰ τῆς χαρᾶς διανεκάλυψε ταμιεῖα · μόνος τὴν ἀείμνηστον τοῖς ἐνέγκασιν εἰσκεκόμικε δόξαν · μόνος τὴν αἰώνιον τῷ γένει προανεκήρυξε βασιλείαν.

A thesaurum. Supra spem omnem, fons et inexhaustorum bonorum scaturivit. *Singulari* enim, inquit, *substantia, ac multiplicium divitiarum præbuit æternum.* Solus enim hic multis partibus beatus in universis generationibus fructus : solus causa immortalitatis : solus ex sola, nulla culta terra immortalitatem protulit : solus benedictionis apseruit thesauros : solus gaudii abditos revelavit sinus : solus sempiternæ memoriæ gloriam parentibus invexit : solus æternum humano generi prænuntiavit regnum.

ΙΗ'. Ἀλλ' ἐπείπερ αἱ διὰ σοῦ ἐπιγινόμεναι χάριτες, ὦ Δέσποινα, ὑπὲρ ἔννοιάν εἰσι καὶ λόγον, ἀνάγκη διὰ τοῦτο καὶ τὴν τῶν ἐγκωμίων αὐτῶν μεγαλειότητα ὑπερόριόν τε εἶναι, καὶ πᾶσαν ἐπιδεικτικὴν διαδιδράσκειν ἐπίνοιαν, ὅτι ἡμεῖς ἀσθενεῖς τυγχάνομεν. Τὴν [ἴσ. πλὴν τὴν] κατὰ δύναμιν οἱ εὐεργετηθέντες [*λείπ. προπάτορες, vel quid simile*] σὺν τῇ μητρὶ ἀποπληροῦσιν εὐχαριστίαν. Ἠλίκην γὰρ ταύτῃ ἐπελέξαντο τῶν αἰωνίων ἀπολυθέντες δεσμῶν, καὶ τῆς ἀφεγγοῦς ἐκείνης ἀπαλλαγέντες φρουρᾶς · ἡνίκα διὰ τῆς ἐκ σοῦ προσληφθείσης σαρκὸς, τὸν θάνατον ἐώρων καταπατούμενον · τὰ ταμιεῖα τοῦ ᾅδου κενούμενα · καὶ πάντας μὲν νεκροὺς ὑφ' ἓν ἁρπαζομένους, καὶ τῆς τυραννούσης ἀπαλλαττομένους δυνάμεως · ἑαυτοὺς δὲ, πρὸς ζωὴν αἰώνιον παλινδρομοῦντας ; Οἵας δὲ νῦν τὰς εὐφημίας ὁ προπάτωρ Ἀδὰμ ἐγκαλλωπιζόμενός σοι προβάλλεται, λέγων · Ὦ θύγατερ, οἷον ἐξ ἐμῶν ὠδίνων ἀνέδραμες βλάστημα! οἷον στέλεχος ἡ κατ' ἐμὲ φύσις ἀνέθηλεν! οἷον τὸ τῆς εὐλογίας ἐξήνθησεν ἄνθος! ἄνθος τὸ τὴν χαρὰν εὐωδιάσαν, τὸ τὴν ἀηδίαν τῆς ἐμῆς ἀποσοβῆσαν λύπης · ἄνθος τὸ τὴν ἀμάραντον τερπνότητα κυπρίσαν · ἄνθος, ἐξ οὗ τὸ πολύτιμον ἀπεβλίβη μύρον · ἀφ' οὗ ἡ μυρωδία τῆς ἐμῆς διέπνευσεν ἀνακλάσεως. Ὦ βλάστημα, δι' οὗ τὸ τοῦ φυτοῦ ἀπεμαράνθη ἔγκλημα · βλάστημα, ἐξ οὗ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς μετὰ σαρκὸς ἀνεφύη · δι' οὗ ὁ τῆς παρακοῆς ἀπερρίζώθη θάνατος. Ὦ ῥίζα, ἡ τὸ τῆς ἀναστάσεως ἀναβλαστήσασα δένδρον · τὸ τὴν ἀθανασίαν κομῶν · τὸ τὴν εὐθηνίαν τῆς χάριτος καρποφοροῦν, οὗ ὁ καρπὸς οὐκ ἀπορρυήσεται, καὶ ἡ ἀπόλαυσις εἰς αἰῶνας διαφυλαχθήσεται. Ὦ θύγατερ εὐφροσύνης πρόξενε · ἀγαλλιάσεως αἰτία, χαρᾶς μεσῖτις. Ὦ λύπης ἀπαλλαγή · κατηφείας ἐλευθερία · πόνων ἀναψυχή · ἱδρώτων ἄνεσις. Ὦ χρυσοέρια ἀμνὰς, ἐξ ἧς ὁ Κτίστης τὸ τῆς φύσεως ἐνδυσάμενος περιβόλαιον, τὴν ἐμὴν περιέστειλε γύμνωσιν · τὸ τῆς αἰσχύνης περιεκάλυψε αἶσχος · τοὺς δερματίνους διέῤῥηξε χιτῶνας · τὴν πρώην ἡμφίασε εὐπρέπειαν · τὴν ὡραιότητα τοῦ ἀρχετύπου περιέθηκε κάλλους. Χαίροις οὖν, ὦ θύγατερ, τὸ τῆς ἐμῆς παῤῥησίας στόμα · τὸ τῆς προμήτορος ἐγκαλλώπισμα · ἡ τῶν ὠδίνων ταύτης θεραπεία · ἡ θυμηδία τῶν προπατόρων, καὶ τοῦ γένους εὐφροσύνη. Χαίροις, ὦ θύγατερ καὶ δέσποινα. Δέσποιναν γάρ σε κηρύττομεν, εἰ καὶ θυγατέρα γινώσκομεν. Βασίλισσάν σε δοξάζομεν οἱ συνδοξαζόμενοι τῇ δόξῃ σου · οἱ ἐγκαλλωπιζόμενοι τῷ πλούτῳ σου · οἱ τὴν ἀρχαίαν διὰ σοῦ ἀπολαβόντες ἀξίαν, καὶ τεῖς σοῖς ἐπιτερπόμενοι κάλλεσι. Ταῦτα μέν σοι

XVIII. Quia vero, quæ per te gratiarum accessio facta est, o Domina, mentem omnem, totamque vim sermonis excedit, ideirco necesse est, ut et earum laudationum, quibus illæ celebrantur, magnificentia, immensum quid exsistat, omnemque exornandi subtilitatem, vimque rhetoricam superet : ipsi namque infirmi sumus. Cæterum quas possunt, beneficio affecti primi parentes, una cum matre, gratiarum referunt actiones. Quales enim ei admurmurarunt, ab æternis illi absoluti vinculis, ac ab obscura illa liberati custodia, cum ex te assumptæ carnis adminiculo mortem proculcari viderunt, infernique vacuari receptacula, ac omnes quidem ad unum mortuos rapi, atque a tyrannica liberos effici potestate, se vero ipsos ad sempiternam vitam remeare? Quibus vero faustis ominibus, te Adamus ille tuus progenitor affatur, dicens : *O filia, quale ex meo semine germen surrexisti! Qualem ramum virentem edidit natura mea! Qualem benedictionis florem effloruit! florem, inquam, gaudii suaveolentiam spirantem; meæ tristitiæ submoventem amaritudinem; immarcescibilem efflorentem dulcedinem : florem, ex quo expressum fuit pretiosissimum unguentum, ac ex quo meæ formationis suavis odor ille effluvit. O germen, cujus beneficio arboris illud emarcuit crimen! Germen, ex quo lignum vitæ cum carne enatum prodiit; per quod mors per inobedientiam inducta, radicitus exstirpata est. O radix, resurrectionis arborem germinans immortalitate vernantem, uberes gratiæ ferentem fructus, cujus non defluet fructus, deliciæque in sæcula conservabuntur. O filia lætitiæ auctrix, exsultationis causa, gaudiique conciliatrix! O tristitiæ solutio; liberatio a mœstitia : laborum refrigerium; sudorum remissio! O agna aureo vellere, ex qua Creator naturæ vestem induens, meam operuit nuditatem et mei probri turpitudinem obtexit, pelliceas tunicas discidit, pristinum induit decorem, principalis illius pulchritudinis speciem ornamento adhibuit. Salve ergo sis, o filia, meæ os libertatis; primæ parentis gloriatio; ejus dolorum curatio; progenitorum jucunditas, ac lætitia generis. Salve sis, filia, dominaque : te quippe prædicamus filiam, tametsi agnoscimus dominam. Reginam te glorificamus, qui una tecum gloriam habemus; qui tuis gloriamur divitiis : qui per te, antiquam recepimus dignitatem, tuaque delectamur pulchritudine.* Atque hæc quidem grati animi monumento, primi acclamant parentes; prophetarum autem, atque justorum quanta ac qualia, præsens hic sermo renuntiabit.

Digitized by Google

τὰ τῶν προπατόρων εὐχαριστήρια· τὰ δὲ τῶν προφητῶν καὶ δικαίων οἷα καὶ ὅσα, ὁ παρὼν ἀνακηρύξει λόγος.

XIX. Desiderabant enim videre diem tuum [18], summoque gaudio rem percupiebant. Requirebant eorum finem, quæ fuissent promissa, doctique fore in Christo eventura, læti eventus modum perscrutabantur. Exsultantes supplicabant, gaudioque commista supplicatione, quod in votis erat, quærebant. Exsultaverunt videntes diem tuum; nempe tuum hunc natalitium diem, in quo revelatum fuit Incarnationis mysterium: in quo qui ex universo te elegit genere, per te universis creatis gaudium contulit, quod nemo auferre possit. *Viderunt*, inquit, *et gravisi sunt* [19]. Viderunt tanquam præsentia spiritali obtutu, quæ erant futura. Perspexerunt animo ineffabilem Dei ad homines exinanitionem. Viderunt ex te factum Verbi Incarnationem. Docti sunt nova, ac quæ nullus sermo effari queat, mysteria: novam generis reformationem; cogitatu majorem reconciliationem. Viderunt te thronum Cherubicum; regalem thalamum; supercœleste cœlum; templum præsanctum; multis tabernaculum nominibus celebre. Viderunt te urnam Spiritus auro conflatam; urnam immortalitatis illud manna continentem; mensam panem illum vitæ impositum habentem. Viderunt te sinu complexam eum, qui in Paterno moratur sinu; Verbum, inquam, eadem cum Genitore sublime sede; ejus illud figuram substantiæ; cognatum splendorem; æque pollentem virtutem; ejusdem substantiæ gloriam; potentiam indivisam. Viderunt carnali ratione in tuis circumscriptum ulnis eum, qui universa palmo circumscribit; qui solo nutu res creat; qui sua providentia, creata continet, conservatque, ut consistant: cœlestium denique virtutum Regem ac Conditorem. O tuæ bonitatis divitiæ, Domine! Te, Domine, superexaltamus: quam nostri egisti, impensius benedicimus curam, pro omnibus quidem nobis a te impensis beneficiis, cum primis vero hujus ratione mysterii, quodque tale nobis ornamentum ac gloriationem, intemeratissimam Matrem tuam donaveris; communem illi m gaudii causam; cœlestium ordinum exsultationem; naturæ lætitiam indissolubilem; generis jucunditatem; defectorum progenitorum refrigerium: per quam primæ parentis lacrymarum rivi repressi sunt; per quam primi item parentis sudorum inhibiti sunt fontes: quæ, tristitiæ interemptic est; dolorum medicatio; liberatio a gemitibus; laborum remissio; sempiternæ requiei initiatio.

IΘ'. Ἐπεθύμουν γὰρ τὴν ἡμέραν ἰδεῖν τὴν σὴν, καὶ περιχαρῶς ἐπεθύμουν. Ἐπεζήτουν τῶν ἐπηγγελμένων τὸ πέρας, καὶ ἐν Χριστῷ μυσταγωγούμενοι ἐκβαίνειν τὸ τοιοῦτον, σὺν εὐφροσύνῃ τὸν τῆς ἐκβάσεως ἀνηρεύνων τρόπον. Ἀγαλλόμενοι τὴν ἔντευξιν ἐποιοῦντο. Χαρᾷ τὴν ἱκετηρίαν ἀναμίξαντες, τὸ ποθούμενον ἐπεζήτουν. Ἠγαλλιάσαντο ἰδόντες τὴν ἡμέραν τὴν σὴν, ἡμέραν ταύτην τὴν τῆς γεννήσεως, ἐν ᾗ τὸ τῆς οἰκονομίας ἀπεκαλύφθη μυστήριον· ἐν ᾗ ὁ σὲ τοῦ γένους ἐκλεξάμενος, διὰ σοῦ τὴν ἀναφαίρετον τῆς κτίσεως ᾠκονόμησε χαράν. *Εἶδον*, φησὶ, *καὶ ἐχάρησαν*. Εἶδον ὡς παρόντα μυστικῶς τὰ μέλλοντα. Κατενόησαν ἀπόῤῥητον Θεοῦ πρὸς ἀνθρώπους κένωσιν. Εἶδον τὴν ἐκ σοῦ τοῦ Λόγου σάρκωσιν. Ἐμυσταγωγήθησαν καινὰ καὶ ἀνεκλάλητα μυστήρια· ξένην τοῦ γένους ἀνάπλασιν· ὑπὲρ ἔννοιαν καταλλαγάς. Εἶδόν σε θρόνον χερουβικόν· παστάδα βασιλικήν· ὑπερουράνιον οὐρανόν· ναὸν ὑπέραγιον· σκηνὴν πολυώνυμον. Εἶδόν σε στάμνον κεχρυσωμένην τῷ Πνεύματι· στάμνον τὸ τῆς ἀθανασίας κατέχουσαν μάννα· τράπεζαν τὸν τῆς ζωῆς ἐπιφέρουσαν ἄρτον. Εἶδόν σε ἐν κόλποις κατέχουσαν, τὸν ἐν τῷ Πατρικῷ αὐλιζόμενον κόλπῳ· τὸν σύνθρονον τῷ Γεννήτορι· τὸν τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ χαρακτῆρα· τὸ ὁμοφυὲς ἀπαύγασμα· τὴν ἰσοσθενῆ δύναμιν· τὴν ὁμοούσιον δόξαν· τὴν ἀδιαίρετον ἐξουσίαν· εἶδον σαρκικῶς ἐν ἀγκάλαις σου περιγραφόμενον, τὸν σπιθαμῇ τὰ πάντα περιγράφοντα· τὸν μόνῳ νεύματι τὴν τῶν ὄντων ὕπαρξιν δημιουργοῦντα· τὸν οἰκείᾳ προνοίᾳ τὴν τῶν γεγονότων σύστασιν περικρατοῦντα· τὸν Βασιλέα καὶ Κτίστην τῶν οὐρανίων Δυνάμεων. Ὦ τοῦ πλούτου τῆς χρηστότητός σου, Κύριε! Ὑπερυψοῦμέν σε, Δέσποτα· τὴν σὴν ὑπερευλογοῦμεν κηδεμονίαν· ὑπὲρ πάντων μὲν ὧν εἰς ἡμᾶς ἔδρασας εὐεργεσιῶν, ὑπὲρ δὲ τούτου μᾶλλον τοῦ μυστηρίου, καὶ ἀνθ' ὧν τοιοῦτον ἡμῖν ἐγκαλλώπισμα τὴν σὴν πανάχραντον δεδώρησαι Μητέρα· τὴν κοινὴν τῆς χαρᾶς αἰτίαν· τὸ ἀγαλλίαμα τῶν οὐρανίων ταγμάτων· τὴν ἀκατάλυτον εὐφροσύνην τῆς φύσεως· τὴν θυμηδίαν τοῦ γένους· τὴν τῶν ἀπειρηκότων προγόνων ἀναψυχήν· δι' ἧς αἱ τῶν δακρύων τῆς προμήτορος ἐπεσχέθησαν ῥοαί· δι' ἧς οἱ τῶν ἱδρώτων τοῦ προπάτορος ἀνεκόπησαν κρουνοί· ἡ τῆς λύπης ἀναίρεσις· ἡ τῶν ὠδίνων ἴασις· ἡ τῶν στεναγμῶν ἀπαλλαγή· ἡ ἄφεσις τῶν πόνων· ὁ τῆς ἀϊδίου καταπαύσεως ἐγκαινισμός.

XX. Laudaverunt te, Domine, intellectrices universæ virtutes, cum solem ac lunam cum stellis produxisses: nunc autem longe potius, eum ad terribilis impletionem mysterii, immaculatissimam Matrem tuam ex nostro genere elegisti, ac talem nobis thesaurum reposuisti; tali nos spe stabilivisti. O nostri generis nobilitatem, qualem consequi

Κ'. Ἤνεσάν σε, Δέσποτα, πᾶσαι νοεραὶ δυνάμεις, ἡνίκα ἥλιον καὶ σελήνην σὺν τοῖς ἄστροις παρήγαγες· πολλῷ δὲ μᾶλλον νῦν, ὁπότε τοῦ ἡμετέρου γένους εἰς τὴν τοῦ φοβεροῦ μυστηρίου ἐκπλήρωσιν τὴν σὴν πανάχραντον παρείληφας μητέρα, καὶ τοιοῦτον ἡμῖν ἀναπέφου τὸν θησαυρόν· τοσαύτην ὑπεστήριξας τὴν ἐλπίδα. Ὦ τῆς τοῦ γένους ἡμῶν εὐκλη-

[18] Matth. xiii, 17. [19] Joan. x, 5.

Digitized by Google

ρίας! Ἡλίκης τῆς μεσιτείας ἐπέτυχε! Τίς ἂν ἀγγελικὴ χοροστασία, τὸν ταύτης ἐπάξιον τῆς δωρεᾶς ἐνέγκῃ σοι λόγον; Ποῖα στόματα τὴν ἀσίγητον ὑμνολογίαν ᾄδοντα, τὴν ὑπὲρ ταύτης ἰσχύσειεν εὐχαριστίαν σοι προσοῖσαι; Προέστησας αὐτὴν τοῦ ἡμετέρου γένους· δι' αὐτῆς τὴν πρὸς ἡμᾶς ἀπορρήτως ἐνήργησας συγκατάβασιν: ἐξ αὐτῆς τὸ ἡμῶν περιεβάλου φύραμα, καὶ τοῦτο δι' αὐτῆς ἐκαινοποίησας· δι' αὐτῆς σὺ τὴν πρὸς ἡμᾶς, καὶ διὰ σοῦ τὴν πρὸς τὸν Πατέρα καταλλαγὴν ἡμῶν ἐπραγματεύσω. Ἔδωκας αὐτὴν στόμα καὶ καύχημα τῇ ἀνθρωπότητι. Ἐτίμησας δι' αὐτῆς τὴν πρώην ἡμῶν ἠτιμωμένην φύσιν· ἐδόξασας δι' αὐτῆς τὴν ταύτης ἀδοξίαν. Δι' αὐτῆς τὴν ἀμορφίαν ἡμῶν ἐκαλλώπισας, καὶ τὴν ἀκοσμίαν κατεκόσμησας. Τέθεικας αὐτὴν μεσῖτιν, χειραγωγοῦσαν μὲν ἡμᾶς πρὸς τὴν σὴν ἀγαθότητα, τὰ δὲ τοῦ γένους ἐπανορθουμένην πταίσματα. Σὺ γέφυραν ταύτην κατεσκεύασας ἐκ τῶν τοῦ κόσμου σάλων διαπερῶσαν, καὶ πρὸς σὴν γαλήνην καθοδηγοῦσαν. Σὺ κλίμακα ταύτην ὑπήρεισας, ἐξ ἀθυμίας εἰς εὐφροσύνην, καὶ ἀπὸ γῆς εἰς οὐρανὸν ἀναφέρουσαν. Σὺ λιμένα ταύτην σωτήριον πεποίηκας. Σὺ τεῖχος ἀπολιόρκητον, καὶ ἀῤῥαγὲς περιχαράκωμα ταύτην ἐθεμελίωσας. Σὺ ὅπλον ἀπερισπάστου μάχης, καὶ ἀκαταγώνιστον τρόπαιον ταύτην ἀνέδειξας. Σὺ κατάλληλον ἰατρεῖον ψυχῶν τε καὶ σωμάτων ἀπειργάσω· τὴν τῶν θλιβομένων παραμυθίαν· τὴν παράκλησιν τῶν ὀδυνωμένων. Τὴν ἀναψυχὴν τῶν ἀθυμούντων· τὴν πᾶσι τὰ πάντα γινομένην, ἵνα τὰ τῆς φύσεως θεραπεύσῃ τραύματα.

ΚΑ'. Ἀλλ', ὦ πολυπόθητον ἡμῶν σεμνολόγημα, ὁρᾷς οἵας ἐπὶ σοὶ τὰς εὐχαριστίας ἐγκαλλωπιζόμενοι πλέκομεν; Οἷον τὸ καύχημα προβαλλόμεθα; Μέγα ὄντως, καὶ τῆς τοῦ Δεσπότου χάριτος τεκμήριον. Σὺ δὲ ἡμῖν καταλλήλως ἀντιδίδως τὰς εὐεργεσίας, εἰ καὶ λόγου παντὸς καὶ εὐφημίας εἰσὶν ἀνώτεραι. Ἡμεῖς τοίνυν συνομολογοῦμεν, οὐ μόνον ἐπιτυγχάνειν αὐτῶν, ἀλλὰ καὶ πάντη τῆς κατ' ἀξίαν ἀπολείπεσθαι δοξολογίας. Τοιαῦται γάρ εἰσιν, ὡς μήτε διανοίᾳ ληφθῆναι δύνασθαι, μήτε λόγῳ ῥηθῆναι. Τοιούτους σε τοῖς θαυμασίοις ὁ κοινὸς κατεκόσμησε Δεσπότης. Τοιαύτῃ σε τῇ ἐξουσίᾳ τετίμηκε. Δέσποιναν σε τῶν ὄντων προθέμενος, τῇ τῆς κυριότητος ἐβεβαίωσεν ἀρχῇ· διὸ τὸ ταύτης ἀπαρέγκλιτον τῇ τῶν πραγμάτων ἐπεσφράγισεν ἐκβάσει. Ἄγεις γὰρ καὶ βασιλεύεις, καὶ κρατεῖς τῶν ἁπάντων κτισμάτων. Τοῦτο αὐτῷ δοξολογία· τοῦτο θέλημα. Διὰ σοῦ τὸ οἰκεῖον εὐεργετεῖται πλάσμα· καὶ φιλεῖ μὲν ἐκεῖνος τὸ αὐτὸν ἀποπληροῦν θέλημα, φιλεῖς δὲ σὺ ταῖς ἡμῶν ἐπινεύειν δεήσεσι. Σὲ μόνην τὴν οἰκείαν μιμουμένην προειδὼς εὐσπλαγχνίαν, τὸ δυνατὸν τῇ βουλῇ συνέζευξε. Τῇ τῆς προαιρέσεως ἡδείᾳ φιλανθρωπίᾳ, ἄφθονον τὴν εὐπορίαν παρέσχετο. Χαίρει τοῖς οἰκτιρμοῖς σου. Καὶ γὰρ θελητὴς ἐλέους, καὶ *Πατὴρ οἰκτιρμῶν, καὶ Θεὸς πάσης παρακλήσεως* μόνος καθέστηκε. Ταύτην αἰτουμένοις τὴν χάριν δίδου, καὶ μὴ ἐφόδοις ἁμαρτημάτων τὰ τῆς δωρεᾶς

A meruit mediatricem! Quisnam angelorum chorus condignum ejus munere tibi promat sermonem? Quænam ora, in perpetua laudum cantica soluta, congruas tibi pro ea offerre possint gratiarum actiones? Præfecisti eam nostro generi: per eam, ineffabili ratione te nobis inclinasti: ex ea, nostram induisti massam, ejusque illam opera innovasti. Per eam ipse nos tibi, ac per te, nos Patri reconciliasti. Os eam, ac qua gloriaretur, humano concessisti generi. Per eam, nostræ naturæ pridem despectæ, honorem addidisti. Per eam, ejus probrum in gloriam convertisti. Per eam, nostram deformitatem ornasti; ac dedecus decore commutasti. Mediatricem eam constituisti; qua duce ad tuam feramur bonitatem, ac qua humani errata B generis emendanda sint. Eam tu pontem fecisti, quo a mundi fluctibus trajicientes, ad tranquillum portum tuum perveniamus. Scalam eam erexisti, quæ a mœstitia ad læta gaudia, atque a terra in cœlum transmittat. Tu eam salutis effecisti portum. Eam tu murum inexpugnabilem, vallumque inconcussum fundasti. Tu arma, vi omni belli potentiora, trophæumque invictum eam præstitisti. Tu denique, opportunam animorum pariter atque corporum officinam medicam, ipsam exhibuisti; afflictorum solatium; eorum recreationem ac levamen, qui doloribus tenentur; mœstorum animo, refrigerium: omnibus omnia factam, ut naturæ curet vulnera.

C

XXI. Verum, o multum desiderabilis tu, nostra gloriatio, vides, quantas plectamus gratiarum actiones in te gloriantes? Qualem te prætendimus gloriationem? Magnum quid reipsa exsistis, Dominique gratiæ certum argumentum: tu vero nobis vicissim beneficia repende, quanquam illa sermone omni atque laudatione exsistunt superiora. Confitemur itaque, nedum non ea nos assequi, verum et omnino deficere, ut ne pro dignitate laudemus. Talia namque exsistunt, ut neque animo concipi valeant, nec sermone possint efferri. Ejuscemodi te mirabilibus communis Dominus magnifice ornavit: te honestavit potentia. Rerum te universarum præficiens dominam, dominationis tibi principatum D asseruit. Quocirca ejus stabilem firmitatem, rerum obsignavit eventu. Gubernas enim, imperasque, ac dominaris toti creaturæ. Hæc ejus laudatio atque gloria; hæc voluntas. Per te, suo figmento beneficia impertit: lubensque ille tuam adimplet voluntatem; tuque vicissim lubens nostris orationibus annuis. Cum solam te ejus imitari misericordiæ viscera prævidisset, voluntati potentiam conjunxit. Delectatus clementia, ac pleno humanitatis proposito, facultates ubertim præbuit. Gaudet tuis misericordiæ visceribus. Quippe ejusmodi est, ut misericordiam velit, sitque *Pater misericordiarum*, *ac* solus *Deus totius consolationis*[20]. Hoc orantibus

[20] II Cor. I, 3.

Digitized by Google

gratiæ largire; nec peccatis obnitentibus, doni beneficia destruas: quin potius, cum peccatorum emendationem, tum donorum ac beneficiorum adimpletionem, tanquam benigna, clemensque præstiteris, in Christo Jesu Domino nostro; quem decet gloria ac potestas cum Deo Patre ac Spiritu sancto, in sæcula sæculorum: Amen.

ORATIO III.

Ex divinis Scripturis selecta in illud « Facta est puella annorum trium, » etc. (20).

I. Splendida hodiernæ festivitatis est tessera: congregatum proinde ad eam celebrandam cœtum in lucem immensam provehit. Luculentum est hodierni sermonis argumentum; amplissimamque et eximiam, qua fruamur segetem pollicetur. Neque enim adeo pratorum pulchritudo extrinsecus deambulantibus desiderabilem ad interiora exhibet ingressum, quemadmodum suaveolens virginearum laudum paradisus amabilem ac jucundum iis, qui velint, introitum parat. Hoc siquidem pratum, omnium sane pratorum suavissimum ac fragrantissimum (21), non vernantibus luxuriatur floribus, qui corruptibilem exhibent brevis horæ jucunditatem; sed dulcem gratiæ odorem emittens, sensum suavitate sua oblectat, ac mira eorum, quæ audiuntur, voluptate mentem ad se attrahit. Atque illic quidem sensus, cum facile satietate obruantur, aliis, quæ deinde occurrant, non æque delectantur; hic vero et præcedentium suavis odor perseverat, et simul aerior subsequentium excitatur cupiditas. Illic aspectus fruitur pulchritudine, quæ cum tempore marcescit; hic vero eximia venustas parit animæ voluptatem, quæ in æternum manet.

II. Verum aditum sibi (ad hoc pratum) lege spiritus interclusum reperit, quisquis mortuæ alicujus et abominabilis cogitationis contactu fœdatus cum fuerit, conscientiæ suæ indumenta juxta Moysis præceptum [21] non abluerit. Et quemadmodum illi, qui munus sortiti sunt satellitii circum imperatores per vices agendi, siquidem nobili apprime ac splendido, atque imperatoria majestate digno ornatu eniteant, cum fiducia liberoque vultu munus suum obeunt; si vero pannosis sordidisque et quæ comitatum regium nequaquam deceant, indumentis amiciantur, expelluntur atque rejiciuntur: hoc idem prorsus nobis fieri, cum agitur de Regina nostra, existimandum est. Si enim virtutibus circumornati fuerimus, et puritate refulgentes,

[21] Levit, xi, 27, 28; et Num. xix, 11, 12.

(20) Verba sunt excerpta ex capite VII Protevangelii Jacobi, ubi de Virgine ad templum adducta narratur. Codex ibidem hæc addit: καὶ εἰς τὸ ἀπόδοσιν τοῦ ναοῦ εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου· καὶ εἰς τὸ, ἐδέξατο αὐτὴ ὁ Ἱερεὺς καὶ ἐφίλησεν αὐτὸ, καὶ εἰς τὸ ἐξῆς. Quorum pars prior, quæ mancum sensum reddit, unde desumpta sit, nondum comperi; posterior vero, utut mendose, sumpta est ex eodem Protevangelii loco, ubi legitur: καὶ ἐδέξατο αὐτὴν ὁ Ἱερεὺς, καὶ κατεφίλησεν αὐτὴν, καὶ ἐμεγάλυνεν αὐτὴν ὁ Ἱερεὺς, καὶ κατευλόγησε; εὐλόγησε, κ. τ. λ.

(21) Hæc Auctor ex altera Georgii Nicomediensis homilia ejusdem argumenti mutuatus est, seu melius dixeris, exscripsit. Vid. vol. I Auctar. Combefis. col. 1091. Fac vero advertas, sub prati symbolo non quidem hic Deiparam venire, prouti quidem perperam Georgii locum intellexerunt, sed ipsum quod celebratur Præsentationis mysterium, quatenus uberem ac suavissimam dicendi segetem præbet.

ΛΟΓΟΣ Γ'.

Ἐκλεγὲς ἀπὸ τῶν θείων Γραφῶν εἰς τὸ « Ἐγένετο τριετὴς ἡ παῖς, » κ. τ. λ.

Α'. Φαιδρὸν τὸ τῆς παρούσης ἑορτῆς σύνθημα· διὸ πρὸς ἄπειρον φῶς τὸν πρὸς αὐτὴν συνειλεγμένον παρορμᾷ σύλλογον· λαμπρὸν τὸ τῶν παρόντων λόγων τεκμήριον, καὶ πλήρεις δόξης καρποῦσθαι τὰς ὑποθέσεις κατεπαγγέλλεται. Οὐδὲ γὰρ οὕτω λειμώνων κάλλος τοῖς ἔξω περιθέουσι, ποθεινὴν τὴν τῶν ἔνδον παρασκευάζει ἐπίβασιν, ὡς ὁ εὐώδης τῶν ἐγκωμίων τῆς Παρθένου παράδεισος, ἐπέραστον τοῖς βουλομένοις τὴν εἴσοδον τίθησι. Καὶ γὰρ λειμὼν οὗτος καὶ λειμώνων ὁ εὐωδέστατος, οὐκ ἐαρινοῖς ἐπικομῶν ἄνθεσιν, εὐμάραντον ἔχουσι τῆς ὥρας τὴν τέρψιν· ἀλλὰ χάριτος ἐκπέμπων εὐωδίαν, μυρίζει τὴν αἴσθησιν καὶ τὸν νοῦν πρὸς ἑαυτὸν τῷ ἡδίστῳ τῶν ἀκουσμάτων καταθέλγει· ἐπ' ἐκείνων μὲν γὰρ κόρον ἡ αἴσθησις λαμβάνουσα, τῶν ὕστερον ἐμφαινομένων, οὐχ' ὁμοίως τὴν τερπνότητα δέχεται· ἐπὶ δὲ τούτων, τῶν φθασάντων μὲν ἡ εὐωδία παρέμεινε, τῶν ἐπιόντων δὲ, μείζων ἡ ἔφεσις ἐπιγίνεται· κἂν ἡ μὲν θέα, συμμαραινόμενον ἔχει τῷ χρόνῳ τὸ κάλλος· ἐνταῦθα δὲ ἡ εὐπρέπεια, διαιωνίζουσαν φέρει τῇ ψυχῇ τὴν ἀπόλαυσιν.

Β'. Ἀλλ' οὐ παραδέχεται τὴν εἴσοδον ὁ τοῦ πνεύματος νόμος, ἐὰν μή τις πλύνῃ τὸ τῆς συνειδήσεως αὐτοῦ ἱμάτιον, κατὰ τὸ Μωσέως παράγγελμα, ὁ νεκρᾶς τινος καὶ βδελυκτῆς ἐννοίας ἁψάμενος. Καὶ καθάπερ ἐπὶ τῶν παρόντων βασιλέων οἱ κύκλῳ δορυφορεῖν λαχόντες, ἂν μὲν περίδοξον καὶ λαμπρότατον κόσμον, καὶ τῆς τοῦ κρατοῦντος φαιδρότητος ἄξιον περιβεβλημένοι ὦσιν, ἔχονται σὺν παῤῥησίᾳ τῆς δορυφορίας· ἂν δὲ δυσείμονα καὶ στυγνότατον καὶ τῆς βασιλικῆς ἀποδέοντα παραστάσεως, συνεξωθοῦνται καὶ ἀπορῥίπτονται· τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐπὶ τῆς Βασιλίδος ἡμῶν συμβαίνειν ὑπειληπτέον. Εἰ μὲν γὰρ ἀρεταῖς περικεκοσμημένοι ὦμεν, καὶ καθαρότητι λελαμπρυσμένοι, ἀκώλυτον ἕξομεν τὴν πρὸς αὐτὴν δορυφορίαν· εἰ δὲ τὴν τῶν ἁμαρτημάτων

Digitized by Google

λώδην, ὥσπερ τινὰ σκοτεινὴν στολὴν ἐνδεδυμένοι τύχωμεν, πόῤῥω ποῦ τῆς ταύτης ἀποκληθησόμεθα λειτουργίας.

A expeditum ac liberum circa ipsam satellitium habebimus; at si turpi peccatorum probro, veluti obscura quadam ac tetra stola induti forte fuerimus, procul ab illius ministerio quodammodo repellemur.

Δέδοικα μὲν οὖν ἐγὼ μή πως μόνος τὸ ζοφερὸν τῶν ἁμαρτημάτων περικείμενον ἔνδυμα, ἄξιον περιβόλαιον τῆς Βασιλίδος οὐκ ἔχων, φωνῆς ἀκούσω δικαίως ἀποφαινομένης· Ἑταῖρε, πῶς τῶν ταύτης καθαρωτάτων κατετόλμησας λόγων, ῥυπῶν τῇ ἁμαρτίᾳ, καὶ σκοτεινὸν ἐπιφερόμενος σχῆμα; Ἐπεὶ τοιοῦτον φέρων ἔνδυμα, τούτοις αὐθαδῶς εἰσεπήδησας, ἔξω τῶν αὐτῆς ἐκδιωχθήτῃ περιβόλων. Ἀλλὰ τί πάθω ἡττώμενος τῷ πόθῳ, καὶ τούτου τυχεῖν δεόμενος; οἷδα μὲν γὰρ τοιοῦτος ὢν κατατολμᾷν, μιμοῦμαι δὲ τῶν κυναρίων τὸ ἀναιδές· ἃ καὶ ἀπωθούμενα, ψιχίων ἐμφοροῦνται δεσποτικῶν, κατὰ τὴν Χαναανῖτιν ἐκείνην· καὶ τάχα τὸ περὶ τούτων ἀναισχυντεῖν, τὴν οἰκείαν μέν ἐστι στηλιτεύειν γνώμην, τὴν Βασιλίδα δὲ κινεῖν πρὸς οἶκτον, καὶ τῆς ἰδίας μὴ ἀπωθεῖσθαι παρασκευάζειν τράπεζης· διὰ τοῦτο καὶ τοῦ μαργαρίτου κατατολμῶ.

B Atqui vereor, ne forte unus egomet tetro peccatorum amictu circumdatus, ac propterea haud dignam Reginæ conspectu vestem gerens, illas audiam mihi voces jure merito insonare : Amice, quomodo mundissimas hujus Reginæ laudes pertractare aggressus es, peccato sordidus existens, et tenebrosum habitum deferens? Quandoquidem tali veste contectus eo audacter insiliisti, foras ab ejusdem atriis expelleris. Verum quid tandem de me fiet, qui meo desiderio cessi, neque, quin illud expleam, cohiberi ullo modo possum? Equidem ejusmodi in adjunctis cum verser, novi quid fidenter agam; impudentiam nempe imitabor catellorum, qui etiamsi rejecti fuerint, dominorum micis, juxta Chananææ illius dicta [21], satiantur. Et fortasse impudentiam in his præseferre, perinde est utique ac propriam improbitatem incusare; verum idipsum ad misericordiam Reginam flectit, et efficit ne ab illius mensa quis rejiciatur. Propterea et margaritam hanc attingere fidenti animo aggredior.

Γ. Ἐγένετο γὰρ, φησὶ, *τριετὴς ἡ παῖς· καὶ εἶπεν Ἰωακείμ· Καλέσωμεν τὰς θυγατέρας τῶν Ἑβραίων τὰς ἀμιάντους, καὶ λαβέτωσαν ἀνὰ λαμπάδα.* Ὅρα πῶς τοῦ πράγματος ἡ οἰκονομία τοῖ; πάλαι περὶ τῆς Παρθένου προφητευθεῖσιν εὑρίσκεται συντρέχουσα, καὶ ἔργῳ τὰς προῤῥήσεις πληροῦσα· τὸ γὰρ τὰς ἀμιάντους τῶν Ἑβραίων νεάνιδας παρασκευάζειν δορυφορούσας αὐτῇ, τὴν ἐν τῷ ναῷ *προδοποιεῖν* ἄφιξιν, τὴν τοῦ προπάτορος Δαυὶδ προφητείαν εἰς τὴν κατὰ καιρὸν μετεκαλεῖτο ἔκβασιν· *Ἀπενεχθήσονται* γὰρ, φησὶν ἐκεῖνος, *παρθένοι ὀπίσω αὐτῆς, ἀχθήσονται εἰς ναὸν βασιλέως.*

C III. *Facta est*, inquit, *puella trium annorum; et dixit Joachimus : Convocemus filias Hebræorum immaculatas, et unaquæque gestet facem suam.* Vide, quomodo hic rei gerendæ ordo iis, quæ olim de Virgine prophetice dicta sunt, respondens inveniatur, atque ipso facto prædictiones compleat. Quod enim instrueretur immaculatarum Hebræorum puellarum agmen, quæ veluti quodam satellitio illam comitarentur, atque ejusdem in templum ingressum præcederent, id progenitoris ejus, Davidis, prophetiam in tempore ad eventum deducebat. Inquit enim : *Adducentur virgines post eam, adducentur in templum regis* [22].

Ἔδει γὰρ τοιούτοις μὲν προμηνυθῆναι ταῦτα κηρύγμασιν, ὑπὸ τοιούτου δὲ προαγγελθῆναι κήρυκος· οὕτω τε τὴν ἐν προοιμίοις δορυφορίαν τῆς παραδόξου τοῦ γένους ἀπαρχῆς εὐτρεπισθῆναι. Ἔδει τὸ μόνον τῆς παρθενίας καύχημα ταῖς ἀμιάντοις καταστεφθῆναι δοξολογίαις· ἐχρῆν τοῦ μόνου τῆς καθαρότητος ἀναθήματος, τὰ καθαρὰ προπορευθῆναι βήματα· D ἔδει τὴν τῷ φωτὶ τῆς ἁγνείας καταλαμπομένην παστάδα, ταῖς τῶν ἁγνῶν ἑλλαμφθῆναι δᾳδουχίαις, ταῖς ἀθιγέσιν ἐμφαιδρυνθῆναι διαυγίαις, τοιαύτῃ ἐγκαινισθῆναι πρὸς τὴν οἰκονομίαν ὁδοιπορίᾳ.

Ejusmodi quippe præconiis hæc in antecessum significari et a præcone ejusmodi prænuntiari, et hoc pacto admirabilium generis nostri primitiarum comitatum celebrari oportebat. Oportebat unicum illud virginitatis decus immaculatis laudibus coronari; oportebat unicæ illi puritatis oblationi (22) puros gressus præire; oportebat thalamum illum innocentiæ nitore refulgentem prælatis castarum virginum facibus illustrari, immaculatis splendoribus irradiari, atque hujusmodi processu in divinam dispensationem dedicari.

Δ'. *Λαβέτωσαν* γὰρ, φησὶν, *αἱ προπορευόμεναι παρθένοι λαμπάδας, καὶ ἑστῶσαν καιόμεναι.* Διατί τοῦτο παρακελεύῃ, ὦ δίκαιε; Πρῶτον μὲν, φησὶ, τὴν

IV. *Præeuntes virgines*, inquit, *assumant lampades, atque accensas gestent.* Ut quid hoc præcipis, o juste? Primum quidem, inquit, gestantium facem

[21] Matth. xv, 27. [22] Psal. xliv, 15, 16.

(22) Si quæras, cur demum Virgo Deipara appellari potuerit *unica puritatis oblatio* (τὸ μόνον τῆς καθαρότητος ἀνάθημα), perspicies facile, nullam sententiæ hujus idoneam rationem afferri posse præterquam receptam inter fideles doctrinam de Virginis ejusdem puritate omnis labis atque adeo originariæ quoque nescia. Fac enim non ita se rem habere : etiam Virginem finge peccato originis obnoxiam, a quo dein fuerit emundata : nunquid *unica* ea foret oblatio, quæ ejusmodi puritate nituerit? Nonne innumeros habes hac munditie ornatos Israelitarum filios primogenitos, qui quadragesimo a nativitate die redimendi sane, sed tamen Deo offerebantur? Eatenus igitur exemplo caret Virginis Deo dedicandæ puritas, quatenus exemplo caret puritas quæ ab originali quoque labe fuerit intacta.

Digitized by Google

chorum instruo, ut honorem, prouti res postulat, ei, quæ Deo consecratur, exhibeam. Deinde vero, leni illo consuetoque puellarum incessu, atque ardentium facularum jucunditate etiam ad ejusdem animum obfirmandum utor. Quod enim in ipsis rei principiis magnam præbet lætitiam, animi deinceps alacritatem ad finem usque servandam prodest. Nam cæterum novi, et indubiis sane innixus rationibus, eam divina gratia confirmatam, et vires sibi conferendis Dei amore roboratam, atque ad constantiæ sublimitatem evectam, ne minimum quidem vertendæ sententiæ fore obnoxiam, ac mundanis omnibus spretis, uni suscipientis se charitati adhærentem (23), uni ejusdem voluntati se totam dedicaturam. Illud etiam spondeo, non modo propositum, quo semet offert, irretractabile permansurum, sed insuper ne cogitationum quidem pugnas quidpiam obfuturas mentis ejus constantiæ, qua perpetuum integrumque velit se munus Deo servari; per hæc vero etiam ut acceptabilis Deo fiat, consequetur.

A κατὰ λόγον ἐπινοῶν τῇ ἀνατιθεμένῃ Θεῷ τιμὴν, τὴν ψωτοφόρον προκαταρτίζω χορείαν· ἔπειτα δὲ καὶ τῇ τῶν νεανίδων ἡπίᾳ καὶ συνήθει βαδίσει τῶν τε καιομένων τῇ τερπνότητι λαμπάδων, τὸ ἀνεπίστροφον αὐτῇ τῆς διανοίας ἐπινοοῦμαι. Τὸ γὰρ ἐν προοιμίοις περιχαρὲς, τὸ εὔθυμον τῷ παντὶ διατηρήσει πράγματι. Οἶδα μὲν γὰρ ἀναμφιβόλῳ πεπεισμένος γνώμῃ, ὡς οὐκ ἄν τι τῶν ἐκ μεταμελείας πάθοι, θεϊκῇ τε στηριζομένη χάριτι, καὶ τῷ τοῦ δυναμοῦντος ἔρωτι ἁδρυνομένη τε καὶ πρὸς ὕψος καρτερίας ἀναγομένη, καὶ ὡς πάντων μὲν ἀλογήσει τῶν ἐγκοσμίων, μόνῃ δὲ τῇ τοῦ δεχομένου προσφυομένῃ ἀγάπῃ, τοῦ ἐκείνου μόνου γενήσεται θελήματος. Ἐνδείκνυμι δὲ καὶ τὴν προαιρέσεως, οὐ μόνον ἀμεταμέλητον διαμένουσαν προσφοράν, ἀλλὰ καὶ τὸ μηδὲ ταῖς τῶν λογισμῶν B ἐπηρείαις ὑποσυληθῆναί τι τῶν τῆς ὑπομονῆς, ἐθέλειν τὸ μόνιμόν τε καὶ ὁλόκληρον διατηρεῖσθαι· δι' ὧν καὶ τὸ εὐπρόσδεκτον ἕξει.

V. Quid ergo, o Joachime? Num et hoc exigis, ut ipsa ne recordatione quidem aliquem naturæ affectum demonstret? Neque pateris ut vel interiori mentis cogitatione quidpiam præsentium mente revolvat? Mancipari enim (Deo) perinde tibi esse videtur, ac interiores quoque (de extraneis) locutiones prorsus abjicere.

Ε'. Τί οὖν, ὦ Ἰωακείμ; Οὐδὲ διὰ μνήμης ταύτην προαιρῇ τὸ προσπαθὲς ἐνδείκνυσθαι τῇς φύσεως; οὐδὲ τοῖς δι' ἐνθυμήσεως λογισμοῖς, τῶν παρόντων τι λογίζεσθαι συγχωρεῖς; τοῦτο γάρ σοι τὸ μὴ τῇ καρδίᾳ φάσκειν αἰχμαλωτισθῆναι βούλεται.

Hoc sane, inquit pater, hoc mihi majus, quam reliqua bona omnia, lucrum affert, ut fructus C meus uni cedat (Deo), qui ipsum donavit; et quemadmodum præter spem omnem humanam mihi concessus est, sic mira ejusdem ubertas concedenti reddita cernatur. Hoc mihi omni eo, quod desiderare possim, pretiosius; hoc laboribus quibusvis atque recte factis ampliorem nobilioremque mercedem continet; hæ mihi divitiæ omnem spem ac desiderium excedentes; ad præmium hoc assequendum tolerantia, supplicationes, labores collati; hæc votorum erat ac desideriorum meta: pro felici hoc exitu laudum cantica et sacrificiorum oblationes in gratiarum actiones redditæ fuerunt.

Τοῦτο γὰρ, φησὶ, τοῦτο τῶν ἁπάντων ἐμοὶ κερδαλεώτερον ἀγαθῶν, ὁ πατήρ. Τὸ μόνου τὸν ἐμὸν τοῦ δεδωκότος γενέσθαι καρπόν· τὸ καθάπερ παρ' ἐλπίδα τὴν ἀνθρωπίνην παρεσχέθη, οὕτω καὶ παράδοξον ὀφθῆναι τῷ παρασχομένῳ καρποφορίαν· τοῦτο παντὸς ἐφετοῦ τιμιώτερον· τοῦτο πολυπλασιώτερον πόνων, καὶ κατορθωμάτων περιδοξότερον ἔχει τὸ γέρας· οὗτος πάσης περιουσιώτερος ἐλπίδος ὁ πλοῦτος, ὑπὲρ τοιαύτης ἀμοιβῆς ἡ καρτερία, αἱ δεήσεις, οἱ πόνοι, τοιοῦτον ἦν τὸ τῶν εὐχῶν ἐν ἐπιθυμίᾳ πέρας· ὑπὲρ τοιαύτης ἐκβάσεως, αἵ τε εὐχαριστήριοι δοξολογίαι, καὶ αἱ καλλιερούμεναι τούτων προσηνέχθησαν θυσίαι.

VI. Hac itaque animi alacritate, certissima hac fiducia gloriosam Virginem ad templum pater adduxit. Ipsa vero incedebat, terram, quam calcabat, D mundissimis pedibus purificans, atque aerem suavissimo sanctitatis suæ odore perfundens. Non illam vestium exteriorum elegans varietas, neque aurea monilia, ac lapillorum connexorum micantissimus venustabat fulgor; sed exornabat splendidissimus puritatis amictus (24), atque omni auro

Ϛ'. Τοιαύτῃ μὲν οὖν ὁ πατὴρ καὶ προθυμίᾳ καὶ ἀναμφιβόλῳ προσδοκίᾳ, τὴν δεδοξασμένην ἀνῆγεν ἐν τῷ ναῷ Παρθένον· ἡ δὲ ἅπτει ποσὶ μὲν καθαρωτάτοις τὴν πατουμένην καθαγνίζουσα γῆν, ἀέρι δὲ τοῦ τῆς ἁγιότητος μεταδιδοῦσα μυρισμοῦ· ἣν οὐκ αἰσθητῶν περιβολαίων ποικιλία, οὐδὲ χρύσεα περιδέρρεα καὶ τῶν συνδουμένων λίθων διειδέστατοι κατεκάλυπτον διαύγειαι, ἀλλ' ἡ τῆς καθαρότητος ὑπερφαὴς κατεκόσμει περιβολὴ, ἡ χρυσοῦ παντὸς τιμαλφεστέ-

(23) Græce, μόνῃ δὲ τῇ τοῦ δεχομένου προσφυομένῃ ἀγάπῃ: et prorsus congruentissime; cum enim προσφύομαι, si vocis vim spectes, valeat *adnascor*, ac proprie de ramis dicatur, qui arbori *adnascuntur*, exinde προσφυομένη non est utcunque *cohærens*, sed *cohærens originaliter*. Perinde est propterea Mariam τῇ τοῦ Θεοῦ ἀγάπῃ προσφυομένην profiteri, ac affirmare, eam Deo per charitatem ab origine sua cohæsisse, nec inter eos censeri illam posse, qui oleastri cum essent, bonæ dein olivæ inserti sunt, sed nunquam non bonam olivam eamdem fuisse. Haud dissimilia habes in altera ejusdem Jacobi, quam inferius dabimus, oratione *in Virginis Deiparæ Visitationem*, ubi eam de suo in Deum ardenti affectu sic loquentem inducit (§ 9): *Hic (amor) simul cum corpore accrevit: hic simul cum mente adolevit: huic congenita anima mea indesinenter laudes tibi contexit:* Οὗτος συνηυξήθη τῷ σώματι, οὗτος συνακμάζει τῇ διανοίᾳ, τούτῳ ἡ ψυχὴ προσφυομένη τὴν ἀκατάπαυστον ὑμνολογίαν διαπλέκει.

(24) Quid est, quæso, cur in puritatis laudes tantopere se Patres effunderent, cum de puella

Digitized by Google

ρας, τῆς ψυχῆς ἐνωράϊζε λαμπρότης. Ταύτης τῷ ἐιττῷ σεμνουμένην τὴν μητέρα κάλλει, ἣν ἐγγύθεν περιθέουσαν ὁρᾷν, ἄκροις τε δακτύλοις τῶν περικειμένων αὐτῇ ψαύουσαν ἐσθημάτων, καὶ τὸ βαθὺ καὶ διακεχυμένον αὐτῶν· ποτὲ μὲν ἀπαιωροῦσαν, ποτὲ δὲ τὸ διανεστηκὸς ἐπισυστέλλουσαν, καὶ πρὸς τὸ χρειῶδες ἀποτυποῦσαν.

Ζ'. Ἐπικλινομένη τε συνεχῶς ἡ μήτηρ, τοιαῦτα πρὸς τοῖς ὠσὶ διὰ ῥημάτων ἐνήχει. Ποθεινὴ μὲν, ὦ τέκνον Θεόδοτον, φησὶν, ἡ τῆς ἀποτέξεως ἡμέρα τῆς σῆς, ἀγαπητά τε καὶ φίλα τὰ προμηνύσαντα ταύτην εὐαγγέλια· παρὰ προσδοκίαν γὰρ καὶ αὐτὰ θεία παρεσχέθη χάριτι· ποθεινοτέρα δὲ πολλῷ μᾶλλον, καὶ τοῦ ὄντος ἐπιθυμητοῦ καὶ μόνου καλοῦ πρόξενος ἡ ἐνεστῶσα, καθ' ἣν ἐγὼ σὲ τὴν ἐμὴν ἀφιερῶ τῷ Δεσπότῃ προσφοράν· ἐν ᾗ τῶν ἐμῶν ὠδίνων ἀπαρχὴν ὁμοῦ καὶ πέρας ἀνατίθημί σε τῷ δεδωκότι. Δεδοξασμένα μὲν τὰ ὑπεσχημένα περὶ σοῦ τῷ Θεῷ, εὐλογημένη δὲ καὶ ἡμέρα καθ' ἣν τὸ ἀψευδὲς αἱ ὑποσχέσεις λαμβάνουσιν· ἡ μὲν γὰρ τῆς γεννήσεως, ὀνειδισμῶν μὲν ἀπαλλαγὴν, στειρώσεως δὲ λύσιν, εὐχῶν δὲ καθυπέδειξε πλήρωμα· ἡ δὲ παροῦσα, καυχήματος μὲν τοῦ ἀνωτάτω καὶ παῤῥησίας τῆς πρὸς τὸ γένος, εὐλογίας δὲ τῆς παρ' ἐλπίδα κήρυξ καθέστηκε· καὶ τῆς σῆς μὲν ἐκείνη κυήσεως ταῖς εὐχαριστίαις, αὕτη δὲ τῆς πρὸς Θεὸν οἰκειώσεως ταῖς χάρισιν ἐλλαμπρύνεται. Νῦν γὰρ ἐγὼ τὰς πρὸς αὐτὸν ἐπαγγελίας ἀποπληρῶ, νῦν σὲ τῶν εὐχῶν ἀποδίδωμι τὸν καρπὸν, νῦν ἀπασῶν μητέρων τῇ παραδόξῳ ταύτῃ σεμνύνομαί σου μνηστείᾳ· ἐκεῖναι μὲν γὰρ θνητοῖς τὰ ἑαυτῶν ἐγχειρίζουσαι φίλτατα νυμφίοις, φθαρτοῖς θαλάμοις καὶ παστάσιν ἐπικήροις ἐνωραΐζονται· ἐγὼ δέ σε τῷ ἀθανάτῳ σήμερον καὶ μνηστευομένη καὶ ἀποδιδοῦσα νυμφίῳ, αἰσθητῷ μὲν ἐνδιαιτήματί σου τῷ οὐρανομιμήτῳ τέρπομαι ναῷ· θαλάμῳ δὲ νοητῷ διὰ τῶν θείων σοι κατασκευασθέντι χαρίτων ἐπαγάλλομαι, ταῖς τῆς ἁγνείας καὶ καθαρότητος ἐφηδομένη παστάσι. Καὶ ὁ πόθος δὲ ὁ σὸς, ἀπεναντίων ἕξει τοῖς ῥέουσι· καθαρὸς γὰρ οὗτος καὶ ἀνύθευτος, καὶ ὥσπερ ἀναλλοίωτός ἐστιν ὁ ἐρώμενος, οὕτω καὶ αὐτὸς τὸ μόνιμος εἶναι διατηρήσει. Παρ' ἐλπίδα τοίνυν τὰ περὶ σὲ καινοτομούμενα σήμερον· μνηστεία καθαρωτάτη, ἀφιέρωσις μυστική· τιμὴ τῶν ὁμοφύλων ἐξῃρημένη πάντων· οἰκείωσις πρὸς Θεὸν καὶ τἄλλα δι' ὧν τῷ γένει, τὸ σεμνότατον προμηνύετσι· διὰ ταῦτα χαίρω, διὰ ταῦτα σήμερον

A pretiosor animæ nitor decorabat. Duplici hac filiæ pulchritudine honestatam cernere erat prope incedentem matrem, vestimenta, quibus puella induebatur, summis digitis tenentem, et eorum extrema diffluentia interdum attollentem, interdum vero, si quando dilaberentur, componentem, ac venuste aptantem.

VII. Porro ad illius aures sese mater inclinans, hujusmodi sensa ingeminare non intermittebat. Desideratus quidem, inquit, mihi fuit, o filia divinitus concessa, natalis tui dies: charissimum ac jucundissimum mihi fuit faustum illud nuntium, quod hunc præsignificavit. Nam et ista præter spem omnem ex sola divinæ gratiæ largitate mihi obvenerunt. At vero multo desiderabilior, et vere concupiti atque B unici boni allator præsens mihi dies illuxit, quo ego te, quæ mea es, oblationem Domino sum consecratura, quo te fructificationis meæ primitias simul et summam ei, qui dedit, sum dedicatura. Gloriosa quidem sunt, quæ de te a Deo promissa fuerunt: sed et benedicta dies illa, qua promissionum veritatem eventus comprobat. Dies natalis tui mihi quidem opprobriorum finem, sterilitatis solutionem, ac votorum meorum præstitit complementum; at præsens dies summæ gloriationis, et humano generi libertatis et confidentiæ, tum vero benedictionis spem omnem prætergredientis præco apparuit. Et illa quidem dies, gratiarum actionibus pro tua nativitate solemnis fuit; hæc vero gratiis refulget, C quibus Dei domestica ac familiaris efficeris. Nunc enim quæ Deo promisi, adimpleo; nunc te mearum obsecrationum fructum reddo; nunc ob admirabilem tuam hanc desponsationem matribus omnibus augustior incedo: illæ enim dilectissimas filias sponsis mortalibus tradentes, corruptibilibus thalamis atque penetralibus caducis suam ipsarum gloriam superstruunt; ego vero immortali sponso te hodie reddens ac nuptui tradens, tum de materiali domicilio tuo, templo scilicet quod cœlum æmulatur, delector; tum de spirituali thalamo, tibi omnigenis Dei gratiis præparato, supra modum gaudeo, ineffabilemque ex illis innocentiæ et puritatis penetralibus suavitatem percipio. Et affectus quidem tuus plane res omnes caducas aversabitur. D Purus enim ac sincerissimus ipse est; et quemadmodum immutabilis is est quem diligis, sic et

trimula ageretur? Nam, ut alias innuimus, quod ejusmodi ætas vitæ innocentia niteat, adeo mirum videri non potest, ut mirum contra esse debeat, si innocens non habeatur. At hujus sententiæ rationem manifeste reddit mos in Ecclesia receptus, ut puritas a puritate discernatur. Etsi enim quicumque justificationis gratiam consequuntur, vestem *candidam* et *immaculatam* (Conc. Trident. sess. VI, cap. 7) gerunt, puritatis tamen laus singularis non iis tribuitur, qui stolam fœdatam deinde dealbaverunt, sed iis solum, qui eam numquam fœdarunt. Id vero ad eam quoque ætatem jure merito transfertur, quæ suos nondum actus habeat. Si enim spectetur naturæ in Adam lapsæ conditio, quis non videt, infantulos ex aqua et Spiritu sancto renatos ita comparari cum eo posse, qui originis vitium non incurrerit, ac adultus actualium criminum veniam consecutus cum iis comparetur, qui acceptam in baptismate stolam nullo proprio crimine deinde maculaverunt? Non deest ergo ratio ex ipsis Ecclesiæ dogmatibus petita, cur *singularis* puritatis prærogativa celebrari possit in illa etiam ætate, quæ parem vitæ propriæ puritatem singulis quibusque per se vindicat; quia scilicet si quis nunquam non albam animæ stolam gesserit, is merito præ illis *singulariter* purus habetur, qui stolam ex origine olim fœdam deinde dealbaverunt. Sed rursus hæc unica prorsus est, quæ reddi possit illius sententiæ ratio. Ergo ne Patres ceu desipientes traducamus, non alia quam ista doctrina permotos ad singularem infantulæ Mariæ puritatem prædicandam fateri debemus.

Digitized by Google

amor tuus ut semper sibi constans perseveret, consequetur. Spem omnem igitur excedunt nova illa, quæ hodierna die in te complentur: desponsatio purissima, mystica oblatio, honor præ omnibus consortibus eximius, familiaris cum Deo conjunctio, atque alia, per quæ humano generi summa dignitas prænuntiatur. Propterea gaudio gestio propterea omnibus hodie matribus antecello. Ecce enim natam meam, utpote promissionis jure Deo debitam, hodie in domo Dei consecro.

A ὑπερτίθεμαι πασῶν μητέρων· ἰδοὺ γὰρ τὴν τεχθεῖσαν ὡς ὑπεσχόμην ἐν οἴκῳ Θεοῦ σήμερον ἀνατίθημι.

VIII. Age et tu incorporeorum spirituum chorus, huc adveniens congruum laudis canticum communi Domino mecum concine. Agite, o fœcunditatis meæ præcones, pro hac ipsa gratiarum actiones benignissimo ejusdem largitori deferte. Age, altisonum canentium prophetarum agmen, iis, quæ tuis oraculis promissa fuerunt, finem jam impositum intuere. Age, progenitor David, congaude virgæ, quæ e semine tuo exorta[24] jam adolescit. Regina simulque filia purissimo Regis amore tenetur, et pro illius desiderio propria puritatis ornamenta speciosissima instruxit. Qui in divinis visionibus *divites* sunt, hodie *desiderabilem* hujus *vultum deprecentur*[25].

B Η'. Δεῦρο καὶ σὺ τῶν ἀσωμάτων ἐπιδημήσασα χοροστασία· ἁρμόδιον σὺν ἐμοὶ, τὴν πρὸς τὸν κοινὸν Δεσπότην ἐναπήχει δοξολογίαν. Ἄγε τῆς ἐμῆς καρποφορίας κήρυκες, τὴν ὑπὲρ ταύτης τῷ δεδωκότι διαπορθμεύσατε εὐχαριστίαν. Ἄγε τῶν προφητῶν ἡ διαπρύσιος συμφωνία, τῆς τῶν χρησμωδηθέντων ἐπαγγελίας τὸ πέρας ἤδη καταβαλλόμενον θέασαι. Δεῦρο, προπάτορ Δαυΐδ, τῇ ἐκ σῆς ὀσφύος ἀναδεδομένῃ ῥάβδῳ συνεπαγάλλου ἀδρυνομένῃ· ἡ βασιλὶς καὶ θυγάτηρ, τῷ τοῦ Βασιλέως καθαρωτάτῳ συνδεῖται πόθῳ, πρὸς τὴν αὐτοῦ ἐπιθυμίαν, τὰ οἰκεῖα τῆς καθαρότητος ηὐτρέπισε κάλλη· σήμερον λιτανευέτωσαν οἱ ἐν Θεοπτίαις πλούσιοι, τὸ ταύτης ἐπιπόθητον πρόσωπον.

IX. Adeste porro et vos qui circumstatis e tribubus, et illius ad templum accessum præcedite, viamque sternite dicentes : Dilata (o templum) ædes tuas ad eam suscipiendam, quæ creaturis omnibus tum visibilibus tum invisibilibus amplior apparuit. Præpara ad eam excipiendam virgines, quæ sint ei comites ; gestantium faces chorum instrue ; et laudis cantica ad Reginæ ingressum concinenda præpara.

Θ'. Δεῦτε δὴ καὶ τῶν φυλῶν οἱ περιόντες ἔτι, καὶ τὴν ἐν τῷ ναῷ ἄφιξιν προοδοποιήσατε, Πλάτυνον τὰς ἐπαύλεις, λέγοντες, πρὸς ὑποδοχὴν τῆς πλατυτέρας τῆς ὁρατῆς καὶ ἀοράτου κτίσεως ὀφθείσης· εὐτρέπιζε πρὸς ὑποδοχὴν τὰς συνεψομένας αὐτῇ παρθένους, τὸν λαμπαδηφόρον προκατάρτιζε χορόν· τὰς ἐπιβατηρίους τῆς Βασιλίδος προάρμοζε δοξολογίας.

C

Immaculatum domicilium immaculatissimos suscipiat pedes, et nemini adeunda statio mundissimam in se conservet columbam ; namque hodie hanc ego, prouti decet, apparabo et promissa mea implebo. Accende lucentes lampadas, et ingressum ejus splendidissimum redde. Extolle sublimem facem tanquam signum, et ad te universum terrarum orbem converte, ut lucidam aspiciat nubem, ut illius radiorum participatione fruatur, ut lucis fontem ex ea scaturientem intueatur.

Ἀθιγὴς χῶρος τοὺς ὑπεράγνους ὑποδεχέσθω πόδας, καὶ ἀκοινώνητος διαγωγὴ, τὴν ἀκηλίδωτον διατηρείτω περιστερὰν, καὶ ταύτην ἐγὼ παρασκευάσω σήμερον ὡς δεῖ, καὶ ταῖς ὑποσχέσεσι τὸ πέρας ἐπιθήσω· ἄναψον λαμπάδα φωτὸς, καὶ καταφαίδρυνον τὰς εἰσόδους· ἆρον μετάρσιον πυρσὸν, ὡς σύνθημα, καὶ ἴθυνον πρὸς σὲ τὴν οἰκουμένην, ἵνα τὴν φωτεινὴν νεφέλην ἐπόψηται, ἵν' ἐν μετουσίᾳ τῶν ἀκτίνων ταύτης γενήσηται, ἵνα τὴν τοῦ φωτὸς πηγὴν ἐκ ταύτης βρύουσαν κατίδῃ.

Pande portas tuas, et spiritalem excipe portam, per quam solum Dei Verbum transiens[26], obsignatam, eo modo, quo novit ipsum, servavit. Etsi enim portæ appellationem sortita est, intactam tamen semetipsam virginem conservavit ; et opportunum D quidem ministerium implevit, sed incorruptionis signacula non dissolvit. Velum tuum remove, ut animatum illud Verbi velum suscipi intus possit, quod in se divinitatem occultavit, neque tamen hujus igne materialem substantiam combussit. Excipe ex auro factum per Spiritum candelabrum (25), cujus facula terrarum orbis fines illuminat, et per quod eadem facula accendit septem illa Spi-

Πέτασον τὰς πύλας σου, καὶ τὴν νοητὴν πύλην εἰσάγαγε, ἣν μόνος ὁ τοῦ Θεοῦ διοδεύσας Λόγος, ἐσφραγισμένην ὡς οἶδεν ἐτήρησεν. Εἰ γὰρ καὶ πύλης τὴν κλῆσιν ἀπείληφεν, ἀλλὰ παρθένον ἑαυτὴν διετήρησε, καὶ τοῦ μὲν πράγματος τὴν λειτουργίαν ἐπλήρωσε, τῆς ἀφθαρσίας δὲ τὰς σφραγῖδας οὐκ ἔλυσεν· ἐπίσχες τὸ καταπέτασμα, ἵν' ἔνδον τούτου χωρήσῃ τὸ ἔμψυχον τοῦ Λόγου καταπέτασμα, τὸ ἐν ἑαυτῷ τὴν θεότητα κρύψαν, καὶ τῷ πυρὶ ταύτης μὴ καταφλέξαν τὴν ὑλώδη οὐσίαν· δέξαι τὴν ἐν Πνεύματι κεχρυσωμένην λυχνίαν, ἧς τὸ λαμπάδιον καταυγάζει τὰ πέρατα, δι' ἧς ἀνῆψε τὰ τοῦ Πνεύματος ἑπτὰ χαρίσματα, καὶ τὸν περίγειον κόσμον

[24] Isa. xi, 1. [25] Psal. xliv, 13. [26] Ezech. liv, 1-3.

(25) De prima Virginis Deiparæ origine dixerat Joannes Eubœensis, *eam ab ipso Dei Filio et cooperante sanctissimo ac vivificante Dei Spiritu ædificatam fuisse* (Orat. in Deip. Concept. § 23) : qua quidem sententia nulla luculentior ad prædicandam puram Virginis Conceptionem afferri posse videtur. At palam est in idem conspirare et hunc Jacobi locum, ubi de Virgine disserens sub candelabri symbolo, ipsum ex auro conditum per Spiritum fuisse affirmat.

Digitized by Google

ἐφώτισαν· δέξαι τὴν ζωηφόρον τράπεζαν ἐν ᾗ προτεθεὶς ὁ τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄρτος, ἀμβροσίαν τοὺς μετέχοντας εἱστίασεν, ἐξ ἧς οἱ τῆς σοφίας κρατῆρες, τὸ ἀθόλωτον καὶ καθαρώτατον τῆς γνώσεως πῶμα προχέουσι· κόσμησον τὰ τῶν Ἁγίων ἅγια, καὶ τὴν ὑπεραγίαν σκηνὴν ὑπόδεξαι.

Ι'. Σήμερον γὰρ ὡς τριετίζουσα δάμαλις, εἰς τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων εἰσάγεται· σήμερον τῷ ναῷ προσάγεται ὁ ναὸς ὁ ἔμψυχος, ὁ τῶν οὐρανῶν ὑψηλότερος καὶ πάσης κτίσεως εὐρυχωρότερος· σήμερον ἐν τῷ ναῷ ἐνοικίζεται, ἡ τὴν ἀποικίαν τοῦ ἀνθρωπείου γένους πρὸς τὴν ἰδίαν ἑστίαν διὰ τοῦ τόκου ἀναγαγοῦσα· σήμερον ἡ νοητὴ σκηνὴ τῇ νομικῇ τὰ τῆς χάριτος εὐαγγελίζεται, καὶ τῷ γράμματι ὑποχωρεῖν τῷ πνεύματι διακελεύεται· σήμερον ἡ ἄσπιλος ἀμνὰς ὡς δεκτὸν ἱερεῖον τῷ ναῷ προσφέρεται· σήμερον ἡ ἄμωμος περιστερὰ ἐν τοῖς τοῦ ναοῦ ἀδύτοις περιπτυμένη, τὸν τῆς κακίας ἰξευτὴν ἐξέκλινεν, ὑψηλοτέρα γενομένη τῶν αὐτοῦ μηχανημάτων· σήμερον τὸ δοχεῖον τοῦ Πνεύματος ἐν τῷ ναῷ ἀποτεθὲν, πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ Λόγου ἐξευτρεπίζεται· σήμερον τὸ πάγχρυσον θυμιατήριον εἰς τὰ Ἅγια τῶν ἁγίων εἰσοικίζεται, ἐν ᾧ ὁ Λόγος τὴν σάρκα ἀνάψας, εὐωδίας τὴν οἰκουμένην ἐπλήρωσεν.

ΙΑ'. Εἰσάγαγε τὴν κιβωτὸν τοῦ ἁγιάσματος, τὴν τὸν Νομοδότην αὐτὸν ἔνδον χωρήσασαν, τὴν τὸ οὐράνιον μάννα βαστάσασαν, τὸ τῆς Νέας Διαθήκης θησαύρισμα, τὴν στάμνον τὴν ἔνδοξον, τὴν κιβωτὸν τὴν τὰς θεοχαράκτους πλάκας κατέχουσαν· ἐν αἷς ὁ τοῦ Θεοῦ Λόγος ἐγγραφεὶς ὑπὲρ λόγον, τὸ τοῦ νομικοῦ γράμματος ἐπαχθὲς, εἰς τὴν τοῦ Πνεύματος ἐλαφρότητα μετήνεγκε· λάβε τὴν ἱερατικὴν ῥάβδον, τὴν ἀποτίστως βλαστήσασαν, τὸ ἀμάραντον ἄνθος τὸν Κύριον, τὴν ἁγίαν καὶ ἐπιθυμητὴν γῆν, ἐξ ἧς ἀλήθεια καὶ δικαιοσύνη ἀνέτειλεν, ἐν ᾗ πόδες περικαλύμμασι σκεπόμενοι, προβαίνειν κωλύονται, λέγω δὴ λογισμὸς, ἀμφιβολίᾳ καὶ ἀπιστίᾳ καλυπτόμενος· τὸ κατάσκιον ὄρος, *ἐν ᾧ κατοικῆσαι ὁ λόγος ηὐδόκησεν*, ἐν ᾧ ἡ φύσις ὑποκλιθεῖσα τὴν καῦσιν τῆς ἁμαρ-

A ritus charismata, quæ terrarum orbem luce perfuderunt. Accipe vivificam mensam, in qua propositus vitæ nostræ panis ambrosia (cœlesti alimento) participantes recreavit, et e qua sapientiæ crateres limpidum ac purissimum sapientiæ potum effundunt. Adorna Sancta sanctorum, et sanctissimum in te suscipe tabernaculum.

X. Sane hodie ipsa tamquam triennis vitula (26), in Sancta sanctorum inducitur; hodie in templum infertur templum illud animatum, quod cœlis sublimius est, atque universis rebus creatis amplius (27) et capacius; hodie in templo ea collocatur quæ extorre genus humanum per partum suum in proprias sedes reduxit; hodie spiritale tabernaculum tabernaculo legali gratiam annuntiat, ac litteræ
B indicit, ut spiritui locum cedat; hodie immaculata agna tamquam hostia acceptabilis in templo offertur; hodie intemerata columba in templi adytis circonvolitans, malitiæ aucupem declinavit (28), hujus dolis atque insidiis sublimior effecta; hodie sancti Spiritus receptaculum in templo repositum ad Verbum suscipiendum feliciter præparatur; hodie in Sancta sanctorum importatur thuribulum illud totum aureum, in quo Verbum carnem cum thus adolens, universam terram suavissimo odore perfudit.

XI. Introducarcam sanctificationis [37], quæ Legislatorem ipsum in se recipit, quæque manna cœleste portavit. Suscipe thesaurum illum Novi Testamenti,
C gloriosam urnam, arcam continentem tabulas a Deo exaratas, in quibus, supra quam verbis explicari possit, Dei Verbum inscriptum litteræ legalis grave pondus in leve Spiritus onus commutavit. Accipe virgam sacerdotalem (29), quæ sine irrigatione immarcescibilem florem Dominum germinavit; suscipe terram illam sanctam, et desiderabilem [38], e qua [39] veritas et justitia exortæ sunt, et quam nefas est ut tangant pedes involucro quopiam contecti [40], ratiocinationes, inquam, dubitatione atque infidelitate obvolutæ. Suscipe umbrosum montem, *in quo inhabitare* Verbo *complacuit*, in quem rece-

[37] Psal. CXXXI, 8. [38] Psal. CV, 24; Zach. VII, 14. [39] Psal. LXXXIV, 12. [40] Exod. III, 5.

(26) Solent Patres, præsertim Græci, quemadmodum passeri, aut turturi, aut columbæ, aut agnæ, aut ovi, sic etiam *vitulæ* Deiparam comparare, idque ad innocentiæ laudem maxime spectat. Verum neque Latinis hoc symbolum ad designandam innocentiam insuitatum fuisse evincunt, quæ de Gratiano et Valentiniano sic scripsit Ambrosius (*De obit. Valent.* n. 78): *Super columbas simpliciores, super aquilas leviores, super agnos clementiores, super vitulos innocentiores.*

(27) Uti cœlis amplior prædicatur Deipara, quia cum de cœlis scriptum sit (*III Reg.* VIII, 27): *Cœlum et cœli cœlorum te capere non possunt*, Virgo tamen Deum sinu suo inclusum gestavit, ac suis ulnis complexa est.

(28) Totum hunc paragraphum ex prima Georgii Nicomediensis *in Præsentationem* oratione Jacobus exscripsit. Sunt vero, qui ad Mariæ Conceptionem originali labe immunem hanc etiam transferant sententiam, qua *aucupem malitiæ dicitur evitasse.*
D Perperam omnino: id enim contextus neque exigit, neque patitur, cum sermo palam sit de diaboli insidiis per recessum in templum vitatis; quod nihil ad Conceptionem pertinet.

(29) Hæc ad illa spectant, quæ de virga sacerdotis Aaronis leguntur Num. XVII, 8: *Sequenti die regressus (Moyses) invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: et turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Sacerdotalis autem virga ut typus sanctæ Virginis assumi a Patribus consuevit, quia præter naturæ leges sine ulla humoris irrigatione in ipso tabernaculo germinavit. Verba illa, τὴν ἀποτίστως βλαστήσασαν, Combefisius aliter sic legit: τὴν ἀπὸ πίστεως βλαστήσασαν, ac vertit, *quæ fidei merito... germinavit.* Mirum sane! tam sæpe enim recurrit ista sententia apud Patres, qui typo illo adhibito Deiparæ non quidem fidei merita, sed miraculum Conceptionis sine semine demirantur ac celebrant, ut de vitiata lectione suspicari maxime pronum esset.

Digitized by Google

pta natura ac veluti latens (30) peccati incendium declinavit; e quo [31] sine ullius manus opera evolutus lapis ille angularis hostis statuam contrivit, atque in pulverem redegit. Suscipe olivam fructiferam, e qua oleum exhilarans [32] effluxit, et universas creaturas impinguavit [33]. Suscipe thronum gloriosum, vehiculum regale, in quo Verbum insidens ad nos carne indutum advenit. Complectere lectulum Salomonis, in cujus circuitu [34] sexaginta fortes agunt excubias. Hanc prophetica illa forceps [35], per Seraphim servata, et per Spiritum sanctum prædicata effigurabat, quæ carbonem ferens labia purgabat. Hanc præmonstrabat liber ille signatus [36], quem nemo litterarum peritus legere potuit, nisi qui obsignaverat atque ineffabili ratione custodivit.

A τίας ἐξέκλινεν, ἐξ οὗ ἀχειροτεύκτως ὁ ἀκρογωνιαῖος ἐκκυλισθεὶς λίθος, τὴν εἰκόνα τοῦ ἐχθροῦ συνέτριψε καὶ εἰς νοῦν ἀπελίκμησε· δέξαι τὴν κατάκαρπον ἐλαίαν, δι' ἧς τὸ ἱλαρῦνον ἀνέβλυσεν ἔλαιον, καὶ τὴν κτίσιν ἐλίπανε· τὸν θρόνον τὸν ἔνδοξον, τὸ βασιλικὸν ὄχημα, ἐν ᾧ ὁ Λόγος ὀχούμενος, μετὰ σαρκὸς ἐπεδήμησε· περίλαβε τὴν Σολομώντειον κλίνην, ᾗ κύκλῳ δορυφοροῦσιν οἱ ἑξήκοντα δυνατοί· ταύτην ἡ προφητικὴ λαβὶς ἐξεικόνισεν, ἡ τὸν ἄνθρακα φέρουσα καὶ τὰ χείλη καθαίρουσα, ἡ σεραφικῶς φυλαττομένη, καὶ διὰ Πνεύματος ἁγίου κηρυττομένη· ταύτην ἡ ἐσφραγισμένη βίβλος ἐμήνυσεν, ἣν οὐδεὶς ἀνέγνω γραμμάτων ἐπιστήμων, πλὴν τοῦ σφραγίσαντος καὶ ὑπὲρ λόγον τηρήσαντος.

XII. Verum ad propositi argumenti consequentiam ex ordine revertamur. Postquam peracta via quæ ad templum ascendit, ipsa cum virginibus eam comitantibus ad illius portas appropinquavit, vehemens admiratio ac stupor non injucundus eos, qui intus erant, subiit, primum quidem ob auditum insueti hujus comitatus clamorem, deinde vero etiam propter ejusdem aspectum. Virginum enim chorus præcedebat concinno ordine dispositus, et tum ordinato incessu, tum florida venustatis pulchritudine suavissimum spectaculum exhibebat. Virgo autem velut satellitio quodam illis circumstipata puellis, quæ laces gestabant, miram sane quemadmodum specie sic toto externo habitu decorem præseferebat; floridam enim illarum venustatem clarissimo pulchritudinis suæ splendore obscurabat, non secus ac stellarum lucem sol vincit et abscondit. Vultus autem hilaritate constantem animæ magnitudinem intus latentem demonstrabat; propter quam non illis modo, sed et universæ naturæ admirationi erat, atque signis etiam magis insuetis testimonium el præbebatur.

B IB'. Ἀλλ' ἐπὶ τὴν ἀκολουθίαν τῆς ὑποθέσεως ἐπανέλθωμεν. Ἐπειδὴ, τῆς πρὸς τὸν ναὸν διηνυσμένης ἀναβάσεως, αὐτὴ μὲν σὺν ταῖς ἑπομέναις παρθένοις, ταῖς αὐτοῦ προσεγγίζει πύλαις, θάμβος δὲ λαμβάνει καὶ κατάπληξις οὐκ ἀτερπὴς τοὺς ἔνδον, ἀκοῇ μὲν πρότερον, ἔπειτα δὲ καὶ θεωρίᾳ τὴν ἀσυνήθη διασκοποῦντας πρόοδον. Χορεία γὰρ παρθενικὴ προῆγεν εὐτάκτῳ τῇ ἁρμονίᾳ συνημμένη, καὶ τῇ τε κατὰ κόσμον μεταβάσει, καὶ τῷ ἔτι ὥρας ἐπανθοῦντι κάλλει, ἡδὺ τὸ θέαμα παρίστη. Παρθένος δὲ κύκλῳ δορυφορουμένη λαμπαδουχούσαις αὐταῖς. ξένην μὲν ὡς περὶ τὴν ὥραν, οὕτω καὶ τὴν ἐκτὸς εἶχε κατασταλήν· τὸ ἀνθηρὸν γὰρ ἐκείνων, τῷ τοῦ εἴδους φαιδροτάτῳ συνέκρυπτε· καθάπερ ἡλίου τὴν C τῶν ἄστρων ὑπερνικῶντος αὐγὴν, τῷ ἱλαρῷ δὲ τὸ σύννουν αὐτῇ κεκρυμμένον, τὸ τῆς ψυχῆς ὑπέφαινε μεγαλοφυές· δι' οὗ καὶ τεκμήρια καινότερα, οὐκ αὐτῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς ὅλης τῇ θαυμαζομένῃ προσεμαρτυρεῖτο φύσεως.

XIII. Sic igitur illis, qui in templo erant, ad vestibulum ejus accurrentibus, et novum chori illius spectaculum contuentibus, sunimus ipse sacerdos, Zacharias, qui alios præcedebat, quæ ipsa esset, et quænam adventus causa foret, sciscitatur. Matrem vero, quæ manibus adhuc filiam tenebat, ei respondisse (narrat historia) atque ita locutam esse: Cum nihil latere te possit, quippe qui sacerD dos sis magni Dei, et ab ipso omnia, quæ scitu necessaria sint, divinitus docearis: jam vero multo minus existimandum est, tibi incomperta ea esse quæ ad hanc puellam pertinent, quæ cum singularissima illius providentia huc advenerit, nunc coram te adstat. Cumque ineffabili modo particeps hujusce mysterii effectus fueris, haud opus est, te perspicua rei ipsius veritate jam persuasum verbis edoceri. Nihilominus quandoquidem ita a nobis exigitur, quemadmodum hæc se habeant, sermone exponimus.

IΓ'. Οὕτω γοῦν πρὸς ταῖς εἰσόδοις τῶν ἐντὸς ἐκχεχυμένων τοῦ ναοῦ, πρός τε τὴν καινοφανῆ χορείαν ἐνατενιζόντων, τοῦ ἱερέως προηγουμένου Ζαχαρίου, τίς ἂν εἴη αὕτη, καὶ τὴν αἰτίαν τῆς ἀφίξεως, αὐτὸς διεπυνθάνετο· τὴν δὲ μητέρα χερσὶν ἔτι κατέχουσαν τὴν Παρθένον εἰπεῖν ἀποκρινομένην δήπουθεν πρὸς αὐτόν· Ὡς μηδαμῶς σε λανθάνειν ἱερέα τε τοῦ μεγάλου Θεοῦ τυγχάνοντα, καὶ τὰ δέοντα μὲν ἅπαντα παρ' αὐτοῦ μυούμενον· οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς παρούσης παιδός, ἥτις αὐτοῦ προμηθείᾳ κρείττονι δεῦρο γενομένη παρέστηκε· καὶ χρὴ μὲν ἀπορρήτως σε μυσταγωγηθέντα ταῦτα, μὴ λόγοις ἀναδιδάσκεσθαι, πράγματι αὐτῷ τῇ ἀληθείᾳ πεπεισμένον· ὅμως παρορμηθέντες ὅπως ἂν ἔχοι προσειπεῖν διέξιμεν.

Nobis, o sacerdos divine, nullum aderat prolis solatium, impotentia scilicet naturæ infirmæ atque omnimoda segnitie affectæ id prohibente, atque

Ἡμῖν, ὦ θεσπέσιε λειτουργὲ, τὰ τῆς παιδοποιΐα καλὰ, ἀδυναμίᾳ τῆς ἀσθενούσης ἐπείχετο φύσεως, εἰ παντελῆ ταύτης ἀποκλεισθείσης (30) ἀργίαν. Διὸ τῇ

[31] Dan. II, 34. [32] Psal. CXXXIII, 15. [33] Psal. XXII, 5. [34] Cant. III, 7. [35] Isa. VI, 6. [36] Isa. XXIX, 11.

(30) Combefisius (loc. cit.) pro ἀποκλεισθείσα legit ἀποκλιθείσα, ac vertit *reclinata*.

Digitized by Google

τοῦ γένους διαδοχῆς, ἀνέλπιστοι μὲν αἱ προσδοκίαι διετέλουν, ὀνειδισμοὶ δὲ παρὰ τῶν συμφυλετῶν, διὰ τὴν τῆς τεκνογονίας ἐπετρίβοντο στέρησιν, ὡς αὐτῶν δηλαδὴ τῶν τοῦ Θεοῦ στερουμένων δωρεῶν, οὓς εἰκὸς ἐπικωμάζοντας, οὐδὲ ταύτὸν ἀγνοεῖν. Ὥσπερ γὰρ ἰδίᾳ, οὕτω καὶ καρποφοροῦσιν ἡμῖν καὶ θύουσιν, ἐν τῷ ναῷ κατεχέοντο. Πᾶσι γοῦν χαίρειν εἰπόντες τοῖς παροῦσι, τῇ θείᾳ δεδωκότες ἑαυτοὺς ἐπερρίψαμεν προμηθείᾳ, παρ' αὐτῆς τυχεῖν τὰς τῆς φύσεως δωρεὰς ἐξαιτούμενοι, καὶ τῆς τῶν ὀνειδισμῶν ἀπαλλαγῆναι δυσφημίας· ἐντεῦθεν τοίνυν τῶν παρόντων ἡμῖν τερπνῶν καὶ τῶν ἐξουσίᾳ κειμένων, ὑπερώφθησαν αἱ ἀπολαύσεις· πλοῦτος παρωράθη, δόξα κατεφρονήθη, περιφάνεια κατεκρύβη, φίλων ἑταιρεία ἠθέτηται, οἰκετῶν ἀπώσθη δορυφορία, εὐφρόσυνα μετημείφθησαν ἅπαντα, ἐνδεια τῶν ἐν ἀφθονίᾳ, ἐρημία τῶν ἀναγκαίων, διατριβὴ ἄφιλος, νηστεία τὴν ἀνθρωπίνην καταπαλαίουσα φύσιν, ὀδυνηρῶν ἐκ βάθους ἀναπεμψεις στεναγμῶν, δακρύων δαψιλεῖς ἐκχύσεις, δεήσεις ἐκτενεῖς, εὐχαὶ ἐκ συντετριμμένης προϊοῦσαι καρδίας, καὶ ῥήμασιν ἀξιολόγοις ἐλέους ἀναφερόμεναι.

A adeo generis nostri successionis spes omnis penitus defecerat. Propter hanc vero filiorum orbitatem a contribulibus opprobria nobis ingerebantur, tanquam scilicet ipsi Dei donis prorsus careremus, cum tamen res non ferret, ut qui nobis insultabant, ea ignorarent. Namque sicut privatim, ita cum in templo fructus oblationesque deferremus, bona nobis effusissime affluere manifestum erat. Itaque omnibus, quæ suppetebant, valere jussis, divinæ nosmetipsos Providentiæ commendantes, in eam prorsus nos conjecimus, deprecantes, ut per ipsam naturæ dona promereremur, et ab opprobriorum dedecore liberaremur. Omnis itaque voluptas, solatia omnia, quæ in nostra potestate et ad manus nobis erant, exinde contempta : despectæ divitiæ, decor neglectus, splendor depositus, consortia amicorum intermissa, domesticorum servitium rejectum, læta quæcumque repudiata, sepositum quod opulentia offert, quodvis commodum, remota necessariorum consuetudo, fastidio habita colloquia, jejunia naturæ humanæ facultatem excedentia, suspiria cum gemitibus ab imo pectore emissa, uberes lacrymarum imbres, juges supplicationes, preces e corde contrito erumpentes, et verbis ad misericordiam flectentibus effusæ.

B

ΙΔ'. Τούτοις οὖν ὁ πανάγαθος ἐπικαμφθεὶς Δεσπότης, εἶξε τῇ παρακλήσει, ἐπένευσε τῇ δεήσει, ᾤκτειρε τὴν ἐθελούσιον ταλαιπωρίαν, ἐπήκουσε στεναγμῶν, προσέσχε δάκρυσι. Διὸ καὶ τὴν ἀσθενοῦσαν μὲν ἐπέῤῥωσε φύσιν, χρησμῷ δὲ τὸ τῶν δεήσεων καθυπέσχετο παρέξειν πλήρωμα· ἣν βεβαίαν ἡμεῖς ἐπαγγελίαν δεξάμενοι, ἀνθυπεσχόμεθα τὸ παρασχεθησόμενον τῷ ἐπαγγειλαμένῳ μὲν ἀποδιδόναι ὁπότερον ἂν τύχῃ, μὴ προκρίναντες τὸ ἄῤῥεν τοῦ θήλεος, ἐν τῷ δεδοξασμένῳ δὲ ναῷ καθάπερ τι θεῖον κειμήλιον ἀνατίθεμεν. Προνοίᾳ γοῦν τοῦ παρασχομένου δίδοται, ἣν νῦν παρ' ἡμῶν ἀντιδιδομένην παῖδα καθορᾷς, ἣν μεγαλοψυχία μὲν τῶν τεκόντων προσφέρει, παρθένων δὲ δορυφορεῖ λαμπαδευχοῦσα χορεία, ἧς τὸν οἰκονομούμενον λόγον, αὐτὸς ἂν ὑπὸ τοῦ οἰκονομοῦντος μυηθείης.

XIV. His igitur permotus benignissimus Dominus cessit supplicationi, annuit obsecrationi, spontaneam afflictionem miseratus est, exaudivit gemitus, lacrymas non despexit. Quocirca et infirmam corroboravit naturam, et per oracului preces ac vota C nostra se completurum pollicitus est. Cui promissioni firmissimæ nos fiducia innixi, promittenti invicem polliciti sumus, oblaturos nos ei quidquid ab ipso accepturi eramus, qualecunque tandem illud esset, nullo facto inter masculum et feminam discrimine ; et exinde ad gloriosum ejusdem templum veluti divinum quoddam munus ac thesaurum hanc sistimus. Providentiæ itaque largitoris donum est puella, quæ, uti conspicis, nunc a nobis Donatori redditur, et a suis ipsius parentibus liberaliter offertur. Virginum porro lampades gestantium chorus eam deducit, de cujus œconomiæ ratione fortasse ab ipso œconomiæ Auctore jam certior divinitus factus fueris.

Δεξάμενος οὖν ταύτην τῶν ἀνακτόρων ἐντὸς, ἀποταμίευσον τῷ Θεῷ. Μήτε πρὸς τὸ ἀσύνηθες τοῦ πράγματος ἀποβλέψας, μήτε ὡς ἁρπεπῆ τὴν ἀφιέρωσιν ὑποτοπάσας, διὰ τὸ τὴν προσαγομένην τῆς θηλείας φύσεως οὖσαν, μὴ προσήκειν τοῖς ἁγίοις ἐγκατοικίζεσθαι, καὶ συνυπηρέτην ἀποφαίνειν τῶν θείων λειτουργῶν. Οὐδὲ γὰρ ὁ ἐπαγγειλάμενος τύτην ἡμῖν ὑποσχομένοις τὴν τοῦ δεθησομένου ἀφιέρωσιν εἰς φῶς ἂν προήνεγκεν, εἴπου τῶν ἁρπεπῶν ἐδόκει, οὐδὲ εἰς ἔργον ἐκβῆναι παρεσκεύασε τὸ βούλημα. Ταῦτ' οὖν, ὦ θεῖε Ζαχαρία, βαλλόμενος εἰς νοῦν, ἡπίως μὲν τὴν ἔλευσιν, περιχαρῶς δὲ τὴν ἀφιέρωσιν καταδίχου. Δέξαι τὴν ἤδη προϋποδεδεγμένην Θεῷ· δέξαι τὴν ἀπαρχὴν καὶ πέρας τοῦ παρὰ προσδοκίαν ἡμῶν καρποῦ, τὴν πολλῶν δεήσεων μονογενῆ παρασχεθεῖσαν ἀμοιβήν.

D

Eam itaque intra sanctuarium suscipe, et Deo repositam hac conserves. Neque vero ad insuetam rem movearis, neque ejusmodi consecrationem minus consentaneam putes, quasi scilicet nequaquam deceat, cum feminei sexus ea sit, quæ offertur, in sanctuario ipsam ad habitandum collocari, divinorumque ministrorum sociam ac comministram fieri. Postquam enim Deo pollicenti nobis prolem invicem promisimus, consecraturos nos esse quidquid ipse tribuisset, sane, si hoc dedeceret, neque disposuisset, ut in lucem hæc filia veniret, neque commisisset, ut nostrum hoc consilium in opus deduceretur. Hæc igitur, o divine Zacharia, in animum inducens, illius quidem adventum benigne, consecrationem autem ingenti cum gaudio admitte. Accipe jam ante a Deo acceptam : accipe quem præter spem sortiti sumus fructum primum simul et ultimum, unigenitam scilicet ceu multarum precum retributionem nobis concessam.

Digitized by Google

XV. Cum igitur Anna hunc sermonem absolvisset, *Zacharias accipiens puellam a matris manibus dimissam, osculatus est eam, et benedixit ei, et ait : Magnificavit Dominus Deus nomen tuum in omnibus generationibus.* Osculatus est eam et benedixit. Osculum quidem signum certum fuit divinæ providentiæ benigne eam suscipientis ; benedictio vero tamquam vaticinium mox futuræ salutis adjiciebatur.

Animadverte autem, quomodo Zacharias per castissimi osculi liberalem exceptionem haud obscurum præstantioris benevolentiæ et dilectionis, et indubiæ cum ea cognationis signum exhibuerit ; quo et illis, qui eam offerebant, fiduciæ, ei vero, quæ consecrabatur, gaudii argumentum præbuit. Sed neque hisce limitibus lætitiæ materiem circumscripsit : verum et per ea, quæ bene precando ultra spem addidit, jugis ac numquam deficientis jucunditatis causam suppeditavit.

Benedixit enim, inquit, *et ait : Magnificavit Dominus Deus nomen tuum in omnibus generationibus.* Non dixit, Magnificat Dominus nomen tuum, quasi nunc magnificari ipsi contingat, propterea quod ipsi (Deo) offertur, et consecratur ; sed, *Magnificavit Dominus Deus nomen tuum ;* ac si diceret : Quamvis tuorum mysteriorum nunc gloria reveletur, et nominis tui celebritas a corporali tuo in lucem ortu initium ducere videatur, ineffabili tamen consilio illius, qui te gloria cumulavit, jam olim electum hoc nomen tuum magnificatum fuit ; illud Deus supra omnium creaturarum honorem extulit ; præ angelico ipso nomine glorificavit ; sublimius humanis mentibus reddidit ; effecitque, ut magnalium suorum fulgoribus cujusvis nominis celebritatem offuscaret.

XVI. Cum itaque hæc summus sacerdos prophetice enuntiasset, narrat sacra historia, acceptissimum illud humani generis holocaustum eum obtulisse. Deinde vero sedere eam fecit in tertio altaris gradu, eo quod juxta singulos ætatis gradus Spiritus sancti charismata illi collata adaugebantur ; tum etiam cum angelis conversabatur, nec divinis carebat apparitionibus.

Cum itaque in penitiori æde, prout solebat, ipsa versaretur, videbat Zacharias quemdam peregrino aspectu cum ea colloquentem, atque victum illi præbentem. Erat autem angelus, qui apparebat. Propterea animo vehementer obstupescens, ita secum ipse disserebat : Quidnam hoc est, quod video ? novum illud sane, et ab iis, quæ his in terris accidere solent, alienum. Qui apparet, formam gerit angelicam, et cum puella miscet sermones, ac natura incorporea congruum corporibus cibum defert. Adventare angeli ad solos sacerdotes hic solebant, ut de iis, quæ agenda essent, vel suaderent vel dissuaderent ; neque id frequenter usveniebat. Quod vero is, quem modo cerno, feminæ appareat, eique ætate immaturæ, et annis tenellæ, res est profecto plane inaudita. Sane si hæc ex illis

IE'. Οὕτω τοίνυν τῆς Ἄννης διεξιούσης τὸν λόγον, *τῶν χειρῶν αὐτῆς ἀφεθεῖσαν τὴν παῖδα λαβὼν ὁ Ζαχαρίας, ἐφίλησε καὶ ηὐλόγησεν αὐτὴν, καὶ εἶπεν · Ἐμεγάλυνε Κύριος ὁ Θεὸς τὸ ὄνομά σου ἐν πάσαις ταῖς γενεαῖς.* Ἐφίλησεν αὐτὴν καὶ ηὐλόγησεν · ὁ μὲν ἀσπασμὸς, τῆς ἡπίως τοῦ δεχομένου Θεοῦ προμηθείας τεκμήριον ἦν, ἡ δὲ εὐλογία, προφητεία τῆς μελλούσης κατεβάλλετο σωτηρίας.

Σκόπει δὲ τὸν Ζαχαρίαν πῶς τῇ τοῦ ἀγνοτάτου φιλήματος δεξιώσει, τῆς τε κρείττονος εὐμενείας καὶ ἀγαπήσεως καὶ τοῦ τῆς συγγενείας ἀνενδοιάστου, καθυπέδειξε σύμβολα · δι' ὧν τούς τε καθιεροῦντας θαρρεῖν, καὶ τὴν ἀφιερωμένην χαίρειν παρεσκεύασε· καὶ οὐδὲ μέχρι τούτου τὰ τῆς περιχαρείας αὐτοῖς περιγράφει, ἀλλὰ καὶ ταῖς ὑπὲρ ἐλπίδα διὰ τῆς εὐλογίας προσρήσεσι, συνφκισμένην καὶ μόνιμον ἐπιδρύει τὴν εὐφροσύνην.

Ηὐλόγησε γὰρ αὐτὴν, φησὶ, *καὶ εἶπεν · Ἐμεγάλυνε Κύριος ὁ Θεὸς τὸ ὄνομά σου ἐν πάσαις ταῖς γενεαῖς.* Οὐκ ἔφη, Μεγαλύνει Κύριος τὸ ὄνομά σου, ὡς τῇ ἀποδόσει καὶ πρὸς αὐτὸν ἀφιερώσει τοῦ μεγαλύνεσθαι νῦν αὐτῇ συμβαίνοντος, ἀλλ' *Ἐμεγάλυνε Κύριος ὁ Θεὸς τὸ ὄνομά σου* · Εἰ καὶ νῦν, φησὶν, ἡ τῶν σῶν μυστηρίων διανακαλύπτεται δόξα, καὶ τῇ σωματικῇ προόδῳ, τὸ τοῦ σοῦ ὀνόματος ἀρχὴν λαμβάνειν δι' ἡχήσεως δοκεῖ περιβόητον· ἀλλ' ἀρρήτῳ πάλαι τοῦ τετιμηκότος σε βουλήσει, προκεχριμένον ἐμεγαλύνθη τοῦτο · πάσης ἀνώτερον τῶν ἐν γενέσει τοῦτο τέθεικε τιμῆς · ὑπερεδόξασεν ἀγγελικῆς ὀνομασίας, ὑπερεβίβασεν ἀνθρωπίνης διανοίας · πᾶσαν ἀποκρύπτειν τῇ περιφανείᾳ τῶν μεγαλείων, πεποίηκε προσηγορίαν.

IϚ'. Οὕτω γοῦν τὸν ἱερέα τὴν προφητείαν εἰπόντα, φησὶν ἡ μυστογραφία, τὸ εὐπρόσδεκτον τοῦ γένους ὁλοκαύτωμα προσενεγκεῖν · οὕτως ἐκάθισεν αὐτὴν ἐπὶ τοῦ τρίτου βαθμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου · διὸ ταῖς καθεκάστην ἀναβάσεσι τῆς ἡλικίας τὰ τοῦ Πνεύματος ἐπετείνετο ταύτῃ χαρίσματα, ἀγγέλοις τε συνωμίλει καὶ θείων ἐμφάσεων οὐκ ἠμοίρει.

Ταύτῃ τοι τῷ εἰωθότι πρὸς τοῖς ἀδύτοις διατριβούσῃ ἐώρα ὁ Ζαχαρίας ξένον τινὰ τῷ εἴδει προσομιλοῦντα, καὶ τροφὴν ἐπιδιδοῦντα. Ἄγγελος δὲ ἦν ὁ φαινόμενος, διὸ τῇ διανοίᾳ ἐξίστατο, καὶ τοιαῦτα διελογίζετο · Τί τοῦτο τὸ ὁρώμενον ; ξένον ὡς ἀληθῶς καὶ τῆς ἐνταῦθα συνηθείας ἀλλότριον, ἀγγελικὸν τὸ φαινόμενον σχῆμα. Καὶ νεάνιδι προσδιαλέγεται καὶ ἀσώματος φύσις σώμασι προσήκουσαν τροφὴν ἐπιφέρεται. Αἱ τῶν ἀγγέλων ἐνταῦθα ἐπιδημίαι, τοῖς ἱερεῦσι μόνοις ἐπιφοιτᾶν εἰώθασι, προτροπῆς ἕνεκα ἢ ἀποτροπῆς τῶν πρακτέων, καὶ τοῦτο τῶν οὐ πολλάκις ἐπιφαινομένων. Γυναικὶ δὲ, τῶν ἀσυνήθων πάντη καθέστηκεν, ἡ τοῦ νῦν ὁρωμένου ἐπέλευσις, καὶ ταῦτα παρ' ἡλικίαν οὖσῃ, καὶ χρόνῳ νεαζούσῃ. Εἰ μὲν γὰρ τῶν ἐπεζευγμένων ἀνδρὶ, ἡ προκειμένη ἔτυχεν οὖσα, στειρώσεώς τε νοσήματι τῶν τῆς παι-

Digitized by Google

δοποιίας ἀπαλλείσθη χαρισμάτων, καὶ λιταῖς; τὰ τῆς γονῆς ἐπεζήτει λήψεσθαι, πρὸς τοῦτό τε τῆς διατριβῆς ὁ λόγος ἐγίνετο, εἶχεν ἂν τὸ βλεπόμενον τῷ σκοπῷ τὴν διάλυσιν. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο καθάπαξ τοῖς περὶ Ἄνναν συμβέβηκεν, οὐχὶ καὶ τῷ Ἡλεί· ὅτι δὲ καὶ ἡ νῦν θαλαμευομένη Παρθένος, καὶ τούτων ἁπάντων ἐλευθέρα, καὶ ἡ τοῦ ἀγγέλου πρὸς αὐτὴν ὁμιλία συνεχῶς ἡμῖν καθορᾶται, δίδωσι μεῖζον ἐμοὶ τὸ θαῦμα κατανοεῖν. Συμπίπτουσι δὲ ἀμφιβολίαι περὶ τὸ κρυπτὸν καὶ ἐμφωλεύουσιν. Ἆρα τί ἂν εἴη τοῦτο; Τί μηνύσων ἦκεν ὁ ἄγγελος; τίς ἡ κομιζομένη τροφή; τίς ἡ τοσαύτη τῶν δωρημάτων ὑπερβολή; τί τοιοῦτον κατ' ἀξίαν ἡ Παρθένος εἰργάσατο; Ὅτι μὲν καθαρότητι διενήνοχε τὰς γεγενημένας ἁπάσας, οἶδα πιστωθεὶς τοῖς πράγμασι. Τεκμήριον δὲ σαφὲς τὸ ἦθος καὶ ἡ πρὸς ἀρετὴν αὔξησις καὶ ἐπίδοσις, δι' ὧν πρὸς ἑαυτὴν ἐπισπᾶται τὸ θεῖον. Τὸ γοῦν τηλικούτων τεύξασθαι ταύτην ἀγαθῶν, αἴτιον τάχα μεγάλων εὐεργεσιῶν ἡμῖν ὀφθήσεται. Ἆρα μὴν τῶν προφητῶν οἱ χρησμοὶ ἐν ταύτῃ πληρωθήσονται; ἆρα μὴν τῶν ἐλπιζομένων ἐν ταύτῃ τὸ τέλος ἀποβήσεται; μὴν ὁ μέλλων ἐπ' ἀνορθώσει τοῦ γένους ἐλεύσεσθαι ἐκ ταύτης τὸ ἡμέτερον ἀναλήψεται φύραμα; Καὶ γὰρ τοῦτο προκεκήρυκται τὸ μυστήριον, καὶ ὁ Λόγος τοιαύτην τὴν ὑπηρετήσουσαν ἐπιζητεῖ. Οὕτως οὐκ ἄλλη προκριθήσεται εἰς τὴν τούτου λειτουργίαν, πλὴν τῆς ὁρωμένης νεάνιδος· καὶ γὰρ ἀμήχανον ἐν αὐτῇ τὸ κρυπτόμενον τῆς ἁγνείας κατανοῶ κάλλος, καὶ τοῦ κρυπτομένου φανέρωσιν ἡ τοῦ Θείου πρὸς ταύτην εὔνοια παρίστησιν! ὡς μακάριος ὁ οἶκος Ἰσραήλ, ἐξ οὗ τοιοῦτον ἀνέθηλε βλάστημα! Ὡς εὐλογημένη ἡ ῥίζα Ἰεσσαί, ἐξ ἧς ἡ ἀκμάζουσα αὕτη ῥάβδος ἀνέδραμεν, ἡ τῷ κόσμῳ τὴν σωτηρίαν ἀνθοφορεῖν μέλλουσα! Ὡς ὑπερένδοξος ἡ μνήμη τῶν γεννησάντων, καὶ πάσης ἐπέκεινα μακαριότητος! Ὡς δεδοξασμένος ἐγὼ τοιούτων ἐντρυφήσας τῶν θεαμάτων, τοιούτων ἀπολαύσας τῶν χαρισμάτων! Χάριν εἰς αἰῶνας εἴσομαί σοι, ναὶ Κυρίου, ὅτι σοῦ τῆς λειτουργίας ἕνεκα τῶν πᾶσι δικαίοις ἐπιθυμουμένων οὐκ ἀπέτυχον.

A esset, quæ viro copulatæ sunt, ac sterilitate laborans probis muneribus careret, et supplici prece sobolem sibi dari obsecraret; certe eam ad rem pertineret ejusmodi collocutio, et ex fine illud, quod video, admitteret explicationem. Hoc utique et Annæ contigit, simul tamen et Heli. At cum et Virgo sit ea, quæ in secreto hoc conclavi degit, atque a prædictis omnibus prorsus sit libera, et angelum nihilominus cum ipsa colloquentem constanter cernamus; hoc enimvero majus mihi ad considerandum miraculum offert. Subeunt autem, mentemque occupant dubitationes, quidnam hic lateat, atque abscondatur. Qnid sibi hæc volunt? Quidnam nuntiaturus advenit angelus? qualis cibus ei defertur? quænam hæc tanta donorum exube-
B rantia? ecquid ejusmodi Virgo hæc gessit ut talia promereretur? Equidem quod universas feminas superet puritate, novi re ipsa edoctus. Argumentum autem rei manifestum sunt et mores, et juge in virtutibus incrementum, per quæ ad se ipsam Deum attrahit. Itaque quod tantis bonis cumulata fuerit, fortasse et nobis magnorum beneficiorum origo ostendetur. An forte prophetarum vaticinia in ipsa implementum habitura sunt? an forte in ea perficientur, quæ in spe sunt nobis reposita? an ex ista massam nostram est assumpturus, qui ad restaurandum genus nostrum venturus est? Etenim hoc mysterium jam prænuntiatum est, et Verbum talem, quæ ministret sibi requirit. Profecto ad ejusmodi ministerium non alia eligetur, præter hanc, quam
C cerno, puellam; nam prorsus mirabilem animadverto in ipsa latentem innocentiæ pulchritudinem, quodque in ipsa latet, revelat effusa Dei in ipsam munificentia. Quam beata domus Israel, ex qua tale germen pullulavit! Quam benedicta radix Jesse, ex qua virens hæc virga consurgit, quæ mundo salutis florem proferet! Quam major omni gloria, atque omni beatitate potior genitorum illius memoria! Quam mihi gloriosum, quod oculis meis horum aspectu perfrui, atque tanto potiri beneficio mihi contigerit! Immortalem tibi, o Domini templum, gratiam habiturus sum; propterea enim quod tuo ministerio nuncupatus fui, hac felicitate quæ justis omnibus exoptata semper fuit, non sum defraudatus.

ΙΖ'. Οὕτως ὁ Ζαχαρίας διαπορῶν καὶ θαυμάζων τὰ τῆς Παρθένου παράδοξα ἦν. Ἡμεῖς δὲ εἴποιμεν ἂν πρὸς αὐτόν· Οὐδέν, ὦ Ζαχαρία, τῶν τῆς παναγνου ἀμφίβολον· οὐδὲν ἀκατάλληλον τῶν ταύτης μεγαλείων· πάντα τῇ ἀληθείᾳ τὸ βέβαιον εἴληφεν. Ἔδει γὰρ τὸ θεῖον σκήνωμα τοιαύταις ἀναβάσεσιν αὐξηθῆναι. Ἔδει τὴν ἄσπιλον ἀμνάδα τοιαύτῃ παιδαισίᾳ εὐωχηθῆναι· ἔδει τοιούτων ἐδεσμάτων ἐμφορηθῆναι. Ἔδει μὴ εἰς τὰ τῶν ἁγίων Ἅγια τῆς σκηνῆς, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ, τὰ τῆς πρώτης ἡλικίας ἀνατραφῆναι τὴν πλατυτέραν τούτων ὀφθεῖσαν, καὶ καθαρότητι διενεγκοῦσαν. Ἔδει μὴ ὑφ' ἑνὸς μόνου ἀγγέλου ταύτην ὑπηρετεῖσθαι, ἀλλ' ὑπὸ μυρίων μυριάδων κύκλῳ δορυφορεῖσθαι.

D XVII. Ita Zacharias ancipites animo versabat cogitationes, ac stupore rapiebatur propter res Virginis plane admirandas. Nos vero ad eum conversi dicamus: Nihil est, o Zacharia, cur de iis quæ pertinent ad hanc innocentissimam, ambigas. Nihil est in ejusdem magnalibus quod non adamussim sibi respondeat: omnia plane veritati consona reperiuntur. Oportebat enim ut divinum tabernaculum (31) hisce gradibus incrementum susciperet. Oportebat, ut agna immaculata ejusmodi epulis pasceretur; oportebat, ut talibus ipsa aleretur ferculis. Oportebat, ut nedum in Sanctis sanctorum tabernaculis, sed in ipso cœlo cœlorum ab ipsis æta tis primordiis educaretur, quæ cœlis ipsis amplior

(31) Virgo nempe Deipara, cujus typus ex Patrum sententia fuit antiqui fœderis tabernaculum.

Digitized by Google

apparuit, ipsosque puritate superavit (32). Oportebat, ut nedum ab uno tantum angelo ipsi ministraretur, sed a millibus millium satellitium ei exhiberetur.

XVIII. Ipsa est, o Zacharia, sublimissimum ac purissimum cimelium, in quo reconditi sunt gratiæ thesauri; in quo salutis nostræ pignus servatur, in quo œconomiæ divinæ divitiæ ineffabiliter sitæ sunt. Ipsa est vas illud impollutum, regio luce recepta fulgens, e qua salutis radii universæ terræ effulsere. Hanc supermundanum veluti mundum templum istud suscepit. Puritatis ejus odor jucundus præ quibuscunque, qui incendantur, odoribus suavius fragrabit. Virtutum ejus splendor multipliciter lucentibus candelabris micantius refulget. Ipsa angelica gloriæ cantica æmulans, incessabilem Deo, cui deservit, laudem offert. Ipsa utut sexus muliebris exsistat, incomparabiliter tamen virilem excedit perfectionem; idcirco naturalis affectus vincula abrumpens, ac parentum curis posthabitis, paterni amoris solatia abdicat, a materna semet affectione sejungit, et quælibet vitæ commoda sibi interdicit. Propterea enim et mira hæc rerum novitas, et arcanorum participatio, et charismatum exuberantia in eam concurrunt, admirandus cibus, locuples gratiarum copia, angelorum colloquia, diviniores illustrationes, habitatio in sacris penetralibus, libera in Sanctis sanctorum conversatio.

XIX. *Dedit enim*, inquit, *Deus illi gratiam, et pedibus suis tripudiabat*. Qualem hanc (dicit) gratiam? Scilicet vel divinarum illustrationum munus, vel illam supra ætatem fortitudinem, vel vires ipsam ad virtutem perfectam provehentes; vel gratiam hanc alt accepisse, qua ipsa sola præ universis mulieribus digna habita est, ut et ea consecratione dedicaretur et tam liberam degendi ubiubi intra templi sacrarium facultatem haberet; tum etiam ut gratia custodiretur, et hujus quidem gratiæ indicia in mirabili illo tripudio acciperet.

Dedit enim (inquit) *Deus illi gratiam, et tripudiabat pedibus suis*. Quid igitur admiratione dignum per hæc innuitur? Nihil enim singulare ex his desumendum esse, videri forte posset. Verum si quis eventus novitatem perpendat, nulli earum rerum,

Ιη'. Αὕτη ἐστὶν, ὦ Ζαχαρία, τὸ ὑπέρτατον καὶ καθαρώτατον κειμήλιον, ἐν ᾧ οἱ τῆς χάριτος θησαυροὶ ἀπετέθησαν, ἐν ᾧ τὰ τῆς ἡμῶν σωτηρίας ἐταμιεύθη ἐνέχυρα, ἐν ᾧ ὁ τῆς οἰκονομίας πλοῦτος ἀπορρήτως ἀπόκειται· τὸ σκεῦος τὸ ἀμόλυντον, τὸ φωτοδόχον χωρίον, ἐξ οὗ σωτηρίας ἀκτῖνες τῇ οἰκουμένῃ ἐπέλαμψαν. Ταύτην ὡς ὑπερκόσμιον ὁ ναὸς οὗτος ὑπεδέξατο κόσμον. Ταύτης ἡ τῆς καθαρότητος εὐωδία τῶν θυμιωμένων πάντων ὑπερηδυνθήσεται μύρων. Αὕτη τῇ τῶν ἀρετῶν λαμπρότητι τὰς πολυφώτους ὑπεραστράπτει λυχνίας. Αὕτη ταῖς ἀγγελικαῖς ἁμιλλωμένη δοξολογίαις, ἀκατάπαυστον τὴν αἴνεσιν τῷ λειτουργουμένῳ προσάγει Θεῷ. Αὕτη εἰ καὶ τῆς γυναικείας ἔστι μερίδος, ἀλλὰ ἀσυγκρίτως τῆς τῶν ἀῤῥένων ὑπέρκειται τελειότητος· διὸ καὶ τῆς φυσικῆς ἀπορῥηγνυμένη σχέσεως, καὶ τῆς τῶν τεκόντων ἐπιμελείας ἀποξενουμένη, πατρῴας ἀποστερεῖται στοργῆς, μητρικῆς ἀποτέμνεται σχέσεως, τῆς τῶν ἐπιτηδείων ἀπείργεται θεραπείας. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ παραδόξων πραγμάτων καινοτομίαι, καὶ μυστηρίων οἰκονομίαι, καὶ χαρισμάτων συνέδραμον ἀφθονίαι· ἡ παράδοξος τροφὴ, ἡ τῶν χαρίτων ἀφθονία, αἱ τῶν ἀγγέλων συνομιλίαι, αἱ θειότεραι ἐλλάμψεις, ἡ ἐν τοῖς ἀδύτοις διατριβὴ, ἡ ἐν ἁγίοις παῤῥησία.

Ιθ'. Ἔδωκε γὰρ, φησὶν, ὁ Θεὸς χάριν ἐπ' αὐτὴν καὶ κατεχόρευε τοῖς ποσὶν αὐτῆς. Τὴν ποίαν ταύτην χάριν; Ἢ τὴν τῶν θείων ἐλλάμψεων, ἢ τὸ παρ' ἡλικίαν καρτερικὸν αὐτῇ, καὶ πρὸς ἀρετῆς ἀνάγεσθαι παρέχουσαν τελειότητα· ἢ χάριν ταύτην φησὶν εἰληφέναι, τὴν μόνην αὐτὴν προκεκριτικῖαν τῆς κατ' ἐκείνην φύσεως, τοιαύτης μὲν τῆς ἀφιερώσεως τυχεῖν, οὕτω δὲ ἀκώλυτον τὴν ἐν τοῖς ἀδύτοις διατριβὴν ποιεῖσθαι καὶ συντηρεῖσθαι χάριτι, καὶ σύμβολα ταύτης τῇ παραδόξῳ δέχεσθαι χορεύσει.

Ἔδωκε γὰρ, φησὶν, ὁ Θεὸς χάριν ἐπ' αὐτὴν καὶ κατεχόρευε τοῖς ποσὶν αὐτῆς. Πῶς καθάπερ τι μέγα καινότατον τέθεικεν ὁ συγγραφεὺς, τὸ κατεχόρευε τοῖς ποσὶν αὐτῆς λέγω; τί οὖν παράδοξον ὑπαινίττεται τοῦτο; παράδοξον μὲν οὖν, αὐτόθεν λαμβα-

(32) Videsis, quanto studio singularissimam Deiparæ puritatem extollere Patres nunquam prætermittant. Jam enim etsi parem tantummodo cœlorum puritati puritatem Virginis affirmarent, satis id evinceret, ipsam cujuslibet labis nesciam pronunciandam esse. Quid vero, cum cœlos mundissimos præ Maria minus mundos habendos affirmant? Præclara sunt, quæ de hac re legimus etiam in homilia *in Nativitatem Deiparæ*, quam sub Damasceni nomine edidit Le Quien (vol. II, pag. 851), sed Theodoro Studitæ restituendam alias jam diximus. Cum enim auctor præmisisset, Deum, cum Mariam condidit, *novum* cœlum creasse, sibi deinde hæc objicit (§ 4, pag. 851): « Verumtamen, inquit, mundus anterior quam maxime est admirabilis: *Cum enim creata sunt sidera, magna voce me laudaverunt et prædicaverunt angeli mei.* (*Job.* xxxviii, 7.) Et respondet: « Atqui nihil sic Deo decens gratumque fuit, uti beata ac prorsus admiranda Virgo. Idque ita se habere, ex patientissimo Jobo discas licet, qui inquit (*Job.* xv, 15; xxv, 5): *Cœlum non est mundum, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus.* Hac vero quid purius sit? quid mundius? quippe quam præstantissima illa ac purissima lux (unigenitum Dei Verbum) sic adamaverit, ut per sancti Spiritus obumbrationem substantialiter cum ea commisceri, et ex ipsa perfectus homo prodire voluerit. » Quæ quidem plane peremptoria sunt. Nam cum Deus ceu purissima lux inducatur purissimam sibi sedem quærens ac propterea Mariam ceu novum cœlum creans adeo puram, ut auctor exclamando in illud prorumpat: *Quid illa purius, quid illa mundius?* jam nisi retineas, Mariam cujusvis maculæ expertem extitisse, palam est exclamanti potuisse facile reponi, et cœlis puriorem non haberi, quæ peccato olim fuerit deturpata, et puriorem sedem Deo offerri potuisse, siquidem aliam sibi Matrem ab originis labe immunem creasset.

Digitized by Google

νόμενον, εἰκὸς ἂν οὐ δόξειεν. Εἰ δὲ τὴν τοῦ συμβάντος ἐννοήσειέ τις καινοτομίαν, οὐκ ἂν τῶν παροδοξοτάτων θείη δεύτερον· καὶ γὰρ ἦν ἰσοστάσιον καινοτομούμενόν τε ἅμα καὶ κατανοούμενον. Πῶς γὰρ καὶ μὴ ὑπῆρξεν οὕτω τοῖς θεωμένοις, ἐν τῷ θείῳ καὶ ἀφωρισμένῳ χώρῳ τοῖς τὰ ἀπόῤῥητα μυουμένοις, ἐν ἱερῷ τοῖς τὰ ἱερὰ τελοῦσιν ἐνδιατρίβειν συγκεχωρημένοις, ἐν ἀδάτῳ σχεδὸν γυναιξὶ τόπῳ, νεάνιδα παρθένον διαπαντὸς ἐνδιαιτωμένην, καὶ τὴν μόνην περιορισθεῖσαν ἀφιέρωσιν ἀνδράσιν, ἐν γυναιξὶ παρ' ἐλπίδα καινοτομουμένην, καὶ τῶν τοιούτων ἄρτι καινοτομουμένων, μηδένα, μήτε ἱερέων, μήτε ἰδιωτῶν, ἢ ἔργῳ διακωλύειν ἐπιχειρεῖν ἢ λόγοις τὴν δοκοῦσαν ἐν τῷ πράγματι παρανομίαν, καὶ διελέγχειν καὶ ἀπαγορεύειν; Ἀλλὰ γὰρ καὶ πρὸς τὸ μὴ νοηθῆναι τοῦτο, καταδεχθῆναι δὲ μᾶλλον τὴν ξένην ἀφιέρωσιν, καὶ συνησθῆναι ταύτῃ τοὺς ὁρῶντας ἅπαντας, ὁ χαρίτων τὴν προσαγομένην παρεσκεύασε Θεός.

A quæ vel maxime admirandæ censentur, hanc secundam existimabit. Pari enim admiratione dignum erat tum novum illud, quod fiebat, tum quod per hoc menti considerandum objiciebatur. Quomodo enim in stuporem non raperentur, cum viderent, in loco illo divino atque iis designato, qui ineffabilibus mysteriis initiabantur, in templo, inquam, simul cum iis quibus ibidem morari ad sacra peragenda licebat, in loco mulieribus prorsus non adeundo, puellam virginem jugiter versari; et consecrationem illam, quæ viris tantum constituta erat, novo præter exspectationem exemplo mulieribus communem fieri; cumque talia nunc primum fierent, neminem sive e sacerdotibus sive e privatis, id quod legi re ipsa adversari videbatur, impedire aut improbare, aut interdicere sive factis sive verbis ausum fuisse? At enim Deus ipse oblatam Virginem gratiæ muneribus adeo exornatam ostendit, ut nemo eorum, qui rem coram spectabant, ad hoc mentem adverteret, imo vero cuncti inusitatam illam consecrationem ultro admitterent, quin et ipsa delectarentur.

B

Κ'. Ἔδωκε γὰρ, φησὶ, χάριν ἐπ' αὐτὴν ὁ Θεὸς, καὶ κατεχόρευε τοῖς ποσὶν αὐτῆς, καὶ ἠγάπησεν αὐτὴν πᾶς οἶκος Ἰσραήλ. Οὐ μόνον πρὸς τὴν καινὴν ἀπόδοσιν ὁ Ἰσραηλίτης οὐκ ἀντιλέγει λαὸς, ἀλλὰ καὶ ἡπίως καταδέχεται ταύτην· καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ περιποθήτως αὐτό τε τὸ γινόμενον πρᾶγμα, καὶ τὴν προσαγομένην περιπτύσσεται. Ἠγάπησε γὰρ αὐτὴν, φησὶ, πᾶς οἶκος Ἰσραήλ. Ὡς θεῖκῇ ἀποδεδομένην ἠγάπησε προνοίᾳ, ὥστε ταμιευόμενον τῷ Κτίστῃ μετίμησε κειμήλιον, ὡς εὐπρόσδεκτον αὐτοῦ περιεπτύξατο προσφοράν· καὶ οὐκ εἶπεν, Ἠγάπησεν αὐτὴν ὁ οἶκος Ἰσραὴλ, ἀλλὰ, πᾶς οἶκος Ἰσραήλ. Οὐχ οἱ ἐν τῷ θείῳ, φησὶ, τεμένει μόνον ἀρχιερεῖς καὶ λευῖται ἅπαντες οἵ τε τῷ θυσιαστηρίῳ ἐφεδρεύοντες καὶ ταῖς θυσίαις καθυπηρετούμενοι, τῇ καθαρωτάτῃ ταύτης συνήδοντο σχέσει, ἀλλὰ καὶ οἱ πανταχόθεν συναγειρόμενοι συμφυλέται, καὶ τῆς πατρῴας ἕνεκα θρησκείας, τὸν περιώνυμον ἐκεῖνον καταλαμβάνοντες ναὸν, ἄνδρες, γυναῖκες, πρεσβῦται, νέοι, παρθένοι συνηλικιῶτιδες, αὐτόχθονές τε καὶ οἱ ἐκ διασπορᾶς φοιτῶντες Ἰσραηλῖται· πάντες οὗτοι τῷ τῆς θεωμένης τῶν ἀνακτόρων ἔνδον καταθελγόμενοι κάλλει, τῇ ἀνοθεύτῳ ταύτης προσεφύοντο ἀγαπήσει.

C

XX. *Dedit enim*, inquit, *Deus illi gratiam, et tripudiabat pedibus suis, et diligebat eam omnis domus Israel.* Non modo insuetæ huic oblationi populus Israeliticus non contradicit, verum etiam ipsam animo admittit; neque hoc tantum, verum et cum affectu illud ipsum, quod fit, et eam, quæ offertur, amplectitur. *Diligebat enim*, inquit, *illam omnis domus Israel.* Dilexit utpote divino consilio consecratam, tanquam cimelium Creatori repositum honoravit, tanquam acceptissimam illi oblationem complectebatur. Et non dixit, *Diligebat eam domus Israel*, sed, *omnis domus Israel.* Non modo (inquit) qui in divino templo erant pontifices, levitæque universi, et qui altari adsistebant, et sacrificiis ministrabant, purissima illius specie delectabantur; sed etiam illi, qui undique conveniebant contribules, et ex patriæ religionis instituto ad celeberrimum illud templum accedebant, viri, mulieres, senes, juvenes, virgines coætaneæ, indigenæ, et qui ex dispersione Israelis accurrebant, isti omnes pulchritudine illius, quæ in sacris adytis visebatur, rapti sincerissimo erga ipsam amore afficiebantur.

ΚΑ'. Διὰ τοῦτο, φησὶν, ἠγάπησεν αὐτὴν πᾶς οἶκος Ἰσραήλ. Ἦν γὰρ, φησὶ, Μαριὰμ νεμομένη ἐν τῷ ναῷ Κυρίου, ὡσεὶ περιστερά. Τίς ἂν ἐκεῖνο τὸ γλυκὺ καὶ ποθητὸν ἰδὼν οὐ κατεθέλχθη θέαμα; τίς ἐν ἐπιθυμίᾳ τῆς παραδόξου ταύτης οὐκ ἂν ἐγένετο θεωρίας; Ὡς ἁπάντων μὲν τῶν ὁρατῶν, τούς τε τῆς διανοίας καὶ αἰσθητοὺς ἀπαγαγεῖν ὀφθαλμοὺς, εἰς δὲ τὸ ἡδὺ καὶ θελκτικὸν ἐκεῖνο μεταθεῖναι θέαμα, σκοπῆσαί τε τὴν μεγαλοπρέπειαν τοῦ γένους, ἐν ἀκμῇ τῆς ἡλικίας τὴν τελειοτάτην διὰ τῆς καρτερίας ἐνδεικνυμένην ἀρετὴν, καὶ τῶν ὑψηλῶν καὶ ξένων κατατρυφῶσαν χαρισμάτων, ἰδεῖν τὸ πολυέραστον ἡμῶν ἐγκαλλώπισμα, ἐν τοῖς ἐνδοτέρω μὲν περιχορεῦον τοῦ ἱεροῦ καὶ ταῖς θείαις λαμπρυνόμενον χάρισι, τοῖς διαγέσι δὲ τῆς καθαρότητος τὸν

D

XXI. Propterea, ait, *diligebat eam omnis domus Israel. Erat enim*, inquit, *Maria habitans in templo Domini, sicut columba.* Quisnam suave illud ac desiderabile spectaculum intuens delectatione non caperetur? quisnam admirandæ illius visionis desiderio non teneretur? Et sane omnium ipsa mentis corporisque oculos a cunctis visibilibus abstrahens in dulce illud et jucundum spectaculum convertebat, ut intuerentur humani generis decus magnificentissimum, et perfectissimam in flore ætatis virtutem, quæ per miram constantiam se prodebat, et sublimibus insolitisque charismatibus affluebat, ut contemplarentur eam, quæ dulcissima nostra gloria est, in interioribus templis tripudiantem, ac divinis gratiis coruscantem, tum domici-

Digitized by Google

lium ipsum, in quo versabatur, puritatis splendoribus collustrantem; ut immaculatam conspiceret columbam innocentiæ alis in templo circumvolitantem, et mysteriorum nidum collectis virtutibus exstruentem.

XXII. *Erat enim*, inquit, *Maria habitans in templo Domini, sicut columba in templi amplis spatiis tripudiabat.* Transiliebat volatu primum velamen, perveniebat intra secundum, ad Sancta sanctorum pertransibat, in ipsa mysteriorum adyta ingrediebatur, augustissima quæque sacra purissimis manibus contrectabat, symbola œconomiam Dominicam typice significantia et figuras semetipsam adumbrantes (33-34) complectebatur. Omnia illi permittenda censebantur, cum omnibus se oblectandi facta illi potestas erat, nihil eorum, quæ contueri aliis nefas esset, ipsi inaccessum erat, nec prohibebatur, quin per quamlibet templi partem libere versaretur. Hoc enim significat, eam sicut columbam in templo habitasse; magis autem sine ulla culpæ labe ibidem versatam fuisse (35), atque solam, ad vitam in templo pro loci dignitate degendam, delectam fuisse, liberamque ei habitationem concessam fuisse, hæc verba declarant, quia nempe omnes alii, qui ibidem quotidiano munere per vicem occupabantur, ab humanis maculis puri non omnino erant, etsi inter eos censeatur etiam qui summi sacerdotii dignitate erat insignitus. Hoc igitur sibi illud vult, *innocentem columbam in templo habitasse.*

XXIII. Descenderunt autem parentes illius, ut docet historia, *admirantes et laudantes Deum, quia ad eos non est conversa.* Mirabantur scilicet, quod viderent virginem ad eos non respicere; Deum vero laudabant, qui firmum illi et constantem animum largiebatur, retinebatque quam excepisset, et a complexu suo indivulsam conservabat. Hoc porro, quod cernebatur, et mirum in se erat, et sane dignum, pro quo Deum benedicerent. *Discesserunt enim*, inquit, *parentes ejus admirantes et laudantes Deum, quoniam ad ipsos non conversa.*

XXIV. Quanquam quid est, cur illius tantummodo admiremur constantiam, quod ad suos se non converterit, quando et parentes ejus invictum in eo ipso animi robur prætulisse videmus? Neque enim vel ipsi cum a dilectissima filia separarentur, ullo mœroris sensu affecti sunt, neque paterna commota sunt viscera, neque naturalis affectionis aculeus eos pupugit, neque ad filiam iterum revertentes eam consueto affectu complexi sunt; non verborum balbutientis (puellæ) ore prolatorum dulcis succurrens memoria eorum mentem perturbavit; non vultus et conversationis ac pulchritudinis (ejus) recurrentes imagines, quas animo hærentes gerebant, quippe quæ in deliciis prius ipsis erant,

(33-34) Nescio, an ex iis, quæ ad templum veteris fœderis pertinent, adsignari quidpiam possit, quod uti Deiparæ symbolum a Patribus habitum non fuerit. Ea de re in Commentario.

A ἐνοικούμενον καταφαιδρῦνον τόπον, θεάσασθαι τὴν ἄσπιλον περιστερὰν, ταῖς τῆς ἀκακίας πτέρυξιν ἐν τῷ ναῷ περιπταμένην, καὶ τῇ τῶν ἀρετῶν ἀναλέξει, τὴν τῶν μυστηρίων ἐποικοδομοῦσαν νοσσιάν.

ΚΒ'. Ἦν γὰρ, φησὶ, *Μαριὰμ νεμομένη ἐν τῷ ναῷ Κυρίου ὡσεὶ περιστερά· ἐν τῷ τοῦ ναοῦ περιεχόρευε πλάτει.* Τὸ πρῶτον ὑπερίπτατο καταπέτασμα, τοῦ δευτέρου ἐντὸς ἐγίνετο, τὰ τῶν ἁγίων κατελάμβανε Ἅγια, εἰς αὐτὰ τῶν μυστηρίων εἰσέδυ τὰ ἄδυτα· χερσὶ καθαρωτάταις τῶν ἱερῶν περιεδράσσετο σεβασμάτων, τὰ τὴν Δεσποτικὴν οἰκονομίαν τυποῦντα σύμβολα, καὶ τὰς οἰκείας κατησπάζετο σκιαγραφίας. Πάντα ἦν ἀφετέα ταύτῃ, πάντων ἐπ' ἐξουσίας εἶχε τὸ τρυφᾷν, οὐδὲν αὐτῇ τῶν ἄλλοις B ἀθεάτων ἀπεκλείετό τι· οὐκ ἀπείργετο τῆς παντα χόσε τοῦ τεμένους περινοστήσεως. Τοῦτο γὰρ τὸ, ὡσεὶ περιστερὰν, αὐτὴν ἐν τούτῳ νέμεσθαι δηλοῖ, μᾶλλον δὲ τὸ πάσης ἐκτὸς ἐνδιατρίβειν κακίας, καὶ μόνην κατ' ἀξίαν ἐκείνου διαιτήσεως καὶ προκριθῆναι καὶ τὴν ἀκώλυτον κληρωθῆναι παρίστησιν ὁ λόγος κατοικίαν, ὡς πάντων δηλαδὴ τῶν ἐπασχολαζόντων ἄλλων ἐν αὐτῷ, ἢ ταῖς ἐφημερίων ἐναλλαγαῖς, μὴ πάντη τῶν ἀνθρωπίνων καθαρευόντων κηλίδων, κἂν τις αὐτῶν τύχοι ἐν τῷ ὑπερκειμένῳ τετιμημένος τῆς ἀρχιερωσύνης ἀξιώματι. Τοῦτο γοῦν τὸ νέμεσθαι *τὴν ἄκακον ἐν τῷ ναῷ περιστερὰν σημαίνει.*

C ΚΓ'. Κατέβησαν δὲ οἱ γονεῖς αὐτῆς, ὡς ἡ ἱστορία διδάσκει, *θαυμάζοντες καὶ αἰνοῦντες τὸν Θεὸν, ὅτι οὐκ ἐπεστράφη ἐπ' αὐτούς.* Ἐθαύμαζον μὲν τὸ ἀνεπίστροφον ὁρῶντες τῆς παρθένου· ἤνουν δὲ τὸν τὸ ἀπύλητον αὐτῇ καὶ βέβαιον παρασχόμενον· ὃς καὶ προτλαβόμενος αὐτὴν, κατίσχε, καὶ ἀδιάσπαστον τῆς οἰκείας διετήρησε συναφείας· ἦν γὰρ θαύματος καὶ δοξολογίας Θεοῦ ἐπάξιον τὸ θεωρούμενον. Ἀπῆεσαν γὰρ, φησὶν, *οἱ γονεῖς αὐτῆς θαυμάζοντες καὶ αἰνοῦντες τὸν Θεὸν, ὅτι οὐκ ἐπεστράφη πρὸς αὐτούς.*

ΚΔ'. Καὶ τί δεῖ μόνης ταύτης τὸ ἀνεπίστροφον πρὸς τοὺς οἰκείους θαυμάζειν, ὁπόταν καὶ τοὺς αὐτῆς γεννήτορας ἐν τούτῳ μεγαλυνθέντας ὁρῶμεν; D Οὐδὲ γὰρ, οὐδὲ αὐτοὶ πρὸς τὴν τοῦ φιλτάτου διάστασιν ἠγανάκτησαν, οὐδὲ τὰ πατρικὰ συνεκινήθησαν σπλάγχνα, οὐδὲ τῷ κέντρῳ τῆς φύσεως κατετρώθησαν, καὶ πρὸς τὴν παῖδα πάλιν ἀναστραφέντες, τῷ συνήθει ταύτην περιπτύξαντο πόθῳ· οὐ ῥημάτων τὸ ἡδὺ καὶ δυσάρθρωτον εἰς μνήμην ἐλθὸν, τὸν λογισμὸν αὐτοῖς συνετάραξεν, οὐ θέας καὶ διατριβῆς καὶ κάλλους ἀνατύπωσις ἐν νῷ διαζωγραφηθέντων, ἅτε ἐν ἀπολαύσει πρότερον ὄντος· σφοδρότερον αὐτοὺς ἠνίασε καὶ τοιαῦτα πρὸς τὴν παῖδα προσομιλεῖν ἔπεισε· Πολλὰ μὲν διὰ τὸ παρασχεθῆναί σε μογή-

(35) Hinc patet, quo spectet mos penes Patres frequentissimus, ut sanctam Virginem columbæ immaculatæ æquiparent.

Digitized by Google

σαντες, ὦ τέκνον, πολλὴν δὲ τὴν ἐπίπονον ἀγωνίαν ἐνδειξάμενοι καὶ τὴν χαλεπὴν ταλαιπωρίαν ὑποστάντες, ὥστε καὶ τῶν τῆς ἀτεκνίας ἀπαλλαγῆναι σκωμμάτων, καί σε παρασχεθεῖσαν διηνεκὲς ἔχειν πρὸ ὀφθαλμῶν ἀγαλλίαμα, τῶν προσδοκηθέντων ἀγαθῶν τὴν ἀφαίρεσιν ὑπομένομεν. Ὅτε γὰρ τούτων ἐναπολαύειν προσῆν, καὶ ἐν ἐπιτυχίᾳ τοῦ ζητουμένου καθέστηκεν, ὅτε τῶν πόνων ἀνείθημεν καὶ τὴν τῶν χρηστοτέρων ἐν χερσὶ κατείχομεν πληροφορίαν, τότε τῇ συμβαινούσῃ διαστάσει, αἵ τε ἐλπίδες καταῤῥέουσι, καὶ οἱ πόνοι σφοδρότεροι προσπίπτουσι, καὶ τὸ λυπηρὸν ἀπαρηγόρητον συνεπιτιθέμενον, ἀνιᾷ καὶ βαρύνει, καὶ ἔνδον προχωροῦν κατατρύχει. Οὐ γὰρ οὕτω τὸ ἐν ἐλπίσι κείμενον ἀγαθὸν, ὡς τὸ ἐν χερσὶ γενόμενον, ταχεῖάν τε τὴν ἀφαίρεσιν ὑπομένον, τὴν τῆς ἀποτυχίας ἀνίαν ἐμποιεῖ. Τὸ μὲν γὰρ ἐν ἀπείρῳ τοῦ ἐπιθυμητοῦ μὴ προγινόμενον, ῥᾳδίως φέρεται· τὸ δὲ τοῖς τοῦ ἡδέος αὐτοῦ γευσαμένοις ἀφαιρούμενον, δυσφόρητον μὲν τὴν ἀφαίρεσιν ἔχει, χαλεπὴν δὲ τὴν ζημίαν τοῖς ὑπομένουσι προξενεῖ. Ἡμῖν μὲν οὖν πολλῶν πόνων καὶ προσευχῶν καρπὸς παρασχεθεῖσα, τῆς τε ἀπολαύσεως ἔγευσας, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν ἔστησας· νῦν δὲ μετὰ πεῖραν τῶν σῶν καλῶν ἡ ἀφαίρεσις, καὶ μετὰ τὴν ἀπόλαυσιν ἡ ζημία, καὶ τὸ ἀηδὲς μετὰ τὴν ἡδονήν. Διὸ τῶν τε πραγμάτων ἡ ἔφεσις ἔρημος ἀπολείπεται, καὶ διὰ βάθους τῆς ψυχῆς τὰ ὀδυνηρὰ τῆς φύσεως χωρεῖ κέντρα. Καὶ εἰ μὲν πρὸς ἕτερον ἦν ἀπιδεῖν, ἢ παρὸν ἢ ἐσόμενον τέκνον, εἶχεν ἂν τὸ φορητὸν ἡ διάστασις· ἐπειδὴ δὲ μία τῆς ἀσθενούσης φύσεως θεραπεία δεδωρημένη καθιέρωσαι τῷ δόντι, τὰς ἡμετέρας ἀναφλέγεις ψυχὰς, μηδεμίαν τοῦ πάθους καταλείπουσα παραμυθίαν, εἰ καὶ τὸ εὐπαρηγόρητον τὸ τῆς ἀφιερώσεως κατεπαγγέλλεται πρᾶγμα.

A vehementius eos contristarunt aut impulerunt, ut ad filiam sermonem haberent hujusmodi: Multa quidem, ut te obtineremus, perpessi sumus, o filia, certamen apprime laboriosum susceptimus, gravesque ærumnas sustinuimus, ut et a scommatibus propter sterilitatem injectis liberaremur, ac te nobis donatam juge ante oculos solamen haberemus; nunc autem eorum, quæ tamdiu exspectavimus, bonorum jacturam patimur. Quando enim istis jam frui dabatur, quodque exoptatum ac quæsitum fuerat, eramus assecuti, quando cessatio a laboribus promittebatur, et eorum, quæ reliquis omnibus jucundiora nobis erant, plena possessione gaudebamus; tunc, abrupto consortio, et spes nostræ diffluunt, et graviores irruunt ærumnæ, ac mœror B succedit consolationis nescius, qui nos affligit, et opprimit, et intima cordis pervadens discruciat. Non enim pari dolore afficit amissio boni, quod adhuc spei nostræ tantum objicitur, quemadmodum improvisa boni, quod jam tenemus, ablatio. Facile enim fertur, si inexpertum bonum, quod concupiscitur, assequi non liceat. Sin autem quidpiam iis aufertur, qui suavitatem ejus jam gustaverant, difficilis prorsus ad ferendum privatio ejus contingit, fraudatisque acerbissimum dolorem affert. Jam vero tu nobis concessa fueras tanquam multorum laborum ac precum effusarum fructus, jamque ut suavissima frueremur voluptate effecerás, nostrumque expleveras desiderium; ast ecce bonorum, quæ in te sunt, experientiam excipit eorumdem amissio, fruitioni succedit jactura, gaudio mœstitia. Propterea nobis desiderium relinquitur, quod expleri nequeat, ac acerbus naturæ aculeus, qui animæ intima pervadit. Et si quidem de alia prole aut præsente aut futura cogitare liceret, ferenda hæc separatio utcumque viderit posset; sed postquam unicum naturæ elanguentis solatium nobis tributa fuisti, acerbissimo sane animas nostras, dum donanti in holocaustum cedis, dolore uris, et utut ratio consecrationis tuæ tanquam aliquid recreandis animis idoneum proponatur, nullum tamen nobis mœroris lenimentum relinquis.

Ἀλλ' οὐδὲν τοιοῦτον οἱ πανόσιοι τῆς παρθένου γεννήτορες εἶπον· ὃ δὴ καὶ καταπλήξεώς ἐστι πλῆρες, καὶ τῆς τῶν δικαίων ἐπάξιον ἀρετῆς. *Κατέβησαν γὰρ*, φησὶν, *οἱ γονεῖς αὐτῆς θαυμάζοντες καὶ αἰνοῦντες τὸν Θεὸν, ὅτι οὐκ ἀπεστράφη πρὸς αὐτούς.*

At nihil hujusmodi sanctissimi Virginis parentes dixerunt; quod utique et maxime stupendum est, et horum justorum virtute dignissimum. *Descenderunt enim*, inquit, *parentes ejus admirantes et laudantes Deum, quoniam non est conversa ad ipsos.*

ΚΕ'. Τοῦ δεξαμένου γὰρ καὶ οἰκειωσαμένου ταύτην ὁ πόθος ὑπερῆχων, τοῦ τῶν τεκόντων, καίτοι τυραννικώτατου ὄντος, κατεκράτησε φίλτρου. Ὦ καινῆς καὶ πάσης ἀνωτέρας διανοήσεως χάριτος! ὦ ξένης καὶ ἀγωγῆς καὶ διαιτήσεως! ὦ λόγων τῶν ἁρμόδια τοῖς πράγμασι τὰ ῥήματα προβαλλομένων! ὦ νομῆς ἐκείνης, ἣν ἡ λογικὴ καὶ ἄσπιλος τῆς φύσεως κατενεμήθη ἀμνάς.

XXV. Et sane prævalens amor ejus, qui ipsam susceperat suamque fecerat, affectum in parentes utut vehementissimum, ac validissime devincientem, longissime excedebat. O novam atque omni cogitatione sublimiorem gratiam! o peregrinam vivendi rationem ac disciplinam! o narrationem iis verbis contextam, quæ rebus maxime congruunt! o pascuum illud quo rationalis et immaculata naturæ humanæ agna pascebatur!

Ἦν γὰρ, φησὶ, *Μαριὰμ νεμομένη ἐν τῷ ναῷ Κυρίου, ὡσεὶ περιστερὰ, καὶ ἐλάμβανε τροφὴν ἐκ χειρὸς ἀγγέλου.* Ἐπειδὴ γὰρ ἀποδεδομένη Θεῷ καὶ τῆς ἀνθρωπίνης ἀπηλλαγμένη προστασίας, μήτε τῶν γεννησάντων τῇ ἀναγκαίᾳ ταύτης ἐπιστατούντων χρείᾳ, μήτε τῶν γνησίων τὸ ἐφυστερίζον ἀπο-

Pascebatur enim, inquit, *Maria in templo Domini sicut columba, et escam e manu angeli accipiebat.* Postquam enim reddita Deo fuit, et humana ei deficiebat sollicitudo, quia scilicet neque parentes curam eorum quæ quotidiano usui necessaria ei forent, in se amplius suscipiebant, neque cognati,

Digitized by Google

si quid præterea opus esset, adimplebant, illi vero, qui secundum ordinem in templo munus obibant, id ipsum aut negligebant aut etiam fastidiebant; ab angelo mirabilem illam et ex tempore paratam escam accipiebat. Nam quod famulantium atque ea, quæ corporalibus usibus opportuna sunt, providentium ministerio non semper destituta fuerit, satis constat. Ex iis enim quæ in templo subministrabantur, atque ad victum efferebantur, simul cum iis, qui eorum participes ex præscripto esse debebant, ipsa quoque enutriebatur. Quando vero contingeret ut omnium prorsus cura ei deficeret, ac ipsa sola fere negligeretur, atque careret necessariis, neque adesset, qui solitudinem ejus solaretur; tunc ab angelo extemporaneum illum ac mirabilem victum accipiebat. Eorum siquidem, qui sacris in templo muneribus ex ordine fungebantur, nonnulli quidem simul atque sacra peregissent, et consuetum explevissent ministerium, in rem domesticam mentem operamque omnem convertebant; alii vero qui assidue invigilandi sacrorum ministerio et custodiæ munus sortiti erant, cum omne in eam rem studium conferrent, segniores ad illius (puellæ) curam gerendam reddebantur. Fortasse enim his prospicere idonearum mulierum aut ancillarum onus erat, et, cæterum ratio ipsa postulabat, ut quotidianum corporis alimentum ad vitam naturalem servandam suppeditaretur. Quamobrem victum, si quando ei deesset, etiam ab angelo delatum habebat.

A πληρούντων, καταμελούντων δὲ, ἢ καὶ παρορώντων τῶν εἰς τὴν τοῦ ναοῦ τεταγμένων παρεδρίαν, τὴν αὐτοσχέδιον ἐκείνην καὶ παράδοξον δι' ἀγγέλου ἐλάμβανε τροφήν. Ὅτι μὲν γὰρ οὐ διαπαντὸς τῆς τῶν θεραπευόντων καὶ τῶν τοῦ σώματος ἐπιτηδείων προνοουμένων ἀπελείπετο λειτουργίας, παντὶ που γνώριμον. Διὰ γὰρ τῶν καθυπηρετουμένων ἐν τῷ ναῷ καὶ τῶν καρποφορουμένων, σὺν τοῖς μετέχειν αὐτῶν ἀφορισθεῖσι, διετρέφετο. Ὅτε δὲ καιρὸς ἐπῆν, καθ' ὃν τῆς τῶν ἁπάντων ἀπεγυμνοῦτο προνοίας, μόνη τε σχεδὸν ἐγκαταλειπομένη, τῶν τε κατὰ χρείαν ὑστερεῖτο, καὶ τὸν παρηγοροῦντα τὴν μόνωσιν οὐκ εἶχε, τότε τὴν αὐτοσχέδιον καὶ παράδοξον διὰ τοῦ ἀγγέλου ἐκομίζετο τροφήν. Τῶν γὰρ ἐν τῷ ἱερῷ τεταγμένων, οἱ μὲν τὰς λειτουργίας ἐπιτελοῦν- B τες, τῇ συνήθει τὸ πέρας ἐπιτιθέντες ἀκολουθίᾳ, οὐδὲ τῆς κατ' οἶκον κατημέλουν χρείας· οἱ δὲ καὶ τῇ τῶν ἱερῶν διηνεκῶς ἐγκαρτερεῖν ὑπηρεσίᾳ καὶ φυλακῇ τεθειμένοι, τὸ πᾶν ἐν τούτῳ τῆς σπουδῆς καταναλίσκοντες, ἀργότεροι πρὸς τὴν ἐκείνης καθειστήκεισαν θεραπείαν. Τῶν ἐπιτηδείων γὰρ ταῦτα γυναικῶν τυχὸν ἢ θεραπαινίδων ἀποπληροῦν ὑπῆρχε, καὶ κατὰ λόγον ἐπεζήτει πάντως τὰ τὴν φύσιν συντηρήσοντα διὰ τῆς ἐφημέρου τοῦ σώματος σιτήσεως, ἐφ' ᾧ καὶ τὴν ἐπιλείπουσαν ἐλάμβανεν ἐκ τοῦ ἀγγέλου τροφήν.

XXVI. Sane, quomodo Dominus, qui propensissima hanc voluntate exceperat, eamdem providentia prorsus mirabili non tueretur? Quomodo eam diviniori quadam cura dignam non haberet? Quomodo non etiam singularissima ratione victum ei suppeditaret? Quomodo eam obumbratione sua veluti quibusdam ulnis circumplectens et continens, uti suam ipsius portionem non circumtexisset? Quomodo purissimam columbam suam non confoveret? Quomodo uti pretiosissimum donum non asservasset? Quomodo ea oblectatus non esset ceu victima nullo vitio laborante, et suavissimum spirante odorem?

ΚΣ'. Πῶς γὰρ ἂν ὁ κρείττονι βουλήσει ταύτην C παρειληφὼς Δεσπότης, μὴ παραδοξοτάτῃ περιεποιήσατο προμηθείᾳ; Πῶς μὴ θειοτέρας ἠξίωσε τῆς ἐπισκοπῆς; πῶς μὴ τοῖς ἀξιολογωτέροις ἐτιθηνήσατο χαρίσμασι; πῶς μὴ ταῖς ἀγκαλῶν δίκην συνεχούσαις αὐτὴν περικρατῶν ἐπισκιάσεσιν, ὡς οἰκείαν περιέλαβε μερίδα, ὡς ἀκεραίαν συνέθαλψε περιστερὰν, ὡς πολύτιμον ἐταμιεύσατο δῶρον, ὡς ὁλοκλήρῳ ταύτῃ καὶ εὐώδει ἐφηδύνθη καλλιερήματι;

Etenim si dum dulcem hanc et jucundam historiam per solum nos auditum excipimus, et mirabilem illam vitæ rationem institutumque in memoriam revocantes ope sermonis veluti depingimus, ferventi atque æstuanti desiderio accendimur hæc ipsa oculis nostris intuendi, et quisquis hæc audiat, jucundissimum præ cæteris quibuscunque dulcissimumque existimat, per eam licuisse ætatem vivere, quæque tunc fierent oculis suis haurire, atque eorum conspectu perfrui, ac nova illa inauditaque œconomia tunc oblectari, et deliciarum harum nostrarum contemplatione jucundari, atque unicum illud naturæ germen super omnia amabile, si quo modo fieri posset, complecti et osculari, ejusque laudes sermonibus celebrare, ac ferventissimo studio hanc illi gratiam exhibere; quomodo Sponsus ille, qui eam præelegerat, suamque in domum adsciverat, qui novam illam ac naturæ vires excedentem animi virtutem in ea spec-

Εἰ γὰρ δι' ἀκοῆς ἡμεῖς τὸ γλυκὺ τοῦτο καὶ ποθεινὸν λαμβάνοντες ὑφήγημα, καὶ ταῖς τῶν λόγων ἀναμνήσεσι καθάπερ ἀναζωγραφοῦντες τὴν θαυμαστὴν ἐκείνην διαίτησιν καὶ ἀγωγὴν, ἐν ἐπιθυμίᾳ καὶ αὐτὰ ζεούσῃ καὶ διαπύρῳ κατιδεῖν γινόμεθα τὰ πράγματα, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἐρασμιώτατον καὶ ἥδιστον τοῖς ἀκούουσι κρίνεται πᾶσι, τὸ κατ' ἐκεῖνον παρεῖναι τὸν χρόνον, ἱστορῆσαί τε τὰ γενόμενα, καὶ τῆς θέας αὐτῶν ἐπαπολαῦσαι καὶ κατατρυφῆσαι τῆς τότε καινοτομουμένης οἰκονομίας, καὶ ἐνηδυνθῆναι τῇ θεωρίᾳ τοῦ ἡμετέρου ἐντρυφήματος, καὶ περιπτύξασθαι, εἴπερ οἷόν τε ἦν, τὸ μόνον τῆς φύσεως ὑπεργαπημένον βλάστημα, καὶ προσενεγκεῖν τὴν διὰ λόγων εὐφημίαν καὶ χάριν ταύτην τῷ θερμοτάτῳ τοῦ πόθου παρασχεῖν, πῶς ἂν ὁ ταύτην καὶ προκρίνας καὶ εἰσοικισάμενος Νυμφίος, ὁ τὸ ὑπερφυὲς τῆς ἐν αὐτῇ καινοτομουμένης ἐνορῶν καρτερίας, ὁ τῷ ἀμηχάνῳ τῆς καθαρότητος αὐτῆς ἐνωραϊζόμενος κάλλει, ὁ τῇ ἀθεωρήτῳ τῆς ψυχῆς ἐφηδόμενος τερ-

Digitized by Google

πνότητι, μὴ καταλήλως τῇ ἀγαπήσει τῇ τῶν χαρισμάτων αὐτὴν ὑπερεδόξατεν ἀφθονίᾳ; venustate jucundissime oblectatur, quomodo (inquam) per mutuam dilectionem charismatum affluentia eam præ omnibus gloriosissimam non efficeret? A

tabat, qui de inenarrabili puritatis illius pulchritudine (36) sibi placebat, qui occulta animæ illius

ΚΖ'. Ἀλλὰ γὰρ οὐ μόνον ὑπὸ τοῦ τῶν ὅλων οὕτως ἠγαπημένη Θεοῦ τῶν ἀπορρήτων ἐκείνων ἐτύγχανε δωρεῶν, ἀλλὰ καὶ τοῖς διὰ θεωρίας ἐφεστῶσιν αὐτῇ τότε, ποθητὸν ἦν θέαμα, ἀγαπητὸν διήγημα, ἥδιστον ἄκουσμα. *Ἠγάπησε γὰρ αὐτὴν*, φησὶ, *πᾶς οἶκος Ἰσραήλ*. Ἠγάπησεν αὐτὴν, καινὴν κατανοῶν κεκληρωμένην κατοικίαν, παράδοξον λαχοῦσαν ἐνδιαίτησιν. Ἦν γὰρ ἐπιθυμητὸν τὸ νεοθαλὲς βλεπόμενον ἐν τοῖς ἁγίοις ἀδρυνόμενον στέλεχος· ἦν ἐπιπόθητον κατιδεῖν τὴν εὐγενῆ παραφυάδα τοῦ γένους, εἰς ὑψιγενὲς τῶν ἀρετῶν ἀναδιδοῦσαν μέγεθος, καὶ ξένον ὁμοῦ καὶ ἡδὺ παρεστῶσαν τὸ θέαμα. Ἦν ἰδεῖν καὶ περιχαρῶς προσδραμεῖν τῇ ἀνημμένῃ τῆς ἀνθρωπότητος ἐν τῷ ναῷ λαμπάδι, καὶ ταῖς ἀκτῖσιν ἐξ αὐτῆς προβαλλομέναις ἐμφαιδρυνθῆναι χάρισιν. Ἦν τότε πολλῆς ἐναπολαύειν τοὺς θεωμένους τὸ τῆς φύσεως ἥδυσμα τῆς θυμηδίας ἐν τῇ καινοφανεῖ διαγωγῇ, τὴν πρὸς τὰ θειότερα μὲν ἐπιδεικνύμενον ἀναγωγὴν, τῶν δὲ τῇ τοιαύτῃ προσανεχόντων ἀναβάσει συνεπεκτείνον τὴν ἡδονήν. B

XXVII. At enim non modo universorum Deo sic dilecta, ineffabilia illa dona consecuta erat, verum et illis, qui tunc obtutum in eam defigerent, jucundissimum ad videndum erat spectaculum, gratissimum dicendi argumentum, suavissima auditui narratio. *Dilexit enim*, inquit, *eam omnis domus Israel*. Dilexit illam, considerans quam novam sortita esset habitationem, quamque mirabile nacta hospitium. Excrescens enim in Sanctis sanctorum visebatur summe desiderabilis ille recens ortus ramus; exoptatissimum erat illam generis nostri propaginem aspicere, quæ magnitudinem suam in sublime virtutum attollebat, novumque simul ac suave spectaculum exhibebat. Cernere etiam erat ad hanc humanitatis lampadem in templo accensam ingenti gaudio accurrentes, et gratiis tamquam radiis ex ipsa emissis collustratos. Licebat plurima animi voluptate tunc perfrui, contemplando scilicet hanc naturæ nostræ suavitatem; quæ nova illa vitæ ratione ad divinora quæque tramitem præmonstrabat, iis autem, qui huic ascensioni animum jam intendebant, vires cum voluptate superaddebat.

ΚΗ'. Ἀλλὰ τῆς κατὰ λόγον μὲν τῶν ποθητῶν σου θεαμάτων ἀγαπήσεως, οἱ τηνικαῦτα τούτων ἐν ἀπολαύσει γενόμενοι, τοῦ πλείονος ἀπελείποντο· μᾶλλον δὲ εἰπεῖν τοῦ παντὸς, ὅσῳ τοῖς σωματικοῖς σου μόνον ἐφησθέντες; πρὸς ὀλίγον κάλλεσι, τοῦ πόθου διήμαρτον τῶν ἐναποκειμένων ἀγαθῶν θησαυρῶν, καὶ ἀποκρύφων μυστηρίων. Τῇ σκιαγραφούσῃ γὰρ τὴν ἔνδον ὡραιότητα τοῦ ὁρωμένου θέᾳ, καθάπερ τῇ ἐκ πολυειδῶν χρωμάτων κατασκευασθείσῃ ἐπιτερφθέντες εἰκόνι, τοῦ ἐκτυπουμένου κάλλους καὶ τῆς αὐτοῦ μετ' ὀλίγον ἐξέπεσον διάνοιαν σκιαγραφίας. Ἦν γὰρ ἐξ αὐτῶν τῶν ζωγραφότων χαρακτῆρα, τὴν διὰ τῆς ζωγραφίας δηλουμένην κατανοῆσαί σου δόξαν, καὶ διὰ τῆς φαινομένης ὡραιότητος, τῆς ἀφανοῦς καταστοχάσασθαί σου φαιδρότητος· μᾶλλον δὲ μίαν καὶ ταύτην ἀγαπητῶς ἀποδοῦναι τιμὴν, ταῖς ἀμφοτέραις σου λαμπρότησιν, ὡς τοῦ μόνου φωτὸς γεγενημέναις οἰκητήριον, καὶ τὴν μίαν ἡμῖν καὶ ποθητὴν διανασχούσαις λαμπρότητα. Ἀλλὰ τῶν κατ' ἐκείνους μὲν ὀλίγοι πρὸς τὴν ὄντως σου μεγαλοπρέπειαν διὰ τῆς προλαμψάσης ὥρας ἀνήχθησαν, τῶν πλείστων αὐτῶν φθόνῳ κατενεχθέντων, καὶ πρὸς τὴν ἑκούσιον ὑποδύντων τύφλωσιν. Ἡμεῖς δὲ ταῖς ἐξ αὐτῶν ἀκτῖσι περιλαμπόμενοι, εἰς αὐτά σου τὰ πολύφωτα τῶν μυστηρίων διακύπτομεν ταμιεῖα, καὶ ταῖς C D

XXVIII. Ast admirandi illius spectaculi tui justissimo amore ii potiori ex parte, immo melius dixerim, prorsus se fraudaverunt, quibus tunc temporis eo perfrui datum fuerat; propterea quod externa tantum pulchritudine tua ad modicum delectati, longe a præcellentium thesaurorum intus latentium et absconditorum mysteriorum desiderio et amore abfuerunt. Cum enim exteriori specie, quæ interiorem pulchritudinem adumbrabat, quasi imagine quadam variis coloribus pulchre depicta oblectati essent, de expressa per eam pulchritudine nihil cogitarunt, ac paulo post externam quoque adumbrationem e cogitatione dimiserunt. Et sane ex iis, quæ extrinsecam formam exprimebant, gloriam quoque tuam eadem illa specie declaratam licebat arguere, atque ex venustate corporis oculis conspicua, occultum tuum splendorem pronum erat conjicere, seu potius libenter unicum utrique venustati honorem tribuere; quoniam utraque habitaculum evasit unicæ lucis (37), nobisque unicum illum atque optatum splendorem exhibuit. Verum pauci illius ætatis perfulgentem speciem ad internum decus tuum vere splendidum agnoscendum pervenèrunt, eorum plerisque invidia occupatis, atque in voluntariam ruentibus cæ-

(36) Græce τῷ ἀμηχάνῳ τῆς καθαρότητος αὐτῆς..... κάλλει : porro sive τὸ ἀμηχάνῳ hic pro eo sumas, quod est *nullis machinis expugnabile*, seu *quod labefactari nullo modo potest*, seu pro eo, *ad quod æstimandum quævis ars ac solertia impar invenitur*, sive *cujus pretium aut dignitas aut mensura nulla arte ac solertia deprehendi potest*; ejusmodi semper sensus redibit, qui suspicionem maculæ, quæcunque ea sit, a Virgine Deipara longissime arceat. Si vero ulterius perpendas, hoic agi de pulchritudine puellulæ triennis; sane laus, eaque singularissima non labefactatæ aut expugnatæ puritatis vix aut ne vix quidem alio spectare potest, quam ad innocentiam animæ ab originaria labe præservatæ.

(37) Joan. II, 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.*

Digitized by Google

citatem. At nos, ex utroque illo splendore micantibus radiis illustrati, in ipsa tuorum mysteriorum promptuaria plurima luce nitentia introspicimus, et Solis justitiæ, qui te suum effecit domicilium, fulgoribus illuminamur, in Christo Jesu Domino nostro, quem honor decet et gloria cum Patre et Spiritu sancto nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

A τοῦ οἰκείόν σε κατασκευάσαντος ἡλίου τῆς δικαιοσύνης ἐνδιαίτημα καταυγαζόμεθα λαμπρότησιν, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ πρέπει τιμὴ, δόξα, σὺν τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ORATIO IV.

In Sanctissimæ Deiparæ Annuntiationem, e sacris Scripturis desumpta.

I. Gaudeo hodierna die, quia gaudium meum per solemnem conventum celebro; gaudeo, quod ago festum lætitiæ meæ; gaudeo, quia totius mundi gloriam ulnis amplector; gaudeo, quia communem omnium exsultationem saluto; gaudeo, quod mihi B contingat maledictionem exuere; gaudeo, quod novo lætitiæ indumento vestior; gaudeo, quia corruptionem conspicio deficientem; gaudeo, quia proponi incorruptionis præmia considero; gaudeo, quia hæreditario relevor protoparentis debito; gaudeo, quia spiritualem consequor libertatem; gaudeo, quia adoptione filiorum Dei perfruor; gaudeo, quia una cum gaudii auctrice epulor, in cujus etiam conspectu sacratiores ducens choreas, eucharisticos ipsi hymnos decanto, nuptiali lætitiæ plaudo, ac verbis boni ominis nuptiale sertum texo.

II. Etenim hodierna die intelligibilis hic et summo honore prosequendus thalamus, nuntium mystici atque ineffabilis connubii accipiens, simul cum ipso sponsum ratione mentibus impervia excipit; et incorrupta inhabitante (Verbo) fœta evadit. Hodie palatium mysticum, inenarrabili puritate exornatum (38), eum, qui universis dominatur, et creaturas omnes continet, mirabiliter intus recipit. Hodie cœlum omnium sublimissimum atque animatum ratione nullis sermonibus assequenda in se incarnatum illum continet, qui *cœlum extendit sicut pellem* [37], ipsumque ad extremos circumquaque terminos sicut tentorium deducit. Hodie tota lucida illa nubes, justitiæ Solem sinu suo gerens, nitentissimos terrarum orbi radios expandit. Hodie verum illud tabernaculum legislatorem non per symbola D et figuras, sed, prout huic complacuit, substantialiter hospitio excipit, et universis legem Spiritus enuntiat. Hodie urna illa, ex auro gratiæ fabrefacta (39), cœleste in se manna recondens, immaculatum fidelibus alimentum proponit. O rem novam! O

[37] Psal. cm, 2

ΛΟΓΟΣ Δ'.

Εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, ἐκλεγεὶς ἀπὸ τῶν θείων Γραφῶν.

Α'. Χαίρω σημερον, τὴν ἐμὴν πανηγυρίζων χαράν· χαίρω, τὴν ἐμὴν ἑορτάζων εὐφροσύνην· χαίρω, τὴν παγκόσμιον περιπτυσσόμενος δόξαν· χαίρω, τὴν κοινὴν ἀσπαζόμενος ἀγαλλίασιν· χαίρω, τῆς ἀρᾶς τὴν ἀπόθεσιν κομιζόμενος· χαίρω, τῆς χαρᾶς τὴν ἀμφίεσιν καινιζόμενος· χαίρω, τὴν φθορὰν ἐκμειουμένην συνορῶν· χαίρω, τὴν ἀφθαρσίαν βραβευομένην κατανοῶν· χαίρω, τοῦ προγονικοῦ ἀπολυόμενος χρέους· χαίρω, τῆς πνευματικῆς μεταλαμβάνων ἐλευθερίας· χαίρω, τῆς Δεσποτικῆς ἀπολαύων υἱοθεσίας· χαίρω, τῆς χαρᾶς συνευωχούμενος τῇ αἰτίᾳ, ἧς καὶ πρὸ προσώπου μυστικώτερον χορεύων, χαριστηρίους αὐτῇ τοὺς ὕμνους ἐπᾴδω, ἐπιθαλάμιον τὴν εὐφροσύνην κροτῶ, νυμφικὴν τὴν εὐφημίαν πλέκω.

Β'. Σήμερον γὰρ ἡ νοητὴ καὶ πολυτίμητος αὕτη παστὰς, τοῦ μυστικοῦ καὶ ἀπορρήτου συναλλάγματος τὸ μήνυμα δεξαμένη, σὺν αὐτῷ τὸν νυμφίον ὑπὲρ ἔννοιαν δέχεται, καὶ κυοφόρος ἡ ἄφθορος τοῦ ἐνοικήσαντος γίνεται. Σήμερον τὸ μυστικὸν παλάτιον ἀφάτῳ καθαρότητι κεκοσμημένον, τὸν βασιλέα τοῦ παντὸς καὶ συνοχέα τῆς κτίσεως παραδόξως εἰσδέχεται. Σήμερον ὁ ὑπέρτατος καὶ ἔμψυχος οὐρανὸς *τὸν ἐκτείναντα τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ δέρριν*, καὶ ὡς σκηνὴν αὐτὸν περιαγαγόντα, σαρκούμενον ἀπορρήτως συνέχει. Σήμερον ἡ ὁλόφωτος νεφέλη, τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον ἐγκολπωσαμένη, φαιδρὰς τῷ κόσμῳ τὰς μαρμαρυγὰς ἐξήπλωσε. Σήμερον ἡ ἀληθινὴ σκηνὴ, οὐ διὰ συμβόλων καὶ τύπων τὸν νομοθέτην, ἀλλὰ, ὡς αὐτὸς ἠὐδόκησεν, οὐσιωδῶς εἰσδέχεται, καὶ πᾶσι τὸν τοῦ Πνεύματος διαγορεύει νόμον. Σήμερον ἡ τῇ χάριτι κεχρυσωμένη στάμνος, τὸ οὐράνιον ταμιευομένη μάννα, τοῖς πιστοῖς τὴν ἀκήρατον προτίθησι τροφήν. Ὢ καινοῦ πράγματος! ὦ ξένης συνδρομῆς! Δύο κατὰ ταὐτὸν, ἀπεναντίως ἀλλήλοις ἔχοντα, εἰς τὸ παρὸν συνῆλθε, χαρὰ καὶ δέος· χαρὰ

(38) Vide singulare *puritatis* Mariæ encomium. Nam quum prærogativæ, quæ Virginem ceu par ad æternum regem recipiendum palatium exornabant, et plurimæ essent, ac nobilissimæ ex æquo omnes; sola tamen puritas commemoratur, quasi hæc aut sola aut certe præ aliis dignum Deo habitaculum illam effecerit. Atqui absonum prorsus, ut reliquis prætermissis sola puritas celebretur, nisi hæc ipsa aliarum virtutum splendorem luce sua aut vincat aut saltem exæquet: nedum autem vincere, sed ne exæquare quidem reliquarum virtutum jubar puritas posset, cui olim turpissima peccati labes offusa foret. Puritas ergo, quæ dignam Deo sedem Virginem paravit, puritas fuit cujusvis labis nescia.

(39) Pulchre gratia comparatur auro, rei nempe pretiosissimæ, atque nobilissimo cujusvis rei ornamento. At non minus pulchre in rem nostram ex ejusmodi auro fabrefacta Maria dicitur. Nam si ex gratiæ auro fabrefacta est, ergo non prius esse cœpit, quam gratia exornaretur, atque, ut ita dicam, ex gratia constaret.

Digitized by Google

μὲν, ὡς τὴν κοινὴν ἀγαλλίασιν ἔχοντα διηγουμένην· δέος δὲ, ὡς ὑπὲρ λόγον ὄντα καὶ πᾶσαν νόησιν ὑπερέχοντα· οὐκ ἔστι τινὰ διαλαβεῖν τὸν ταύτης δυνάμενον ἐξικέσθαι.

A peregrinam conventionem! Bina sibi invicem adversantia nunc simul concurrunt, gaudium, terrorque; gaudium sane, quippe communem omnium exsultationem commemorant; sed et terror, quoniam vim sermonis excedunt, imo et intelligentiam omnem transcedunt; neque fieri potest, ut quispiam terroris vacuus ad hoc gaudium percipiendum perveniat.

Γ'. Ἤδη μὲν οὖν τῆς ἀμιάντου Παρθένου τὴν ἱερὰν ἐργωμένης [*sic*] ἱστουργίαν, καὶ πάσης συνήθους ἀλλοτριουμένης ὁμιλίας, ἀσφαλεστάτῃ τε φυλακῇ, τῇ ἀσύλῳ τειχιζομένης σωφροσύνῃ, πρὸς πέρας ὑπὸ Θεοῦ τὸ κεκρυμμένον ἀποκρύφως αὐτοῦ μυστήριον ἦχθη. Διὸ τὸν τούτου λειτουργὸν ἐκ πασῶν νοερῶν δυνάμεων προκρίνας, εἰς τὴν αὐτοῦ λειτουργίαν ἐστειλε.

III. Dum itaque immaculata Virgo sacro conficiendo velo jam operam daret (40), et a consuetis quibusvis conversationibus aliena viveret, severissima se modestia, ceu custodia tutissima, communiens; in opus deductum est a Deo mysterium, quod occultissime absconditum servatum fuerat. Quamobrem cum ex omnibus intellectualibus Virtutibus ministrum ad id elegisset, ad illud exsequendum eum legavit.

Καὶ σκόπει τὴν εὐαγγελικὴν συμφωνίαν τῇ ἱστορίᾳ συμφθεγγομένην, καὶ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος κἀκείνην εἶναι διαβεβαιοῦσαν. Ἐκείνη μὲν γὰρ τῆς σωπῆς Ζαχαρίου μνησθεῖσα, μετὰ ταῦτα τὰ τῆς χαρᾶς διηγεῖται παράδοξα. Καὶ αὕτη δὲ, τὰ περὶ αὐτῆς ἀσφαλῶς διαθεμένη, σὺν τῷ μεταξὺ χρόνῳ ταύτην διαγορεύει. Διό φησιν· *Ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ ἀπεστάλη ὁ ἀρχάγγελος Γαβριὴλ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς πόλιν τῆς Γαλιλαίας, ᾗ ὄνομα Ναζαρέτ.*

Et vide, quomodo adamussim cum historia consentiat evangelica narratio, atque adeo fidem faciat, illam quoque ejusdem esse spiritus. Illa enim, facta silentii Zachariæ mentione, deinde admiranda illa, quæ ad gaudium pertinent, prosequitur. Atqui et ista cum de eodem silentio diligenter dixisset, mox et de gaudio et de tempore simul enarrat. Quare inquit (41): *In mense autem sexto missus est archangelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.*

Δ'. Διὰ τί μὴ ἔνδον τούτου, δίκαιον ἀπορῆσαι, τρίτῳ ἢ τετάρτῳ, εἰπεῖν, ἢ τῷ ἑφεξῆς, πρὸς τὴν Παρθένον γέγονεν ἡ τοῦ ἀρχαγγέλου ἀποστολὴ, ἀλλὰ τῷ ἕκτῳ; Σοφὴ μὲν γὰρ ἦν ἡ Παρθένος, εἴπερ τις ἄλλος τῶν ἐν γενέσει, καὶ συνέσει διαφέρουσα, καὶ τοῖς διδομένοις ἄνωθεν χρησμοῖς ἐντεῦθεν εὐπειθὴς ἐτύγχανεν, εἴκουσα τούτοις ἀεὶ, καὶ μὴ ἀντιλέγουσα, καὶ πάσης ἀμφιβολίας καθαρεύουσα.

IV. Quæri merito potest, qua de causa archangeli ad Virginem legatio non intra hoc spatium temporis jussa fuerit, verbi gratia tertio vel quarto mense vel insequente, sed sexto. Nam si quis alius inter filios hominum, certe Virgo sapiens erat, et intelligentia præ aliis pollebat; et exinde oraculis cœlitus transmissis morigeram se præbebat, his obsequens semper, ac nihil objiciens, et cujusvis hæsitationis nescia.

Οὐ βούλεται δὲ ταύτην διὰ μόνου τοῦ εὐαγγελισμοῦ πρὸς τὸ ἀκμάζον ἔτι τοῦ μυστηρίου ἐνάγειν, ἀλλ' ἤδη καὶ διὰ πραγμάτων. Καὶ γὰρ καινόν τι καὶ πάντη τῶν τῆς φύσεως ἰδίων ἀλλότριον, ὃ πάλαι γεγενημένον οὐκ ὠνομάσθη, ταύτῃ καταμηνύειν ἤμελλε. Διὸ φανερώτερα τὰ προοίμια κατασκευάζει, καὶ τὴν τῶν ῥημάτων ἀμφιβολίαν διὰ τῶν πραγμάτων βεβαιοῖ. Ἐπειδὴ γὰρ τῷ χρόνῳ τούτῳ τελεσφορούμενον τὸ ἔμβρυον οἰδαίνειν μὲν τοὺς μητρῴους παρασκευάζει κόλπους, ἔξω δὲ τοῖς θεωμένοις ὑποφαίνειν τὸν ὄγκον· ἁπλανῆ μάρτυρα τὴν ὄψιν ἀγόμενος ὁ παραδόξως τὸ ἀπόῤῥητον οἰκονομῶν Δεσπότης, τῷ ἕκτῳ μηνὶ τῆς τοῦ Προδρόμου συλλήψεως πρὸς τὸν Γαβριὴλ φησιν·

Verum (archangelus) sibi proponit, ut non solum faustæ legationis verbis, verum etiam factis jam ad exitum deductis illud, quod adhuc est mysterii summum, ipsi sua leat. Quippe rem novam et a naturæ ordine prorsus alienam, et post hominum memoriam plane inauditam denunciaturus ei erat. Idcirco, procemia componit evidentissima, et minus certo verborum testimonio firmam per facta fidem conciliat. Cum enim eo tempore fœtus ad perfectionem accedens efficiat, ut et sinus maternus tumescat, ac pondus in aspicientium oculos exterius incurrat; Dominus, qui mira providentia ineffabile hoc mysterium administrat, ut certissimum oculorum testimonium adhibeat, sexto mense conceptionis Præcursoris sic Gabrielem alloquitur:

Ε'. Ἄγε δὴ, ὦ δορυφόρε τῆς ἐμῆς ἐξουσίας, τῷ πατρικῷ βουλήματι καθυπούργησον. Ἄγε, τὴν ἐμὴν συγκατάβασιν μήνυσον· ἴθι, τὴν τοῦ Πνεύματος ἐν ἀνθρώποις ἐπέλευσιν κήρυξον, ὁμοτίμου θελήματος ἐκ εὐεργεσίας εὐαγγελίζου· ἐγὼ σὺν τῷ Πατρὶ καὶ Πνεύματι τὴν τοῦ παντὸς ἐτεκτηνάμην ὕπαρξιν·

V. Agedum, voluntatis meæ administer, consilio paterno famulare. Age, descensum meum significa: perge, prædica sancti Spiritus in homines adventum, annuntia beneficia voluntatis communem habentis honorem: ego cum Patre simul et Spiritu universam hanc rerum molem condidi: ego utrique

(40) In Protevangelio Jacobi (capp. x, xi), aliisque ejusmodi libris narratur, Mariam simul cum aliis virginibus sacrum velum ad usum templi conficiendum sumpsisse: ipsi autem parandæ ad id purpuræ partes obtigisse.

(41) Luc. i, 26. Forte codex, quo usus est Jacobus, *archangelus* pro *angelus* habuit.

Digitized by Google

mundo sua tribui ornamenta : imperio meo universi intellectualium exercituum ordines creati sunt : jussu meo cœlum vario astrorum nitet ornatu : providentia mea tellus floribus redimitur : ex me est omnis animantium vita : ego, meis ipse manibus cum ad imaginem meam hominem plasmassem, omnium, quæ super terram sunt, dominum regemque illum proclamavi. Hunc tyrannus cum expugnasset, e regno deturbavit : hunc dejecit e principatu : parta de ipso victoria gloriatur. Propterea suæ eum dignitati mea ipsemet præsentia decrevi restituere : dispensationem hanc meam jampridem pollicitus sum per prophetas : hanc ut in opus deducam, meus me urget misericors amor. In animo mihi est, homines vobis socios adjungere : par est, ut unus simul ab omnibus concors gloriæ hymnus mihi offeratur. Nulla mihi hujus unionis invidia ; et vos enim invidia vacuos creavi : gaudeo de (eorum) exaltatione ; et ipsi de voluntate mea congaudete. Tua hæc, o Gabriel, ad illos descensio, eorum ad vos ascensionis signum est.

A ἐγὼ τὸν διπλοῦν ἡμφίασα κόσμον· ἐμῇ προστάξει πᾶσα παρῆκται τῶν νοερῶν στρατευμάτων ἡ φύσις· ἐμῷ κελεύσματι ὁ οὐρανὸς τοῖς ἄστροις καταποικίλλεται· ἐμῇ προνοίᾳ τοῖς ἄνθεσιν ἡ γῆ καταστέφεται· ἐν ἐμοὶ πᾶσα τῶν ζώντων ζωὴ τεταμίευται· ἐγὼ χερσὶν οἰκείαις τὸν ἄνθρωπον κατ' ἐμὴν εἰκόνα ποιήσας, δεσπότην καὶ βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς ἀνεκήρυξα. Τοῦτον ἐκπολεμήσας ὁ τύραννος, τῆς βασιλείας ἀπέῤῥηξε· τοῦτον τῆς ἀρχῆς καθεῖλε· τούτου ἐγκαυχᾶται τῇ νίκῃ. Βούλομαι τοίνυν διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας πρὸς τὴν ἰδίαν τοῦτον ἐπανάγειν ἀξίαν· ταύτην μου τὴν οἰκονομίαν πάλαι διὰ προφητῶν ἐπηγγειλάμην· ταύτην τοῖς ἐμοῖς οἰκτιρμοῖς πληροῦν κατεπείγομαι. Θέλω κοινωνοὺς ὑμῖν ἀνθρώπους ἀποτελέσαι· μίαν σύμφωνον δοξολογίαν δεῖ με πρὸς

B πάντων εἰσδέχεσθαι. Οὐ φθονῶ τῇ ἑνώσει· καὶ ὑμᾶς γὰρ ἀφθόνους ἐποίησα· χαίρω τῇ ἀναβάσει· συγχάρητε καὶ αὐτοὶ τῷ θελήματι. Αὕτη, ὦ Γαβριὴλ, ἡ πρὸς ἐκείνους σου κάθοδος τὴν αὐτῶν πρὸς ὑμᾶς σημαίνει ἀνάβασιν.

Tu itaque vade, mysterio famulaturus ; illi autem penes se eam habent, quam ad sui implementum mysterium postulat, quam in antecessum ad hunc finem præparavi, purissimum meum diversorium, impollutum domicilium, immaculatum hospitium, thesaurum mihi universis creaturis pretiosiorem (42). Require illam, o Gabriel, quam ante generationes omnes ad hoc mihi selegi, quam

C dispensationis hujus causa prædestinavi. Hanc prophetarum meorum chorus magnis vocibus prænuntiavit : per hanc mortalium genus denuo regnum proprium restituendum sperat. In illa ipse glorior ; illius ego puritate delector ; plane par est, ut hanc ego inhabitem, meamque efficiam matrem (43), ac præ vestra natura honore augeam. Vade igitur, et admirandi hujus operis esto minister : perge, et inspice thalamum meum, columbam omnis expertem malitiæ (44), rationalem agnam, arcam sanctificationis meæ ; intuere illius pulchritudinem vestro ipsorum intellectui incomprehensibilem : demirare incomparabilem innocentiam ejus ; demirare ineffabilem (45) puritatem : majoris, et stupore defixus meum illi certum adventum annuntia.

Σὺ μὲν ἁπίης, διακονήσων τῷ μυστηρίῳ· ἐκεῖνοι δὲ κατέχουσιν, ἣν ἐπιζητεῖ πρὸς ἐκπλήρωσιν, ἣν εἰς τοῦτο προκατεσκεύασα, τὸ ἐμὸν καθαρώτατον ἐνδιαίτημα, τὸ ἀμόλυντον οἰκητήριον, τὸ ἄσπιλον καταγώγιον, τὸ πάσης ἐμοὶ τῆς κτίσεως προτιμηθὲν θησαύρισμα. Εὗρον, ὦ Γαβριὴλ, ἣν εἰς τοῦτο πρὸ πασῶν γενεῶν ἐξελεξάμην, ἣν τῷ τῆς οἰκονομίας Λόγῳ προώρισα. Ταύτην ὁ χορὸς τῶν προφητῶν μου μεγαλοφώνως ἐκήρυξε· διὰ ταύτης τὴν τῆς ἰδίας βασιλείας ἀνάῤῥησιν ἡ ἀνθρωπεία πάλιν ἐλπίζει φύσις. Ταύτῃ ἐγὼ ἐπαγάλλομαι, τῇ ταύτης καθαρότητι ἐπιτέρπομαι· ταύτην με δεῖ οἰκῆσαι, καὶ μητέρα μου δεῖξαι, καὶ τῆς ὑμῶν φύσεως προτιμῆσαι. Ἴθι τοίνυν, λειτουργήσων τῷ παραδόξῳ· ἴθι, τὴν ἐμὴν ἐποψόμενος παστάδα, τὴν περιστερὰν τὴν ἄκακον, τὴν λογικὴν ἀμνάδα, τὴν τοῦ ἁγιάσματός μου κιβωτόν· ἴδε τὸ ταύτης ἀκατανόητον ὑμῖν κάλλος· θαύμασον τὸ τῆς ἁγνείας αὐτῆς ἀσύγκριτον· θαύμασον τὸ τῆς καθαρότητος ἀπόῤῥητον· ἐκπλάγηθι τὰ ὑπὲρ ἔννοιαν τῆς ἀρετῆς παράδοξα, καὶ ἐκπλαγεὶς τὴν ἐμὴν αὐτῇ παρουσίαν βεβαίωσον.

obstupesce portentum virtutis omni cogitatione

(42) Ecce inducitur Dei Verbum sanctam Virginem ceu thesaurum pretiosissimum commendans ; neque tamen ullas illius divitias expresse commendat, præterquam singularissimam puritatem. Atqui, quod paulo ante præmisimus, suapte natura res postulat, ut, si qua dos, cæteris tacitis, ad summam cujuspiam laudem prædicetur, hæc reliquis omnibus superemineat. Ergo, siquidem ex perpetua omnium sententia, ab aliis Deiparæ sanctæ dotibus ac virtutibus nævus quilibet aut defectus abfuit hoc ipsum de puritate ipsius pariter, imo a fortiori profitendum necessario est. Nullus ergo ex Patrum doctrina locus relinquitur nævo cuipiam, qui virgineæ animæ candorem unquam vel levissime offuscaverit.

(43) Habes sententiam apud Patres tritissimam, singularem Mariæ puritatem Deum permovisse, ut

D cam sibi in matrem eligeret. Confirmatur exinde, quod superius innuimus, inter omnes Virginis prærogativas nobilissimam hanc visam Patribus fuisse, ac propterea olim peccato obnubilatam existimari ex Patrum sententia non posse.

(44) Quemadmodum ex hac sententia colligitur, de sancta Deipara accipi ea consuevisse, quæ in Canticis canticorum de Sponsa leguntur ; ita quod appellatione τῆς ἀκάκου, *expertis malitiæ*, exornatur, palam facit, hoc maxime privilegium sanctos Patres in Virgine suspexisse, quod omni peccati macula caruerit.

(45) Quo, quæso, pacto incomparabilis esset innocentia, quæ olim ab anima Mariæ penitus abfuisset ? Quomodo vel ipsis angelis ineffabilis diceretur puritas, si olim a communi labe anima Virginis sordida apparuisset ?

Digitized by Google

Ϛ'. Ἔφριξεν ὁ ἀρχάγγελος τὸ τοῦ Δεσπότου συν- A
τελὲς πρόσταγμα· ἔπτηξε τὸ πρᾶγμα κατανοήσας,
καὶ πρὸς μὲν τοῦτο ἀμηχανῶν διηπόρει. Τῇ δὲ κε-
λεύσει ἀντιλέγειν οὐκ ἔχων, τὴν διακονίαν ἐξεπλή-
ρου.

Διὸ τῷ τῆς φύσεως ἐπιτηδείῳ τάχει πρὸς τὴν Γα-
λιλαίαν τὴν πτῆσιν ἐνεργεῖ· εἰκὼς τῇ καινότητι τοῦ
μυστηρίου πολιορκούμενος, ὅμως τῇ προδιδαχθείσῃ
Ναζαρὲτ προσέβαλε· καὶ ἐν τῷ τοῦ Ἰωσὴφ οἰκή-
ματι, ἔτι ἀσχηματίστως, εἰσδύσας, ἐλάνθανε τὴν
αἴσθησιν.

Διὸ τῷ ἀσωμάτῳ τῆς φύσεως τοὺς τῆς Παρθένου
ὑπεκφεύγων ὀφθαλμοὺς, τὰ κατ' αὐτὴν διεσκόπει.
Ἑώρα γὰρ ἄφατόν τινα τὸν τῆς ἐν αὐτῇ ἁγνείας
πλοῦτον κρυπτόμενον, καὶ ἀσυγκρίτως πάσῃ γεν-
νητῇ φύσει κατανοούμενον· τό τε ἦθος ἀνάλωτον, B
καὶ τὴν διάνοιαν ἀδιασπάστως πρὸς Θεὸν ἠρτημένην,
καὶ ἐξεπλήττετο, τῷ βλεπομένῳ προσέχων θαύματι·
κατάλληλον τῷ τοῦ ἀποστείλαντος λόγῳ τὸν ταύτης
κατενόει τρόπον.

Ζ'. Ὅθεν εἰλικρινῶς τοῦτον καταμανθάνων, ἐν
ἑαυτῷ τοιαῦτα πρὸς τὴν Παρθένον ἐναπετείνετο·

Ὦ τῶν χαρίτων σου! ὦ τῆς τοῦ γένους εὐκλη-
ρίας! ὦ οἵας τῆς δόξης ἠξίωνται! Οἷόν σε τὸν στέ-
φανον περιέθεντο! οἷόν σε τὸ διάδημα ἀνεδήσαντο!
οἵαν σε τὴν χαρὰν περιεβάλοντο! Τί εἶπω, ἢ τί λα-
λήσω, ἐν ἀπορρήτῳ περιπεσὼν θαύματι; Τίσιν ἐπι-
νοίαις ἐφευρὼν κλήσεις, ἀμυδρῶς καθάψομαι τῶν C
προσηκόντων ἐπαίνων σοι; Τοῦ γὰρ κατ' ἀξίαν
ἁμήχανόν μοι τυγχάνειν· ὑπερέβη πᾶν ἐγκωμιαστι-
κὸν ὄνομα ἡ θεοκαλλώπιστός σου κλῆσις, ἄνωθεν
ἔχει τὰς εὐφημίας, ἐκ τοῦ Δεσπότου τὸν ἄξιον ἔπαι-
νον δέχεται, οὐ σεμνύνεται τοῖς τῶν γεννητῶν
ἐγκωμίοις. Ὦ Ναζαρὲτ τῆς Γαλιλαίας, οἷον ἐθησαύ-
ρισας τὸν μαργαρίτην! οἷον ἐναπέθου τὸν πλοῦτον!
οἷον δὲ νῦν διὰ τούτου εἰσδέξῃ! Ὦ τοῦ φρικτοῦ μυ-
στηρίου! ὦ τῆς ἀνεκλαλήτου Μητρός!

VI. Ubi hoc novit Domini sui mandatum terrore correptus est archangelus: perpensa re expavit, atque ad ejusmodi negotium hærebat consilii inops. Verumtamen cum non posset mandato repugnare, impositum exsequi ministerium aggreditur.

Pro naturæ ergo suæ agilitate celerrimum Galilæam versus volatum dirigit; ac simul, totus, ut res ferebat, novitate mysterii occupatus, designatam tenet urbem Nazareth; et Josephi domum, nulla adhuc assumpta forma, ingressus, ibi cujusvis sensibus latens versabatur.

Oculos ergo Virginis, utpote natura incorporeus, subterfugiens, omnia quæque attente in Virgine contemplabatur. Cernebat quippe ineffabiles quasdam innocentiæ divitias, quæ in ea latebant, ac perspicue nullam cum universa creata natura (46) comparationem admittere cernebantur; tum invictam mirabatur animi virtutem, ac mentem inseparabiliter ad Deum sursum elevatam, ac præsenti miraculo intentus in stuporem rapiebatur, ac mores habitumque ejus ad unguem verbis illius, qui ipsum miserat, respondere animadvertebat.

VII. Quocirca cum hæc per se clare perspiceret, hujusmodi sensa, veluti Virginem alloquens, animo suo volvebat:

O quantæ gratiæ tuæ! O generis tui sors fortunata! O quali gloria effecti sunt digni! Quali serto, te coronam habentes, caput cinxerunt! Quali diademate, diadema te habentes, redimiti apparent! Quali gaudio, te gaudium habentes, potiuntur! Quid dicam, aut quibus utar verbis, nactus portentum (47) verbis inenarrabile? Quasnam appellationes invenire excogitando possim, ut laudis tibi congruæ quidpiam vel leviter attingam? Nam ut id pro dignitate præstem, vires nullo modo suppetunt: quamlibet encomiasticam appellationem transcendit nomen tuum divino nitens splendore, a cœlo suum habet præconium, a Domino accipit condignam laudem, non effertur creaturarum encomiis. O Nazareth Galilææ, qualem in thesauro tuo recondis margaritam! quales divitias cumulasti! sed quales insuper harum ope mox acquires! O tremendum mysterium! o Matrem ineffabilem!

Η'. Οὕτω τοίνυν διαπορῶν ὁ ἀρχιστράτηγος, D
ἔχαιρε μὲν ὡς ἀληθῶς τὰ ὑπὲρ νόησιν θαυμάζων τῆς
Παρθένου παράδοξα· ἐσκόπει δὲ, ὅπως ἂν πρεπέαν
τὴν χαρὰν ἐνεγκήσας, μὴ σφοδροτάτην αὐτῇ τὴν
κατάπληξιν ἐμποιήσῃ. Καὶ γὰρ ἦν ἡ πανάμωμος
πάσης ἀλλοτρίας ἀπηλλαγμένη ὁμιλίας, καὶ παντὸς
κωλυτικοῦ καθαρεύουσα ῥήματος. Διὸ σοφωτάτως

VIII. Sic igitur cœlestis ille militiæ princeps præ stupore hærens, hinc quidem portenta Virginis, quæ vim mentis excederent demirans, summopere jucundabatur; inde vero modum exquirebat, quo non vehementissimum forte terrorem illi incuteret, dum eam suavis gaudii vocem emitteret. Vivebat enim immaculatissima illa (48) a quovis extraneo-

(46) Si in rebus creatis nihil est, quod cum Maria ratione innocentiæ comparari queat; ergo vel cœlestium spirituum innocentia innocentiæ Mariæ immenso intervallo cedit. Atqui id plane falsum foret, si Maria communi omnium crimine aliquando obligata fuisset.

(47) Quod Virgo Maria velut portentum quoddam habenda sit, passim apud Patres occurrit; atque, ut liquet ex præsenti Jacobi loco, non modo ad miram Dei Genitricis dignitatem, neque modo ad Virginis Matris prodigium, sed ad benedictissimam Mariam in se spectatam id pertinet. Ergo minus consulto ad Mariam transferuntur quæ ad communem reliquorum hominum conditionem pertinent, non secus ac inconsulto miracula ad naturæ leges exigerentur. Inani igitur timore capti ii fuerunt, qui a profitenda Deiparæ a communi originis peccato immunitate deterreri se siebant, ne forte ea doctrinæ capita, quæ de misero lapsi humani generis statu Ecclesia catholica servavit semper ac servat, in discrimen vocarentur.

(48) Videsis Deiparam antonomastice *undequaque Immaculatæ*, τῆς παναμώμου, nomine compellatam.

Digitized by Google

rum consortio prorsus remota, et a quibusvis assentatoriis verbis abhorrebat. Quocirca prudentissime minister ille cœlestis opportunum tempus, et locum rei idoneum explorabat.

A ὁ λειτουργὸς καιρὸν σύμφορον καὶ τόπον συνοίσοντα τῷ πράγματι διεσκόπει.

Et exinde merito, mea quidem sententia, præferenda visa est horum gestorum historia illa, quæ prima gaudii nuntia iis connumerat, quæ extra Virginis domum (contigerunt). Etsi enim divinitus afflatus evangelista illius tantummodo colloquii, quod intra domum archangelus habuit, verba scriptis consignaverit; at alia plurima brevitatis et compendii causa, ut puto, prætermisit, prouti etiam quoad alia advertere licet.

Ὅθεν μοι σαφῶς δοκεῖ, περὶ τούτων τὴν ἱστορίαν διαλελέχθαι, πρὸς τοῖς ἐκτὸς τοῦ οἴκου τὰ τῆς χαρᾶς προοίμια ὑποτιθεμένην. Εἰ γὰρ καὶ μόνης ὁ θεσπέσιος εὐαγγελιστὴς τῆς ἐν τῷ οἴκῳ διαλέξεως τοῦ ἀρχαγγέλου τοὺς λόγους ὑπέγραψεν, ἀλλὰ βραχυλογίας, οἶμαι, καὶ συντομίας χάριν τὰ πλεῖστα παρέδραμεν, ὡς καὶ ἐν ἄλλοις ἔστι μαθεῖν.

Sane quemadmodum, dum in cujuspiam domus interioribus inclusi manemus, et, cunctis circa nos tacitis, omnimoda quies obtinet, si magnus repente fragor excitetur, aut vehemens percellat vox aures, graviter affici solemus, et vehementissimo correpti timore huc illuc propelli; multoties vero trepidatione occupati etiam foras ad casum declinandum aufugere nitimur; quando vero foris versamur, si quidpiam ejusmodi nobis contingat, utut grave illud sit ac repente invadat, moderatius nos terror commovet, quippe tunc sensus in plura distrahuntur, nec moleste vel ingentes fragores excipiunt; eumdem in modum illa quoque provide sunt disposita, quæ ad Virginis Immaculatæ annuntiationem spectabant. Etenim si intus allocutus eam esset Gabriel, periculum impendebat, ne (perturbatione) foras eam compelleret. At postquam alicubi extra domum apparens salutando eam affatus est, jam intus eam compulit, et ibi ipsam ad ea quæ dicenda erant, secure continuit, quippe quæ non haberet quo forte ob turbationem declinaret.

Ὡς γὰρ ἔνδον ἡμεῖς ἐν οἰκίᾳ τινὶ καθειρχθέντες, καὶ ἡσυχίαν βαθεῖαν ἐκ πάντων ἄγοντες, τοῦ ἀθρόον γενομένου ψόφου, ἢ φωνῆς τρανῶς ἐνεχθείσης, εἰώθαμεν ὀξέως ἀντιλαμβάνεσθαι, καὶ σφοδροτάτῳ δείματι συνεχόμενοι, περιδονεῖσθαι πανταχόθεν· πολλάκις δὲ καὶ ὑπὸ ἀγωνίας πολιορκούμενοι, πρὸς τὰ ἐκτὸς θέειν τὸ συμβὰν ἐκκλίνειν πειρώμενοι· ὁπηνίκα δὲ τοῖς ἔξωθεν συναναστρεφομένοις ἐπισυμβῇ τι τοιοῦτον ἡμῖν, κἂν σφοδρὸν τύχῃ καὶ ἐξαπίνης συνενεχθείη, μετριωτέρως τὴν κατάπληξιν φέρομεν, τῆς αἰσθήσεως ἐντεῦθεν εἰς πλείω μεριζομένης, καὶ μὴ χαλεπῶς τὰς θροήσεις δεχομένης· οὕτω καὶ τὰ κατὰ τὸν εὐαγγελισμὸν ᾠκονομήθη τῆς ἀμιάντου Παρθένου. Εἰ μὲν γὰρ ἔνδον ὁ Γαβριὴλ ταύτῃ προσεῖπεν, ἀνάγκη πρὸς τὰ ἐκτὸς συνελάσαι αὐτὸν ὑπῆρχεν. Ἐπειδὴ δὲ ἔξω που τῆς οἰκίας ὑπερφανείς, τὸν ἀσπασμὸν προσεκήρυξεν, ἔνδον αὐτὴν συνώθησε, καὶ ἀσφαλῶς πρὸς τὰ λεχθησόμενα ἐπήρεισεν, οὐκ ἔχουσαν ὅποι τῇ ἀγωνίᾳ παρεκκλίνοι.

B

C

IX. Postquam igitur providentia illius, qui mysterium opere complebat, e domuncula parumper egressa est (Virgo) ad aquam, prout historia narrat, hauriendam, et pervenit ad fontem (qui quidem symbolum erat mysterii, et aquam immortalem adumbrabat), tunc archangelus, nondum videndum se præbens, voces effudit.

Θ'. Ἐπεὶ οὖν προμηθείᾳ τοῦ τὸ μυστήριον ἐνεργοῦντος, ὑπεξῆλθε τοῦ δωματίου, κατὰ τὴν ἱστορίαν, ὑδρεύσασθαι, καὶ τὴν πηγὴν κατεῖληφεν, ἥτις σύμβολον ἦν τοῦ μυστηρίου, τὸ ἀθάνατον ὕδωρ ἐξεικονίζουσα, τὴν μὲν φωνὴν ὁ ἀρχάγγελος ἀφῆσιν, ἔτι μὴ ἐκφανὴς ὤν.

Illa autem ad vocis hujus novitatem perterrita, formidine occupata et pavore, in interiora domus se recepit. Postquam vero, corde etiamnum palpitante crebrisque motibus pulsante, ac genis pallore suffusis, cunctisque artubus vehementer contremiscentibus, operi intenta erat; superiæ militiæ ductor in humanam sese speciem configurans e janua in conspectum illi se manifeste exhibet: et tunc beatam illam vocem protulit; tunc gaudium, quod omnem superat intellectum, enuntiavit; tunc benedictæ indixit benedictionem. Verba autem tantæ lætitiæ plena ejusmodi fuerunt: *Ave, gratia plena; Dominus tecum* [10].

Ἡ δὲ τῷ ξένῳ ταύτης καταπλαγεῖσα, σὺν τρόμῳ καὶ ταραχῇ πρὸς τοῖς ἔνδον ἐχώρει. Καὶ ἐπεὶ τοῦ ἔργου εἶχετο, ἤδη τῆς καρδίας κραδαινομένης καὶ συνεχῶς πατασσούσης, τῆς τε ὠχρότητος τὰς παρειὰς ὑπογραφούσης, καὶ πάντων τῶν μελῶν ἐναγωνίως παλλόντων· ἑαυτὸν πρὸς τὸ ἀνθρώπινον σχηματίσας ὁ ἀρχιστράτηγος εἶδος, ἐνωπίως ἀπὸ θύρας αὐτῇ προφαίνεται· καὶ τότε τὴν μακαρίαν ἐκείνην ἐνήχησε φωνήν· τότε τὴν ὑπὲρ ἔννοιαν ἐμήνυσε χαράν· τότε τῇ εὐλογημένῃ τὴν εὐλογίαν ἐκήρυξεν. Ἡ δὲ τῶν ῥημάτων εὐφροσύνη τοῦτον ἔχει τὸν λόγον· *Χαῖρε, κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ.*

D

X. O vox indolem reparationis humani generis clare manifestans! Quænam ex intelligibilibus naturis tantam gloriam sortitæ sunt? Quænam sive

Ι'. Ὦ φωνῆς τῆς τοῦ γένους ἀναπλάσεως ἐμφαινούσης τὸν τρόπον. Ποῖαι νοεραὶ φύσεις τοιαύτην ἀπεκληρώσαντο δόξαν; ποῖαι χερουβικαί τε καὶ

[10] Luc. I, 28.

Digitized by Google

σεραφικαὶ Δυνάμεις τῇ καταλλήλῳ ἐδοξάσθησαν τιμῇ; τίνες Θρόνοι καὶ Κυριότητες τοιαύτης μετέλαχον τῆς ἀξίας; τίνων πολυομμάτων λαμπρότητες τοιοῦτον ἀπολάμπουσι φῶς; ποίων Ἀρχῶν καὶ Ἐξουσιῶν μεγαλειότητες εἰς τοσοῦτον ὕψος ἐπήρθησαν, εἰς ὅσον αὐτὴ ἀνεβιβάσθης μόνη, αὐτὸν ἐκεῖνον σαρκὶ τὸν Δημιουργὸν ἁπάντων καὶ Κύριον ἀποκυήσασα; Ὦ τῶν σῶν μεγαλείων! ὦ τῶν ὑπὲρ ἔννοιάν σου δωρημάτων! *Χαῖρε, κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ.* Πῶς μὴ φρίξῃ προσβαλὼν ὁ νοῦς τῷ θαύματι; Πῶς μὴ τοὺς οἰκείους ὅρους ἐκβῇ, καὶ τῆς ἐνεργείας; ἁπάντων ἀποπαυθῇ; Ἀσώματος ἐξηχεῖτο φωνὴ, καὶ ὁ τοῦ Θεοῦ ἀσχημάτιστος Υἱὸς τὴν σωματικὴν ὑπεδύετο φύσιν· λόγος ψιλὸς προήρχετο τὴν χαρὰν προσφθεγγόμενος, καὶ ὁ ὑπερούσιος Λόγος τὴν τῆς σαρκὸς ἐμορφοῦτο παχύτητα.

ΙΑ'. Καὶ ὅρα, ἀγαπητὲ, τὸ ἐν τοῖς τύποις σεβάσμιον. Ἄνωθεν προκατεβάλλοντο τοῦ μυστηρίου τὰ σύμβολα, καὶ φρικώδη ταῦτα σκιαγραφούμενα καθίστατο, οὐ μόνον τοῖς μυσταγωγουμένοις προφήταις, ἀλλὰ καὶ αὐτοῖς τοῖς ἁγίοις ἀγγέλοις· καὶ οὐχ ἁπλῶς ἀγγέλοις, ἀλλὰ τοῖς τὴν ἀνωτάτω τάξιν λαχοῦσι σεραφίμ· καὶ αὐτοῖς γὰρ φοβερὸς ὁ τύπος, καὶ ἀκατάληπτος ἡ σκιαγραφία προσῆν, πῶς καὶ τίνι τρόπῳ, αὐτὰ τὰ προφητικὰ διερμηνεύσειε λόγια. Λέγει γάρ· *Καὶ ἀπεστάλη, φησὶ, πρός με ἓν τῶν σεραφίμ· καὶ ἐν τῇ χειρὶ εἶχεν ἄνθρακα πυρὸς, ὃν ἐν τῇ λαβίδι ἔλαβεν ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου· καὶ ἥψατο τοῦ στόματός μου, καὶ εἶπεν· Ἰδοὺ ἥψατο τῶν χειλέων σου, καὶ ἀφελεῖ τὰς ἀνομίας σου καὶ ἁμαρτίας περικαθαριεῖ.*

Τίνος χάριν οὐ γυμνῇ τῇ σχηματισθείσῃ χειρὶ τοῦ ἄνθρακος τὸ σεραφεὶμ περιδράσσεται, ἀλλὰ τῇ λαβίδι χρώμενον, ὥσπερ τινὸς ἀναλωτικοῦ πυρὸς τὸ καυτικὸν διωθεῖται; Ὅτι οὐ μόνον τὴν τοῦ μυστηρίου κατανόησιν ἀμηχανοῦσιν αἱ νοεραὶ δυνάμεις, ἀλλὰ καὶ τὴν αὐτοῦ διακονίαν ἐγχειριζόμεναι, οὐκ ἂν ἐξαρκέσειαν πρὸς λειτουργίαν, μὴ αὐτοῦ τοῦ Δεσπότου συνεφαπτομένου ταύταις. Τοῦτο γὰρ διὰ τῆς λαβίδος δηλοῦται, τὸ οἷον χειρί τινι συνεπαμύνειν αὐταῖς τὸ θεῖον, καὶ τὸ ἄστεκτον, φορητὸν τῇ οἰκείᾳ ποιεῖν συγκαταβάσει. Ὃ καὶ καταπλήττει τὴν διάνοιαν, καὶ τὸν λογισμὸν ἐξίστησιν, εἰς τὸ πέρας εἰσβάλλοντα τοῦ μυστηρίου, πῶς ἐκεῖ μὲν τυπούμενον φλογερὸν μὲν ἦν τοῖς σεραφὶμ, ἐνταῦθα δὲ περατούμενον ἐν τῇ Παρθένῳ, ἀκατάφλεκτον ταύτην ἐφύλαξεν· ἐκεῖ ὁ τύπος φοβερὸς τοῖς ἀσωμάτοις ἐδείκνυτο, ἐνταῦθα ἡ ἀλήθεια οὐσιωδῶς ἐνσκηνώσασα ἐξ αὐτῆς μὲν τὸ ἡμέτερον περιεβάλετο φύραμα, ἀλώβητον δὲ ταύτην ὑπὲρ φύσιν ἐτήρησεν· ἐκεῖ ἡ φλογερὰ φύσις τῇ λαβίδι τὸν ἄνθρακα ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου ἔλαβεν, αὕτη δὲ τὸ πῦρ τῇ θεότητος ἐν ἑαυτῇ δεξαμένη, οὐ κατεφλέχθη, ἀλλ' ἐδοξά-

A cherubicæ sive seraphicæ Virtutes simili honore sunt condecoratæ? Quinam Throni seu Dominationes tantæ dignitatis participes effecti sunt? Quinam multoculorum (angelorum) splendores tanta luce emicant? Quorum sive Principatuum sive Potestatum magnificentia ad tantum celsitudinis evecta est, ad quantam ipsa sola exaltata es, quæ eumdem illum universorum conditorem ac Dominum carne indutum in utero gestasti? O magnalia tua! o munera super omnem captum tibi collata! *Ave, gratia plena; Dominus tecum.* Qui portentum considerans animus non exhorrescat? Quomodo non extra se rapiatur, viribusque penitus deficiat? Insonabat vox incorporea, et corpoream naturam Dei Filius, omnis per se figuræ exsors, subibat; B vacuum præibat verbum, gaudium denuntians, et Verbum supersubstantiale materialem carnis formam assumebat.

XI. Et vide, o dilectissime, quam augusta vel in ipsis figuris ista appareant. Cœlitus ostensa in antecessum sunt mysterii hujus symbola; ac licet umbris quibusdam tantummodo delinearentur, tremenda tamen hæc visa sunt non modo prophetis divinorum arcanorum consciis, verum et ipsis sanctis angelis; imo non angelis tantummodo, sed etiam Seraphim, omnium celsissimum ordinem obtinentibus: nam et hisce terrore plenus exsistebat typus, et incomprehensibilis erat adumbratio, quomodo, quave ratione, ipsa prophetica explanent C oracula. Inquiunt enim: *Et missus est ad me unus de Seraphim, et in manu habebat carbonem ignis, quem forcipe tulerat de altari: et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit labia tua, et auferet iniquitates tuas, et peccata mundabit* (49).

Qua de causa Seraphim non nuda illa symbolica manu carbonem prehendit, sed veluti qui consumentis cujuspiam ignis ardorem caveat, forcipe utitur? Quia nempe intellectuales illæ Virtutes non modo ad mysterii intelligentiam pertingere non valent, sed præterea ne ad famulatum quidem dum ministerium suscipiunt, pares forent, nisi opem suam eis Dominus ipse conferret. Hoc enim per forcipem significatur, divinam virtutem quadam veluti manu præsto illis esse, ac bonitate sua efficere, ut ab iis ferri illud possit, quod ferri per se D nequit. Quocirca et percellitur mens stupore, et hæret deficiens ratiocinatio, quæ ad exitum mysterii progrediens perpendat, quo pacto ibi quidem mere per typum adumbratum ardore suo ipsos terreret Seraphim; hic vero opere in Virgine impletum hanc incombustam servaverit: quomodo ibi terribilis substantiis incorporeis appareret figura; hic autem substantialiter sedem habuerit ipsa Veritas, et nostram quidem massam ex ea (assumptam) induerit, ipsam tamen miro supra naturam modo intactam custodiverit: quomodo ibi natura ignita

(49) Isa. VI, 6 sec. LXX. Vulgatus paulo aliter: *Et volavit ad me unus de Seraphim, et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari: et tetigit os meum, et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua, et peccatum tuum mundabitur.*

Digitized by Google

carbonem de altari forcipe sumpserit ; hæc vero divinitatis ignem in se excipiens, non combusta sed glorificata fuerit (Virgo) illa ipsis Seraphim gloriosior, sanctior Cherubim, igneus thronus naturæ illius, quæ ferri nequit, currus ille flammeus ac lucidissimus, cœlum illud quod justitiæ solem nobis præbuit, forceps quæ purificantem atque illuminantem carbonem apprehendit, per quam ille accensus est ignis, qui destruit peccata (50), per quam hujus quitia, et in divinam naturam transformati.

XII. Verum, antequam progrediamur, par est, ut hoc loco inquiramus, quomodo ex archangeli aspectu immaculatissima illa tantum ceperit formidinis, cum tamen familiari uti angelorum consuetudine in templo antea soleret : cujus quidem dubitationis æquum est ut aliquam afferam solutionem. Cur itaque perterrita ipsa est ac perturbata, cur ad angeli aspectum anceps fluctuavit ? Quia ipse scilicet neque mandatum illius, a quo missus fuerat, neque nomen suum dignitatemque propriam indicavit. Et sane ipse, antequam a Zacharia interrogaretur, præoccupans dicit [59] : *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum.* Et Michael ad Jesum filium Nave : *Ego sum princeps exercitus Domini* [60]. Et Creator ad Moysen : *Ego sum qui sum* [61].

Cur igitur (lices) Gabriel nihil tale hic præmonuit ? Plane quia alloquebatur eam, quæ omnia probe noverat. Neque enim cum latebat, perspicacissimum Virgini sapientissimæ ingenium inesse ; et quoniam assumpta forma apte per se ea, quæ antea dicta sunt, præmonstrabat, non abs re verba de his facere prætermisit.

At, inquit quispiam, cur, eo viso, turbata est, et pavore perculsa ? Quia nempe in paupere tecto, ubi a consortio cujusvis, qui speciem hominis referret, abstinebat, peregrinam ad se formam accessisse videbat. Nam si adhuc degisset in templo, sane tum ex loco tum ex congrua adjunctorum ratione judicasset, haud mirum esse, quod contingebat. Sed cum miram hanc speciem insuetata ac peregrina loquentem, in humili cerneret domuncula, ubi vel cognatorum familiarem devitabat consuetudinem, merito ad illius aspectum, ut ab initio diximus, turbabatur. Et quidem cum puerilem ætatem in templo ageret, nullo enimvero cum terrore mira illi contingebant, cum generatim per eam ætatem ita ferat hominum natura ; atque insuper congruum erat, ut humiliori, ac nunc appareat, specie tunc cerneretur, quando familiariter cum ipsa versabatur ; augustiorem vero ac mirabiliorem,

[59] Luc. I, 19. [60] Judic. V, 14. [61] Exod. III, 14.

σθη, οὐκ ἐχωνεύθη, ἀλλ' ἐμεγαλύνθη ἡ τῶν σεραφὶμ τιμιωτέρα, ἡ ἀγωτέρα τῶν χερουβὶμ, ὁ πύρινος τῆς ἀστέκτου φύσεως θρόνος, τὸ φλογερὸν καὶ πολύφωτον ὄχημα, ὁ τὸν τῆς δικαιοσύνης ἥλιον ἀνατείλας ἡμῖν οὐρανὸς, ἡ λαβὶς ἡ τὸν καθαρτήριον καὶ φωτιστικὸν κομίσασα ἄνθρακα, δι' ἧς τὸ δαπανητικὸν τῆς ἁμαρτίας ἀνήφθη πῦρ, δι' ἧς ἐν μεθέξει γενόμενοι τούτου, τῆς τε μοχθηρίας ἀπεσμήχθημεν, καὶ πρὸς τὴν θείαν φύσιν μετεσκευάσθημεν.

ignis participes effecti et emundati sumus a re-

ΙΒ'. Ἀλλ' ἐνταῦθα προσήκει πρῶτον διαπορῆσαι, πῶς εἴπερ ἐν ἕθει ἦν ἡ πανάμωμος ἀγγελικῆς συνομιλίας τῆς πρώην ἐν τῷ ναῷ γεγενημένης, φοβερῶς ἤνεγκε τὴν τοῦ ἀρχαγγέλου θέαν · οὗ τὴν λύσιν ἀνυποφέροντα ποιεῖσθαι ἄξιον. Διὰ τί καταπληττομένης ταύτης καὶ ταραττομένης, καὶ διαπορούσης πρὸς τὸν ὀφθέντα ; Ὅτι οὔτε τὸ τοῦ πέμψαντος ἀπαραίτητον αὐτὸς, οὔτε τὸ οἰκεῖον ἐδίδαξεν ὄνομα σὺν τῇ ἀξίᾳ. Καὶ γὰρ αὐτὸς πυνθανομένῳ τῷ Ζαχαρίᾳ προέφησεν · *Ἐγώ εἰμι Γαβριὴλ, ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ.* Καὶ Μιχαὴλ πρὸς τὸν Ἰησοῦν τοῦ Ναυῆ · *Ἐγώ εἰμι ὁ ἀρχιστράτηγος δυνάμεως Κυρίου.* Καὶ αὐτὸς Δημιουργὸς πρὸς τὸν Μωυσέα · *Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν.*

Τίνος οὖν χάριν τὴν τοιαύτην οὐ παρήγαγε κἀνταῦθα ὁ Γαβριὴλ διδασκαλίαν ; Εὔδηλον, ὡς συνεγνωκυίᾳ διαλεγόμενος. Καὶ γὰρ συνεὶς τὸ ὀξύτατον τῆς ὑπερσόφου, καὶ ὅτι τὸ προδιαχθὲν εὐστόχως ἐχαρακτήρισε σχῆμα, παρῆκεν εἰκότως τὸ πρὸς τοῦτο διευθύνειν.

Ἀλλὰ διὰ τί, φησὶν, ἐθορυβεῖτο καὶ ἐκπεπληγμένως πρὸς τὸν ὀφθέντα διέκειτο ; Ὅτι ξένην ἑώρα ἐν οἰκείᾳ πενιχρᾷ μορφὴν αὐτῇ συνεισελθοῦσαν, ἐν ᾗ τῆς τῶν ὁμοειδῶν ἀνθρώπων συνομιλίας ἐστερεῖτο. Εἰ μὲν γὰρ ἐν τῷ ναῷ ἦν ἔτι, συνελογίσατο ἂν ἔκ τε τοῦ τόπου καὶ τῆς τῶν πραγμάτων ἀκολουθίας, μὴ ξένον εἶναι τὸ συμβαῖνον. Ἐπειδὴ δὲ ἐν εὐτελεῖ δωματίῳ θαυμαστὸν ἔβλεπεν εἶδος, καινὰ καὶ παράδοξα μηνύον, ἐν ᾧ τὴν τῶν ὁμοφύλων συνδιατριβὴν ἀπεστρέφετο, εἰκότως ταραττομένη τὴν κατ' ἀρχὰς διάλεξιν ἐποιεῖτο πρὸς τὸν ὀφθέντα. Ἀλλὰ γὰρ καὶ τὴν παιδικὴν ἐν τῷ ναῷ ἡλικίαν ἀγούσῃ, οὐ φοβερῶς τὰ μεγάλα συνέβαινεν, οὕτω τῆς φύσεως ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ διακειμένης καθόλου · καὶ πάλιν εἰκὸς μὲν ὑφειμένῳ σχήματι παρὰ τὸν φανέντα, ὁ πρώην ὀπτανόμενος αὐτῇ συνωμίλει · αὐτὸς δὲ ἐπειδὴ τὴν τοῦ Δεσπότου κατεμήνυε παρουσίαν, καὶ τῆς βασιλικῆς προέτρεχεν ἐπιδημίας, βασιλικώτερον σχῆμα

(50) Postulat rei natura, ut hic non aliqua hominum quorumdam, sed totius mundi peccata intelligantur : est enim sermo de generis humani redemptione. Maria vero exhibetur ceu forceps ignem illum apprehendens, quo peccata absumantur, et simul ea nitens nobilitate, quæ gloriam Seraphim et Cherubim sanctitatem vincat, atque sublimissimorum Spirituum captum transcendat. Atqui hæc e diametro repugnant hypothesi, quæ fingat, peccata, igne illo exurenda, Virgini communia cum aliis fuisse. Rursus ergo se prodit sponte doctrina, nullam unquam Virgini inhæsisse peccati maculam.

Digitized by Google

καὶ θαυμαστότερον ἐπεδείκνυτο, πᾶσαν ἱκανὸν ἐκ- A aptioremque ad animos quoque percellendos formam ipse assumeret, cum Dominicum prænuntiabat adventum, et regi jam adventanti viam præcurrens parabat (51).

ΙΓ'. Αὐτὴ δὲ οὐ διὰ τοῦτο, διὰ δὲ τὸ καινὸν τῶν λεγομένων τὴν κατάπληξιν ἐνεποίει. Διὸ καὶ ὁ ἀρχιστράτηγος κατὰ βραχὺ τὸ ἀπόῤῥητον ἀποχυμνοῖ, καί φησι πρὸς αὐτήν· *Ἰδοὺ συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. Οὗτος ἔσται μέγας, καὶ Υἱὸς Ὑψίστου κληθήσεται· καὶ δώσει αὐτῷ Κύριος ὁ Θεὸς τὸν θρόνον Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ·* τὸ κατὰ σάρκα λέγων. Ἄρχεται ἐντεῦθεν ἤδη παραγυμνοῦν τὰ τῆς προφητείας, εἰς μνήμην ἐνάγων τῶν περὶ τούτου προκηρυξάντων. Ποιεῖται δὲ τὴν ἀρχὴν ἐκ τοῦ γνωριμωτέρου μᾶλλον καὶ οἰκειοτέρου καὶ διὰ τοῦτο τὸ B ἀξιόπιστον ἔχοντος τοῦ Δαβὶδ, οὗ καὶ υἱὸν τὸν τεχθησόμενον εἰπὼν, τῆς συγγενείας ὑπέμνησε, καὶ τῆς τοῦ προπάτορος προφητείας τὸ ἀδιάψευστον ἐμήνυσεν.

XIII. Verum ipsa non adeo ob eam causam, quam propter novitatem eorum, quæ dicebantur, animo angebatur. Quocirca et cœlestis ille exercitus ductor ineffabile mysterium paucis revelat, et sic eam affatur [42] : *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et filius Altissimi vocabitur; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus :* et hæc quidem id, quod ad carnem spectat, enarrans. Incipit exinde jam ea revelare, quæ ad vaticinia pertinent, in memoriam illos revocans, qui hujusce rei prænones exstiterant; initium autem ducit potius a magis noto, magisque proprio, atque adeo plane fide digno, a Davide scilicet, cujus etiam cum filium dixisset eum, qui nasciturus erat, et cognationis mentionem fecit, et prophetiæ progenitoris veritatem declaravit.

ΙΔ'. Οὕτω τοίνυν ἡ πανακήρατος μεγαλοψύχως μὲν ὑπεῖκε τῷ πράγματι, καὶ οὐκ ἠπίστει τῷ λέγοντι· τὴν ὑπόνοιαν δὲ τῆς πρὸς ἄνδρα κοινωνίας διεκρούετο, σχεδὸν διὰ τῆς ἀντιλογίας οὕτω φθεγγομένη· Τίς ἐκ τοῦ τοιούτου μοι τόκου περιγενήσεται δόξα; τί συνοίσει κέρδος; Κἂν ἁπάσης περιδράξηται τῆς γῆς ὁ ἐξ ἐμοῦ τικτόμενος, ἐγὼ δὲ τοὺς τῆς ἁγνείας θησαυροὺς ἀποτυληθῶ; Τίς ἡ ὄνησις, εἰ μήτηρ μὲν βασιλέως κληθείην, τὴν δὲ προσηγορίαν C τῆς παρθένου ζημιωθῶ; Κενόν μοι τὸ τῆς βασιλείας ἄξίωμα. Οὐδὲν γάρ μοι τῶν ὄντων τιμιώτερον ἐκρίθη καὶ ἠγαπήθη, ὡς τὸ τῆς καθαρότητος ἀξίωμα· οὐ βασιλείας διάδημα, οὐ δυναστείας κράτος, οὐ σεμνότης πλούτου, οὐ δόξης περιφάνεια, οὐχ ὁ περίγειος οὗτος κόσμος, οὐδὲ ὁ περικαλλὴς αὐτὸς οὐρανὸς συνεισενεγκεῖν τι δυνήσεται, μὴ ταῖς αὐτῆς ἐγκαλλωπιζομένῃ λαμπρότησι. Μίαν βασιλείαν ἀσπάζομαι, τὴν τῆς σωφροσύνης ἀξίαν· ἕνα περίκειμαι στέφανον, τὸ περίβλεπτον τῆς παρθενίας διάδημα· ἕνα κέκτημαι πλοῦτον, τὸν ἐν ἁγνείᾳ θησαυρισθέντα· εἷς οὐρανός μοι τετίμηται, ἡ ταῖς τῶν ἀρετῶν ἀκτῖσι φαιδρυνομένη διάνοια· τούτου καταλαμπρύνομαι ταῖς αἴγλαις, τούτου συνεπαίρομαι τῷ ὕψει, τούτου τὰ κάλλη ποθῶ· οὗτος καὶ πρὸς τὸν ὁρώμενον ἀν- D άγει, καὶ ὑπὲρ τὸν ὁρώμενον ἀναφέρει. Σὺ δὲ εἴτε εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν ἀνάγειν εὐαγγελίζῃ, εἴτε ὑπὲρ τὴν φύσιν τὰς εὐλογίας κομίζεις, τὴν ἄπαξ Θεῷ καθιερωθεῖσάν μου γνώμην λόγοις θωπευτικοῖς οὐ μεταβάλῃς, οὐ ταῖς μεγίσταις σου δελεάσεις ὑποσχέσεσιν, οὐ τῷ ἡδίστῳ τῆς φωνῆς σου τὸν λογισμὸν

XIV. Tum demum itaque illibatissima illa (52) rei suscipiendæ parata erat, neque angeli verbis detrectabat fidem; verum a consuetudine, quam futuram suspicabatur, viri penitus abhorrens, ex adverso hæc ferme reponebat : Quænam mihi post ejusmodi partum reliqua erit gloria? Quid lucri hic conferet, quando, utut universum orbem is obtineat qui ex me nascitur, ego tamen castitatis thesauri jacturam patiar? Quæ utilitas, si mater quidem audiam regis, at virginis nomen amittam? Vanum quid mihi dignitas est regia. Neque enim quidpiam ex omnibus exstantibus pretiosius mihi ducitur, aut quidpiam magis diligitur, quam honos puritatis : non regale diadema, non potestas imperii, non splendidus divitiarum apparatus, non celebritas nominis, non terrenus hic mundus, neque ipsum cœlum pulcherrimum prodesse mihi quidpiam poterit, si puritatis splendoribus non reniteam. Regnum unum in deliciis est mihi, pudicitiæ dignitas : uno redimior serto, conspicuo virginitatis diademate : unas habeo divitias, quæ in puritatis thesauro sunt repositæ : unum mihi cœlum in pretio est, animus virtutum radiis refulgens : hujus splendoribus nobilitor, hujus celsitudine efferor, hujus pulchritudo mihi cordi est : hic et ad visibile me cœlum evehit, quin et super istud visibile me extollit. Tu autem, sive ad ipsos cœlos ascensuram me fauste annunties, sive benedictiones afferas naturæ ordinem excedentes, mentem meam, in holocaustum Deo semel oblatam, non di-

[42] Luc. I, 31.

(51) Majestatem, quam Gabriel mysterium incarnandi Verbi nuntiaturus induit, et quemdam inde sanctæ Virgini pavorem incussum sic innuit et Romanæ Ecclesiæ Officium in secundo responsorio Dominicæ I Adventus : *Missus est Gabriel angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum : et expavescit Virgo de lumine.* Etiam sanctus Ambrosius sensit Virginem ob ea perturbatam, quæ vidit, ac sancti Lucæ verba ita recitat (*in Luc.* lib. I, n. 8) : *Ipsa autem ut vidit eum, mota est in introitu ejus.* Aliam tamen pavoris causam assignat, subdens : *Trepidare virginum est, et ad omnes viri ingressus pavere.*

(52) Audis, Mariam *illibatissimæ*, τῆς παναχηράτου, appellatione antonomastice nuncupari.

Digitized by Google

movebis assentatoriis verbis, non amplissimis tuis promissis inescabis, non demulcebis animum mira vocis tuæ suavitate, non expugnabis in auditis pollicitationibus voluntatem meam. Nescit enim mutari : inconcussa jecit pudicitiæ fundamenta : defixa est supra firmam petram, quæ in sæcula manet immota.

A καταθέλξεις· οὐ τῷ ξένῳ τῶν ἐπαγγελιῶν κατεπραγματεύσῃ μου τὴν διάνοιαν. Ἀμεταθέτως γὰρ ἵδρυται· ἀσαλεύτους τοὺς τῆς σωφροσύνης κατέβαλε θεμελίους· πέπηγεν ἐπὶ στερεᾶς πέτρας, ἥτις ἀμετακίνητος εἰς αἰῶνας διαμένει.

XV. Sic purissima illa (53), qua angeretur cura, haud ambigue edisserens. Supernæ porro dux militiæ ubi eam suspicionibus hisce commotam animadvertit, rursus sermonem accommodata ratione instituit, et responsione metum dissolvit, inquiens : *Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum* [52]. Ne timeas, inquit, ad insuetam aspectus mei speciem, neque eorum, quæ dicuntur, novitate turberis : ne quid doli in his suspiceris : ab omni fraude immunis est sermo meus. Veni, ut gaudium annuntiarem : (veni, ut nuntiarem) gratiam, quam præ omnibus generationibus sola invenisti; quam accipis non debitæ retributionis nomine, sed utpote auctrix doni universo mundo impertiendi exsistens. Nihil igitur subesse putes, quod fallax haberi queat : neque enim res ipsa dolum præfert : non ejusmodi speciem ipse fero, neque assentationis indicium sermones mei exhibent. Gaudii præco venio, non sane adulationis concinnator; ad benedictionem concilian. dam venio, non vero ad dolum struendum; admiranda forma induor, non utique terrificum aspectum præfero; angelicum est quod cernis, de Domino res mihi est, non enim de humanis pertracto. Quid itaque turbaris et expavescis? Cur angore pressa ad ea, quæ dicuntur, addubitas? Quid times? Maledictionis imo solutionem ea prænuntiant, quæ plena tibi timoris videntur. Probanda sane exquisita tua in agendo cautela est; atque ipse tua illa qua uteris, supra naturam prudentia gaudeo atque oblector. Ast omnis abest ambigendi locus, et par est omnino, ut dictis meis acquiescas, ac mente placida gratiam excipias. Hæc porro hujusmodi est : *Ecce concipies in utero, et paries filium.*

IE'. Ταῦτα, δι' ὧν ἐδυσχέραινεν, ἡ πανάσπιλος διεβεβαίου. Ἐπεὶ δὲ τούτοις αὐτὴν πολιορκουμένην ὁρῶν τοῖς λογισμοῖς ὁ ἀρχιστράτηγος ἦν, ἀκολούθως ἐπάγει τὸν λόγον πάλιν, καὶ λύει τὸν φόβον τῇ ἀποφάσει, λέγων· *Μὴ φοβοῦ, Μαριάμ· εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. Καὶ ἰδοὺ, συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν.* Μὴ δείσῃς, φησὶ, τὸ ξένον τῆς θέας μου, μηδὲ τῇ καινότητι τῶν λεγομένων θροηθῇς· μηδὲν ἀπατηλὸν ἐν τούτοις ὑποπτεύσῃς· καθαρὸς πάσης πλάνης ὁ ἐμός ἐστι λόγος. Χαρὰν ἐλήλυθα μηνύσων· χάριν, ἣν μόνη ὑπὲρ ἁπάσας γενεὰς εὗρες· ἣν οὐ μισθῶν ἀμοιβὴν, ἀλλὰ τῆς παγκοσμίου δωρεᾶς ὡς αἰτία, λαμβάνεις. Μηδὲν οὖν ἄξιον ὑποτοπήσῃς ἀπάτης· οὐδὲ γὰρ ἐμφαίνει τὸ πρᾶγμα· οὐ τοιαύτην ἐγὼ περίκειμαι μόρφωσιν, οὐδὲ τεκμήριον θωπείας οἱ ἐμοὶ προχαράττουσι λόγοι. Χαρὰν ἥκω κηρῦξαι, μὴ γὰρ κολακείαν συμπλέξαι· εὐλογίαν προξενῆσαι, μὴ γὰρ πλάνην δημιουργῆσαι. Θαυμαστὸν περίκειμαι σχῆμα, μὴ γὰρ φοβερὸν ἐπιφέρομαι εἶδος· ἀγγελικὸν τὸ ὁρώμενον, τὸν Κύριον εἰσηγοῦμαι, μὴ γὰρ τὰ τῶν ἀνθρώπων μυοῦμαι. Τί τοίνυν θορυβῇ καὶ καταπλήττῃ; Τί τῇ ἀγωνίᾳ συνεχομένη διαμφιβάλλεις πρὸς τὰ λεγόμενα; τί δέδοικας; Τὰ τοῦ φόβου, κατάλυσιν προδηλοῖ τῆς ἀρᾶς. Καλὴ μὲν ἀκριβὴς ἀσφάλεια τοῦ τρόπου σου· καὶ χαίρω καὶ τέρπομαι τῷ ὑπὲρ φύσιν τετηρημένῳ σου φρονήματι. Καιρὸς δὲ τῶν ἀμφιβόλων ἄπεστι· καὶ δεῖ σε τοῖς ἐμοῖς ὑπείκουσαν λόγοις, προσηνῶς εἰσδέξασθαι τὴν χάριν. Αὕτη δὲ τοιαύτη ἐστίν· *Ἰδοὺ, συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱόν.*

XVI. Dixit autem Maria : *Quomodo erit hoc mihi, quoniam virum non cognosco* [53]? Dum magna offers, illud una subintulisti, quod ex omnibus, quæ mihi interdixi, maxime horrendum est. Concepturam me inquis, ac parituram filium. Hæc mihi angoris est causa : hoc caput formidinis : non ulla re alia e cunctis, quæ terrori sunt, sic sum perterrita. Splendidissimus sane aspectus tuus est, et vox tua stupenda, et dulces sermones tui, ac promissiones tuæ amplæ, et dolo vacuæ. At vero quod in viri consuetudinem consentiam, quodque carnem Deo devotam connubio permittam, id prorsus mihi nefas. Quamobrem licet faustissimus visu cernaris, et benedictiones quavis gratia potiores tecum afferas,

IϚ'. Εἶπε δὲ Μαριάμ· *Πῶς ἔσται μοι τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω;* Μέγα παρεγγυώμενος, τῶν ἀπειρημένων μοι τὸ φοβερώτατον συγκατέμιξας. Συλλήψεσθαι λέγεις, καὶ τέξεσθαι υἱόν. Τοῦτό μοι παραίτιον τῆς ἀγωνίας· τοῦτο τοῦ φόβου ὑπέκκαυμα· ὑπ' οὐδενὸς τῶν ὄντων φρικτῶν, οὕτω κατεπτόημαι. Τὸ μὲν σχῆμά σου, φησὶ, λαμπρότατον, καὶ ἡ φωνή σου παράδοξος, καὶ οἱ λόγοι σου γλυκεῖς, καὶ αἱ ὑποσχέσεις μεγάλαι, καὶ ἀπιστίας ἀλλότριαι. Τὸ δὲ συγκατίέναι με εἰς ἀνδρὸς κοινωνίαν, καὶ τὴν ἀνακειμένην Θεῷ σάρκα τῇ συναφείᾳ καταδουλῶσαι, τῶν ἀπηγορευμένων μοι πάντη καθέστηκεν. Ὅθεν εἰ καὶ φαιδρότατος εἶ τὸ φαινόμενον, καὶ κρείττονας ἢ κατὰ χάριν τὰς εὐλογίας κομίζεις, εἰ καὶ ἡδυτέραν ἐπάδεις τὴν χαράν·

[52] Luc. I, 30. [53] Luc. I, 34.

(53) Ecce tibi sanctam Virginem ama voce puritatis summum significantis, της πανασπίλου nomine, per antonomasiam compellata ".

Digitized by Google

δμως ἐμοὶ δεινὸν τοῦτο καὶ παρανομίας μᾶλλον ἢ εὐλογίας πρόξενον ὑπονοεῖται. Εἰ μὲν οὖν καινῷ τινι τρόπῳ τὸ τοιοῦτο καταγγέλλεις συμβήσεσθαι, εἰκὸς ὑπεῖξαί με τῷ λόγῳ, καὶ τῇ καινοτομίᾳ προσχεῖν ἀνάγκη. Εἰ δὲ νόμῳ συζυγίας ἢ συναφείας προμηνύεις ἔσεσθαι τὸν τόκον, ἄπαγε τῆς παρανομίας· παῦσαι τῆς ἀτοπίας· μὴ φθέγξῃ περὶ τούτου· μὴ προσθῇς ἔτι κακῶσαι τὴν ἀπείρατον κακίας ψυχήν. Τί τῇ χαρᾷ περιέχρωσας τὴν ἀράν; Τί τῇ εὐλογίᾳ τὴν ἀδικίαν συνεσκίασας; Τί τῷ περιχαρεῖ λόγῳ τὸν δόλον εὐμόρφωσας; Τί τῷ εὐπρεπεῖ σου σχήματι τὸ ἀπρεπὲς περικρύπτεις τεχνούργημα; Ὑποχώρει παρενοχλῶν· οὐκ εὐλογίαν προξενεῖς, ἀλλὰ παρανομίαν εἰσηγῇ. Οὐ τοιαύτας ἐγὼ τῷ Δεσπότῃ καθυπεσχόμην συνθήκας· οὐδὲ ταύτας ἐκεῖνος ἀντὶ τούτων προσίεται· καθαρὰν ἑαυτὴν τῷ καθαρῷ ἀναθεμένη, σῶαν τὴν ἀφιέρωσιν τῷ Δεσπότῃ μου τηρεῖν εἰς πέρας ἐθέσπισα. Σὺ, Κύριε, ὁ τῆς ἐμῆς καθαρότητος ἔφορος, ἐν τῷ παρόντι μεσίτευσον. Σὺ γὰρ εἶ ὁ ἀπλανέστατος μάρτυς τῆς ἐν ἐμοὶ κρυπτομένης ἁγνείας· σὺ εἶ μόνος ὁ τὴν ἀνόθευτόν μου καθορῶν διάθεσιν, ᾧ ἐφάπαξ ταύτην ἀναθεμένη, ἀνεπίβατον εἰσέτι λόγοις θωπευτικοῖς διετήρησα, οὐ μόνον τούτων ἀλλοτριουμένη, ἀλλὰ καὶ πάντη τῶν τοιούτων ἐνθυμήσεων καθαρεύουσα. Μὴ δῶς οὖν, ἀπατηλὸν εἰσδῦναι λόγον ἐν τῇ καθιερωθείσῃ σοι διανοίᾳ· μηδὲ ἀηθέσιν ἐνηχηθῆναι ῥήμασιν ἐάσῃς τὴν ἀνατιθεμένην σοι ἀκοήν· μὴ δίοδον ἐπιβουλῆς τῇ ἀθιγεῖ καὶ ἀκράτῳ σωφροσύνῃ παραχωρήσῃς. Φάνηθι ἐπαμύνων, ὁ πάντα κατοπτεύων· ἀγὼν γὰρ ἑκατέρωθεν πρόκειται· καὶ τὸ πιστεύειν ἐπίφοβον, καὶ τὸ διαπιστεῖν ἐπικίνδυνον. Ἀμφότερα γοῦν ἐν τῷ παρόντι καθορᾶται. Τὸ γὰρ δὴ μέγεθος τῶν λεγομένων ἀμφιβάλλειν παρασκευάζει· καὶ τὸ τοῦ λέγοντος μὴ διστάζειν παρακελεύεται σχῆμα· πάσης γὰρ τοῦτο καθαρὸν φαίνεται πλάνης, μηδὲν σημεῖον ἀπάτης ἐπιφερόμενον. Ἀλλὰ μὴν καὶ ξένον τοῦ ἀνθρωπείου πέφυκεν εἴδους· ἀγγελικὸν προβαλλόμενον τὸν χαρακτῆρα, ἔοικε τοῖς πολλάκις μοι φανεῖσιν ἐν τῷ ναῷ σου· εἰ καὶ παραδοξότερον περίκειται κάλλος, εἰ καὶ λαμπροτέραν ἐπιδείκνυται θέαν, ὁ γλυκὺς οὗτος τῇ ὥρᾳ καὶ τοῖς προσφθέγμασιν ἡδίων.

licet suavis gaudii melos promas; horrendum tamen id mihi sonat, et flagitium magis quam benedictionem adducere videtur. Si itaque novo quodam modo tale quid eventurum significares, congruum sane foret, ut verbis tuis acquiescerem, rationemque haberem novi operis oporteret. At si consueto conjugii ordine futurum indicis partum, apage nequitiam: cessa ab ejusmodi facinore: ne verbum ea de re facias: ne pergas animæ maliexperti (54) malum propinare. Quid gaudii coloribus maledictionem fucasti? Quid iniquitatem obtegisti benedictionis velo? Quid blandam dolo speciem per jucundos sermones allinxisti? Quid indecoras decoro aspectu tuo insidias abscondis? Ne ultra molestus sis: non benedictionem profers, sed scelus inducis. Non ista ego cum Domino pacta vovens inivi; neque ipse vicissim præ pactis ista admittit. Immaculatam Immaculato (55) me ipsam obtuli: et oblationem Domino meo usque ad finem vitæ intactam me servaturam religiose spopondi. Tu Domine, inspector puritatis meæ, tu modo huc intercede. Reconditæ enim in me innocentiæ tu testis es falli nescius: animum meum incorruptum tu solus es qui intuearis, cui semel eum consecrans, inaccessum huc usque verbis assentatoriis custodivi, non modo ab hisce abhorrens, verum etiam ab ejusmodi cogitationibus prorsus munda. Ne permittas igitur, ut ad mentem tibi dicatam dolosus sermo aditum inveniat; neque sinas, ut ad aures tibi sacras insolentium verborum sonus deferatur, ne patiaris, ut ad intactam illibatamque pudicitiam accessus ullus insidiis pateat. Veni in auxilium, tu qui omnia vides: utrinque enim me angustiæ tenent; et res est plena formidinis credere, non credere autem plena periculi. In præsens certe utrumque cernitur. Nam ad ambigendum hinc inducit eorum gravitas, quæ dicuntur; inde vero dubitare non sinit loquentis species: omnis enim doli hæc expers videtur, nec ullum fallaciæ præbet indicium. Sed et quidpiam plane in eo elucet ab hominis forma alienum; angelicam objicit speciem, et similis iis videtur, qui sæpe mihi in templo tuo apparere solebant; nisi quod mirabiliori hic refulget pulchritudine, et venustate jucundus, et suavior eloquiis splendidiorem aspectum præsefert.

ΙΗ'. Ταῦτα οὖν τῆς ἀκηράτου Παρθένου διαλογιζομένης συνιεὶς ὁ κήρυξ τῆς ἀληθείας, ὁ μηνυτὴς τῆς σωτηρίας, ὁ τῆς χαρᾶς ἡμῶν πρόξενος, ὁ ποικίλος τοῦ μυστικοῦ θαλάμου κοσμήτωρ, ὁ τῆς ἀσπίλου περιστερᾶς νυμφοστόλος, μικρὸν ἐνδοὺς πρότερον, ἀκολούθως ἐπάγει τὸν λόγον, καὶ λύει τὸν φόβον τῇ ἀποφάσει, λέγων· *Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις Ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι.*

XVII. Cum itaque intemeratam Virginem secum hæc disserentem perspiceret ille veritatis præco, nuntius salutis, gaudii nostri minister, industrius mystici thalami adornator, immaculatæ columbæ (56) paranymphus, postquam paulisper prius cessit, accommodato sermone eam affatur, ac verbis suis timorem dispellit, inquiens: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* [43].

[43] Luc. I, 35.

(54) Pulchre conditio animæ sanctæ Virginis exhibetur, ut peccati labis nescia fuerit, ἀπείρατος κακίας ψυχή. Verissime enim teterrimum hoc malum illa non est experta, quæ vel hæreditarium malum singulari Dei beneficio devitavit.

(55) Aptissime *Immaculata* Maria cum *Immaculato* Domino juxta conferitur quo innuitur alteri ex gratiæ privilegio id tributum fuisse, quod alteri competit naturæ conditione, omnis scilicet peccati absentiam omnimodam.

(56) Habes sententiam illam sacrorum Canticorum (v, 2): *Columba mea, immaculata mea*, de Maria dictam.

Digitized by Google

Ex sancto Spiritu, inquit, et ex te, nemine alio ad carnis ejus efformationem interveniente, is incarnabitur, qui ineffabili modo in te inhabitat. Nihil, inquit, ad ea, quæ nefas sint tibi, spectat sermo meus; neque ad incutiendum metum, sed ad conferendum gaudium veni. Partum denuntio non humana ratione, sed divino et ineffabili consilio ad opus deducendum : nova erit conceptionis ratio, novum et ab iis, quæ formidas, liberum puerperii genus. Meus vero aspectus eam administrantis exhibet serenitatem, quæ et quemlibet depellat terrorem, et ad opus futurum animum erigat.

A Ἐκ Πνεύματος ἁγίου, φησὶ, καὶ ἐκ σοῦ σαρκωθήσεται ὁ ἀπορρήτως ἐν σοὶ κατασκηνῶν, μηδενὸς ἑτέρου πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ παραλαμβανομένου σύστασιν. Οὐδὲν, φησὶ, τῶν ἀπηγορευμένων σοι καταμηνύω· οὐδὲ πτοῆσαι, μᾶλλον δὲ χαροποιῆσαι ἐλήλυθα. Οὐκ ἀνθρωπίνῳ ὄρῳ, θείῳ δὲ καὶ ἀπορρήτῳ βουλήματι ἐνεργεῖσθαι τὸν τόκον εὐαγγελίζομαι· καινὸς ὁ τῆς συλλήψεως τρόπος, ξένη τῆς λοχείας ἡ ὠδὶς, καὶ τῶν ἐπιφόβων σοι ἀπηλλαγμένη. Καὶ θέα μοι τὸ προσηνὲς τοῦ λειτουργοῦ, πῶς τὸ φοβερὸν ἀπωθεῖ, καὶ πρὸς τὸ μέλλον διανιστᾷ.

Et ecce, subdit, *Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua* [46]. Exitus eorum, inquit, quæ significata sunt tibi, indubium argumentum habe Elisabethæ conceptum. Neque enim novum hoc prodigium solus ipse contestor, qui a naturæ tuæ conditione maxime disto, sed fausti nuntii confirmationem etiam ab illa superno Spiritu afflata, et a senescentis, quæ ne in cogitationem quidem suscipiendæ prolis venerat, insueto partu accipies.

Καὶ ἰδοὺ, φησὶν, *Ἐλισάβετ ἡ συγγενής σου, καὶ αὐτὴ συνειληφυῖα υἱὸν ἐν γήρει (a) αὐτῆς.* B Τῆς τοῦ μηνυθέντος, φησὶν, ἐκβάσεως ἀναμφίβολον δέχου σημεῖον τὴν Ἐλισάβετ κυοφορίαν. Οὐ γὰρ δὴ μόνος ἐγὼ, ὁ πλεῖστον τῆς κατὰ σὲ διεστηκὼς φύσεως, τὸ ξένον τοῦτο καταγγέλλω, ἀλλὰ καὶ παρ' αὐτῆς δέξῃ, ἄνωθεν ἐμπνεομένης, τὴν τῶν εὐαγγελίων βεβαίωσιν, καὶ ἐκ τοῦ ξένου τόκου τῆς γηραιᾶς, ἧς οὐδὲ εἰς ἔννοιαν λόγος ἦλθε παιδοποιίας.

XVIII. Sic igitur dux supernus lucidissimum Virginis animum erigit, et super cœlos sublime constituit : quamobrem et eam parat ad obsequendum mysterio cum ineffabili gaudio; non quasi prius ipsa abnueret, sed quia de rei modo inquirebat. Non ergo fidem iis, quæ dicebantur, negabat, sed causam investigabat diligenter; neque detrectabat partum, sed rationem (partus) sciscitabatur. C Exinde quod illi trepidandi atque ambigendi causa exstiterat, majoris argumentum gaudii nuntio, gratiæ administro, fiebat; nam quo graviori illam angore ea de causa pressam fuisse noverat, eo manifestius puritatem illius perspiciebat.

ΙΗ'. Οὕτω τοίνυν ὁ ἀρχιστράτηγος τὴν ὁλοφαῆ τῆς Παρθένου διάνοιαν μετεωρίσας, ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν ἵστησι· διὸ σὺν ἀπορρήτῳ χαρᾷ τῷ μυστηρίῳ παρεσκεύασεν ὑπείκειν, οὐδὲ πρώην τοῦτο παραιτουμένην, ἀλλὰ τὸν τρόπον πυνθανομένην. Οὐ γὰρ τοῖς λεγομένοις ἠπίστει, ἀλλὰ τὴν αἰτίαν ἐπολυπραγμόνει· καὶ οὐ τὸν τόκον παρῃτεῖτο, τὸν δὲ τρόπον διεπυνθάνετο. Ὅθεν τὸ φοβερὸν αὐτῇ καὶ ἠπορημένον, πλείονος ὕλη χαρᾶς τῷ χαριτοφόρῳ συνέβαινε λειτουργῷ· καὶ ὅσην τὴν ἀγωνίαν αὐτῆς διὰ τοῦτο κατενόει, μᾶλλον τὴν καθαρότητα ἐνενόει.

Quocirca Evangelista et sententiam verbis, imo verba ipsa, prouti prolata sunt, expressit, inquiens : *Dixit autem Maria* [47]; illud videlicet nomen a Deo nominatum, compellatio veritati respondens, gaudium perinsigne, summis laudibus celebranda gloria, lingua divinitus mota, os veracissimum, labia Dei scientiam manantia, ditissima sapientiæ copia, sermonum thesaurus, charismatum promptuarium, cognitio lucidissima, naturæ magnificentia, incomprehensibilis humani generis altitudo, sanctorum angelorum gloriatio, nobilissima creaturarum omnium oblatio (57), totius humanæ familiæ apologia (58), quid dixit? Quænam beata verba effudit

Ὅθεν τήν τε γνώμην εὐαγγελιστὴς τοῖς ῥήμασι, καὶ αὐτὰ, ὡς ἐρρήθησαν, ἐδήλωσε, φήσας· *Εἶπε δὲ Μαριὰμ*, ἡ θεόθετος κλῆσις, ἡ φερώνυμος προσηγορία, ἡ πολυώνυμος χαρὰ, ἡ πολυΰμνητος δοξολογία, ἡ θεοκίνητος γλῶσσα, τὸ ἀδιάψευστον στόμα, τὰ τὴν θεολογίαν κυπρίζοντα χείλη, ὁ τῆς σοφίας πλοῦτος, ὁ θησαυρὸς τῶν λόγων, τὸ ταμεῖον τῶν χαρισμάτων, ἡ πολύφωτος γνῶσις, τὸ μεγαλεῖον τῆς φύσεως, τὸ ἀκατανόητον τοῦ γένους ὕψος, τὸ σεμνολόγημα τῶν ἁγίων ἀγγέλων, τὸ ὑπέρτιμον τῆς κτίσεως ἀνάθημα, ἡ πάσης τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀπολογία, τί εἶπε; Τίνα μακάριον ἐξηρεύξατο λόγον τὸ πολυθαύμαστον τῶν ἀγγέλων διήγημα; *Ἰδοὺ*,

[46] Luc. I, 36. [47] Luc. I, 38.

(57) Si Mariæ conditio ejusmodi est, ut creaturarum universitas nihil in se dignius invenerit, quod Deo ceu donum ac sacrificium offerret, nulla ergo illi vel minima labecula inhæsisse dicenda est. Cum enim puritas immaculata sit potissima conditio, qua acceptæ Deo hostiæ esse possint, quispiam potius e supernis spiritibus nulla sane unquam labe fœdatus, quam Adæ filia, paterna fœditate olim turpis, Deo offerendus visus esset.

(58) Causa, quæ vere totius humanæ familiæ sit propria, nulla est præterquam primi parentis lapsus, vi cujus omnes ad unum ejus posteri reatu obstricti tenentur. Atqui suapte natura res postulat, ut qui *apologiæ* pro aliis munus obit, exsors sit eorum reatus : quocirca paulo infra idem Jacobus humanum genus e criminis sui pudore taciturnum describit. Non potuerunt igitur hæ partes beatissimæ Virgini attribui, nisi si ab eo crimine prorsus aliena ipsa haberetur.

(a) Scilic. pro γήρᾳ : et eam quidem lectionem retinendam esse ex mss. codd. fide censuerunt etiam Fridericus de Matthæi, et David Schulz.

Digitized by Google

φησιν, *ἡ δούλη Κυρίου, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου.*

ΙΘ'. Ἐσκίρτησαν πασαι νοεραὶ Δυνάμεις ταύτην ἐνωτισθεῖσαι τὴν φωνήν· ἠγαλλιάσατο ἄνωθεν ὁ οὐρανὸς, καὶ αἱ νεφέλαι ταύτην ὡς εὐφροσύνης ὑπεδέξαντο δρόσον· ἠγιάσθη τῇ ἐνηχήσει ταύτῃ ὁ ἀὴρ, καὶ ὁ σύμπας κατελλάμφθη κόσμος· ὡς ἀστραπῆς αὐτῆς διαδραμούσης τὰ πέρατα, τηλαυγεστέρας τὰς ῥοδοειδεῖς ἀκτῖνας ὁ ἥλιος ἀπέδωκε· καὶ ὁ χορὸς τῶν ἀστέρων διαυγέστερον τὸ κάλλος ὑπέδειξε. Διηνοίχθη τὰ ὦτα τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, καὶ ἡ τῆς παραβάσεως ἀφωνία εἰς εὐφημίαν μετεποιήθη τότε.

Τίς τῶν δικαίων, εἰς μείζονα τῆς οἰκείας καλούμενος ἀξίας, τοιοῦτον ἐπαφῆκε λόγον; Ποία πεπληροφορημένως διάνοια περὶ τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν διατεθεῖσα, συντετριμμένως οὕτω τὴν αὐτῶν ἐπίταξιν ἠλπισεν; Ὁ ἀρχιστράτηγος ὑπεράνω τῶν οὐρανῶν ταύτην ἀνήγαγεν· ἡ δὲ τὴν γηΐνην διάπλασιν προθεμένη, τὴν εὐχαριστίαν ἀνέτεινεν. Ἐκεῖνος ταῖς ἐπαγγελίαις τῶν Χερουβὶμ καὶ Σεραφὶμ, Θρόνων τε καὶ Κυριοτήτων, ταύτην ὑπερανέθηκεν· ἡ δὲ, τῆς οἰκείας οὐκ ἐπιληθεῖσα φύσεως, τὴν δεσποτείαν ἐκήρυττε, καὶ τὴν δουλείαν διωμολόγει. Ἐκεῖνος ἐκλελεγμένην αὐτὴν εἰς τὴν τοῦ μυστηρίου προεπιστώσατο λειτουργίαν· ἡ δὲ εὐχῇ τὸ πέρας ἐπιζητεῖ, καὶ τὴν εὐχαριστίαν τοῦ μέλλοντος σὺν ἱκεσίᾳ προβάλλεται· *Ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου.*

Κ'. Ὦ ἱερᾶ; φωνῆς αὐτόθεν τὸ μεγαλοφυὲς τῆς γνώμης δηλούσης! Ὦ ταπεινώσεως ὑπερβολὴ, ἐν τοσούτῳ θεωρουμένη ὕψει! Ὅρα τὴν ἀκατανόητόν τε καὶ ὑπερθαύμαστον ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις ἀρετήν! Οὐκ ἐδίστασε πρὸς τὸ παράδοξον τοῦ λόγου· οὐκ ἀπεκρούσατο τῇ ἀμφιβολίᾳ τὴν ἐπαγγελίαν· οὐκ ἀπέφυγε τὸ τοῦ καινοφανῶς ὀφθέντος καταπληκτικὸν εἶδος· οὐ πρὸς τὸ ἀπόῤῥητον ἀπιδοῦσα τοῦ μυστηρίου, ὡς ἀμήχανα κατεπαγγελλομένῳ, ἀντικατέστη τῷ κήρυκι· οὐ προέτεινε τὰ τῆς μικροψυχίας ῥήματα· ἀλλὰ τοὺς λόγους, ὡς ἔργον καὶ ὡς ὑπὸ Κυρίου λεχθέντας μεγαλοψύχως δεξαμένη, τὸ ξένον τῆς ἀνθρωπίνης ταπεινότητος ἀνῳκισμένῃ προαιρέσει παρέδειξεν ἐν ἑαυτῇ. Ἡ γὰρ δοκοῦσα διαπόρησις οὐκ ἀντιλογίας ἦν, ἀλλὰ πυνθανομένης τὸν τρόπον, καὶ τῆς ἁγνείας ὑπερμαχούσης. Διὰ δὴ τοῦτο τὸν ἀνέκφραστον τόκον ἀκούσασα, οὐδὲν περαιτέρω διηθέχθη· ἀλλ' ἁπλῶς τὸν λόγον δεξαμένη, πίστει βεβαίᾳ τὴν πίστιν συνεισῳκίσατο, καίτοι τότε μᾶλλον ἦν ἀκόλουθον ἐπαπορεῖν τῷ καταγγέλλοντι τοιῶσδε, καὶ ἐκ Πνεύματος ἁγίου, καὶ ξένην τὴν σύλληψιν βεβαιουμένῳ· Τί τοῦτο μηνύεις, ὁ προσδιαλεγόμενος; Ἀλλότριον τῆς φύσεως εἰσηγῇ τὸν τόκον, ξένα πάσης ἀκοῆς προτείνεις τὰ ῥήματα· ἀναλαβόμενος ἑαυτὸν, τὰ τῆς ἀκολουθίας κατάγγελλε· ἔμβλεψον εἰς προτέρας γενεάς, ἐννόησον, εἴ τι τοιοῦτον ἐν ταύταις ἐνηργήθη· σύγες ἀσφαλῶς, εἰ μέχρι κἂν ψιλῶν ῥημάτων ὁ οὕτως ἔχων ὠνόμασται τόκος· κατάμαθε τοίνυν διερευνώμενος· καὶ

A stupendissimum illud angelorum encomium? *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

XIX. Gaudio exsultaverunt Potestates intellectuales omnes, ubi vox ista ad aures illis delata est: lætati sunt cœli desuper, et nubes hunc veluti lætitiæ rorem susceperunt; vocis hujus sonitu sanctificatus est aer, et totus nova luce mundus refulsit; ea ad extremos usque fines instar fulguris decurrente, roseos radios suos sol reddidit micantiores, et nitidiorem pulchritudinem corona siderum explicavit. Aures apertæ sunt humani generis, et muta ejus e prævaricatione taciturnitas tunc in faustam acclamationem versa est.

Quis unquam e justis, ad honores vocatus meri- B tis propriis potiores, in ejusmodi sententiam prorupisset? Quis animus, de futuris bonis certior factus, tam modeste assecutionem eorum exspectasset? Agminum supernorum ductor supra cœlos eam extulerat; ipsa vero, terrenam præ oculis habens conditionem, in gratiarum actiones effunditur. Supra Cherubim ac Seraphim, supra Thronos ac Dominationes promissorum ratione ille eam evexerat; at ipsa, propriæ haud oblita naturæ, (divinum) proclamabat dominium, suamque servitutem profitebatur. Data ille fide declaraverat, electam ipsam ad ministrandum mysterio fuisse; hæc vero effectum rogabunda poscit, et simul cum precibus gratum de eventuris animum testatur: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.*

C XX. O vocem augustam, quæ mentis nobilitatem sponte manifestat! O humilitatis in tanta celsitudine emicantis excessum! Vide virtutem, quam neque angeli neque homines aut mente assequi aut pro merito mirari queant! Non nutavit ad sermonis insolentiam; non eam impulit dubitatio ad recusanda promissa; non formidandum ejus, qui nova specie apparuit, aspectum aufugit; non, quod ineffabile in mysterio esset, respiciens, præconi quasi impossibilia nuntianti restitit; non pusillanimitatis verba prætendit; sed magnanimiter sermones æque certos habens, ac si in opus deducti essent, et tanquam a Domino prolatos excipiens, per inauditam illam electionem prodigium humilitatis D humanæ in se ipsa demonstravit. Nam quæ videri posset hæsitatio, non ad contradicendum, sed ad modum sciscitandum, atque ad tuendam puritatem spectabat. Quare cum certior de ineffabili ratione partus facta esset, nil sane distulit ulterius; sed mansuete aures sermoni præbens, firma fide, quæ dicebantur, ceu vera excepit, quanquam, nuntio ejusmodi loquente, et conceptionem ex Spiritu sancto novamque fore affirmante, magis tunc pronum esset addubitando hæc ferme respondere: Quidnam istud est, quod inter loquendum memoras? In medium adducis partum a naturæ ordine alienum: verba cujusvis auribus insueta profers: fac animum advertas, et narres, quæ consentanea videantur: converte oculos ad præteritas generatio-

Digitized by Google

nes, cogita, an per earum decursum quidpiam simile factum fuerit : fac recte scias, an saltem verbo tenus hujuscemodi partus hactenus nominatus fuerit : fac porro sciscitando addiscas : et siquidem allatis exemplis tale aliquid factum inveneris, dicito, et dignus qui admittatur, sermo erit, neque de re erit ambigendum ; si vero quid simile indicare non vales (neque enim id unquam visum est), quid frustra vanas effundis voces ? Quid invicem discrepantia loqueris ? Profer certa futuri eventus argumenta ; præbe indicia rei apte respondentia. Undenam certo noverim, te nuntium veritatis advenisse ? Magna sunt, quæ proclamas ; et validis igitur argumentis, et consentaneis exemplis opus habent. Non decet temere auribus illudere, ejusmodi sermones iis citra controversiam imponendo : ut sine periculo sermo fidem inveniat, oportet ut ad eum confirmandum quidpiam adjungatur.

A εἰ μὲν τοιοῦτον ἐκ παραδειγμάτων ἐφεύροις γεγενημένον, εἰπὲ, καὶ ὁ λόγος ἀποδεκτέος, καὶ τὸ πρᾶγμα οὐκ ἀμφίβολον· εἰ δὲ τὸ ἴσον οὐκ ἔχεις ἐπιδεῖξαι, οὐδὲ γὰρ ὤφθη ποτὲ, τί μάτην κενοφωνεῖς ; Τί τὰ ἀσύμβατα καταγγέλλεις ; Εἰπὲ τοῦ ἀποδησομένου τεκμήρια· ὁδὸς σημείου παραπλήσια. Κατὰ τί γνώσομαι, ὅτι μηνυτὴς ἀληθείας ἐλήλυθας ; Μέγα τὸ διὰ σοῦ κηρυττόμενον· οὐκοῦν καὶ μεγάλων δεῖται τῶν τεκμηρίων, καταλλήλων τῶν παραδειγμάτων. Οὐ χρὴ τὴν ἀκοὴν εἰκῇ φενακίσαντα, ἀκινδύνως ἐν ταύτῃ τοὺς τοιούτους ἐγκαταθέσθαι λόγους· δεῖ τινα πρὸς βεβαίωσιν τοῦ λόγου παραγαγεῖν, ἵνα τὰ τῆς πίστεως τὸ ἀσφαλὲς ἕξει.

Verum nihil ejusmodi illibatissima illa objecit. Nam fide ineffabili id, quod sibi annuntiabatur, admittens, non secus ac si jam opere completum esset, pro certo habuit ; ac propterea respondit : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum ;* ac si diceret : tu quidem ministerium tuum ad exsequendum mysterium explevisti : ego autem prompta voluntate atque animo obsequente ipsi deservire sum paratissima.

B Ἀλλ' οὐδὲν τοιοῦτον ἡ πανακήρατος προέτεινεν. Ἀφάτῳ γὰρ τὸ μηνυθὲν δεξαμένη πίστει, ὡς ἦδη πεπληρωμένον τοῦτο κατέσχε· διὸ καὶ ἔλεγεν· *Ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου, γένοιτό μοι κατὰ τὸ ῥῆμά σου* · σὺ μὲν, φησὶν, τὴν τοῦ μυστηρίου διακονίαν ἐτέλεσας· ἐγὼ δὲ παρασκευασμένῃ γνώμῃ καὶ συντεταμένῃ ψυχῇ ὑπείκειν τούτῳ ἑτοιμοτέρα.

XXI. Postquam autem suo circa mysterium munere supernæ militiæ ductor perfunctus est, mysticumque concinne thalamum præparavit, ad cœlestes choros reversus est. Propterea divinitus afflatus Evangelista inquit : *Et discessit ab ea angelus* [48].

ΚΑ'. Ἐπειδὴ δὲ τὴν τοῦ μυστηρίου διακονίαν ὁ ἀρχιστράτηγος ἐτέλεσε, καὶ τὴν μυστικὴν κατήρτισε παστάδα, πρὸς τὰς οὐρανίους ἦτο χορείας. Διό φησιν ὁ θεσπέσιος εὐαγγελιστής· *Καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτῆς ὁ ἄγγελος.*

At vero qua de causa archangeli ad eam ingressum significantius expressit ? dicit enim : *Ingressus angelus ad eam dixit* [49] : hic vero recessum solo verbo, *discessit*, indicavit ? Consentaneum enim erat, ut cum ingressum narrasset, egressus quoque mentionem faceret. Cur igitur dictum est, *discessit* ? Sapientissimus nempe Lucas verba rei accommodata voluit adhibere. Nam princeps militiæ, cum primum introivit, ita semetipsum composuit, ut ingrediendi modum, qui consuetus est hominibus, imitaretur, ne vehementiorem scilicet trepidationem incuteret. Ubi vero omnia ad finem perducta, animumque Virginis sublimius, quam naturalis conditio ferat, elevatum conspexit, propriam sibique consentaneam virtutem aperte exseruit. Proinde avolans ab illius oculis in aera pro natura sua se extulit, et in cœlos reversus est, eo ipso, qualis ipse foret, demonstrans, et illi, quæ consistebat immota, firmiorem constantiam addens.

C Τίνος δὲ χάριν εἴσοδον τὴν τοῦ ἀρχαγγέλου προσεῖπεν ἐμφάνειαν ; *Εἰσελθὼν* γὰρ, φησὶ, *πρὸς αὐτὴν, εἶπεν* · ἐνταῦθα δὲ τὴν ἄφιξιν, τῷ *ἀπῆλθε* διεστήμανε ῥήματι ; Ἀκόλουθον γὰρ ἦν τὸν εἴσοδον εἰρηκότα, καὶ ἐξόδου μεμνῆσθαι. Διὰ τί οὖν ἐρρέθη τὸ *ἀπῆλθε* ; Συμβαίνοντας τοῖς πράγμασι τοὺς λόγους ὁ σοφώτατος διετύπωσε Λουκᾶς. Οὕτω γὰρ ἑαυτὸν εἰσιόντα πρότερον ὁ ἀρχιστράτηγος ἐσχημάτισεν, ὡς ἂν παραπλησίαν ποιούμενος ἀνθρώποις τὴν εἴσοδον, μὴ σφοδροτέραν ἐμποιήσῃ τὴν ἀγωνίαν. Ἐπειδὴ δὲ τὸ πᾶν ἀπηρτισμένον κατεῖδε, καὶ τὴν τῆς Παρθένου διάνοιαν ὑψηλοτέραν τῆς φυσικῆς ἀκολουθίας γεγενημένην, τὴν οἰκείαν καὶ κατάλληλον αὐτῷ παρεγύμνωσεν ἐνέργειαν. Διὸ ἐκ τῶν ταύτης ἀποπτὰς ὀφθαλμῶν, τῷ μετεωροπόρῳ τῆς φύσεως εἰς οὐρανοὺς ἀνέδραμε, τούτῳ μὲν τὸ ἴδιον δεικνὺς, βεβαιοτέραν δὲ καθιστῶν τὴν ἱδρυμένην ἀμεταθέτως.

XXII. O Gabriel ! quam bonum nobis, o Gabriel, quam bonum nuntium tuo adventu affers ! Quam eximia beneficia denuntiare venisti ! Quantum gaudium, qualem lætitiam ! Abi feliciter, splendidissimus gaudii nostri auspex, lætissimus mysterii præco, communis legatus lætitiæ, arcanorum initiator, dispensationis minister. Abi, annuntia cœlis

ΚΒ'. Ὦ Γαβριήλ ! οἷον ἡμῖν, Γαβριὴλ, ὁ ὢν ἡμῖν ἥκεις κομίζων τὸ εὐαγγέλιον ! Οἵας ἦλυθας τὰς εὐεργεσίας ἐπαγγελλόμενος ! ὅσην τὴν χαρὰν, ἡλίκην τὴν εὐφροσύνην ! Ἄπιθι καλῶς, ὁ τῆς ἡμῶν χαρᾶς ἀνδρότατος λαμπαδοῦχος, ὁ χαρμονικώτατος τοῦ μυστηρίου κήρυξ, ὁ τῆς κοινῆς εὐφροσύνης διάκονος, ὁ μύστης τῶν ἀπορρήτων, ὁ τῆς οἰκονομίας λει-

[48] Luc. I, 38. [49] Luc. I, 28.

Digitized by Google

τουργός. Ἴθι, τοῖς οὐρανίοις ἀπάγγειλον τὴν τοῦ ἡμετέρου οὐρανοῦ δόξαν· ἴθι, τὰ τῆς εὐρυχωροτέρας καὶ τιμιωτέρας αὐτῶν διήγησαι σκηνῆς παράδοξα· εἰπὲ ταῖς ἄνω στρατιαῖς, ὅπερ ἐν αὐτῇ κατεῖδες πλοῦτον· λάλησον Θρόνοις καὶ Κυριότησι τὸ τῆς βασιλικῆς καθέδρας ὑπέρτιμον, τὸ πύρινον τῆς τοῦ λόγου σαρκώσεως ὄχημα, τὴν πολυόμματον τοῦ μυστηρίου διόπτραν, τὴν πολύφωτον παστάδα, ἣν ἐνυμφοστόλισας, ἣν κατεποίκιλας τῷ κηρύγματι, ἧς τὰ ὑπὲρ φύσιν ἐθαύμασας καλά· μήνυσον αὐτοῖς τὴν ἀνερμήνευτον τοῦ Κτίστου Μητέρα, τὴν τὰς αὐτῶν ὑπερβαίνουσαν νοήσεις, τὴν καταπλήττουσαν αὐτοὺς ἐν τῷ τόκῳ· τράνωσον τὰ ταύτης μεγαλεῖα, κήρυξον τὴν ἡμῶν δι' αὐτῆς ἀνάκλησιν, τὴν ξένην καταλλαγήν, τὴν σύμφωνον αὐτοῖς κροτηθησομένην χορείαν· εἰπὲ, ποθεινὲ καὶ τῆς ἡμῶν χαρᾶς κοινωνὲ, ἐν τίσιν αὐτοὺς πλεονεκτοῦμεν, ἐν τίνι τὴν πρὸς αὐτοὺς παῤῥησίαν ἐσχήκαμεν, ἐν τίνι σεμνυνόμενοι, ἐγκαλλωπιζόμεθα· κήρυξον, ὁποῖον ἠνθοφόρησεν ἡ ἀνθρωπεία φύσις καρπὸν, οἷον τὸν πλοῦτον ἀπέθηκεν, οἷον θησαυρὸν ἐταμιεύσατο. Οὕτω κηρύττων, συνευφραίνου τῇ ἡμῶν σωτηρίᾳ· κοινὸν ἡγοῦ τὸ τῆς χαρᾶς ἀναφαίρετον. Καὶ γὰρ τῆς ταύτης μόνος κεκοινώνηκας λειτουργίας· συγχαίρεις μὲν, οἶδαμεν, ταῖς ἄνω στρατιαῖς διὰ τοῦτο· ἀλλ' ἐξαίρετον ἡμεῖς τὴν χαρὰν ἐπιζητοῦμεν, ἣν διακονῶν ἐπεδείξω, ἣν ἐβεβαίωσας τοῖς πράγμασι· ταύτην ἀμείωτον αἰτοῦμεν διατηρεῖσθαι, ἵνα τὰ τῆς πρὸς σὲ παῤῥησίας ἡμῶν μὴ ἀποκλείηται γνωρίσματα, ἵνα τὸ θαῤῥεῖν ἔχοντες διὰ τοῦτο, κοινὸν ἐξιλαστήν σε πρός τε τὸν Δεσπότην καὶ πρὸς αὐτὴν ἡμῶν τὴν χαρὰν προβαλλοίμεθα.

ΚΓ'. Ἀλλ', ὦ κοινὸν ἀγαλλίαμα, ὦ παῤῥησία τοῦ γένους, τὸν τοιοῦτον προσιεμένη πόθον, ταῖς σαῖς εὐεργεσίαις ἀμείβου. Ἡμεῖς τοίνυν οἱ πρὸς τοσοῦτον ἀναῤῥαμόντες ὕψος, καὶ διὰ σοῦ τὴν τῶν ἀγαθῶν καταπλουτήσαντες ἀφθονίαν, μηδὲν ἔχοντες εἰς ἀμοιβὴν προβαλέσθαι τούτων, ὅμως τοιαύτας σοι τὰς εὐφημίας διαπλέκομεν.

Χαῖρε, τῆς καταπτώσεως ἡμῶν ἡ ἐπανόρθωσις· χαῖρε, δι' ἧς πρὸς τὸ τῆς γνώσεως ἀνήχθημεν ὕψος· χαῖρε, ὑπερκείμενε οὐρανὲ, δι' οὗ τῶν οὐρανίων κατατρυφῶμεν θησαυρῶν· χαῖρε, βασίλισσα, δι' ἧς ἡμῖν ἡ ἀκήρατος ἠνοίγη βασιλεία· χαῖρε, τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἡ εὐφορία· χαῖρε, τῆς τῶν ἀγαθῶν μεθέξεως ἡ ἀφθονία· χαῖρε, ὁ θησαυρὸς ὁ ἀσύλητος· χαῖρε, ὁ πλοῦτος ὁ ἀναφαίρετος· χαῖρε, τροφὴ ἀδαπάνητε· χαῖρε, τρυφὴ ἀνεκλάλητε· χαῖρε, βρῶσις ἀείζωε· χαῖρε, πόμα νηφάλιον· ἡ διψῶσα ἔφεσις, ἡ ἐπιθυμητὴ μέθεξις, τὸ ταμεῖον τῶν ἀγαθῶν, τὸ διαιωνίζον ἐντρύφημα, ἡ ἀτελεύτητος εὐφροσύνη, τὸ διηνεκὲς Χριστιανῶν ἀγαλλίαμα, ἡ πολυπόθητος τῶν σε ποθούντων χαρά. Ταύτας σου τὰς εὐεργεσίας

A cœli nostri gloriam : abi, enarra tabernaculi amplioris ipsis ac pretiosioris portenta : quas in ipso divitias suspexeris, dicitq supernis exercitibus : revela, explica Thronis et Dominationibus celsissimos regii throni honores, ignitum incarnationis Verbi currum, multoculum mysterii speculum, thalamum nitentissimum, quem ad Sponsum suscipiendum præparasti, quem præconio tuo exornasti, cujus prætergredientes naturam prærogativas obstupuisti : narra illis de ineffabili Creatoris Matre, quæ intelligentias eorum exsuperat, quæ partu suo et ipsos stupore percellit : declara hujus magnalia, proclama nostram, ipsa mediatrice, reparationem, insperatamque reconciliationem, et choream consono cum ipsis plausu instaurandam : eloquere, o B dilecte ac nostri gaudii consors, quibusnam eos titulis nos vincamus, cujus gratia cum illis agamus fidenter, qua de causa gloriemur, ac superbiamus : enuntia, qualem fructum humana natura progerminaverit (59), quantas sibi congesserit divitias, quam immensum sibi servet thesaurum reconditum. Dum ista prædicas, nobiscum de nostra salute collætare : securam hujus gaudii possessionem ceu communem existima. Etenim tu solus hoc ministerium sortitus es; hac de causa, novimus, cum cœlestibus exercitibus congaudes; sed singulare illud gaudium, quod ceu legatus indixisti, cujus fidem factis confirmasti, nobis est in desiderio; ut hoc integrum nobis servetur, deposcimus, ne nostræ in te fiduciæ argumenta præcludantur; ut C propterea fidenter accedentes, communem te propitiatorem apud Dominum et apud illud ipsum gaudium nostrum proferre possimus.

XXIII. Tu vero, o communis omnium exsultatio, o generis humani fiducia, hujusmodi affectum gratum habens fac ipsum beneficiis tuis vicissim cumules. Ad tantam itaque evecti celsitudinem, ac bonorum copia per te locupletati, cum nihil præsto nobis sit, quo parem pro his gratiam rependamus, hasce nihilominus tibi laudis coronas teximus.

Ave, ruinæ nostræ reparatio (60) : ave, per quam ad sapientiæ sublimitatem reducti sumus : ave, cœlum cœlis præcelsius, per quod cœlestibus thesauris perfruimur : ave, o regina, per quam regnum D corruptione liberum nobis apertum est : ave, o naturæ humanæ ubertas : ave, o abundans bonorum participatio : ave, thesaurus inviolatus : ave, divitiarum opulentia direptionis nescia : ave, alimentum indeficiens : ave, delicium inenarrabile : ave, cibus semper vivens : ave, potus sobrietatis parens : ave, vehemens omnium desiderium, concupita participatio, bonorum promptuarium, oblectamentum nunquam elanguens, lætitia nullum habens finem, jugis Christianorum exsultatio, desideratis-

(59) Jam alias advertimus (in not. ad § 10 Orat. Petri Argivi, part. I, pag. 136), bonum fructum tunc vero quodam sensu tribui naturæ posse, cum bonus a sua origine fructus exstiterit : secus enim effectus quidem deinde bonus dici posset; at quod ad naturam producentem spectat, malus ab ipsa prodiisse diceretur. Quod ergo eximium fructum natura dicitur progerminasse, id exigit, ut Maria a sua ipsius origine eximius fructus prædicari queat.

(60) Atqui ruinæ reparatio, uti patet, in eadem ruina jacens nullo modo censeri potest. Quæ autem hic est ruina nostra, nisi lapsus in Adamo?

Digitized by Google

simum te desiderantium gaudium. Tua hæc beneficia, fac benevole, ut nihil imminuta conserventur. In hoc quoque amplissimæ gratiæ tuæ prærogativam ostende ; perinde enim est, beneficia per te nobis ad defensionem nostram conferri, et jam collata intacta custodiri, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula. Amen.

A ἀμειώτους εὐδόκησον συντηρηθῆναι. Δεῖξον δὴ καὶ ἐν τούτῳ τὰ τῆς ἀφθόνου σου χάριτος πλεονεκτήματα· ἴσον γάρ ἐστιν, εἰς ἀντίληψιν τὸ διὰ σοῦ παραγενέσθαι ταύτας, καὶ παραγενομένας ἀκεραίας διαφυλάττεσθαι, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

ORATIO V.

In illud : « Exsurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione[60], » etc.

I. Quicunque vehementi eorum, quos charos habent, affectu feruntur, illorumque usque memores esse discupiunt, non solum imaginem eorum in mente sibi effingunt, et conceptam animo speciem veluti in tabula expressam intuentes, venustatem ejus, quem diligunt, ad vivum sibi repræsentant ; sed insuper si quid præclari de illis, si quas eorum res lætas jam audierint, eaque memoriæ defixa servaverint, ista quoque animo veluti amplexati semper circumquaque secum ferunt. Inde enim ipsis sane uberrimum percipere licet voluptatis fructum, quando, licet illos secum habere loquentes non possint, ipsorum saltem verba penes se retinent ; fitque propterea, ut magna cum voluptate jugiter ea mente evolvant, simul videlicet de iisdem sibi placentes, simulque suum erga dilectos amorem novo semper igne incendentes.

B

ΛΟΓΟΣ Ε'.

Εἰς τὸ, « Ἀναστᾶσα δὲ Μαριὰμ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, ἐπορεύθη εἰς τὴν ὀρεινὴν μετὰ σπουδῆς, » κ. τ. λ.

Α'. Οἱ σφόδρα τῶν ἐρωμένων αὐτοῖς ἐφιέμενοι, καὶ τῇ τούτων μνήμῃ συνεῖναι διηνεκῶς ποθοῦντες, οὐ μόνον ἐν διανοίᾳ τὴν αὐτῶν ἀνατυποῦσι θέαν, καὶ καθάπερ ἐν πίνακι τὸ φανταζόμενον ἀνιστοροῦντες εἶδος, τὴν τοῦ ποθουμένου διαζωγραφοῦσι λαμπρότητα· ἀλλὰ καὶ εἴ τι γενναῖον καὶ περιχαρὲς αὐτοῖς ἐῤῥήθη, καὶ μνήμῃ φυλαχθὲν διετηρήθη, καὶ τοῦτο καταπαζόμενοι ἀεὶ πανταχόσε περιφέρονται. Ἔστι γὰρ ὅτε πλείστην ὅσην αὐτοὺς τὴν ἡδονὴν καρποῦσθαι, τοὺς λόγους ἀντὶ τῶν εἰρηκότων κατέχοντας· διὸ καὶ συνηδομένοις αὐτοῖς συμβαίνει τὴν αὐτῶν ἀνάπτυξιν διηνεκῶς ποιεῖσθαι, ὁμοῦ μὲν ἐγκαλλωπιζομένοις αὐτοῖς, ὁμοῦ δὲ καὶ τὸ φίλτρον ἀναζωπυροῦσι τῶν φιλουμένων.

C

Cum itaque affectio erga ea, quæ alioqui et fluxa sunt et tam facile intereunt, non possit ejusmodi habitum non inducere ; quantum enimvero amoris vi astringi eos continget, qui purissimo illius omni laude dignissimæ desiderio cor saucium habeant ? Intus enim flagrant dilectionis igne, qui et ad eam jugiter contemplandam, et ad ejusdem dicta peramanter animo evolvenda illos excitat. Quandoquidem ergo communem nobis omnibus laudabilem hunc affectum inesse arbitror, sensa quoque, quæ circa idipsum oboriuntur, communia dicenda existimo. Quod si in verbis (Virginis), quæ præ manibus habemus, quidpiam forte occurrat, quod minus convenienter a regina nostra (61) dictum videatur ; multum profecto laboris, multum diligentiæ in illis investigandis impendamus necesse est, probe scientes, nihil sane ab ipsa prolatum, quod abs re esset, sed omnia ejus effata gratiæ plena esse, et e virtute sancti Spiritus elicita.

Ἐπεὶ οὖν ἡ τῶν σκεδαστῶν τε καὶ ῥᾴον διαλυομένων σχέσις τοῦτον ἔχειν καταναγκάζεται τὸν τρόπον, πόσην εἰκότως τοῖς τῷ καθαρωτάτῳ τετρωμένοις τῆς πανυμνήτου πόθῳ προσγίνεσθαι συμβαίνει τὴν τυραννίδα ; Ἔνδον μὲν ἔχουσι τὸ πῦρ τῆς ἀγαπήσεως ἀναφλέγον, αὐτήν τε διαπαντὸς προσβλέπειν, καὶ ἀσπασίως τὰ ταύτης ἀναπτύσσειν λόγια. Κοινὸν τοίνυν τὸ ἐπαινετὸν τοῦτο πάθος ἡγούμενος, κοινὰς οἶμαι καὶ τὰς περὶ αὐτὸ συνισταμένας ὑπολήψεις διομολογεῖσθαι. Καὶ εἴ μέν τι τῶν παρέργως δοκούντων εἰρῆσθαι τῇ βασιλίδι τὰ ἐν χερσὶν ἐτύγχανε λόγια ἕδει πολὺν μὲν τὸν ἀγῶνα, πολλὴν δὲ τὴν σπουδὴν εἰς τὴν αὐτῶν ἐπιδείκνυσθαι ἔρευναν, σαφῶς εἰδότας, ὡς πάρεργον μὲν οὐδὲν παρ' αὐτῇ, πάντα δὲ τῆς χάριτός ἐστιν ἀποφθέγματα, καὶ τῆς ἰσχύος τοῦ Πνεύματος ἐνεργήματα.

D

II. Cum autem doctrinæ hujus ratio quodlibet dicendi argumentum transcendat, et bonis omnibus redundet, quæ salutem nobis concilient ; quanto non afficiemur detrimento, si magnam, quæ ex illa profluit, utilitatem negligamus ? Quomodo ea, quæ

Β'. Ἐπεὶ δὲ πάσης μὲν ὑποθέσεως ἐξῆρται τῶν λόγων, πάντων δὲ τῶν τῆς σωτηρίας ἡμῶν ἀγαθῶν πλήρης ἡ παροῦσα καθέστηκε διδασκαλία, πῶς ἂν καταμελήσαντες τὸ μεγαλωφελὲς ταύτης ζημιωθείημεν ; Πῶς δὲ μὴ περιπτυσσόμενοι τὰ εἰρημένα τῆς

[60] Luc. I, 39.

(61) Spectant hæc ad colloquium, quod intercessisse nonnulli finxerunt Deiparam inter et sponsum ejus Josephum, quando hic prægnantem eam invenit. Fatendum est enim, scriptores quosdam in alloquiis hisce texendis suo ipsorum ingenio potius quam rei verisimilitudini serviisse, et interdum non satis decori aut sanctæ Virginis aut beati Josephi prospexisse. Quidpiam ejusmodi videre licet et in quadam incerti auctoris homilia *in Annuntiationem Deiparæ*, quæ edi consuevit inter opera S. Joan. Chrysostomi (edit. Montf. tom. IX, pag. 811) ; dum enim Virgo describitur angelum ceu seductorem repellens, inter alia, ut ad maiure fugiendum hunc impellat, inducitur dicens, *senem*, Josephum nempe, *esse zelotypum*.

Digitized by Google

θείας ἐκείνης κατατρυφήσομεν μνήμης; Τὸν ἀοίδιμον ὑπερεκκαύσομεν πόθον; Τῆς καθαρωτάτης ἡδονῆς καταπολαύσομεν, ὅπως στέφανον μὲν καυχήσεως τοὺς λόγους, πλοῦτον δὲ πολυτελῆ τὰ νοήματα θησαυρίσαντες, αὐτὴν ἐκείνην ἐν ταῖς καρδίαις συνεισοικισώμεθα τὴν ἀναφαίρετον ἀφθονίαν, τὸν πλοῦτον τῆς ἡμῶν σωτηρίας, τὸ πολυτίμητον κειμήλιον, τὸ ταμεῖον τῆς Δεσποτικῆς οἰκονομίας, τὸν θησαυρὸν τῶν ἀποκρύφων ἀγαθῶν, τὸν στέφανον τῆς ἀνθρωπότητος, τὸ ἐγκαλλώπισμα τῆς φύσεως; Ὅπου γὰρ ἡ ταύτης διηνεκῶς ἐναπόκειται μνήμη, ἐκεῖ ἀναμφιβόλως καὶ ἡ ταύτης οὐκ ἀπολείπεται παρουσία. Ἐναποθώμεθα τοίνυν ἐν ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ταύτην, ἐν ἑαυτοῖς τὸν πολυτίμητον ταμιευσώμεθα θησαυρὸν, ἐμπορευσώμεθα τὸν τῆς σοφίας αὐτῆς πλοῦτον, κἀντεῦθεν τὸ περισπούδαστον συναθροίσαντες κέρδος, διανείμωμεν τοῖς ἐπιζητοῦσι τὴν κατὰ δύναμιν διακονίαν. Ποικίλον γὰρ δὴ τοῦτο καὶ πολυτελὲς, καὶ κρείττονος τῆς ἐμπορεύσεως.

A dicta fuerint, summo cum affectu excipientes, non jucundabimur divinæ illius memoria? Quomodo nobilissima in nobis supra modum non incendemus desideria? Quomodo non purissima perfruemur voluptate, ut cum (ejus) verba quidem ceu coronam gloriæ, sensa vero ceu pretiosam gazam instar thesauri collegerimus, illam ipsam quoque, quæ opulentia est diripi nescia (62), divitiæ salutis nostræ, pretiosum prorsus cimelium, Dominicæ dispensationis promptuarium, arcanorum bonorum thesaurus, humanitatis sertum, naturæ nostræ ornamentum, in cordibus nostris inhabitatum introducamus? Ubi enim illius jugiter inest memoria, ibi dubio procul neque ipsius desideratur præsentia. Eam itaque collocemus in animis nostris; in B nobis ipsis pretiosissimum hunc thesaurum recondamus; divitias sapientiæ ipsius, eximiam utique mercem, importemus; et cum inde studiose exquisitum lucrum corrogaverimus, iis, qui quærant, ministerium pro viribus tribuamus. Varium enim hoc est, et multiplex, atque optimam habet negotiationem.

Γ'. Ἄρτι μὲν οὖν τὴν ὑπὲρ ἔννοιαν χαρὰν ἡ τῆς χαρᾶς αἰτία δεξαμένη, ἔργῳ δὲ τῷ ἀπορρήτῳ καθυπουργοῦσα μυστηρίῳ, ἔσπευδε καὶ τῶν τῆς Ἐλισάβετ ἐν πληροφορίᾳ καταστῆναι θαυμάτων. Ἀλλ' ἐπεὶ σχολαιοτέραν τὴν σὺν αὐτῇ διατριβὴν ἐκεκρίκει ποιήσασθαι, τὰ τὴν ἐπιθυμίαν αὐτῇ διατέμνοντα προευμαρίζει πρῶτον, ὡς ἂν μὴ ταῖς αὐτῶν ἐννοίαις ἐπειγομένη, διαμάρτοι τῷ τάχει τοῦ προτεθέντος σκοποῦ. Ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον τῶν ἀναγκαίων αὐτῇ κατεφαίνετο, τὸ τοῖς ἱερεῦσι προηγουμένως ἀποδοῦναι τὸ ἱερὸν ἔργον. Σαφῶς γὰρ ἐν ἑαυτῇ λογιζομένη, διέκρινεν οὕτως· ὡς εἴπερ μὴ τοῦτο διοικονομηθῇ, ἀνάγκη δύο κατεπειγόντων περὶ τὸ ἓν διαμαρτεῖν συμβήσεται· τὸ μὲν γὰρ ἐπὶ κίνδυνον ἐπαπειλεῖ· τὸ δὲ τὴν ἀποτυχίαν διαβεβαιοῖ. Εἰ μὲν γὰρ ἡ πρὸς τὴν συγγενίδα καθηγήσοιτο πορεία χρονιωτέραν τὴν διάσκεψιν ἀπαιτοῦσα, ἡ τοῦ ἐν χερσὶν ἔργου ἀργία εἰς ἀναζήτησιν τοὺς ἱερεῖς διανίστησι. Διὸ πολὺν μὲν τὸν θόρυβον ἐν τῇ οἰκίᾳ, πολλὴν δὲ τὴν ἔρευναν ἐν τῷ γένει ποιήσοιντο, πλείστας δὲ ταῖς κωμῳδίαις τὸν γέροντα μᾶλλον, ἢ ἐμὲ καταντλήσουσι. Τί οὐ λέγοντες; τί δὲ οὐ βουλευόμενοι τῶν τοιούτων ἐπιχειρήσαιεν σκωμμάτων; Ὅρα, φήσουσι, καταφρονήσεως ὑπερβολήν· ὅρα τὴν τῶν θείων παραγγελμάτων ἐπιλήσμονα γνώμην τοῦ Ἰωσήφ· ὅρα πρεσβύτου νεανικὴν τόλμαν· τὴν τοῦ Θεοῦ παρεῖδε ψῆφον· εἰς οὐδὲν τὸ φοβερώτατον τῶν ἠπειλημένων ἔθετο· διὸ τῇ καθ' ἑαυτὸν πλάνῃ τῆς τοῦ Θεοῦ κατημέλησε παρακαταθήκης. Ποῦ νῦν ἐστιν ἡ θαλαμευομένη Παρθένος; Ποῦ τὸ Δεσποτικὸν ἀνάθημα περιέχει; Πῶς ἀμφοτέροις τὸ ἱερὸν ἔργον παρωράθη, καὶ λήθῃ τὰ προδιδαχθέντα παρεπέμφθη; Ἀλλότριον τῶν πατρῴων ἠθῶν τὸ τόλμημα, ξένος ὁ τρόπος καὶ παρθενικῆς ἀσφαλείας καὶ πρεσβυτικῆς ἐπιμελείας. Τούτων

III. Mox itaque illa gaudii nostri auctrix, cum gaudium, quod omnem sensum exsuperat, in se excepisset, et ineffabili mysterio jam opere præstaret ministerium suum, de Elisabethæ præterea portentis coram certior fieri exoptabat. Sed quoniam longiorem apud illam facere moram constituerat; ab iis, quæ studium suum alio distrahebant, in antecessum se expedit, ne hujusmodi pressa curis propter nimiam festinationem a proposito C sibi scopo excideret. Illud porro præ reliquis necessarium ipsi videbatur, ut sacerdotibus sacrum (purpuræ) opus (63) prius traderet. Sapienter enim, secum ipsa rem perpendens, ita ratiocinabatur: Nisi consultum huic rei fuerit, prorsus continget, ut cum bina urgeant, quoad alterutrum haud recte mihi res cedat: et utique aut molestum subeundum discrimen erit, aut certe explendi desiderii mei spes omnis est abjicienda. Et sane si ad cognatam prius proficiscar, quod utique diuturniores curas exigit, cunctatio exhibendi opus, quod præ manibus habeo, ad perquirendum de eo sacerdotes permovebit. Haud mediocres propterea turbas domi excitabunt, inter cognatos sollicite in- D dagare instituent, atque acerbis sermonibus senem magis, quam me, exagitabunt. Quid porro non sunt dicturi? Quæ autem consilia non agitabunt? Hujusmodi simul dicteriis conviciantes: vide, inquient, despectus excessum: vide divinarum jussionum obliviosam Josephi mentem: vide senis juvenilem ausum: contemptui ducit divinum decretum: maxime tremendas minas pro nihilo habet: propterea ex propria culpa in servando Dei deposito incurius fuit. Ubi nunc est Virgo, quæ se intra parietes continebat? Quo circumit donum

(62) Prorsus egregie *diripi nescia* Virgo dicitur, quam latro infernus prædari nunquam potuerit.

(63) Velum scilicet purpureum, quod texendum in usum templi sortita fuerat. Vide, quæ de ea re in Præfatione adnotatum est sup. pag. 471.

Digitized by Google

illud Deo devotum (64)? Quonam pacto sacrum illud opus ambo neglexerunt, et ea quæ sane prius edocti fuerant, oblivioni tradiderunt? Alienum prorsus a paternis moribus id facinus : abhorrens hæc agendi ratio est tum ab ea, quæ virginem decet, cautela, tum a sedula, quæ in sensibus requiritur, sollicitudine. Porro cum plane ejusmodi ad aures sibi insonare Joseph auditurus sit, omnem culpam in profectionem a me temere susceptam necessario refundet. Hanc itaque prudentius oportet disponere, ut et illud caveatur, quod reprehensione dignum utcumque videri potest, et desiderium, quo tenetur, impleatur. Sic plane sapienter cum sapientissima illa deliberasset, et mature accurateque absolvisset, si quid adhuc imperfectum elaborandæ purpuræ supererat, sollicite, ut eam sacerdotibus traderet, profecta est.

A πάντως συναισθόμενον τὸν Ἰωσὴφ, ἀνάγκη τὸ τῆς αἰτίας ἅπαν πρὸς τὴν τολμηθεῖσαν ἀποδημίαν τρέψαι. Διὸ χρὴ σεμνοτέρως ταύτην οἰκονομηθῆναι, ὅπως καὶ τὸ δοκοῦν ἐπίμωμον διαφεύξηται, καὶ τῆς ὀγούσης ἐφέσεως μὴ ἀποτύχοι. Οὕτω δὴ σοφῶς ἡ ὑπέρσοφος βουλευσαμένη, καὶ εἴ τι ἀκατέργαστον διαμεῖναν ἔτυχεν ὂν τῆς εἰργασμένης πορφύρας, τοῦτο ταχείαις ἐπιμελείαις συντελέσασα, σπουδῇ πρὸς τὴν ἀπόδοσιν ἔσπευδε.

IV. Cernere ergo tunc erat reginam in manibus tenentem regiæ dignitatis insignia, eaque ceu pretiosa donaria Deo sacra amplectentem; at non datur oculis nostris intueri purpuream illam vestem, quam sua ipsius carne omnium regi ac Domino intra se ineffabiliter contexebat. O inenarrabile mysterium! O ineffabilem Matrem! In ipsa Verbum naturæ nostræ formam induebat; ipsa vero prodigium, quod perficiebatur, non norat (65) : præbebat Domino carnis tunicam; et cum sua daret, ipsa, quæ dabat, hoc idem nesciebat. Etsi enim illa pro certo rem factum iri teneret; tamen initium jam sumpsisse id, quod perficiebatur, ignorabat; hoc siquidem progressu duntaxat temporis plane manifestum evasit, ac prorsus indubiam nactum est certitudinem. Gestabat igitur perfectum opus Virgo Immaculata, ad templum ibat inaccessa illa sedes (66), incedebat divinis circumquaque refulgens splendoribus, et immensa luce coruscans. Quocirca gratiarum radios undique emittens, lucidissimus ille splendor, firmamentum illud multiplicibus stellis nitens, ille sol, e quo Sol justitiæ sibi corpus assumpsit, tum fulgentissima se intuentibus apparebat, tum creaturis universis veneranda.

Δ'. Ἦν οὖν τότε κατιδεῖν τὰ τῆς βασιλικῆς ἀξίας σύμβολα ἐν χερσὶ τὴν βασιλίδα κατέχουσαν, καὶ ὡς τίμια ταῦτα περιπτυσσομένην ἀναθήματα· τῷ δὲ παμβασιλεῖ καὶ Δεσπότῃ τῇ σαρκὶ τὴν ἀλουργίδα ὑπὲρ λόγον ὑφαινομένην ἐν ἑαυτῇ μὴ συνορῶμεν. Ὦ τοῦ ἀνερμηνεύτου μυστηρίου! Ὦ τῆς ἀνεκλαλήτου μητρός! Ἐν αὐτῇ τὴν ἡμετέραν ἐμορφοῦτο φύσιν ὁ Λόγος, καὶ τῶν πραττομένων ἐκείνη τὸ παράδοξον ἠγνόει· τὸν τῆς σαρκὸς χιτῶνα τῷ Δεσπότῃ παρεῖχε, καὶ τὰ οἰκεῖα διδοῦσα οὐκ ἠπίστατο ἡ πιρέχουσα. Εἰ γὰρ καὶ ἀσφαλῶς τὸ πρᾶγμα κατεῖχεν, ἀλλ' ἀρχὴν ἤδη λαμβάνον, τελούμενον ἠγνόει· προϊόντι γὰρ τῷ χρόνῳ τοῦτο πρὸς τὸ φανερώτερον προῆλθε, καὶ πρὸς τὸ βεβαιότατον ἐπερείσθη. Ἦγε τοίνυν τὸ ἔργον ἡ ἁμίαντος Παρθένος, ἐβάδιζε πρὸς τὸ ἱερὸν ἡ ἀδιάβατος χώρα, ἐπορεύετο θείαις ἐλλάμψεσιν ἐν κύκλῳ καταυγαζομένη, καὶ ἀπείρῳ φωτὶ καταλαμπομένη. Διὸ χαρίτων ἀπολάμπουσα πανταχόθεν ἀκτῖνας, καὶ φαιδροτάτη μὲν τοῖς ὁρῶσιν, αἰδέσιμος δὲ πάσῃ καθίστατο τῇ κτίσει, ἡ πολύφωτος αἴγλη, τὸ πολύαστρον στερέωμα, ὁ ἥλιος, ἐξ οὗ τὸ σῶμα ὁ τῆς δικαιοσύνης ἀνέλαβεν Ἥλιος.

V. Pergebat igitur comites habens suas ipsius virtutes, et interim futurum cum eo, qui tunc sacerdotii munus obibat, insolitum colloquium secum ipsa perpendebat. Etenim, adempto jam Zachariæ usu linguæ, ministerium illius implebat quidam e sacerdotibus nomine Simeon (67); et noverat hic quidem ex parte Virginis mirabilia; non tamen æque ac ille, Zacharias scilicet, qui et multa de ea divinitus edoctus fuerat (68), ac plurimis illius præclaris virtutibus fidem habebat, ac propterea testimonium, cui nullum aliud comparari posset, de illa reddebat.

Ε'. Ἴετο τοίνυν ταῖς οἰκείαις ἀρεταῖς προσομιλοῦσα, καὶ τὴν ξένην τοῦ τηνικαῦτα ἱερατεύοντος συνομιλίαν μελετῶσα. Καὶ γὰρ προσιωπήσαντος ἤδη τοῦ Ζαχαρίου, Συμεών τις τῶν ἱερωμένων, τὴν αὐτοῦ λειτουργείαν ἐπλήρου· ὃς ἤδει μὲν ἐν μέρει τὰ τῆς Παρθένου παράδοξα· οὐ μὴν δὲ κατ' ἐκεῖνον, τὸν Ζαχαρίαν λέγω, τὸν πολλὰ μὲν τῶν αὐτῆς μυηθέντα, πλείσταις δὲ ταῖς κρείττοσιν αὐτῆς ἀρεταῖς τὸ πιστὸν ἔχοντα, καὶ διὰ τοῦτο τὰς μαρτυρίας ἀσυγκρίτως ποιούμενον.

(64) Virgo Maria scilicet, quæ Deo oblata fuerat, ac Deo sacra habebatur.

(65) Nescio, an quisquam facile auctori daturus sit, celatum prorsus Virgini fuisse, quando Dei Verbum carnem assumens ad inhabitandum in ea descendit.

(66) Sedem seu regionem *inaccessam* (ἀδιάβατον) intellige quibusvis inimici insidiis. Ideo enim, ut Germanus dixit (sup. pag. 565) non prius concepta fuit, quam illam Cherubinis flammeo gladio custodiendam Deus tradiderit.

(67) Haud obscurum est, hic ab auctore indigitari illum Simeonem, qui deinde, ut sanctus Lucas in Evangelico (cap. II) narrat, Jesum infantem in ulnis suis excepit. Quanquam vero opinio, quæ fert hunc Simeonem sacerdotio insignitum fuisse, exiguis (ut scite monet Franc. Xaverius Patritius, *De Evangel.* lib. III, dissert. 26, n. 5) argumentis firmetur, negari tamen non potest, eam antiquissimam esse. Quin imo ad summum sacerdotium evectum eum fuisse tradunt tum Protevangelium Jacobi (Cap. 24 apud Thilo pag. 271), tum Evangelium Nicodemi (cap. 16, apud eumdem Thilo pag. 653 seqq.).

(68) Vulgata ferebatur opinio, sacerdotem, qui Mariam triennem a parentibus oblatam excepit,

Digitized by Google

Τοῦτο τοίνυν ἡ ἀπειρόκακος συννοοῦσα, λογισμοὺς ἀνεκίνει, πῶς ἂν τῷ ἱερεῖ ὁμιλήσειεν· οὐχ ὡς τῶν κατ' αὐτὴν ἀγνώστων ὄντων αὐτῷ, οὐδὲ γὰρ τοῦτο διεσκόπει ἡ πάσης ἐπιδείξεως καθαρά· ἀλλ' ἐπειδὴ ξένῳ προσδιαλέγεσθαι μέλλουσα ἦν, αἰδοῖ τοῦ ἀσυνήθους κατεκαλύπτετο. Ἡ γὰρ δὴ τῶν καλῶν αὐτῆς πεῖρα, οὐ τοῖς προτεθεαμένοις καὶ χρονικωτέρᾳ σκέψει τῶν μετεντυγχανόντων μᾶλλον προσεγίνετο, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἀκοῇ προκατελαμβάνετο· οὕτω δὴ προσβάλλουσα τοῖς ὁρῶσιν ἡ τοῦ ἡλίου φωτεινοτέρα νεφέλη, πᾶσι μὲν ἀκατανόητος διέμενε, δυσθεώρητος δὲ τοῖς νεωστὶ προσεντυγχάνουσιν αὐτῇ ταῖς τῆς χάριτος αἴγλαις καθίστατο.

A Hoc itaque cum nosset illa cujusvis malitiæ nescia (69), secum ipsa reputabat, quanam ratione sacerdotem allocutura esset; non quod quæ ad ipsam pertinebant, incomperta isti forent; neque enim de hoc sollicita erat pura illa ab omni ostentatione; sed cum ignotum hominem alloqui oporteret, rei insolitæ verecundia suffundebatur. Et sane quod ad præclara ejus introspicienda spectat, non magis ea comperta illi habebant, qui oculis eam conspexerant, et longiori inspectione contemplati fuerant, quam et alii ex auditu perciperent: atque ita dum nubes illa sole lucidior in contuentium aspectum veniret, cujusvis quidem intellectui manebat impervia; ab iis vero, qui primo in ipsam inciderent, ne aspectari quidem ob emicantes gratiæ fulgores facile poterat.

Γ'. Τούτῳ μὲν τῷ τρόπῳ τὴν τοῦ προσόντος ἱερέως ἐδυσχέραινεν ὁμιλίαν· ὁμοῦ δὲ τῷ συνευδοκοῦντι καὶ τῷ τὸ μυστήριον ἐνεργοῦντι Θεῷ τοὺς λόγους ἀνατιθεμένη, οὕτω προσδιελέγετο· Σὺ, Δέσποτα, λέγουσα, ὡς καὶ τῶν ἤδη φθασάντων εἰς ἐμὲ τὸ πέρας ἀγαθωτέρως διῳκονόμησας, ἀκατάγνωστόν τε τὴν οἰκέτιν σου διετήρησας, καὶ τὸ τοῦ μέλλοντος δυσάνυστον ἐποπτεύων διευθύνοις. Τῆς σῆς γὰρ ὄντα προμηθείας ἑκάτερα, Κύριε, ὑπὸ σοῦ παραδόξως ἀποπληροῦνται, ξένην ἔχοντα καὶ τὴν ὕπαρξιν καὶ τὴν ἔκβασιν. Τίς γὰρ, ὦ Δημιουργέ μου, τῶν προγεγενημένων δικαίων, τοιούτων καὶ τηλικούτων ἠξίωται τῶν δωρεῶν; Τίς κατάλληλον ἐμοὶ τὴν μέχρι τῆς παρούσης ἐκ βρέφους διαγωγὴν ἐκληρώσατο; Τίς πατριαρχῶν κατήκοος παραπλησίως γέγονεν ὑποσχέσεων τοιούτων; Τίνος ὦτα τοιαῦτα ἠνωτίσθησαν ἐπαγγελίας; Μεγάλας μοι δοκῶ καὶ τῷ γένει τὰς εὐεργεσίας σου περιγίνεσθαι, Δέσποτα, ξένας τὰς δωρεάς, καινότερα τὰ τέλη· καὶ γὰρ καὶ τὰ προοίμια καινά. Τί ἂν περὶ πάντων τούτων ἀνταποδοίην σοι, Κύριε; Ποίους εὐχαριστηρίους ἐφευρίσκουσα λόγους, ἀμείψομαί σε τὸν εὐεργέτην; Ἰδοὺ γὰρ, Κύριε, τῷ σῷ πειθομένη μυστηρίῳ, τοῖς προκηρυχθεῖσιν ἐφέπομαι πράγμασιν.

B VI. Hac itaque ratione ad proximum sacerdotis colloquium addubitabat; simul vero ad Deum, qui in illa sibi complacebat, ac mysterium operabatur, sermonem erigens, his eum dictis affabatur: Tu, Domine, inquiebat, quemadmodum ea quoque, quæ in me impleta jam sunt, ad prosperum finem pro summa tua bonitate perduxisti, ancillamque tuam servasti irreprehensam (70), pari itidem benignitate, quidquid ardui dein instet, consideraus, fac me dirigas. Cum enim ad providentiam tuam, o Domine, utraque spectent, abs te præter opinionem habent, ut mirum principium juxta ac finem sortiantur. Quis enim, o Creator meus, quis antiquorum justorum talibus, tamque præclaris donis dignus unquam est habitus? Quis eam sortitus est C vitæ rationem, quæ cum vita mea, ab infantia ad præsentem usque diem, comparari queat? Cuinam patriarcharum similiter contigit, ut tam ampla sibi proponerentur? Cujusnam aures hujusmodi promissiones exceperunt? Ingentia, o Domine, mihi, et generi meo abs te parari video beneficia, dona peregrina, et quæ ad exitum plane novum pertingant, quippe quorum et primordia plane sunt inaudita. Quid tibi pro hisce omnibus, Domine, retribuam? Quæ verba reperire queam, ut promeritas gratias agam, vicemque tibi benefactori meo rependam? Ecce nempe tuis, Domine, arcanis fidem habens, iis, quæ prænuntiata sunt, assentior.

Δ'. Ἐπεὶ τοίνυν προσεγγίσασαν αὐτὴν ὁ ἱερεὺς κατεῖδε, τοιαύτας προμυθεῖς τὰς εὐχαριστίας, διεξῆει· Ὦ τῶν ὀφθησομένοι μοι τήμερον ἀγαθῶν! Ὦ χαριεστάτης ἡμέρας, ἥτις τὴν τοιαύτην συνήνεγκεν εὐφροσύνην! Ὦ ἐπιδημίας τὸ ὑπὲρ πᾶν κομιζούσης καλόν! Ὦ Παρθένε, ἠλίκον τὸ περὶ σὲ

VII. Cum itaque accedentem illam sacerdos conspexisset, in gratiarum actiones mente divinitus illustrata sic erumpebat: O qualia oculis meis hodierna die contemplanda sunt bona! O diem faustissimam, quæ tantam lætitiam obtulit! O adventum, qui bonum super omne bonum addu-

non alium fuisse quam Zachariam, patrem sancti Præcursoris, illumque ea occasione edoctum divinitus fuisse de beatæ Virginis magnalibus.

(69) Hæc quoque pluribus aliis addenda est nomenclationibus, quibus Virgo Deipara exornabatur. Et ista quidem (ἀπειρόκακος) vim prorsus majorem habet ad omnimodam ejus puritatem celebrandam, quam plures aliæ, ἄμωμος v. gr. ἀμίαντος, ἄμεμπτος, ἀμόλυντος, ἄσπιλος et cæt.; quippe quæ suam habeant veritatem, licet ii, de quibus prædicantur, turpes in antecessum maculis exstiterint (vid. *Ephes.* I, 4, *Coloss.* I, 22, et *Suicer.* ad vv. ἄμεμπτος et ἄμωμος) cum tamen nemo vere ἀπειρόκακος dici queat, qui vel semel labe quapiam infectus fuerit. Quod vero Virgo Deipara hac τῆς ἀπειροκάκου appellatione antonomastice designetur, id aperte indicat, omnimodam hanc Virginis puritatem peculiari quodam honore suspici a fidelibus consuevisse.

(70) Mire hæc congruunt cum iis quæ Isidorus Thessalonicensis habet, in homilia de S. Deiparæ Nativitate (§ 16, Sup. part. I, pag. 235). Proclamat enim Isidorus, sortitam Deiparam fuisse communem hominum conditionem *in iis, quæ a reprehensione absunt;* Jacobus vero Virginem inducit gratias Deo agentem, quod semet ab iis omnibus, quæ reprehensioni sint obnoxia, integram servaverit.

Digitized by Google

cit! Quantum in te, o Virgo, miraculum, quantum in te latet mysterium! Omnem utique mentis captum, et omnem vim sermonis excedit, ac super omnem dicendi facultatem extollitur (71). Quibus ergo te congrue excipiam verbis? Quibusnam te gratulabundis vocibus compellem, quove gaudens honore prosequar? Quam tibi apte reverentiam exhibebo? Quosnam excogitem oris sonos suavissimos, ut ad suavissimum aspectum tuum eloqui instituam? Sermonem vincit miraculum: præcludit linguam rei novitas, ne de iis, quæ in te sunt abscondita, disceptare aggrediatur; ad hæc enim ne prope quidem accedere præfidit, sed ea tantum, quæ te circumstant, contemplari et enarrare exoptat. Hæc palam ineffabiles divitias tuas ostendunt; hæc thesaurum in te reconditum manifestant; ex exterioribus, quæ stupore percellunt, immensam interiorum magnitudinem percipio ex iis, quæ subobscure cernuntur, prorsus latentem animadverto

A θαῦμα, ὅσον τὸ περὶ σὲ μυστήριον! Ἀκατανόητον ἄρα καὶ ἄφραστον καὶ πάσης διηγήσεως ἐπέκεινα. Ποίοις σε τοίνυν τοῖς προσήκουσι δεξιώσομαι λόγοις; Τίνα περιχαρῆ σοι προφθέγξομαι τιμήν; Ποῖόν σοι ἁρμοδίως διατυπώσω τὸ σέβας; Τίνα προσλαλοῦσαν ἡδύτερον ἐπινοήσας φωνήν, τῇ σῇ γλυκυτάτῃ προσείπω θέᾳ; Νικᾷ τὸ θαῦμα τὸν λόγον· δεσμεῖ τὴν γλῶτταν τὸ ξένον, οὐ τῶν ἐν σοὶ κρυπτομένων πειρωμένην ἔρευναν· τούτοις γὰρ οὐδὲ προσβαλεῖν τολμᾷ, τὰ δὲ περὶ σὲ κατανοεῖν καὶ ἀγορεύειν ἐθέλειν μόνον. Ταῦτά σου τὸν ἀπόῤῥητον ἐμφαίνει πλοῦτον· ταῦτα τὸν ἐναποκείμενον τεκμηριοῖ σου θησαυρόν· ἐκ τῶν ἔξω καταπληττόντων τὴν ἔνδον ἀμηχανίαν διασκοποῦμαι· ἐκ τῶν ἀμυδρῶς ὁρωμένων τὴν ἀφανῶς ἀπορουμένην κατανοῶ μα-

B καριότητα.

beatitatem.

VIII. O generis nostri fecunditas (72)! Quam exuberanti fructu ditatum illud est! Fertilitatis hujusmodi nobilissimo germine præcelsam angelorum naturam superavit (73). Propaginem istam extendit usque ad mare, et usque ad cœlum suum ipsius palmitem extulit, vitem illam scilicet fructus sine irrigatione gignentem, sancto Spiritu fecundatam, gratiæ ubertate saginatam, racemum nullo præeunte cultu ferentem, e quo dulcedo distillat immortalitatis, e quo mysticæ lætitiæ torrens effunditur, e quo salutare poculum impletum omnes, qui ex eo bibant. incorruptionis munere ditabit.

Η'. Ὦ τῆς τοῦ γένους εὐφορίας! Εἰς ὅσον τὸν καρπὸν ἐπλεόνασεν! Ὑπερῆρε τὴν τῶν ἀγγέλων εὐθυνουμένην φύσιν τῷ μεγαλοφυεῖ τῆς καρποφορίας ταύτης βλαστήματι. Ἐξέτεινε τὴν παραφυάδα ταύτην ἕως θαλάσσης, καὶ ἕως οὐρανοῦ τὸ ἑαυτῆς ἀνέδωκε κλῆμα, τὴν ἀποτίστως φύουσαν ἄμπελον, τὴν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι πυκαζομένην, τὴν πιαινομένην τῇ χάριτι, τὴν τὸν ἀγεώργητον καρποφοροῦσαν βότρυν, ἐξ οὗ τὸ τῆς ἀθανασίας ἀποθλίβεται γλεῦκος, ἀφ' οὗ τὸ τῆς μυστικῆς εὐφροσύνης προχέεται ῥεῖθρον, ἐξ οὗπερ ὁ σωτήριος πληρούμενος κρατὴρ, ἀφθαρσίας τοὺς μεθέξοντας ἐμπλήσει.

O planta, cœli convexa attingens, quæ sane et ipsos cœlos prætergredietur, et universis intelligentibus virtutibus sublimius ascendet! O umbrosa arbor, quæ universam naturam rationalem contexit (74), et super omnem, quæ excogitari possit, altitudinem est evecta; e qua plantator recondito plane modo veluti e monte nemoroso orietur, et figuras in finem, ad quem tendunt, veritatis contrahet; cujus qui percipietur fructus, omnibus degustantibus alimentum immortalitatis exsistet. Quinam, o Virgo, excogitari queant sermones, qui magnalibus tuis congruant? Quæ nova sensa rebus ipsis respondere possint? Quæ inveniri laudes poterunt ad eorum, qui te genuerunt, decus efferendum? O felices tali prole parentes! o fecunditas, quæ cujuslibet creatæ felicitatis assecutionem superat!

C

Ὦ φυτοῦ τῶν οὐρανίων ἁψίδων ἐξικνουμένου, ὅπερ αὐτούς τε παρελάσει, καὶ πάσας νοερὰς ὑπερβήσεται δυνάμεις! Ὦ κατασκίου δένδρου τοῦ πᾶσαν λογικὴν καταλαβόντος φύσιν, καὶ παντὸς ὑπερεστῶτος νοουμένου ὑψώματος! ἐξ οὗπερ ὁ φυτουργὸς τῷ συγκεκαλυμμένῳ τρόπῳ, ὡς ἐκ δασέος ὄρους ἀνατελεῖ, καὶ συστελεῖ τοὺς τύπους εἰς τὴν ἀληθείας κατάπαυσιν· οὗ μεταληφθησόμενος ὁ καρπὸς ἀθανασίας τροφὴ τοῖς μεθέξουσιν ὀφθήσεται. Τίνες, ὦ Παρθένε, τοῖς μεγαλείοις σου συνοίσοντες ἐπινοηθεῖεν λόγοι; Ποῖαι καινοτομούμεναι τοῖς πράγμασιν ἀμιλλητεῖεν ἔννοιαι; Τίνες ἐγκωμίων ἐφευρέσεις τὸ τῶν γεννησάντων σε διαγορεύσειεν κλέος; Ὦ τῆς τούτων εὐτεκνίας! ὦ εὐπαιδίας, πάσης γεννητῆς ὑπεραρθείσης ἐπιτυχίας!

D

Illuc igitur age, quæ sola prope ad Deum accedis,

Δεῦρο τοίνυν ἡ μόνη πλησίον Θεοῦ, ἡ τῷ τοῦ

(71) Habes familiarissimam SS. Patribus sententiam, quæcunque ad Virginem Deiparam pertinent, omnia instar miraculi habenda, ut eorum celsitudinem neque mens cogitando, neque lingua disserendo assequi ea possit.

(72) Consonat hæc sententia cum iis, quæ a Petro Argorum episcopo statui vidimus in homilia *in Deiparæ conceptionem* (§ 10, part. I, p 136); sterilitatis nempe maledictione laboraverat humana natura, quousque Mariam gignens tandem fructum Deo dignum protulit. Hinc paulo infra videas licet, Virginis parentes laudari, ut tali prole beatissimos, ac nulla satis laude celebrandos.

(73) Auctor, uti patet, non modo pro certo habet, Deiparam fructum Deo gratum fuisse exortam, sed a prima illa origine sua (quod est nobilissimorum theologorum scitum) tam præclaris a Deo donis fuisse exornatam, ut ex tunc cœlestibus spiritibus longe præcelleret.

(74) Describitur nempe Virgo ceu arbor, quæ languidum humanum genus umbra sua reficiat; ex quo sponte profluit, hanc arborem communi languore censeri non posse laborantem, atque adeo primævo vitio immunem esse affirmandam.

Digitized by Google

μυστηρίου διαλάμπουσα κάλλει, ἡ ὑπὲρ πᾶσαν μυρεψικὴν εὐωδίαν, τὴν τοῦ Πνεύματος διαπνέουσα μυρωδίαν· ἧς ἡ τῶν τῆς καθαρότητος ἱματίων ὁσμὴ πᾶσαν καταθέλξει νοητὴν αἴσθησιν, ἧς ὀπίσω τοῦ μύρου θυγατέρες δραμοῦνται βασιλέως, λέγω δὴ ψυχαί, τὸ ἀρχέτυπον καὶ βασιλικὸν εἶδος διαφυλάττουσαι. Δεῦρο καλὴ ἡ πάλαι καλουμένη, ἧς ἐπιθυμητῶς ἡ παρουσία ποθεῖται, ἣν ἄνωθεν ὁ χορὸς τῶν προφητῶν ἐπικαλεῖται, ἣν ἡ τῶν δικαίων ἐπιζητεῖ συμφωνία περιχαρῶς, ἡ προελπισθεῖσα χαρά, ἡ προκηρυχθεῖσα θυμηδία. Ποῖαι περιχαρεῖς ὁμιλίαι τὴν σὴν προϋπαντήσουσιν ἐπιδημίαν; Πᾶσα τῶν ἐπινοουμένων τιμὴ κατόπιν τῆς ὑπερτίμου σου μεγαλειότητος ἔρχεται, ἐκ τοῦ Δεσπότου μόνου τὴν κατ' ἀξίαν κληρουμένης δόξαν.

A quæ mysterii splendore refulges, quæ super omnem unguentorum fragrantiam suavissimum exhalas odorem spiritus, cujus vestimenta, puritas scilicet, spiritalem omnium sensum demulcebit, in cujus unguentorum odorem current filiæ regis [80], animæ inquam, quæ archetypam regiamque speciem custodiunt. Veni, quæ olim pulchra es vocata (75), cujus adventus ardenti desiderio concupiscitur, quam jamdiu invitat prophetarum chorus, quam justorum concordes voces magna cum lætitia exquirunt, quæ gaudium jam antea speratum, quæ jucunditas jam olim prænuntiata exsistis (76). Quænam lætissima alloquia adventum tuum primo excipient? Quicunque excogitari possit honos infra tuam jacet magnificentiam, quæ B honore quolibet præcelsior est, et a solo Domino gloriam, qua digna est, nanciscitur.

Θ'. Οὕτω τοίνυν ἐγγυτέρω τῇ βασιλίδι γενομένῃ προϋπαντήσας ὁ ἱερεύς, ἐκ τῶν αὐτῆς ἀχράντων χειρῶν, φόβῳ καὶ χαρᾷ τὴν εἰργασμένην δέχεται πορφύραν, ἣν δὴ περιπτυσσόμενος, εἰκὸς τοιαῦτα προσεφώνει·

Ὦ ἔργου τοιαύταις ἀπηρτισμένου ταῖς ἐμμελείαις! ὦ καταπετάσματος τὴν τοῦ Θεοῦ σκηνὴν ἔριθον εἰς τὴν οἰκείαν παρειληφότος σύστασιν! Τί τοιοῦτον ἐν τῷ περιωνύμῳ τούτῳ ναῷ ἀνετέθη τίμιον; Ποῖον οὕτω καθηγιασμένον κειμήλιον ἐν τῇ ἁγίᾳ ταύτῃ καθιερώθη σκηνῇ; Τοῦτο παντὸς καλλιερήματος σεμνότερον, τοῦτο πάσης θυσίας ἱερώτερον, τοῦτο προσφορᾶς ἁπάσης εὐπροσδεκτότερον, ὑπὲρ τὴν C Ἄβελ ἀπαρχήν, ὑπὲρ τὴν Ἀβραὰμ ὁλοκαύτωσιν, ὑπὲρ ἅπαν ὁλοκάρπωμα δικαίων. Ὃ γὰρ ἐκεῖνοι τυποῦντες προέφερον, νῦν παραδόξως τελούμενον ἐν τῇ παναμώμῳ προσκομιζούσῃ τοῦτο κατανοεῖται.

X. Hæc (Simeon) elata voce profatus, Virginis dein magnalia celebrare instituit: *O Maria! magnificavit Dominus Deus nomen tuum, et eris benedicta in omnibus generationibus.* Hæc demirantis et stupore perculsi sunt verba, hominis qui præ ineffabili portento vix compos est sui, et mente defixus hæret. Tunc enim mirabunda ejusmodi allocutione uti solemus, cum veluti attoniti obstupescimus.

I'. Ταῦτα προσειπὼν μεγαλοφώνως, τὰ αὐτῆς ἀνεκήρυξε μεγαλεῖα· *Ὦ Μαριάμ! ἐμεγάλυνε Κύριος ὁ Θεὸς τὸ ὄνομά σου, καὶ ἔσῃ εὐλογημένη ἐν πάσαις ταῖς γενεαῖς.* Θαυμάζοντος καὶ καταπλησσομένου τὸ ῥῆμα, ἐξισταμένου καὶ πρὸς τὸ ἀπόῤῥητον ἀμηχανοῦντος. Τοὐτῳ γὰρ εἰώθαμεν ἀποροῦντες τῷ θαυμαστικῷ κεχρῆσθαι προσρήματι.

Ὦ, φησὶν, οἷα τὰ περὶ σὲ τελούμενα! *Ἐμεγάλυνε Κύριος ὁ Θεὸς τὸ ὄνομά σου*· ὑπερύψωσε, φησὶ, τὴν δόξαν σου· πάσης ὁρατοῦ τε καὶ ὁρατῆς ταύτην ὑπερεβίβασε κτίσεως, ἐξηρημένην ταύτην τῆς ἀνθρωπίνης ἀνέδειξεν, ἀσύγκριτον τῇ ἀγγελικῇ πεποίηκε· μέγα καὶ λεγόμενον πάσῃ νοερᾷ φύσει τὸ σὸν κατεσκεύασεν ὄνομα· μέγα τοῦτο ἐν Ἀρχαῖς καὶ Ἐξουσίαις, μέγα ἐν Θρόνοις καὶ Κυριότησι, μέγα καὶ ποθεινὸν ἐν τῷ οἰκείῳ γένει· καὶ οὐκ, Ἐδόξασεν, ἔφη,

XI. Sic igitur Reginæ jam propius accedenti sacerdos occurrens, ex immaculatis ipsius manibus cum timore et gaudio elaboratam accipit purpuram; quam utique cum amplexus teneret, has voces, uti credere fas est, effundebat:

O opus, mira concinnitate et elegantia perfectum! O velamen, quod texturæ suæ opificem sortitum est ipsum Dei tabernaculum (77)! Quid unquam tam pretiosum in celeberrimo hoc templo dedicatum est? Quænam adeo sancta supellex in sancto hoc tabernaculo oblata unquam fuit? Qualibet hoc victima venerabilius est, hoc quovis sacrificio sanctius, hoc quacunque oblatione acceptius, super Abelis primitias, super Abrahami holocaustum, super quodlibet ab justis oblatum e frugibus munus excellit. Quod enim per ejusmodi oblationes illi præsignabant, nunc mirabiliter perfectum in illibatissima ista, velum hoc afferente, conspicitur.

O qualia, inquit, in te complentur! *Magnificavit Dominus Deus nomen tuum*; superexaltavit, inquit, gloriam tuam; hanc super creaturas omnes invisibiles juxta ac visibiles extulit; hanc omni humana gloria ostendit sublimiorem, hanc angelica incomparabiliter celsiorem effecit; magnum et universis intelligibilibus naturis prædicandum nomen tuum reddidit; magnum idem in Principatibus et Potestatibus, magnum in Thronis et Dominationibus

[80] Cant. I, 3.

(75) Auctor manifeste alludit ad illud Canticorum (cap. I, v. 14): *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es.*

(76) Vide constantem Patrum sententiam, plurima in ss. Bibliis recurrere, quæ de Virgine Deipara intelligi debent.

(77) Virginem nempe Deiparam, quæ passim apud Patres appellatur *Dei tabernaculum.*

Digitized by Google

magnum et desiderabile in tuo hominum genere. Et quidem non dixit, Glorificavit, sed, *Magnificavit*, tanquam si exinde significaretur, ejusmodi hoc nomen esse, quod nec pro merito æstimari, nec ulla ratione explicari possit.

A ἀλλ', *Ἐμεγάλυνεν*, ὡς τοῦ ἀνακεχωρηκότος τῆς ἀξίας καὶ τοῦ ἀνερμηνεύτου σημαινομένου ἐντεῦθεν.

XI. Quale porro est hoc nomen, tam præclari gaudii parens, quod Dominus Deus magnificavit? Quamnam hujus Virginis appellationem tanta gloria Deus cumulavit? Num propriam ac personalem, eam scilicet, quæ illam ab reliquis ejusdem generis et numero et singularibus proprietatibus discernit, an vero communem ac specialem, quæ scilicet pari ratione omnibus ejusdem speciei individuis communicatur? Nullam reapse harum appellationum videtur hic sermo innuere; quanquam et istæ, glorificata illa, simul conglorificatæ fuerint. Sed liceat præmittere, cujusmodi illud sit, quod et celebrandum et magnificandum intelligitur, Creatoris nomen, quod sane et æternum est, et sanctum et admirabile, et in omnibus gentibus terribile; eadem deinde ratione et de præclarissimi nostri gaudii nomine statuere. Et sane quidquid divinum est, cum nec mente comprehendi nec verbis efferri queat, nullo, uti patet, nomine significari potest, nullam appellationis impositionem subire. Quodnam igitur est ejus nomen, quod omnium ore glorificatur? Aut undenam, ut imponeretur, accepit? Plane fatentur simul omnes, hoc nomen esse *Deus:* hoc illius et proprium et solum esse creditur. Etsi enim plures divina Scriptura deos nominat; at de ipsis, qui reipsa nihil sunt, tanquam si aliquid essent, ad eorumdem fallaciam redarguendam loquitur. Sic itaque ex hoc ipso, quod sane rite discussum est, intellige, et Virginis nomen plane perspicue deprehendi posse. Quod enim ibi ostendit, magnificandam esse appellationem *Dei*, hic respondente honoris gloria appellationem innuit *Deiparæ*. Hoc siquidem solum illius

ΙΑ'. Ποῖον δὲ τῆς πολυωνύμου χαρᾶς ἐμεγάλυνε Κύριος ὁ Θεὸς ὄνομα; Ποίαν ταύτης ὑπερεδόξασε προσηγορίαν; Ἆρα τὴν κυρίαν καὶ ὑποστατικὴν, καὶ τὴν τῶν ὁμοειδῶν ἀριθμῷ καὶ ἰδιότησι διαφέρουσαν, ἢ τὴν κοινὴν καὶ εἰδικὴν καὶ πᾶσιν ὁμοτίμως τοῖς αὐτοῦ μεταδιδομένην εἴδους; Οὐδεμίαν δοκεῖ τῇ ἀληθείᾳ τῶν τοιούτων κλήσεων, ἐμφαίνειν ἐνταῦθα τὸν λόγον, κἂν τῇ δεδοξασμένῃ συνεδοξάσθησαν· ἀλλ' ἐνὸν πρότερον εἰπεῖν, ποῖον δή λεγόμενον καὶ μεγαλυνόμενον ὄνομα τοῦ Δημιουργοῦ
B νοεῖται, ὅπερ αἰώνιον τίθεται καὶ ἅγιον θαυμαστόν τε καὶ φοβερὸν ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν, εἶθ' οὕτω καὶ περὶ τῆς πολυωνύμου χαρᾶς διαλαβεῖν. Δῆλον γὰρ ὡς τὸ θεῖον ἀκατανόητόν τε ὂν καὶ ἄῤῥητον, ἀκατονόμαστον μένει, τὴν τῶν κλήσεων μὴ προσιέμενον θέσιν. Ποῖον οὖν ἐστιν ὃ πολυθρυλλήτως αὐτοῦ δοξάζεται ὄνομα; Καὶ πόθεν τοῦτο τὰς ἀφορμὰς τῆς ἐπιθέσεως εἴληφε; Πάντως συνομολογεῖται τὸ, *Θεός*· ὃ καὶ κυρίως αὐτοῦ καὶ μόνως εἶναι πιστεύεται. Εἰ γὰρ καὶ πλείονας ἡ θεία Γραφὴ κατονομάζει θεοὺς, ἀλλὰ τῶν μὲν οὐκ ὄντων ὡς ὄντων τὸ
C ἀπατηλὸν στηλιτεύει. Οὕτω γὰρ ἐκ τοῦ διευκρινηθέντος νόει, καὶ τὸ τῆς Παρθένου σαφεστάτην ἔχειν τὴν εὕρεσιν. Ὃ γὰρ ἐκεῖ τὴν *Θεοῦ* προσηγορίαν μεγαλυνομένην ἔδειξεν, ἐνταῦθα τῇ καταλλήλῳ τιμωμένῃ δόξῃ, τὴν τῆς *Θεοτόκου* καθυποφαίνει κλῆσιν. Τοῦτο γὰρ αὐτῇ μόνως ὄνομα, τοῦτο κυρίως, τοῦτο ἀληθῶς· τοῦτο μεγαλύνει ἡ κτίσις· τοῦτο δοξάζοντες ὑπερευλογοῦσιν ἄνθρωποι· τοῦτο ἐν πάσαις οὐκ ὠνομάσθη ταῖς γενεαῖς· τοῦτο μόνης αὐτῆς ἰδιαίτατον, ὥσπερ μόνου τοῦ Δημιουργοῦ τὸ, *Θεός*. Καὶ οὕτω μὲν περὶ τούτων ἁρμόδιον ἡγεῖσθαι. Καιρὸς δὲ ἡμῖν ἐπὶ τὴν ἱστορίαν ἀναδραμεῖν.

nomen, hoc proprium, hoc verum; hoc universæ creaturæ magnificant; hoc homines glorificant ac supra modum benedicunt; hoc in omnibus antea generationibus inauditum; hoc illius tantummodo proprium omnino est, quemadmodum et unius Creatoris proprium est nomen *Deus*. Et sic quidem de his existimare congruum fuerit. Nunc vero tempus ad historiam nos reverti.

XII. Inquit enim: *Exsurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione* [81]. Vide narrationum consonantiam; non enim evangelica narratio dixit, *eadem die*, aut *post dies alteram*, aut *alia quapiam ex sequentibus*, sed *in diebus illis*, per indefinitum scilicet tempus innuens, Mariam domi instanti opere fuisse necessario detentam: quod quidem alia historia manifesto tradit, ad perficiendum (veli) opus id factum fuisse; adeo ut vehementissimo quidem desiderio ad (invisendam) Elisabeth impelleretur; ratione tamen, quam antea diximus, detineretur. Utraque vero historia simul composita edocet, illam tum ad sacerdotem tum ad cognatam eodem se itinere contulisse, videlicet ab ædibus Josephi ad sacerdotem, ab isto vero ad domum Zachariæ. Quocirca historia dicit:

IΒ'. Ἀναστᾶσα γὰρ, φησὶ, *Μαριὰμ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις ἐπορεύθη εἰς τὴν ὀρεινὴν μετὰ σπουδῆς*. Ὅρα τὴν συμφωνίαν τῶν διηγήσεων· οὐ γὰρ *αὐτὴν* ἔφη *τὴν ἡμέραν*, ἢ *μετὰ δευτέραν*, καὶ *τὴν καθεξῆς ἐκείνης*, ἀλλ' ἐν *ταύταις*, τῷ ἀορίστῳ τοῦ χρόνου τὸ τῆς κατεχούσης ἐργασίας ἀναγκαῖον ἡ τοῦ εὐαγγελίου σημαίνουσα· ὅπερ ἡ ἱστορία διὰ τοῦ συμπληρῶσαι τὸ ἔργον ἐδήλωσεν· ὥστε σφοδροτέρᾳ μὲν ἠπείγετο γνώμῃ πρὸς τὴν Ἐλισάβετ, κατείχετο δὲ τῷ προλελεγμένῳ τρόπῳ. Μίαν δὲ πρός τε τὸν ἱερέα καὶ πρὸς τὴν συγγενίδα τὴν ἄφιξιν ἑκατέρα καθυποδείκνυσι γραφή· ἀπὸ μὲν τοῦ οἰκήματος· Ἰωσὴφ πρὸς τὸν ἱερέα, ἀπὸ δὲ τούτου πρὸς τὸν οἶκον Ζαχαρίου. Διό φησιν ἡ ἱστορία· *Χαρὰν δὲ λαβοῦσα Μαριὰμ, ἀπῆει πρὸς τὴν συγγενίδα αὐτῆς*.

Gaudium autem cum percepisset Maria, profecta est ad cognatam suam.

[81] Luc. I, 39.

Digitized by Google

Ἔχαιρε τὰς συμφώνους λογιζομένη προρρήσεις. Ἐπειδὴ γὰρ τῇ τοῦ ἱερέως ἀσυνήθει διαλέξει, πρὶν ἐν ὄψεσιν ὀφθῆναι, τὰ τῆς παῤῥησίας ἀφῄρητο, ὑπὲρ ἐλπίδα δὲ ταύτης ἀπώνατο, τῇ παρὰ προσδοκίαν ἔχαιρεν ἐπιτυχίᾳ· ἢ μᾶλλον ταύτην εἰληφέναι χαρὰν ὁ λόγος αἰνίττεται, τὴν μόνην ὄντως χαρὰν, καὶ ᾗ μόνῃ συνήδετο, ἣν μόνην ἐπόθει, καὶ ἣν σωματουμένην ἔνδον κατεῖχε, τὸν ὑπερούσιον Λόγον, τὸν τῆς χαρᾶς φυτουργὸν, τὸν τῆς ἀγαλλιάσεως ταμίαν, τὸ ὑπερπόθητον κάλλος, τὸ ὑπερὸν ὡραῖον ἐγκαλλώπισμα, τὸ μόνον ὀρεκτὸν ἀγαλλίαμα, τὴν ὑπὲρ ἔφεσιν ἡδονὴν, τὴν ἀκόρεστον γλυκύτητα, τὴν ἄληκτον ἐπιθυμίαν, τὸν ἐφετοῖς ἔρωτος τιτρώσκοντα βέλεσι. Τοῦτον ἡ *κεχαριτωμένη* λαβοῦσα, τὴν ὑπὲρ ἔννοιαν ἔχαιρε χαράν.

A Gaudebat porro concordes secum reputans prædictiones. Cum enim ob insuetum cum sacerdote colloquium omnem fandi libertatem vel antequam in conspectum illius veniret, amisisset, hanc vero supra spem deinde nacta esset, inexspectato successu lætabatur; seu potius gaudium illud historia indicat adeptam eam esse, quod solum vere est gaudium, et quo solo delectabatur, quod solum discupiebat, et quod carne jam indutum intra sinum suum gestabat, supersubstantiale nempe Verbum, primum gaudii auctorem, lætitiæ dispensatorem, pulchritudinem vota quælibet excedentem, ornamentum quamvis venustatem vincens, unicam appetendam exsultationem, voluptatem omne desiderium superantem, dulcedinem quæ nunquam satietatem affert, jugem ardentium votorum scopum, qui exoptatis amoris jaculis animos sauciat. Hunc cum in se excepisset illa *gratia plena*, gaudio, quod mentis transcendit captum, exsultabat.

ΙΓ'. Ἀναστᾶσα δὲ, φησὶ, *Μαριὰμ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις*. Πόθεν ἀνέστη τὸ ἀμετάθετον στήριγμα, ἡ ἀσάλευτος πόλις, τὸ τῆς ἀγνείας ἔδραίωμα, ἡ βάσις τοῦ ἀνθρωπείου γένους, τὸ τοῦ προπάτορος ἔρεισμα, ὁ τῆς ἀναστάσεως θεμέλιος, ἡ κρηπὶς τῆς ἀνακλήσεως, ἡ ῥίζα τῆς χαρᾶς, ἡ ἀπαρχὴ τῆς φύσεως, τὸ τεῖχος, ἐν ᾧ τὰ τῆς ἡμῶν ἐπῳκοδομήθη σωτηρίας ἐρείσματα; Πόθεν τοίνυν ἀνέστη; Ἐκ τοῦ οἰκήματος Ἰωσὴφ, ἐν ᾧπερ ἀμετακινήτως τῇ ἀρετῇ προσήδρευε. Καὶ διὰ τί μὴ, Ἐξῆλθεν, ἔφη, ἀλλ', *Ἀνέστη*; Τὴν διηνεκῆ καὶ ἔμμονον αὐτῆς ἡσυχίαν ὁ σοφώτατος εὐαγγελιστὴς διὰ τούτου ἠνίξατο. Ἦν γὰρ ὥσπερ ἡδρασμένη καὶ ἀμετάθετος ἐν τῷ τῆς ὑπομονῆς καὶ ἁγιότητος πεπηγυῖα θεμελίῳ· μηδὲ τὸ τυχὸν ἄνευ τῆς ἐπειγούσης ἀνάγκης ἐκ τοῦ καθεστηκότος μεταβαίνουσα.

B XIII. *Exsurgens autem*, inquit, *Maria in diebus illis*. Undenam exsurrexit immotum illud fulcrum, civitas inconcussa, innocentiæ firmamentum, basis humani generis, primi gentis nostræ parentis fulcimentum, novæ erectionis sustentaculum, reparationis omnium fundamentum (78), gaudii radix, naturæ totius primitiæ, murus, super quem inædificata salutis nostræ firmitas innititur? Unde ergo exsurrexit? Ex Josephi domo, in qua sane sua ipsam virtus constantissime detinebat. At vero quam ob rem non dixit, Egressa est, sed, *Exsurrexit*? Jugem scilicet et constantem illius quietem sapientissimus evangelista per hæc significare voluit. Nam stabilita quodammodo et immota super fundamentum patientiæ et sanctitatis defixa consistebat; neque forsitan citra impellentem necessitatem ab instituto suo discedebat.

C

ΙΔ'. Αὕτη τοίνυν ἡ καθάπερ ἐν ἀδύτοις ἐν τῷ οἰκήματι κρυπτομένη, πρὸς τὸν ἱερέα καὶ πρὸς τὴν ὀρεινὴν σπουδῇ συνέτρεχε, τοιαῦτα τάχα διεξιοῦσα τῷ λόγῳ· Ἐγὼ, φησὶν, ὦ Δέσποτα, τῇ σῇ κυβερνωμένη χάριτι μέχρι τῆς παρούσης ἡλικίας καὶ χρόνου τοῦ ἐνεστῶτος, ἐκ πάντων ἐμαυτὴν ἐπέσχον τῶν, ὅσα διὰ τῶν αἰσθήσεων ἐπινοθεύειν πέφυκε τὴν τοῦ νοῦ καθαρότητα. Ὀφθαλμοῖς μὲν τὴν τῶν ἀναγκαίων ἀντίληψιν μετρίαν ἐπιτρέπουσα, τὸ θεωρητικὸν αὐτῶν ἅπαν πρὸς τὴν σὴν ἀνήρτησα μεγαλειότητα. Καθαρὰν δὲ καὶ ἀνέπαφον διατηροῦσα τὴν ἀκοὴν, ἐμῴδὰς θείων ἀκροατήριον ταύτην παρεσκεύασα. Χείλη τε καὶ γλῶτταν εἰς τὴν σὴν δοξολογίαν ἀπασχολοῦσα, τὴν ἀσώματον ἐν σώματι παρεζήλωσα φύσιν. Ὑπ' οὐδενὸς τῶν παρόντων τὸν λογισμὸν παρετράπην· πρὸς γὰρ τὴν σὴν μόνην ἀπησχόλησα τοῦτον μελέτην, ὄργανον ἐμαυτὴν ὑμνολογικὸν κατεσκεύασα, ὄργανον ἡρμοσμένον τῷ Πνεύματι, ὄργανον τῆς καθαρότητος ἐνηχοῦν μελῳδίαν, τὸ τῶν ἀΰλων Δυνάμεων ἀνακρουόμενον ᾆσμα, τῇ χερουβικῇ δοξολογίᾳ συμφθεγγόμενον. Ἀκόρεστον

XIV. Quæ ergo in domicilio suo veluti in sacrario abscondita solebat manere, ad sacerdotem et in montana cum festinatione se conferebat, hisce facile vocibus Deum alloquens: Ego, inquiebat, o Domine, tua me gratia gubernante, ad hanc usque ætatem et ad præsentem diem ab iis omnibus me custodivi, quæcumque ad corrumpendam per sensus puritatem mentis sunt idonea. Et oculis quidem concedebam ut, ubi opus esset, cernerent; sed quantacunque videndi vis inerat, totam ad magnificentiam tuam contemplandam erexi. Aures porro puras illibatasque servans, paratas habebam ad divinarum rerum explicationem excipiendam. Tum labia tum linguam in te collaudando assidue exercens, incorporeas naturas in corpore studebam æmulari. Nulla unquam terrenarum rerum meam a te mentem avertit: ad unam enim tui contemplationem jugiter eam intendere consuevi, organum memetipsam exhibens tuis laudibus resonans, organum a sancto Spiritu ad supernas harmonias aptatum, organum suavissimos puritatis

D

(78) Plures hic habes sententias, quæ nullatus permittunt, ut Virgo Deipara primævo laborasse vitio existimetur. Quomodo enim fulcimentum esset lapsi primi parentis, si et ipsa lapsa in eodem hærebat luto? Quomodo *novæ erectionis sustentaculum*, si cum aliis jacebat, et cum aliis erat erigenda? Quomodo *reparationis omnium fundamentum*, si communi omnium involvebatur ruina?

Digitized by Google

concentus modulans, quod cœlestium Virtutum canticis respondet, quod cherubicis gloriæ tuæ carminibus concinit. Insatiabili tui ardens desiderio, indesinenter prosequor laudationem tuam; amore tui cor saucium intus gerens, in verba amoris incessanter erumpo. Hic amor mihi cum corpore succrevit, hic cum mente adolevit: cum hoc simul congenita anima mea (79) hymnodiam intermitti nesciam pertexit. Lux enim es, Domine; lux undequaque suavissima; lux citra omnem comparationem desiderabilis; lux quæ citra temporum spatia intelligitur; lux quæ temporis vicibus non subditur; lux in innocentia mea refulgens; lux dirigens gressus meos; lux, quam per admirandum illum nuntium in me excepi (80), qua multo cum gaudio locupletata sum; quæ omnem vincit dulcedinem, quæ cujusvis illuminationis origo est; hanc modo ceu lampadem tenens, et ceu fidelissimum custodem mecum habens, insuetis me itineribus committo.

A ἔχουσα τὴν ἔφεσιν, ἄληκτον διετήρησα τὴν αἴνεσιν, ἔνδον τὸν σὸν ἐπιφερομένη πόθον, ἀδιαλείπτως τὰ τῆς αὐτοῦ ἀγάπης προβάλλομαι ῥήματα. Οὗτος συνηυξήθη τῷ σώματι, οὗτος συνακμάζει τῇ διανοίᾳ, τούτῳ ἡ ψυχὴ προσφυομένη τὴν ἀκατάπαυστον ὑμνολογίαν διαπλέκει. Φῶς γὰρ εἶ, Δέσποτα, φῶς τὸ μόνως γλυκύτατον· φῶς τὸ ἀσυγκρίτως ποθούμενον· φῶς τὸ ἀχρόνως νοούμενον· φῶς τὸ μὴ τεμνόμενον χρόνῳ· φῶς τὸ καταλάμπον ἐν τῇ ἀγνείᾳ μου· φῶς τὸ κατευθῦνον τὰς ὁδούς μου· φῶς ὅπερ διὰ τῶν παραδόξων μηνυμάτων ὑπεδεξάμην, ὅπερ διὰ τῆς χαρᾶς κατεπλουτίσθην· τὸ παντὸς ἐπέκεινα γλυκασμοῦ, τὸ πάσης φωτοφανείας αἴτιον· τοῦτο νῦν ὡς λύχνον κατέχουσα, καὶ ὡς ἀσφαλέστατον φύλακα φέρουσα, πρὸς ἀσυνήθεις στέλλομαι πορείας.

XV. Cernere ergo tunc erat immaculatam illam e loco in locum transeuntem, et jugi incessu gressus alternantem, subjectumque solum vestigiis suis puritate perfundentem. O terra illa, quæ impressa purissimorum illius gressuum signa excepit! O quis expeditam mihi viam ad veneranda illa loca præbeat? Quis mihi tribuat tantum virium, ut illuc appellens desiderium meum expleam, ut terram illam deosculer, quam immaculatissimi illi pedes calcaverunt, in qua illibatissimi illius incessus relicta sunt vestigia (81)? Ut humum illam apprehendens, et oculis et ori apponam, meosque sensus omnes sanctificem, eamdemque in sinu meo ceu pretiosissimum thesaurum recondam?

B ΙΕ'. Ἦν τοίνυν τότε καθορᾶν τόπους μεταμείβουσαν τὴν ἄχραντον, συνεχῆ τε μεταποιοῦσαν βήματα, καὶ τοῖς οἰκείοις τὸ ἔδαφος καθαγνίζουσαν ἴχνεσιν. Ὦ γῆς ἐκείνης, ἥτις τῶν ἀμώμων αὐτῆς ἰχνῶν τοὺς τύπους ἐδέξατο! ὦ τίς ἂν ἀκώλυτόν μοι παράσχοι τὴν εἰς ἐκείνους τοὺς σεβασμίους τόπους ἄφιξιν; Τίς ἂν μοι δοίη περιουσίαν δυνάμεως, ὥστε τὰ ἐκεῖσε κατειληφότι τῆς ἐπιθυμίας ἐμφορηθῆναι, ὥστε τὴν γῆν ἐκείνην περιπτύξασθαι, ἐφ' ἣν οἱ πανάχραντοι πόδες ἐπέβησαν ἐκεῖνοι, ἐφ' ἧς τὰ πανάσπιλα διεσημάνθησαν βήματα; Ὥστε τὸν χοῦν ἐκεῖνον ἀναλεξαμένῳ, ὀφθαλμοῖς ἐπιθεῖναι καὶ στόματι, καὶ πᾶσαν αἴσθησιν καθαγιάσαι, καὶ ὡς πολύτιμον θησαυρὸν ἐγκολπώσασθαι τοῦτον.

XVI. Ecce enim creaturæ omnes illi per medium transeunti obviam veluti occurrentes, gratulabundis C lætisque illam vocibus excipiunt. Et terra quidem, tanquam proprio in primis germine superbiens, ita propemodum exclamat: En floridissimus ramus meus; ecce fertilitatis meæ fructus, exuberantes ubertatis meæ divitiæ, ubertatis et benedictionis fecundissima feracitas (82), per quam a damnatione ferendi spinas eripiar, per quam a tribulorum asperitate liberabor. Ipsa est oblatio mea, per quam a maculis abstergar et mundabor (83), et quæ idolorum nidoribus ante polluta, et impiis lavacris contami-

IZ'. Ἰδοὺ γὰρ μεσοπορούσῃ ταύτῃ ἡ κτίσις πᾶσα προϋπαντῶσα, τοῖς χαριστηρίοις προσεπιδεξιοῦται λόγοις. Γῆ μὲν, ὡς οἰκείῳ πρώτως τεμνυνομένη βλαστήματι, τοιαῦτα σχεδὸν ἐπιβοᾶται· Ἰδοὺ τὸ ἀνθηρότατόν μου στέλεχος· ἰδοὺ τῆς εὐφορίας μου ὁ καρπὸς, ὁ ἄφθονος τῆς ἐμῆς εὐθηνίας πλοῦτος, ἡ τῆς εὐθηνίας καὶ εὐλογίας καρποφορία, δι' ἧς τῶν ἀκανθῶν ἀπαλλαγήσομαι καταδίκης, δι' ἧς τῶν τριβόλων ἐλευθερωθήσομαι τραχύτητος. Αὕτη ἐστὶν ἡ ἐμὴ προσφορὰ, δι' ἧς ἀποσμηχθήσομαί τε καὶ καθαρισθήσομαι, καὶ μυστικῆς θυσιαστήριον χρηματίσω θυσίας· ἡ ταῖς εἰδωλικαῖς μιαι-

(79) Nihil sane præclarius ad sanctitatem primæ origini Virginis coævam prædicandam dici poterat: si enim cum vehementissimo Dei amore beata Deiparæ anima congenita est, divinamque charitatem non secus ac ex communi theologorum sententia angelici spiritus et primi parentes, simul cum natura accepit; semper ergo sancta fuit, semperque Deo dilectissima; nec tartareus tyrannus hanc animam sibi olim fuisse sedem, jactare uperbus potest.

(80) Hæc verba, ut puto, ab Isidoro vel incogitante extorsit communis omnium sententia, quæ non modo tenet divinum Verbum incarnatum ex tunc fuisse, cum illud inter Gabrielem ac Virginem colloquium habebatur, sed uti certum habet, id beatæ Deiparæ ignotum non fuisse. A qua quidem sententia, ut vidimus (sup. § IV, pag. 479) discessisse Auctor videtur, et huic præivisse dixeris Chry-

D sostomum, ubi scribit (*in Ps.* 49, n. 1): *Nec ipsa Virgo, quæ eum utero gestabat, noverat arcanum mysterii.* Οὐδὲ αὐτὴ ἡ κυοφοροῦσα Παρθένος ᾔδει τοῦ μυστηρίου τὸ ἀπόῤῥητον.

(81) Videsis, quomodo prærogativa, quæ maxime in Virgine enitebat, atque adeo præ reliquis observabatur fidelium mentibus, easque percellebat vehementer, puritas est illa singularissima, quæ circumstantiâ omnia veluti sanctificabat.

(82) Habes hic, quid sit feracitas, de qua terra hæc nostra gloriatur. Quæ nempe nihil præterquam spinas ac tribulos dederat, tandem floridissimum ramum protulit, cum Mariam progenuit. Quæ profecto sententia, nisi ad hominum ortum eumque maxime referatur, plane, uti patet, falsa esset.

(83) Oblatio, per quam maculæ emundentur, non potest, uti manifestum est, iisdem maculis fœda censeri.

Digitized by Google

νομένη κνίσσαις, καὶ ἀνοσίοις καταχραινομένη λύ- A
θροις. Αὕτη ἐστὶ, δι' ἧς τῶν βδελυγμάτων ἀπαλλατ-
τομένη, ἐξιλασμάτων χωρίον ὀφθήσομαι. Αὕτη τὸν
ἀποφορτίζοντά με τῶν ἀνθρωπίνων πλημμελημάτων
ἐπιφέρει. Αὕτη τὸν ἀφαιρούμενον ἐξ ἐμοῦ τὸ τῆς
ἁμαρτίας ἄχθος, σωματούμενον βαστάζει, τὸν ἐπ'
οὐδενὶ τοὺς ἐμοὺς καθιδρύσαντα θεμελίους, τὸν ἰδίᾳ
ὠλένῃ τὸν ἐμὸν περιγράψαντα γῦρον, τὸν ὕδασί με
σπαργανοῦντα, καὶ εἰσαεὶ διακρατοῦντα. Αὕτη ἐστὶν
ἡ ῥάβδος, ἡ τὸ τῆς ἀφθαρσίας ἄνθος ὠδίνουσα, (ἐξ)
ἧς, ὥσπερ ἐκ καλύκων προκύψαν, τὸ ἀηδὲς τῆς πλά-
νης ἀποσοβήσει, καὶ τὴν τῆς χάριτος ὀσμὴν διαπνεύ-
σει. Ὦ τῆς ἐμῆς παραφυάδος! ὦ κόλπων, ἐν οἷς τοῦτο
τὸ φυτὸν ἐδρύνθη· ἐξ οὗ προϊὼν ὁ τῆς ἀθανασίας
καρπὸς, τὴν τῶν ἐμῶν τέκνων ἀκαρπίαν εἰς καρπο-
φόρον εὐσέβειαν μεταποιήσει, οὗ ὁ λόγος ἐν τοῖς πέ- B
ρασι διασπαρεὶς, εἰς ἑκατὸν ἐπιδώσει τὴν εὐφορίαν,
πολύχουν ἀποθήσει τὴν γεωργίαν. Ὦ τῶν ἐμῶν πεδίων
εὐωδέστατον κρίνον, ὅπερ τῷ τῆς καθαρότητος μύρῳ
πάσας τὰς ψυχικὰς περιπνεύσει κηλίδας. Σὺ εἶ ἡ εὐ-
ωδία· σὺ εἶ ἡ τοῖς τῶν ἀρετῶν ἀρώμασι τὸ ἐμὸν μυρί-
ζουσα πλήρωμα· ἡ ἀθόλωτος πηγὴ, ἐξ ἧς, ὡς σταγό-
νες ὑετοῦ, αἱ τῶν χαρίτων ἐπιστάζουσαι ῥανίδες,
τὸ ἐμὸν πιαίνουσι πρόσωπον, τὰ τῆς ἐμῆς τερπνό-
τητος καταρδεύουσιν ὡραῖα· ἡ λαμπὰς, ἡ τὸν ἐμὸν
φωτίζουσα κύκλον, ἡ τὰς ἡλιακὰς ὑπερνικῶσα
φαιδρότητας, ἡ ὑπὲρ τὸν οὐρανὸν ἀφιεῖσα τὰς ἀκτῖ-
νας, δι' ἧς τὰ τούτου ὑπερῇρα κάλλη· ἐκεῖνος μὲν
γὰρ τοῖς οἰκείοις λαμπρυνόμενος ἐπαγάλλεται φω-
στῆρσιν· ἐγὼ δὲ ὑπὲρ ἐκεῖνόν σε κατέχουσα, σεμνο- C
τέρα τῆς αὐτοῦ διακοσμήσεως δείκνυμαι· ἐκεῖνος
τῷ γεγενημένῳ καταγλαΐζεται φωτὶ, ἐγὼ τῷ γενε-
σιουργῷ διὰ σοῦ ἐπιδημήσαντι, κατασεμνύνομαι·
ἐκεῖνος τοῖς ποιήμασιν, ἐγὼ τῷ ποιητῇ περικαλλύ-
νομαι· ἐκεῖνος ἀποσκιαζομένῳ καὶ δυομένῳ καταυ-
γάζεται Ἡλίῳ, ἐγὼ δὲ τῷ τῆς δικαιοσύνης ἀνεσπέρῳ
καὶ ἀδύτῳ ἡλίῳ, δι' οὗ κἀκεῖνος τὸ εἶναι εἴληφεν, ἐπαί-
ρομαί τε καὶ καταλάμπομαι, ὄχημά σε τούτου περιφέ-
ρουσα, τὴν τὸ μυριοπλάσιον τῶν ἀγγέλων ὑπερέχουσαν
ἅρμα, τὴν χερουβικὴν παστάδα, τὴν σεραφικὴν λαβίδα,
τὸν θρόνον τὸν βασιλικὸν, τὸ ὑπερουράνιον παλάτιον.
Ὦ πόσαι τῶν ἐμῶν αὐχημάτων αἱ ἀφορμαί! Ὦ τοῦ
ἐμοῦ καυχήματος αἰτία! Ἐπαγάλλομαί σοι, ἐπιτέρ-
πομαι τῇ δόξῃ σου, ἐπισεμνύνομαί σοι ὡς οἰκείῳ
βλαστήματι. Καθαίρομαι τῶν ἀνθρωπίνων μολυσμῶν D
ἐπὶ νῶτά σε φέρουσα· ἀγιάζομαι τοῖς ἀχράντοις
καὶ τιμίοις σου βήμασιν· εὐωδιάζομαι τῷ τῆς κα-
θαρότητός σου μύρῳ· σκιρτῶ ἐπὶ σοὶ, παῤῥησιάζο-
μαι διὰ σὲ, καὶ ἡ σὺν ἐμοὶ πᾶσα διακόσμησις.

nata eram, jam mystici sacrificii altare evadam. Ipsa est, per quam ab abominationibus liberata, domus expiationum conspiciar. Ipsa illum infert, qui me ab humani generis delictis exonerabit. Ipsa corpore indutum eum gestat, qui grave peccati onus a me tollit, qui super nihilum fundamenta mea collocavit; qui proprio pugillo amplitudinem meam complectitur, qui aquis me veluti fasciis circumdat, et me perenniter continet. Ipsa est virga, incorruptionis flore fœta, e qua tanquam e calice hic prodiens, erroris procul abiget insuavitatem, et gratiæ fragrantiam exhalabit. O propaginem meam! O sinum, in quo hæc planta (84) ad maturitatem venit; e qua progerminans immortalitatis fructus, filiorum meorum sterilitatem in fructiferam pietatem commutabit; et cujus verbum, in omnibus finibus terræ disseminatum, in centuplum augebit ubertatem, excultique soli labores multiplici cumulabit usura! O agrorum meorum suaveolentissimum lilium, quod puritatis suæ unguentum omnibus animarum ulceribus affundet (85)! Tu suavissimus es odor: tu es, quæ virtutum tuarum aromatibus totum mei ambitum aspergis: tu fons es illimis, e qua, tanquam imbrium stillæ, defluentes gratiarum guttæ faciem meam pingui ubertate fœcundant, et jucundam venustatem meam irrigant: tu es lampas, quæ me per universum circuitum illuminas, quæ solares longe vincis fulgores, quæ radios tuos super ipsos cœlos expandis, et per quam his quoque pulchritudine antecello; et hi quidem propriis illustrati luminaribus sese magnifice ostentant; ego vero præ illis cum te possideam, quovis eorum ornatu magnificentior appareo; illi genita luce exornantur, ast ego generationis auctore per te adveniente condecoror: illi facturis nobilitantur, ego autem factore: illi sole illuminantur, qui et nubibus obumbratur, et occasum subit, at ego Sole justitiæ, qui neque vesperam neque occasum novit, per quem et ille accepit ut esset, et glorior et resplendeo, quippe te gesto, quæ illius es vehiculum, quæ infinito intervallo angelorum currum superemines (86), quæ thalamus cherubicus, quæ forceps seraphica, quæ regius thronus, quæ cœlis sublimius palatium exsistis. O quot et quantæ mihi gloriandi causæ! O gloriæ meæ auctrix! In te memet effero, gloria tua oblector, te tanquam germine meo proprio superbio. Te dorso meo ferens, ab humanis inquinamentis emundor (87); sanctificor, immaculatis et honorandis tuis gressibus; suavi odore perfundor a puritatis tuæ unguento; in te exsulto, propter te fiduciam sumo, et mecum omnes creaturarum ordines.

ΙΖ'. Οὕτως ὑπὸ πάντων ἡ τῶν ἁπάντων δοξαζομένη

XVII. Sic omnium Domina, ab omnibus glorifi-

(84) Quænam enimvero laus esset sinus B, Annæ, siquidem hæc planta, quod ad originem spectat inde deductam, vitiata fuisset?

(85) Imagine paulo diversa eamdem expressam habes sententiam. Nisi enim Deiparam gloriosam communi originis vitio exemptam statuas, non suaveolentissimum tibi parebit lilium, cujus unguentum ulceribus aliorum sit medela; sed et ipsa eodem ulcere fœtere dicenda erit.

(86) Deus in sacris Litteris cherubicis humeris veluti quodam curru invectus describi solet.

(87) Nisi Deiparam vitio quovis immunem affirmes, illius non secus atque aliorum inquinamentis terra deturpata pari jure diceretur.

Digitized by Google

cata, iter suum confecit. Quocirca (Evangelista), *Abiit*, inquit [52], *in montana cum festinatione, in civitatem Juda; et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth.*

Et factum est, subdit [53], *ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exsultavit infans in utero ejus.—Et factum est*, inquit; quid factum est? Novum prorsus, et admirandum, et a naturæ ordine alienum. Sola vox, ut prolata est, naturæ leges innovavit: sonitus salutationis auribus insonuit, quæ vocem audire non poterant; vox virginalis, virtute illius, qui in Virgine inhabitabat, infantem materno adhuc utero inclusum excussit. *Ut audivit*, inquit, *Elisabeth*, verbum ingrediebatur in aures, et gratia fœtum uteri commovebat. Vox operabatur, et addebatur virtus. O verborum vim! *Exsultavit infans in utero ejus.* Persensit præsentiam Domini, immaculatæ illius voces audivit, Creatorem, qui hanc movebat, agnovit, et saltibus suis hæc matri suæ propemodum loquebatur:

XVIII. Anteverte, o mater, præveni festina, præcurre obviam ferenti Creatorem incarnatum. In ipsa Dominus, tanquam in cœlesti throno, advehitur. Hic naturam innovat; hic res immutat. Præsentiam ejus ferre silentio non valeo; non possum non prædicare eum, qui me ad hoc excitavit, ad quod præordinatus fui. Usumfructum ferre festino, quippe qui, ut prædictum est (a prophetis), prædestinatus [54] fui, ut essem *vox clamantis*, et propterea ad ministerium meum explendum impellor. Ne ergo cuncteris, o mater; commoda mihi vocem, ut vitam deprædicem; supple meæ loquendi impotentiæ, ne constitutis partus legibus vim inferam; ne committas cunctatione tua, ut nova partus ratio tibi contingat; ne velis, gratiarum actiones differens, naturæ leges cernere immutatas: ego sane hujus claustra cogor perrumpere, terminos ejusdem transilire compellor; non patienter hos ille perfert, qui naturam immutat; qui ordinem constituit, is ordinem solvit. Ipsa in te habes certam rerum fidem; emortua enim membra tua ipsa ad generandum viventem corroboravit, arefactæque naturæ ubertatem jussu suo contulit. Iste, qui in utero impolluto factus est infans, in uteris maternis infantes format: hic naturam effingit: hic lineamenta configurat: hic animas creat: hic seminalem substantiam in ossa et nervos et carnes effingit; hic artus compagine jungit, solubili eos vinculo colligans, insolutos tamen sua providentia conservans; hic in lucem fœtus educit, et animæ potentias intellectuali rationis luce irradiat. Ejus ergo adventum honorificis excipe verbis: excipe corpore indutum eum ipsum, qui divinitate sua implet universa.

XIX. At prius laudes in eam confer, quæ illum suo sinu gestat: venerare ceu reginam illud naturæ nostræ decus; acclamationem huic generis

Δέσποινα, τὰ τῆς πορείας διήνυσε. Διό φησιν· *Ἐπορεύθη εἰς τὴν ὀρεινὴν μετὰ σπουδῆς εἰς πόλιν Ἰούδα, καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον Ζαχαρίου, καὶ ἠσπάσατο τὴν Ἐλισάβετ.*

Καὶ ἐγένετο, φησὶν, ὡς *ἤκουσεν ἡ Ἐλισάβετ τὸν ἀσπασμὸν τῆς Μαρίας, ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς. — Καὶ ἐγένετο*, φησί· τί ἐγένετο; Καινὸν καὶ παράδοξον, καὶ τῆς φύσεως ἀλλότριον. Φωνὴ μόνη ἐξενεχθεῖσα τοὺς ταύτης ἐκαινοτόμησεν ὅρους· ἦχος ἀσπασμοῦ εἰς τὴν ἀνεπίδεκτον φωνῆς ἐνήχησεν ἀκοήν· φθόγγος παρθενικὸς, δυνάμει τοῦ ἐνοικοῦντος, τὸ ἐγγάστριον διεδόνησε βρέφος. *Ὡς ἤκουσε*, φησὶν, *ἡ Ἐλισάβετ*, ὁ λόγος ἐν τοῖς ὠσὶν εἰσέδυ, καὶ ἡ χάρις τὸ ἔμβρυον ἐκίνει· ἡ φωνὴ ἐνηργεῖτο, καὶ ἡ δύναμις ἐβεβαιοῦτο. Ὦ ἰσχύος ῥημάτων! *Ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς.* Ἦσθη τῆς Δεσποτικῆς παρουσίας, ἤκουσε τῆς ἀκηράτου φωνῆς, ἔγνω τὸν Δημιουργὸν ταύτην κινοῦντα, καὶ σχεδὸν διὰ τῶν σκιρτημάτων τοιαῦτα τῇ μητρὶ προσεφώνει.

ΙΗ'. Πρόφθασον, ὦ μῆτερ, πρόδραμε συντόνως, προϋπάντησον τῇ τὸν Δημιουργὸν ἐπιφερούσῃ σωματούμενον. Ὁ Δεσπότης ἐν ταύτῃ, ὡς ἐν οὐρανίῳ ἐποχεῖται θρόνῳ. Οὗτος τὰς φύσεις καινοτομεῖ· οὗτος τὰ πράγματα μεταπλάττει. Οὐ στέγω σιωπῇ τὴν αὐτοῦ παρουσίαν ἄγειν· οὐ φέρω μὴ κηρύττειν τὸν εἰς τοῦτό με παραγαγόντα, εἰς ὅπερ προετάγην. Σπεύδω χρησιμεύειν, *φωνὴ βοῶντος* προορισθεὶς ἐμηνύθην, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς τὴν διακονίαν ἐπείγομαι. Μὴ μέλλε τοίνυν, ὦ μῆτερ· χρῆσον ἐμοὶ τὴν φωνὴν ἵνα κηρύξω τὴν ζωήν· πλήρωσον τὴν τοῦ λόγου χρείαν, ἵνα μὴ τὸ τῆς ὠδῖνος ἀναγκαῖον βιάσωμαι· μὴ καινοτομηθῆναι τῇ ὑπερθέσει, τὸν τόκον ἐάσῃς· μὴ τὴν εὐχαριστίαν ἀναβαλλομένη, τὴν φύσιν κατίδῃς μεταβαλλομένην· διαῤῥῆξαι τὰ αὐτῆς καταναγκάζομαι κλεῖθρα, ὑπερβῆναι τοὺς ὅρους ἐπείγομαι· οὐκ ἀναμένει τούτους ὁ μεταπλάττων τὴν φύσιν, λύει τὴν τάξιν ὁ ταύτην συνδήσας. Ἔχεις ἐν ἑαυτῇ τὴν τῶν πραγμάτων ἀσφάλειαν· νενεκρωμένα σου τὰ μέλη πρὸς ζωοτοκίαν αὐτὸς ἐνίσχυσεν, ἐξηραμένην τὴν φύσιν τῷ οἰκείῳ κατεπίανε προστάγματι. Οὗτος, ὁ ἐν ἀχράντῳ βρεφουργούμενος κοιλίᾳ, ἐν ταῖς μητρῴαις κοιλίαις τὰ βρέφη διαπλάττει· οὗτος διαμορφοῖ τὴν φύσιν· οὗτος τοὺς χαρακτῆρας ἐξεικονίζει· οὗτος δημιουργεῖ τὰς ψυχάς· οὗτος τὴν ἐπίῤῥυτον οὐσίαν εἰς ὀστᾶ καὶ νεῦρα καὶ σάρκας συμπήγνυσιν· οὗτος τὰς ἁρμονίας διαῤθροῖ, καὶ λελυμένῳ ταύτας δεσμῷ συνδέων, καὶ ἀλύτους τῇ οἰκείᾳ συντηρῶν προνοίᾳ· οὗτος εἰς φῶς τὰς ὠδῖνας ἐξάγει, καὶ τῷ νοητῷ τοῦ λόγου φωτὶ τὰς ψυχικὰς δυνάμεις καταφαιδρύνει. Ὑπόδεξαι τοίνυν σὺν εὐφημίᾳ τὴν αὐτοῦ παρουσίαν· ὑπόδεξαι σωματικῶς τὸν θεϊκῶς πληροῦντα τὰ σύμπαντα.

ΙΘ'. Εἰπὲ πρότερον τὰ τῆς κυοφορούσης αὐτὸν ἐγκώμια· προσκύνησον ὡς βασιλίδα τὸ τῆς φύσεως ἐγκαλλώπισμα· πλέξον εἰσόδιον τὴν εὐφημίαν τῇ

[52] Luc. I, 39, 40. [53] Ibid. 41. [54] Joan. I, 23.

Digitized by Google

τοῦ γένους εὐλογίᾳ· ἅρμοσον τοὺς κατ' ἀξίαν ἐπαί- A humani benedictioni plecte festivam, qua ejus gratuleris adventum ; contexe pro meritis illi encomia, quæ quolibet est honore dignissima. Excipe illud cœlis præcelsius palatium Regis angelorum, intelligibilem ac mundo præcelsiorem thalamum, in quo ipse Creator crassitudinem carnis nostræ sibi desponsat, in quo dispensationis mysterium perficitur. Amplectere lucidam nubem, qua circumtectus Sol justitiæ amictum corporeæ substantiæ sibi circumdedit ; ex qua naturam nostram indutus primis parentibus tunicas maledictionis detrahet. Hæc est, o mater, per quam dissolvuntur partuum mœrores, per quam progenitorum lacrymæ abstergunter. Ipsa est primitiæ benedictionis, ipsa lætitiæ conciliatrix. Introduc simul cum introeunte B ipsa gratiam : repone tibi, hanc suscipiendo, gaudium ; gaudii enim donis ipsa suscipientes se remunerat. Hanc Dominus cum portam suam effecerit, eamdem ad cœlos aditum apponet, ipsam ad paradisum januam constituet. Hæc cherubicis thronis est superposita : hæc præ cœlestium spirituum ordinibus glorificata est. Hæc tabernaculum ipsis cœlis latius est effecta : hæc radios sole lucidiores emittit : hæc micantioribus fulgoribus coruscat. Hæc vestit decore naturæ nostræ deformitatem (88), et ignominiam ex veteri prævaricatione inustam per partum suum gloria commutat.

νου· τῇ πάσης τιμῆς ὑπεραξίᾳ. Ὑπόδεξαι τὸ ὑπερουράνιον τοῦ Βασιλέως τῶν ἀγγέλων παλάτιον, τὴν νοητὴν καὶ ὑπερκόσμιον παστάδα, ἐφ' ἧπερ αὐτὸς ὁ Δημιουργὸς ἑαυτῷ τὴν τῆς σαρκὸς παχύτητα μνηστεύεται, ἐν ᾗ τὸ τῆς οἰκονομίας τελεσιουργεῖται μυστήριον. Περίπτεξαι τὴν φωτεινὴν νεφέλην, ἣν ὁ τῆς δικαιοσύνης περιβεβλημένος ἥλιος τὸ τῆς σαρκὸς οὐσιοῦται περιβόλαιον· ἐξ ἧς τὴν φύσιν ἐνδυσάμενος, τοὺς τῆς ἀρᾶς ἀπαμφιάσει χιτῶνας τοὺς προπάτορας. Αὕτη ἐστὶν, ὦ μῆτερ, δι' ἧς αἱ τῶν ὠδίνων λύονται λύπαι· δι' ἧς τὰ τῶν προγόνων ἀφαιροῦνται δάκρυα. Αὕτη ἐστὶν ἡ τῆς εὐλογίας ἀπαρχὴ, ἡ τῆς εὐφροσύνης πρόξενος. Συνεισάγαγε τὴν χάριν τῇ τοιαύτῃ εἰσόδῳ· ταμίευσαι τὴν χαρὰν τῇ ταύτης ὑποδοχῇ· χαρᾶς τοὺς ὑποδεχομένους ἀνταμείβεται δωρεαῖς. Ταύτην οἰκείαν ποιησάμενος πύλην ὁ Δεσπότης, εἴσοδον τῶν οὐρανῶν προσθήσεται, θύραν ἐν παραδείσῳ καθυπερείσει. Αὕτη τῶν χερουβικῶν ὑπερετέθη θρόνων· αὕτη τῶν νοερῶν ὑπερεδοξάσθη ταγμάτων. Αὕτη εὐρυχωροτέρα τῶν οὐρανῶν ἐχρημάτισε σκηνή· αὕτη λαμπροτέρας ἡλίου τὰς ἀκτῖνας ἐκπέμπει· αὕτη φαιδροτέρας τὰς μαρμαρυγὰς ἀποστίλβει. Αὕτη τὸ ἀκαλλὲς ἐγκαλλωπίζει τῆς φύσεως, καὶ τὴν ἐκ παραβάσεως προσγενομένην ἀδοξίαν τῷ οἰκείῳ δοξάζει τόκῳ.

XX. Hæc saltibus suis Joanne quodammodo clamante, etiam Elisabeth ejusdem gratiæ spiritu afflata, inarticulatam (infantis) gratulationem et C gratiarum actionem articulata voce deprompsit, et fœtus sui affectum sonitu vocis manifestavit. *Repleta est enim*, inquit [89], *Spiritu sancto Elisabeth ; et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me ?* Ego enim, ait, hujusmodi te suscipiendi honore plane sum indigna ; spem omnem res excedit : regina ad servam domina, ad ancillam venit ; quæ honore quolibet celsior exstitit, eorum, qui abjectiores sunt inter homines, ministerium impendit ; quæ angelorum satellitio honoratur, ad famulantium conditionem se demittit ; quæ rerum omnium Dominum in se continet, ad pauperculum diversorium se recepit. Novum vero ac mirum de te, D Domini Matre considero. Quomodo tu, quæ in sacris illis silentii penetralibus considere consuescebas, ejusmodi te itineri commisisti ? Quomodo quæ in virtutum tuarum recessibus, veluti in nuptiali thalamo, moras agere tuas, solamque harum semitam deambulare solebas, quæ ne ad vicinos quidem familiares pedem admovebas, quomodo, inquam, ad nos tam procul dissitos advenisti ?

Et sane id majorem in modum Elisabetham in admirationem rapiebat, longioris scilicet itineris

Κ'. Ταῦτα σχεδὸν τοῖς σκιρτήμασι τοῦ Ἰωάννου βοῶντος, καὶ ἡ Ἐλισάβετ ὑπὸ τῆς αὐτῆς ἐμπνευσθεῖσα χάριτος, ἐνάρθρῳ φωνῇ τὴν ἄναρθρον εὐχαριστίαν ἐδημοσίευσε, καὶ τὸ σχῆμα τοῦ τόκου τῷ φθόγγῳ τοῦ λόγου καθυπέφηνεν. *Ἐπλήσθη γὰρ*, φησὶ, *Πνεύματος ἁγίου ἡ Ἐλισάβετ, καὶ ἀνεβόησε φωνῇ μεγάλῃ, καὶ εἶπεν· Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. Καὶ πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ Μήτηρ τοῦ Κυρίου μου πρός με ;* Ἀναξία μὲν γὰρ, φησὶν, ἐγὼ τῆς τοιαύτης ὑποδοχῆς καθέστηκα· παρ' ἐλπίδα τὸ πρᾶγμα· ἡ δέσποινα πρὸς τὴν δούλην, ἡ κυρία πρὸς τὴν οἰκέτιν, ἡ πάσης τιμῆς ἀνωτέρα τὴν διακονίαν ἐκπληροῖ τῶν ταπεινοτέρων· ἡ ὑπὸ ἀγγέλων δορυφορουμένη τὴν τῶν δορυφορούντων ἐπέχει τάξιν· ἡ τὸν τοῦ παντὸς Δεσπότην κατέχουσα, ἐν εὐτελεῖ ἐπεδήμησε καταγωγίῳ. Καινὸν δὲ καὶ παράδοξον περὶ σὲ τὴν τοῦ Κυρίου μητέρα κατανοῶ. Πῶς ἡ ἐν ἀσύλοις τῆς ἡσυχίας ταμείοις ἐνιδρυμένη, τὴν τοιαύτην ὁδοιπορίαν ἐστείλω ; Ἢ καθάπερ νυμφικῇ παστάδι, ταῖς τῶν ἀρετῶν περιβολαῖς ἐνδιαιτωμένη, ἡ μόνην τὴν αὐτῶν διανύουσα τρίβον, ἡ μηδὲ τοῖς γειτνιῶσι παραβάλλουσα γνωρίμοις, πῶς ἐν τοῖς πλείστον διεστηκόσιν ἐπεφοίτησας ἡμῖν ;

Τοῦτο γὰρ δὴ μᾶλλον τὴν Ἐλισάβετ κατέπληττε, τὸ τῆς μακροτέρας ὁδοιπορίας φημὶ θαῦμα· καὶ ἡ

[89] Luc. I, 41-42.

(88) Hic quoque contextus nullatenus patitur, ut eam deformitatem, quam Virgo tegit, Virgini ipsi inesse quispiam putet : quæ porro ibi deformitas intelligenda sit, quæ mox sequuntur aperiunt, *ignominia* scilicet *veteris prævaricationis*.

Digitized by Google

hujus portentum, simulque absentia cujusvis humani comitatus, qui eam ministerii ergo sequeretur. Et exinde velut attonita stupenda hæc profert:

XXI. *Ecce enim*, inquit [86], *ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.* Quid dicis, o Elisabeth? Unde nosti, saltus illos a gaudio profectos esse? Quænam gaudii indicia in illis motibus advertisti? Quæ loquela hunc fœtus nondum loquentis affectum animi prodidit? Quinam gestus, cordis motus designantes, hujusmodi lætitiam manifestaverunt? Nam, esto, saltationis sensus etiam nolenti certus tibi fuerit; at quod saltatio ista suum ab exsultatione ortum ducat, quibusnam conjecturis cognovisti?

Quid itaque nos, qui de ipsa (Elisabeth) verba facimus, quoad hæc dicimus? Nimirum interim dum saltatio perageretur, matrem repletam gaudio fuisse, et consentanee per id motiones animæ fuisse detectas; ex his igitur etiam in fœtu excitatam lætitiam intelligebat. Magis vero et ex alio indicio lætitiam illam probe animadvertebat. Ex quonam signo? Ex eo nempe, quod hi saltus sine ullo ejusdem dolore acciderint. Non enim existimandum est, nullo vexari dolore matres, cum fœtus hoc modo hinc inde agitatur; nam vehementes utique ærumnæ illas corripiunt, et sagittis ipsis acutiores sauciant easdem dolores; et horum sane certum argumentum sunt molestiæ, quæ illas in partu invadunt, quæ quovis alio dolore ac molestia utique graviores sunt. Quandoquidem ergo Elisabeth ingentem illam saltationem persenserat, eam tamen sine ulla sui molestia evenisse considerabat; facile perspexit, novam illam commotionem fœtus, quem utero gestabat, in gaudio ex sancti Spiritus operatione factam fuisse.

XXII. Quocirca cum illud edixisset, in laudes dein Virginis plane singulares erumpit, et, *Beata*, inquit [87], *quæ credidisti; quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.* O fidem nulla oratione enarrabilem! O beatam ac vere ter beatam illam mentem, quæ ad tantam fidei celsitudinem evecta est! Hoc nempe testimonium est, quod Virgini perhibuit Elisabeth: ejusmodi, inquit, sunt, quæ in te perficiuntur, atque adeo longe sunt supra fidem, ut nemo, præter te, quæ purissima atque omnem naturæ ordinem transcendente fide excellis, iis sibi denuntiatis absque hæsitatione crediturus fuerit. Neque enim aut Abraham, aut Isaac, aut Jacob, aut Moyses inusitato huic tamque novo ministerio facile ac nullis sibi signis ostensis sese promptos exhibuissent. Et sane quomodo illi, qui testimonia olim a Deo exquisiverunt in rebus levis momenti, nunc rei, quæ omnem superat cogitatum, nihil hæsitantes credidissent? Qui enim aut terræ possessio, aut seminis multiplicatio, aut a servitute liberatio, de quibus illi ad

[86] Luc. I, 44. [87] Luc. I, 45.

A τῶν αἰσθητῶς συνεπομένων μὴ προσοῦσα δορυφορία. Ὅθεν ἐξισταμένη τότε παράδοξον καταγγέλλει.

ΚΑ'. Ἰδοὺ γάρ, φησὶν, ὡς ἐγένετο ἡ φωνὴ τοῦ ἀσπασμοῦ σου εἰς τὰ ὦτά μου, ἐσκίρτησε τὸ βρέφος ἐν ἀγαλλιάσει ἐν τῇ κοιλίᾳ μου. Τί λέγεις, ὦ Ἐλισάβετ; Πόθεν συνῆκας τὸ ἐν ἀγαλλιάσει σκίρτημα; Τίνα χαρᾶς τεκμήρια τοῖς κινήμασι κατενόησας; τίς λαλιὰ τοῦ μήπω φωνοῦντος ἐμβρύου τὴν τοιαύτην ἐτράνωσε διάθεσιν; ποῖα σχήματα τοῖς ἤθεσι τυπούμενα ταύτην τὴν εὐφροσύνην ἐδήλωσαν; Ἡ μὲν οὖν τοῦ σκιρτήματος αἴσθησις φανερά σοι καθίστατο καὶ μὴ βουλομένῃ· τὸ δὲ ἐν ἀγαλλιάσει ταύτην γεγενῆσθαι, πόθεν στοχαζομένη
B διέγνως;

Τί οὖν ἡμεῖς, τὸν ταύτης ποιούμενοι λόγον, ἐροῦμεν πρὸς τοῦτο; Ὅτι σὺν τῷ γεγονότι σκιρτήματι, χαρᾶς ἡ μήτηρ ἐνεφορήθη, καὶ ἀναλόγως τούτῳ τὰ τῆς ψυχῆς ἐπεδείκνυτο κινήματα· διὸ ἐκ τούτων καὶ τὴν τοῦ ἐμβρύου κατενόει ἐνεργουμένην ἀγαλλίασιν. Μᾶλλον δὲ καὶ ἐξ ἑτέρου ταύτην εἰκὸς διεσκοπεῖτο. Τίνος τούτου; Τοῦ ἀνωδύνως τὴν τοιαύτην ὑποστῆναι κίνησιν. Ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν οὕτως συμβαινουσῶν περιδινήσεων, οὐκ ἔστιν ὑπονοεῖν ἀναλγήτως διαμένειν τὰς μητέρας· δριμεῖαι γὰρ ὠδῖνες ταύτας συνέχουσι, καὶ ὀξύτεροι βελῶν κατατιτρώσκουσι πόνοι· καὶ τούτων ἀψευδὲς τεκμήριον, αἱ ἐν τῷ τίκτειν καθεστήκασι περιστάσεις, παντὸς ἀλγεινοῦ πόνον
C ὑπερβάλλουσαι. Ἐπεὶ οὖν ἡ Ἐλισάβετ σφοδρὸν μὲν τὸ σκίρτημα συναισθομένη, ἀπόνως δὲ τοῦτο γεγενημένον κατενόησεν, ἔγνω διὰ τοῦ ἐνεργήσαντος Πνεύματος ἐν ἀγαλλιάσει γεγονέναι τὴν ἐν τῷ ἐγγαστρίῳ καινοτομηθεῖσαν κίνησιν.

ΚΒ'. Διὸ ταύτην ἐξειποῦσα, τὰ ὑπὲρ λόγον ἐγκώμια τῆς Παρθένου καταγγέλλει, καὶ, *Μακαρία*, φησὶν, *ἡ πιστεύσασα· ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου.* Ὦ ἀνερμηνεύτου πίστεως! ὦ μακαρίας καὶ τρισμακαρίας ὡς ἀληθῶς τῆς διανοίας ἐκείνης, ἥτις πρὸς τοσοῦτον
D ἦρθη τῆς πίστεως ὕψος! Τοῦτο αὐτῇ ἡ Ἐλισάβετ προσεμαρτύρησεν, ὅτι τοιαῦτά ἐστι τὰ ἐν σοὶ τελούμενα, καὶ τοσοῦτον ἀπέχει πρὸς παραδοχὴν, ὥστε οὐδεὶς ἂν καταγγελλομένοις αὐτοῖς ἀνσμφιβόλως ἐπείσθη, πλὴν τῆς σῆς ὑπερφυοῦς καὶ ἀκηράτου πίστεως. Οὐ γὰρ δὴ Ἀβραὰμ, ἢ Ἰσαὰκ, ἢ Ἰακὼβ, ἢ Μωϋσῆς ἀδασανίστως ἂν ὑπεῖξαν τῇ καινῇ ταύτῃ καὶ ξένῃ λειτουργίᾳ. Πῶς γὰρ οἱ τεκμήρια παρὰ Θεοῦ τῶν ταπεινῶν ζητήσαντες πάλαι, νῦν τῷ ὑπὲρ ἔννοιαν ἀνενδοιάστως ἐπείσθησαν; Τί γὰρ ὑπῆρχε πρὸς τὸ ἐπὶ γῆς ὀφθῆναι Θεὸν, καὶ ἐκ σοῦ τὴν ἀνθρωπείαν ἀναλαβεῖν φύσιν, γῆς κατάσχεσις καὶ πληθυσμὸς σπέρματος, καὶ δουλείας ἀπαλλαγὴ, ἐν οἷς ἐκεῖνοι τῆς διὰ τῶν τεκμηρίων ἐδέήθησαν βεβαιώσεως; Διὰ δὴ τοῦτό φησι· Σὺ μόνη μακαρία, ἡ

Digitized by Google

ἀμφιβόλοις μὴ περιπεσοῦσα λογισμοῖς, ἢ ὡς ἐν ἅπασιν, οὕτω καὶ ἐν τῇ πίστει, τῆς ὅλης κατακρατοῦσα φύσεως.

A firmam fidem signa postularunt, qui, inquam, comparari ista queant cum mysterio, quod Deus in terra visus fuerit, et humanam naturam ex te assumpserit? Et hac sane de causa dicit: Tu vere sola beata, quæ nullatenus dubiis cogitationibus hæsitasti, quæ cum cæteris omnibus, tum etiam fidei excellentia creaturas omnes vicisti (89).

ΚΓ'. Ὅτι δὲ ταῦτα τὸν τοιοῦτον συνίστησι λόγον ἀληθῆ τε ὄντα καὶ τοῖς πράγμασι τὸ βέβαιον ἔχοντα, καιρὸς ὡς ἐφικτὸν ἐπιδεῖξαι. Καὶ μηδεὶς κατάγνωσιν τὴν τῶν δικαίων σύγκρισιν ὑποτοπάσῃ· ἄτοπον γὰρ τὸ τοιοῦτον διανοεῖσθαι· ἀλλὰ δεχέσθω τὸν λόγον ἐπιβεικνύντα ὥσπερ ἐκείνους ὑπερκειμένους· ἐν τῇ πίστει, οὕτω ταύτην ἀνερμηνεύτως τὴν αὐτῶν ὑπεραναβᾶσαν ἀρετὴν, οὐ τῇ δωρεᾷ τῆς χάριτος, οὐδὲ τῷ ξένῳ τῆς κυήσεως, ἅπερ ἄῤῥητα διαμένει, ἀλλὰ τῇ τῆς προαιρέσεως φιλοτιμίᾳ καὶ τῷ οἰκείῳ τῶν ἀγαθῶν πλεονεκτήματι.

XXIII. Quod vero omnimoda veritate constent quæ affirmo, ac plenam ex rebus ipsis fidem habeant, jam tempus est ut pro viribus demonstrem. Nemo porro suspicetur, in reprehensionem forte justorum cedere hanc inter illos comparationem; absurdum quippe est vel hoc cogitare; sed orationem exspectet, quæ ostendat, quemadmodum illi virtute fidei excelluerunt, ita Virginem non quidem gratiæ muneribus neque novo partus prodigio, quæ sane nullus potest sermo attingere, sed egregio voluntatis proposito suaque operum strenuorum præstantia, eorum virtutem ineffabiliter supergressam esse.

B

Τίς οὖν ἐστιν ὁ περιβοητοτέρως ἁπάντων ἐν τῷ τῆς πίστεως μεγαλοφυεῖ κηρυττόμενος; Ἀβραὰμ πάντως· οὗ τὰ ἄλλα μὲν ἅπαντα τῆς κρείττονος ὑποδοχῆς γέγονεν ἄξια, μᾶλλον δὲ τὸ τῆς θυσίας εὐπροσδεκτότερον, καὶ τοῖς ἔπειτα θαυμασιώτερον κατελείφθη. Ἀλλ' ἔστι καὶ τοῦτον ἐν τισὶ τοῖς ἀνθρωπίνοις περιπίπτοντα κατιδεῖν λογισμοῖς, διελεγχόμενόν τε τῇ τῶν σημείων τῆς κληροδοσίας ἐπιζητήσει. Πῶς καὶ τίνι τρόπῳ, ἀναγκαῖον γὰρ αὐτὴν εἰς μέσον παραγαγεῖν τὴν ἱστορίαν.

Quis est itaque, qui majori plausu præ reliquis omnibus fidei suæ excellentia celebratur? Abraham profecto; cujus cuncta quidem alia gesta digna exstiterunt, quæ plurimum probarentur; sed longe majorem æstimationem, majoremque apud posteros admirationem illius sacrificium sibi vindicavit. Hunc tamen videre licet in humanas quasdam cogitationes prolapsum, et notatum, propterea quod de obtinenda hæreditate signa postulaverit. Quomodo autem et qua ratione, utique opus est, ut ipsa palam faciat historia.

ΚΔ'. *Εἶπε*, φησὶν, *ὁ Θεὸς πρὸς τὸν Ἀβραάμ· Ἐγώ εἰμι ὁ Θεός σου, ὁ ἐξάγων σε ἐκ γῆς Χαλδαίων, ὥστε δοῦναί σοι τὴν γῆν ταύτην κληρονομῆσαι αὐτήν. Εἶπε δὲ· Δέσποτα Κύριε, κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο, ὅτι κληρονομήσω αὐτήν;* Ὁρᾷς τὸ ἀμφίβολον τοῦ πατριάρχου; Διὰ τεκμηρίων ἐπεζήτει φανερωθήσεσθαι τὸ ζητούμενον. Καίτοι ἱκανὸν ἦν αὐτῷ σημεῖον ἡ τῆς εὐεργεσίας ὑπόμνησις, καὶ τὸ αὐτὸν εἶναι τὸν ὑπισχνούμενον εὐεργέτην. Ἀλλ' ὅμως ἐπέζήτει, καὶ ἀπιστεῖν οὐκ ἔχων τῷ λέγοντι, περὶ τὸ ξένον τῆς ὑποσχέσεως διεφέρετο, καὶ τεκμήρια ταύτης ἀπῄτει, καὶ τὸν τρόπον, ὁποῖος, διεπυνθάνετο.

C XXIV. *Dixit Deus*, ut sacræ Litteræ tradunt [88], *ad Abraham: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, ut possideres eam. At ille ait: Domine Deus, unde hoc sciam, quod possessurus sim eam?* Videsne patriarchæ dubitationem? Poscebat ut per signa certior de eo fieret quod desiderabat. Atqui sufficiens profecto signum esse illi debuisset beneficiorum, quæ jam acceperat, recordatio, et quod ille idem promitteret, qui se jam beneficum ostenderat. Postulat tamen, et cum non posset fidem abnegare loquenti, nihilominus ex peregrina promissorum ratione ansam dubitandi sumebat, et exquirebat eorumdem signa, ac modum qualis demum futurus

D esset, sciscitabatur.

ΚΕ'. Τί οὖν ὁ πανάγαθος Δεσπότης; Οὐ σφοδρότερος φερόμενος τοῖς ὀνειδισμοῖς αὐτοῦ καθήψατο· οὐ βαρέως ἐπιτιθέμενος τοιαῦτα πρὸς αὐτὸν ἀπετείνατο· Τί τοῦτο, ὦ Ἀβραάμ; Τοιαύτην τὴν τῶν παρ' ἐμοῦ λεγομένων ἐν ἑαυτῷ κατέχεις πεῖραν; οὕτω πεπληροφορημένως περὶ τῶν γεγενημένων εἰς

XXV. Quid porro ad hæc benignissimus Dominus? Neque gravius id ferens acerbis eum verbis cœpit increpare; neque vehementer indignatus illum hisce dictis aggressus est: Quidnam hoc est, o Abraham? Talemne eorum, quæ a me dicuntur, habes in te ipso experientiam! Istamne tibi, post

[88] Gen. xv, 7-8.

(89) Vim sententiæ fac probe advertas. Nullum, inquit, virtutis aut dotis eximiæ genus est, quo non quaslibet creaturas Virgo Deipara superaverit. At enim si de iis sermo sit, quæ ad prima cujusque initia spectant, quis nesciat cœlestes Spiritus hac gloria beatitateque auctos fuisse, ut in ipsa eorum creatione lucidissimis gratiæ splendoribus nitescerent, deque amicitia fruerentur? Quis nesciat, hoc idem munus primis quoque parentibus collatum fuisse, imo vero et dæmones hanc ortus sui nobilitatem jactare posse? Postulat ergo allata sententia, ut et Virgo beata a prima sui origine præclarissimis divinæ gratiæ muneribus exornata fuerit. Sin aliter, tanto angelis ac primis parentibus Virgo Deipara inferior erit, quantum a divinæ gratiæ luce distant peccati tenebræ.

Digitized by Google

ea quæ in te collata sunt beneficia, persuasionem inducere in animum potuisti? Quid in his habes quod redarguas, quasi fraudatus promissis fueris? Nonne ego te ex paterna infelicitate, tanquam rosam e spinis colligens, in mei agnitionem transtuli? Nonne ego, cum auctor tibi fuissem ut a paterna sorte et cognatione discederes, domicilium in antecessum tibi adornavi? Nonne alienigenarum Chananæorum terram ego tibi subjeci, et tranquillam in ea tibi sedem comparavi? Quis est, qui tuam in Ægyptum migrationem direxit? Quis Pharaonem gravi subjecit animadversioni propter conjugem tuam Saram? Quis tremendam illi ac toti ejus domui cladem intulit, te vero multis opibus onustum ex Ægyptiorum insidiis eripuit? Quibusnam viribus ad vindictam instructus, bellicas regum phalanges concidisti? Quasnam adversus illos pugnantes acies tibi socias habuisti, cum prælium adversus eos committeres? Nonne enim tercentorum vernarum agmen hujusmodi erexit tropæum? Quomodo et quibus exercitationibus ad pugnam instructa turba illa, quæ mere domesticis ministeriis operam dederat, neque aliud amplius, quam res privatas curare assueverat, innumerabilem potuit equitatum in tuam potestatem redigere? Quis benedictiones tibi per Melchisedechum impertivit? Nonne ego, cum propter hæc credidisses, fidem tibi ad justitiam reputavi? Quid sic afficeris nunc, serve meus? Quomodo verba a virtute tua tam aliena prætendisti?

σὲ προδιετέθης εὐεργεσιῶν; Τί ἐν ταύταις διαμαρτῶν τῶν ὑποσχέσεων κατέγνως; Οὐκ ἐγώ σε, καθάπερ ῥόδον ἐξ ἀκανθῶν, τῆς προγονικῆς ἀναλεξάμενος δυσδαιμονίας, εἰς τὴν ἐμὴν ἐπίγνωσιν μετεφύτευσα; οὐκ ἐγώ σοι παρακελευσάμενος ἐκ τοῦ πατρῴου κλήρου καὶ τῆς συγγενείας ἀπαίρειν, τὰ τῆς κατασκηνώσεως προηυτρέπισα; οὐ τὴν τῶν ἀλλογενῶν Χαναναίων ἐγώ σοι καθυπέταξα γῆν, καὶ ἥρεμον τὴν ἐν ταύτῃ κατεσκεύασα κατοικίαν; Τίς ὁ τὴν εἰς Αἴγυπτον διευθύνας σοι κάθοδον; τίς ὁ χαλεποῖς ἐτασμοῖς τὸν Φαραὼ καθυποβαλὼν διὰ τὴν σύνοικόν σου Σάρραν; τίς ὁ πανοικὶ φοβερὸν αὐτῷ τὸν ὄλεθρον ἐπισεισάμενος, καὶ ἐν περιουσίᾳ σε πολλῇ τῶν Αἰγυπτιακῶν ἐπιβουλῶν ἀναγαγόμενος; Ποίαις δυναστείαις εἰς ἄμυναν χρησάμενος, τὸ στῖφος τῶν βασιλέων συνέκοψας; Τίνας ἀνταγωνιζομένας αὐτοῖς συμμαχίας εἶχες, ἡνίκα τὴν πρὸς αὐτοὺς συνῆρας μάχην; Μὴ γὰρ ὁ συνασπισμὸς τῶν τριακοσίων οἰκογενῶν τὸ τοιοῦτον κατώρθωσε τρόπαιον; Πῶς καὶ τίσιν ἐμπειρίαις πολεμικαῖς προασκηθείς, ὁ ταῖς κατ' οἶκον μόναις ὑπηρεσίαις γεγυμνασμένος, καὶ μηδὲν πλέον τῶν ἰδιωτικῶν ἐν μελέτῃ ποιούμενος πραγμάτων, τὴν ἄπειρον ἵππον ὑπὸ τὴν σὴν ποιησάμενος χεῖρα; Τίς ὁ διὰ Μελχισεδὲκ τὰς εὐλογίας σοι παρασχόμενος; Οὐκ ἐγώ σοι διὰ ταῦτα πιστεύσαντι εἰς δικαιοσύνην τὴν πίστιν λελόγισμαι; Τί τοῦτο πέπονθας, ὁ θεράπων ὁ ἐμός; Πῶς ἀλλότρια τῆς οἰκείας ἀρετῆς προέτεινας ῥήματα;

XXVI. At nihil ejusmodi benignissimus Dominus exprobravit: sed ad hæsitationem abigendam vaticinium addit, non tamen subito et eodem illo tempore; sed interim patriarchæ animum exercet, et idcirco dicit: *Sume mihi vitulam triennem, et capram trimam, et arietem annorum trium, turturem quoque et columbam* [59]; quæ quidem omnia exquirebant tempus ac negotium facessebant: nempe cum justus ille valde cuperet futuri oraculi enarrationem, tempus illi Deus prorogavit, dum animalia, quæ offerenda erant, colligeret. Porro verisimile quidem est, facile inventa et congregata fuisse quadrupedia; sed rursus negotium haud leve illi exhibebat avium venatio; et exinde patriarchæ animus excruciabatur.

ΚϚ'. Οὐδὲν τούτων ὁ πανάγαθος προσωνείδισε Δεσπότης· ἀλλὰ δίδωσι μὲν τὸν τῆς διαπορήσεως χρησμόν, οὐκ ἀθρόως δὲ οὐδὲ κατὰ ταὐτό· ἀλλὰ μεταξὺ τὴν τοῦ πατριάρχου γυμνάζων γνώμην, διό φησι· *Λαβέ μοι δάμαλιν τριετίζουσαν, καὶ αἶγα τριετίζουσαν, καὶ κριὸν τριετίζοντα, καὶ τρυγόνα, καὶ περιστερὰν*, πάντα καιροῦ καὶ ἀσχολίας δεόμενα· ἐπειδὴ γὰρ ἔσπευδεν ὁ δίκαιος τὴν ἔκβασιν τοῦ μέλλοντος εἰσδέξασθαι χρησμοῦ, παρέτεινεν αὐτῷ τὸν χρόνον, διὰ τῆς τῶν ἀναφερομένων ζώων ἐπιλογῆς. Εἶτα εἰκὸς ἐκ τοῦ προχείρου τὰ τετράποδα συναθροισθῆναι· πάλιν περὶ τὴν τῶν ὀρνέων θήραν ἡ ἀσχολία συνέβαινε· κἀντεῦθεν τὸ τοῦ πατριάρχου κατετιτρώσκετο συνειδός.

Accepit autem, inquit [60], *sibi hæc omnia, et divisit ea per medium, aves autem non divisit.* Et has quidem, ut mihi videtur, non divisit propter festinationem, quamvis hoc ipsum aliquem mysticum sensum præseferat.

Ἔλαβε δὲ, φησὶν, *αὐτῷ ταῦτα πάντα, καὶ διεῖλεν αὐτὰ μέσον· τὰ δὲ ὄρνεα οὐ διεῖλεν.* Ἐμοὶ δοκεῖ, ἐπισπεύδων τὴν τῶν ὀρνέων οὐκ ἐποιήσατο διαίρεσιν, εἰ καί τινα μυστικὸν τὸ τοιοῦτον ἐμφαίνει λόγον.

XXVII. Cum igitur ea, quæ pertinebat ad sacrificium, perfecisset, sedebat rei eventum exspectans, et oraculi dilatione discruciatus. Quantum enim illius diei tempus protendebatur, tantumdem illi augebatur anxietas. Accessit autem et volucrum incursus, qui afflictionem illi molestiamque addebat. *Descenderunt* enim, inquit [61], *volucres super cadavera* dissecta, *et Abraham illis assidebat* (quod quidem aliquis interpres reddidit, *abigebat*); adeo

ΚΖ'. Ἀπαρτίσας τοίνυν τὰ τῆς θυσίας, ἐκάθητο τὸ πέρας διασκοπούμενος, καὶ ταῖς ἀναβολαῖς τοῦ χρησμοῦ ἀνιώμενος. Ὅσον γὰρ ὁ τῆς ἡμέρας παρέτρεχε χρόνος, τοσοῦτον αὐτῷ καὶ τὰ τῆς ἀθυμίας ἐπλεόναζε. Προσετέθη δὲ αὐτῷ καὶ ἡ τῶν πτηνῶν ἐπιδρομή, κλαφίζουσα καὶ παρενοχλοῦσα· *Κατέβη γὰρ*, φησὶν, *ὄρνεα ἐπὶ τὰ σώματα τὰ διχοτομήματα αὐτῶν. Καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἀβραάμ* (ὅπερ τις τῶν ἑρμηνευσάντων, *ἀπεσόβησεν*, ἔφη)·

[59] Gen. xv, 9 sec. LXX. [60] Gen. xv, 10. [61] Ibid. v. 11 sec. LXX.

Digitized by Google

ὥστε τῇ ἐπιθυμίᾳ τῶν σαρκῶν, τὰ καταπτάντα A ut aves ob carnium aviditatem advolantes et altare
ὄρνεα καὶ τὸ θυσιαστήριον περικυκλοῦντα, πλείστην circum undique occupantes plurimam illi mole-
αὐτῷ τὴν ὄχλησιν ἐνεποίει. Διὸ πρός τε τὴν αὐτῶν stiam ingererent. Quocirca ille in diversa distractus
ἀποσόβησιν καὶ πρὸς τὴν τοῦ χρησμοῦ μεριζόμενος partim ut volueres depelleret, partim ut oraculo
μέλησιν, ἀνήκεστον τὸ ἄλγος ἐδέχετο. Εἶτά τι πα- animum intenderet, intolerabili angore vexabatur.
ρῆδραμε τὸ τῆς ἡμέρας πλεῖστον, καὶ τὸν οἰκεῖον ὁ Interim prope maxima decurrebat diei pars, et
ἥλιος διήνυε δρόμον. Ὁ τοίνυν πατριάρχης, ἀτενὲς cursum suum jam sol absolvebat. Patriarcha ergo
μὲν τὸ ὄμμα πρὸς οὐρανὸν ἔχων, τὴν δὲ τοῦ ἡλίου modo in cœlos obtutum defigens, modo iter solis
πορείαν ἀναμετρούμενος, τήν τε ψυχὴν διεσπαράτ- dimetiens, et tristabatur animo et dubium illi de
τετο, καὶ εἰς ἄπορον αὐτῷ τὰ τῆς ἐκβάσεως καθέ- rei exitu suboriebatur. Tandem occidente jam sole
στατο. Τέλος δυομένῳ τῷ ἡλίῳ, καὶ τὰ τοῦ χρησμοῦ primordia quoque vaticinii simul apparuere, non
συνῆλθε προοίμια, οὐ κατὰ τὸ ἐλπιζόμενον πέρας, quidem secundum exitum, quem sibi pollicebatur,
πολὺ δὲ τῆς προσδοκίας ἐναντία. *Περὶ δὲ ἡλίου* sed prorsus contra ac sperabat. *Cumque sol occum-*
δυσμὰς, φησὶν, *ἔκστασις ἐπέπεσε τῷ Ἀβραάμ· beret*, inquit [62], *sopor irruit super Abraham; et ecce*
καὶ ἰδοὺ φόβος μέγας σκοτεινὸς ἐπιπίπτει αὐτῷ· horror magnus et tenebrosus invasit eum, dictum-
καὶ ἐρρέθη πρὸς Ἀβραάμ· Γινώσκων γνῶσῃ, ὅτι B *que est ad Abraham : Scito prænoscens, quod pere-*
πάροικον ἔσται τὸ σπέρμα σου ἐν γῇ οὐκ ἰδίᾳ. *grinum erit semen tuum in terra non sua.* Atque hic
Τοῦτο τῆς ἀντιλογίας τὸ πέρας. oppositionis finis.

Ἀλλ' ἵνα μὴ τὸ πάρεργον τὸν τοῦ ἔργου διακωλύῃ Verum ne quod est operi accessorium, operis
σκοπὸν, τὸ ἀψευδὲς τοῦ λόγου διὰ τῶν εἰρημένων, ipsius scopum impediat, ex iis quæ dicta sunt,
δίκαιον ἐπισφραγίσαι, τὸ πάντας ἡττᾶσθαι δικαίους præmissæ sententiæ veritatem jam pronum est le-
ταῖς κατὰ μέρος ἀρεταῖς τῆς ἀνερμηνεύτου καθυπο- gitime inferre, videlicet justos omnes in singulis
δείκνυται Παρθένου. Ἀλλ' ἀκόλουθον πρὸς τὸ τῆς virtutibus manifestissime ab ineffabili Virgine su-
ἱστορίας ἑξῆς ἰέναι. perari. Restat nunc ut ad reliquum historiæ ex
ordine procedamus.

ΚΗ'. *Ἔμεινε δὲ Μαριὰμ σὺν αὐτῇ ὡσεὶ μῆνας* XXVIII. *Mansit autem Maria cum illa quasi men-*
τρεῖς, καὶ ὑπέστρεψεν εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς. *sibus tribus, et reversa est in domum suam* [63]. Et
Ἄξιον μὲν οὖν διαπορῆσαι πρότερον, ὅτου χάριν τὸν primum quidem operæ pretium est in quæstionem
τριμηνιαῖον χρόνον ἐν τοῖς τῆς Ἐλισάβετ ἡ πανα- adducere, curnam purissima illa per trium men-
μώμητος ἐνδιατρίβει, καὶ διὰ τί οὐκ ἐρρέθη *Μῆνας* C sium spatium maneat in domo Elisabeth, et cur
τρεῖς, ἀλλ' *Ὡσεὶ τρεῖς*. non dictum sit *Tribus mensibus*, sed *quasi tribus*
mensibus.

Διττὴ γέγονεν αὕτη τῆς ἀπεκδοχῆς ἡ ἀνάγκη. Duplex porro ista fuit longioris hujus moræ ne-
Πρώτη μὲν γὰρ καὶ εὐλόγως κατεπείγουσα, ἡ τῶν cessitas. Ac prima quidem, et quæ merito ad id
ὠδίνων Ἐλισάβετ περαίωσις, καὶ ἡ τοῦ τόκου φανέ- permoveret, causa fuit, ut tempus gestationis Eli-
ρωσις. Μέχρι γὰρ τούτου συνῆν τῇ κυοφορούσῃ sabethæ impleretur, fœtusque ederetur in lucem.
στείρᾳ· ἑβδόμῳ μὲν ἐπιδημήσασα τῆς συλλήψεως Ad id enim usque temporis cum sterili ulla ute-
μηνὶ, πρὸς δὲ τῷ τῆς ἀποτεύξεως, ὃς δὴ ἔννατός rum gestante permansit : quippe quæ cum septimo
ἐστι, παλινοστήσασα. Τοῦτο δὲ ἐποίει, τὸ τεχθησό- a conceptione illius mense advenisset, ipso partus
μενον ἰδεῖν βουλομένη, καὶ τῇ χαρᾷ τῆς τικτούσης mense, qui palam est nonus, ipsa reversa est. Hoc
συνευωχηθῆναι. Εἰ γὰρ τούτῳ πάντες τελεσθέντι autem præstitit, utpote quæ et puerum nasciturum
συνῄδοντο τῷ τόκῳ ὅσοι τῆς φυλῆς μετέσχον, πολλῷ videre, et parientis gaudio congaudere cupiebat.
μᾶλλον ταύτην ἔδει παρεῖναι, τὴν τὸ γνησιώτερον Si enim quotquot erant ejusdem tribus, omnes isto
τῆς συγγενείας βεβαιοῦσαν. Ὅτι δὲ πολλοὶ τῇ παρ' partu ad felicem exitum perducto una jucunda-
ἐλπίδα συνευφραίνοντο κυοφορίᾳ, ὁ θεσπέσιος εὐαγ- D bantur, multo magis hanc oportebat inde non ab-
γελιστὴς διατρανοῖ· *Ἤκουσαν* γὰρ, φησὶν, *οἱ περί-* esse, quæ arctiorem hoc pacto cognationem suam
οικοι καὶ οἱ συγγενεῖς αὐτῆς, ὅτι ἐμεγάλυνε testabatur. Quod vero multi insperato hoc partu
Κύριος τὸ ἔλεος αὐτοῦ μετ' αὐτῆς, καὶ συνέχαι- collætati fuerint, manifeste tradit divinitus afflatus
ρον αὐτῇ, τῇ Ἐλισάβετ δηλονότι· ὥστε αὐτῶν συν- evangelista : *Audierunt* enim, inquit, *vicini et co-*
ευφραινομένων, προσῆκε μηδὲ ταύτην ἀπολείπεσθαι, *gnati ejus, quia magnificavit Dominus misericordiam*
αὐτῶν καὶ μὴ βουλομένην βίᾳ κατασχόντων. *suam cum illa, et congratulabantur ei* [64], Elisabe-
thæ scilicet. Istis igitur congaudentibus, prorsus congruum erat, ut hæc quoque non desideraretur, præsertim vero quod vel nolentem ipsi vi detinuissent.

ΚΘ'. Δευτέρα δέ ἐστιν αἰτία, ἥτις ἐπὶ τοσοῦτον ἐν XXIX. Sed et altera adest causa, quæ tandiu il-
τοῖς ἐκεῖσε ταύτην κατεῖχε, καὶ μᾶλλον ἀναγκαιοτέρα lic eam continuit, et quidem quæ merito majorem
κρινομένη· ἢ εἴς ὅ τι ἂν ἡ τοῦ Ζαχαρίου συναποβῇ- induxisse necessitatem existimetur : ut scilicet vi-
σεται σιωπή. Συνεπάθει γὰρ τῇ ἀφωνίᾳ ἐκ διαφε- deret, quem tandem finem habiturum esset Zacha-

[62] Gen. xv, 13. [63] Luc. i, 56. [64] Luc. i, 58.

Digitized by Google

riæ silentium. Condolebat enim illi, quod voce careret, dolendique non una ei ratio erat. Ac primo quidem ob arctæ vinculum cognationis; deinde vero ex recordatione quoque eorum, quæ sibi ille testatus fuerat. Linguam enim illam, quæ prophetare et futura prænuntiare arcana ratione solebat, otiosam interim suaque destitutam virtute, intra labia constrictam cernebat. Prophetiæ porro charismate exornata, illum a gravi hac calamitate certe liberandum noverat, ac rursus articulata voce dulcissimæ illius prophetiæ mysteria revelaturum atque adeo ibidem consistebat, quo illi divina inspiratione eximie acto ac perfecto et adesse et congaudere posset.

A ρόντων ἔχουσα τὰς ἀφορμάς. Πρώτη μὲν ἐκ τοῦ τῆς συγγενείας ὑπογύου· ἔπειτα δὲ καὶ τῆς τῶν μαρτυρηθέντων αὐτῇ μνήμης. Ἴσασαν γὰρ ἐκείνην τὴν προφητεύσασαν, καὶ μυστικῶς τὰ μέλλοντα προσφθεγξαμένην, ἀργὴν τέως καὶ ἀνενέργητον ἐντὸς χειλέων καθειργμένην ἐώρα. Ἤδει μὲν γὰρ τῷ προφητικῷ λαμπρυνομένη χαρίσματι, ὡς δὴ συναπολυθήσεται ταῖς ὠδῖσι, καὶ πάλιν ἐνάρθρῳ φωνῇ τὰ τῆς γλυκείας ἐκείνης διατρανώσει προφητείας· διῳκονόμει δὲ ἄριστα ἐνεργουμένῳ τούτῳ παρεῖναι, καὶ συνησθῆναι τελουμένῳ.

XXX. Quandoquidem ergo hisce de causis ibi moram fecerat, cum jam sustinuisset usque ad diem quo partus in lucem est editus, et lingua soluta est, ad sua remeare jam festinabat. Hinc etiam *quasi tres menses* evangelista dicit, et non Tres plane, quia nondum expleti isti erant, quippe sub ultimis septimi mensis diebus ipsa advenerat.

B Λ'. Ἐπεὶ οὖν ἕνεκα τούτων τὴν αὐτόθι διατριβὴν ἐπεποίητο, τὰς μέχρι τῆς ἀποκυήσεως καὶ ἀπολύσεως τῆς γλώττης ἡμέρας ἐγκαρτερήσασα, παλινοστεῖν κατεπείγετο. Διὰ τοῦτο καὶ Ὡσεὶ τρεῖς μῆνάς φησιν ὁ εὐαγγελιστής, καὶ οὐχὶ τρεῖς, δῆλον ὡς οὐκ ἀπηρτημένων τούτων, διὰ τὸ ἐν ὑστάτοις τοῦ ἑβδόμου ταύτην ἐπιδεδημηκέναι.

Nato igitur præcursore illius regis, qui in utero ineffabiliter gestabatur, atque hujus imperio vinculis silentii perruptis, rursus gratiarum actiones Domino, ac rursus Immaculatissimæ illi laudationes persolvebantur. Ac primum cum Zacharias gratiarum canticum œconomiæ auctori pro ineffabili condescensione persolvisset; tum et mysterium ipsum celebrans, et matrem, per quam perfectum fuerat, magnificans, sic prophetiæ hymnum canere cœpit. Glorificatio enim, quam ipse exorsus est, et qua mysterii extulit ineffabile portentum, ejusmodi est:

Τεχθέντος τοίνυν τοῦ προδρόμου τοῦ ἀπορρήτως κυοφορουμένου Βασιλέως, καὶ τῶν τῆς σιγῆς δεσμῶν διαῤῥαγέντων προστάγματι, πάλιν ἡ εὐχαριστία τῷ Δεσπότῃ, καὶ πάλιν εὐφημίαι τῇ Παναχράντῳ διεπλέκοντο. Πρότερον μὲν ὁ Ζαχαρίας τὰ τῆς συγκαταβάσεως εὐχαριστήρια τῷ οἰκονομοῦντι νείμας· ὑμνήσας δὲ τὸ μυστήριον, καὶ τὴν, δι' ἧς ἐπραγματεύθη, μεγαλύνας μητέρα, οὕτω τὴν ᾠδὴν ἦρσε τῆς προφητείας. Ἔχει γὰρ ἡ αὐτῷ προοιμιασθεῖσα δοξολογία, καὶ τὸ ὑπερφυὲς μεγαλύνουσα τοῦ θαύματος οὕτως·

XXXI. O divina et benignissima visitatio! O nova prorsus et admiranda sollicitudo! Qui in altissimis sedet Deus, propter suam erga homines charitatem in terra apparet: qui creator est omnium, humanam induit naturam: qui omnium plasmator est et Dominus, stupenda prorsus ratione factus est infans: qui Patris quiescit in sinu, in utero fovetur matris: qui flammeo throno insidet, vulva purissima continetur. Nunc apparuit ineffabilis gratia: nunc exspectata salus advenit: nunc veteres ritus prætereunt: nunc vicissim nova filiorum adoptio inducitur. Jam solvitur a peccati vinculis humana natura: jam antiquam induit pulchritudinem, et ad cœlum renovatur. Ecce nunc adest qui illam in sublime eriget Dominus: adest in utero matris absconditus, qui ab omnibus adoratur: adest qui ubique præsens est, et nobiscum propter suam in nos homines dilectionem familiariter versatur. O quæ nobis lux resplenduit! o quod nobis gaudium advenit! o quales in promptuaria mea affluxerunt divitiæ! o quale donum ceu thesaurus in paupere cella repositum est.

ΛΑ'. Ὢ θείας καὶ παναγάθου ἐπισκοπῆς! Ὢ καινῆς καὶ παραδόξου κηδεμονίας! Ὁ ἐν ὑψίστοις Θεὸς, ἐπὶ γῆς διὰ φιλανθρωπίαν· ὁ τῶν ἁπάντων Δημιουργὸς τὴν ἀνθρωπείαν ὑποδύεται φύσιν· ὁ Πλάστης καὶ Κύριος, ξενοπρεπῶς βρεφουργεῖται· ὁ ἐν κόλποις Πατρικοῖς ἐπαναπαυόμενος, ἐν κοιλίᾳ μητρικῇ περιέπεται· ὁ ἐν φλογερῷ ἐποχούμενος θρόνῳ, ἐν μήτρᾳ πανακηράτῳ συνέχεται. Νῦν ἡ ἀπόῤῥητος ἐπεδήμησε χάρις· νῦν ἡ προσδοκωμένη παραγέγονε σωτηρία· νῦν οἱ παλαιοὶ παρατρέχουσι θεσμοί· νῦν ἡ καινὴ ἀντεισάγεται υἱοθεσία. Ἄρτι τῶν τῆς ἁμαρτίας ἡ ἀνθρωπότης ἀπολύεται δεσμῶν· ἄρτι τὸ ἀρχαῖον ἀμφιέννυται κάλλος, καὶ πρὸς οὐρανὸν ἐγκαινίζεται. Ἰδοὺ νῦν πάρεστιν ὁ ταύτην ἀνυψώσων Δεσπότης· πάρεστιν ἀποκρύφως κυοφορούμενος ὁ ὑπὸ πάντων προσκυνούμενος· πάρεστιν ὁ παντα-χοῦ παρὼν, καὶ σὺν ἡμῖν διὰ φιλανθρωπίαν συνών. Ὢ τοῦ ἐπιλάμψαντος φωτός! ὦ χαρᾶς τῆς ἐπιφοιτησάσης! ὦ πλούτου τοῦ ἐν τοῖς ἐμοῖς εἰσοικισθέντος ταμιείοις! ὦ ὠρεᾶς τοῦ ἐν εὐτελεῖ θησαυρισθέντος ταμιείῳ!

XXXII. Quid tibi retribuam, o Virgo, quæ ejusmodi beneficia contulisti? Quale tibi condignum rependamus encomium, quæ et spes nostras ad exitum deducis, et ineffabilia nobis bona concilias, et mediatione tua nobis munera impetras, quæ ca-

ΛΒ'. Τί ἄν σοι τῇ φερούσῃ Παρθένῳ τῶν τοιούτων ἀντεισφέροιμεν εὐεργετιῶν; Οἷον ἀντάξιον ἐγκώμιον προσενέγκωμέν σοι, τῇ τῶν ἐλπίδων ἐκβάσει, τῇ τῶν ἀπορῥήτων ἀγαθῶν προξένῳ, τῇ μεσίτιδι τῶν ὑπὲρ λόγον ἀγαθῶν; Σὺ εἶ τῶν ἀποκεκρυμμένων

Digitized by Google

μυστηρίων ἡ δήλωσις· σὺ τῶν προσδοκωμένων καλῶν ἡ τελείωσις· σὺ λογισμοῖς ἅπασιν ἀνεπίβατον νόημα· σὺ νοεροῖς ὄμμασιν ἀπερίληπτον θέαμα· σὺ φρικτὸν ἄκουσμα, καὶ μόνον ἐνηχούμενον· σὺ ξένον διήγημα καὶ γλώσσαις φερόμενον. Σὺ φέρεις σωματούμενον, τὸν τὰ πάντα τῷ νεύματι φέροντα. Σὺ τῶν οὐρανῶν εὐρυχωρότερος οὐρανός· σὺ τῶν σεραφικῶν θρόνων πολυφωτότερον ὄχημα· σὺ καθέδρα πυρὸς φωτοειδεστέρα· σὺ παλάτιον βασιλικῆς κατασκηνώσεως· σὺ σκηνὴ θεϊκῆς ἐπιφοιτήσεως· ὁ δεδοξασμένος ναός, τὸ λευϊτικὸν ἐγκαλλώπισμά, ὁ τῆς ἱερατείας κόσμος, τὸ προφητικὸν πλήρωμα, ἡ διηνεκὴς τῶν προπατόρων ἀπεκδοχή, ἡ τῆς φύσεως καταστολή, ὁ ἀναφαίρετος αὐτῆς ὡραϊσμός, τὸ πολυποίκιλον διάδημα, ἡ τῶν ἐν κατηφείᾳ τελούντων παραγενομένη θυμηδία, ἡ παῤῥησία τῶν ἐπταικότων, ἡ τῶν σεσιγηκότων γλῶσσα, ἡ τὸν τὰ δεσμὰ τῆς ἐμῆς διαῤῥήξαντα σιωπῆς κυοφοροῦσα· οὗ φωνὴν, ὡς λόγου, σήμερον ὑπὲρ ἐλπίδας ἐκαρποφόρησα· οὗ λύχνον, ὡς ἡλίου δικαιοσύνης, ἀνῆψα Πρόδρομον, τὸν τὰς αὐτοῦ διευθύνοντα τρίβους, τὸν τῆς αὐτοῦ παρουσίας κήρυκα, τὴν σάλπιγγα τῆς οἰκονομίας, τὸν μάρτυρα τῆς συγκαταβάσεως, τὸν νυμφοστόλον τοῦ ἐν σοὶ θαλαμευομένου νυμφίου. Σὺ εἶ παστὰς, ἐξ ἧς ὡραιότατος προελθὼν οὗτος, πᾶσαν ταῖς τῆς θεότητος ἀκτῖσι καταυγάσειε τὴν ὑπ' οὐρανὸν, καὶ περιελεύσεται τὰ πέρατα, ἀπ' ἄκρων τῶν οὐρανῶν μέχρι τερμάτων ὁ τῆς αὐτοῦ φιλανθρωπίας ἐνηχηθήσεται φθόγγος. Διαβοηθήσονται σὺν τῷ κηρύγματι καὶ τὰ σὰ μεγαλεῖα, δεδοξασμένα περὶ σοῦ λαληθήσεται, τρανωθήσεται τοῖς πᾶσιν ἡ δόξα σου. Πάντα τὰ ἔθνη συνευλογηθήσονται τῇ σῇ εὐφροσύνῃ· κροτήσουσιν ἅπαντες ἐπὶ σοί· καὶ ἀγαλλιάσονται τὴν σὴν ὑπερυψοῦντες κυοφορίαν· καυχώμενοι ἐν σοὶ, μεγαλύνουσι τὸν τόκον σου. Σὺ γὰρ ὄντως καὶ τῶν καλῶν εἶ πρόξενος, καὶ τοῦ κόσμου καύχημα.

ΛΓ'. Ταύτην, οἶμαι, τὴν δοξολογίαν ἐν προοιμίων μέρει λέξας ὁ Ζαχαρίας, ἤδη τὰ τῆς προφητείας μεγαλοφωνότερον ἐξεβόησεν. Οἷα δὲ ταῦτα καὶ ὅσα, οὐκ ἀγνοεῖν οἶμαι τῶν ἁπάντων πιστῶν οὐδένα. Ὅσοι γὰρ τῆς παναγάθου ταύτης ἐτύχομεν εὐεργεσίας, κοινὴν ταῦτα καθεκάστην εὐχαριστίαν ἀναφέροντες, ὡς τισι δώροις τὸν εὐεργέτην τούτοις ἀμειβόμεθα. Ὧν τὸ μεγαλοφυὲς τῆς θεολογίας καὶ τὸ τρανὸν τῆς προφητείας, τό τε δυσθεώρητον τῶν νοημάτων, ἑτέρῳ ταμιευσάμενοι καιρῷ καὶ λόγῳ διεξιέναι, νῦν παραλιμπάνομεν.

ptum omnem excedunt? Tu revelatio es absconditorum mysteriorum : tu bonorum, quæ exspectabamus, es implementum : tu cogitatum es cuivis intellectui inaccessum : tu spectaculum intelligibilibus oculis incomprehensibile : tu auditio tremenda, et sola ubique resonans : tu narratio peregrina, omniumque linguis celebrata. Tu corpore indutum cum portas, qui nutu suo portat universa. Tu cœlis spatiosius es cœlum ; tu currus seraphicis thronis es longe lucidior : tu sedes igne micantior : tu regalis habitationis palatium : tu tabernaculum Dei præsentis : tu templum glorificatum, leviticum ornamentum, sacerdotii decus, prophetiarum implementum, jugis primorum parentum exspectatio, naturæ stola, non periturus ejusdem ornatus ac variegatum diadema : tu mœrentium præsens lætitia, lapsorum fiducia, tacentium lingua, quæ in utero cum gestas, qui silentii mei vincula disrupit ; cujus, utpote Verbi, vocem præter spem omnem ego fructum protuli ; cujus, utpote Solis justitiæ, lucernam egomet accendi, præcursorem nempe, qui semitas ejus rectas faciat, qui adventum ejus annuntiet, qui velut tuba sit œconomiæ, condescensionis ejusdem testis, et sponsi, qui in te diversatur, paranymphus. Tu es thalamus, e quo pulcherrimus iste procedens, omnem, quæ sub cœlo est, terram divinitatis suæ radiis illuminabit, et quæ resonabit vox charitatis ejus in homines, fines omnes a summis cœlorum usque ad extrema perlustrabit. Etiam magnalia tua cum laude celebrabuntur, gloriosa de te dicentur, gloria tua omnibus manifesta apparebit. Universæ simul gentes cum gaudio tuo benedicentur, applaudent tibi, et conceptum tuum superextollentes exsultabunt, ac partum tuum, in te gloriantes, magnificabunt. Vere enim tu et bonorum auctrix es, cademque mundi gloriatio exsistis.

XXXIII. Et hæc quidem præconia cum veluti dicendi procœmium Zacharias præstruxisset, jam clariori voce, quæ ad vaticinia spectabant, edicere aggressus est. Hæc autem qualia, quantaque sint, neminem unum e fidelibus arbitror ignorare. Quotquot enim præstantissimi hujus beneficii participes effecti sumus, hæc ipsa quotidie celebrantes quasi communem gratiarum actionem offerimus, ac benefico largitori hæc instar cujusdam doni rependimus. Quæ porro ad eorum theologiam sublimissimam, et ad vaticiniorum perspicuitatem, et ad sensus reconditos pertinent, cum explananda ea alio tempore atque alio sermone reservaverimus, in præsens prætermittimus.

Ἁπάντων τοιγαροῦν τελεσθέντων τότε, ὧν δὴ κατὰ σπουδὴν τὸ πέρας τῇ κεχαριτωμένῃ προσῆν, εἰς τὴν οἰκίαν αὐτὴν μεταστέλλεσθαι ἦν ἀναγκαῖον. Διό φησιν ὁ εὐαγγελιστής· *Καὶ ὑπέστρεψεν εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς*. Ἀλλὰ σκόπει πάλιν τὰ προπεμπτήρια παρὰ

Omnibus itaque tunc expletis, quæ perficere illa *gratia plena* (90) studiose satagebat, jam oportebat ut domum suam reverteretur. Hinc evangelista ait : *Et reversa est in domum suam* [68]. Sed rursus attende quibusnam vocibus abeuntem Virginem,

[68] Luc. I, 56.

(90) Vide quomodo laus illa præstantissima, qua Virgo ab angelo salutante prædicata est *gratia plena*, in appellationem deinde, qua antonomastice a fidelibus designaretur, ipsi accessit.

Digitized by Google

uti par erat, Elisabeth sit prosecuta. Uberiores enim, quam in ejusdem adventu, gratiarum actiones illi persolvit, quanto uberiorem ex mysterio jucunditatem perceperat.

XXXIV. Ejusmodi porro erat illius alloquium: Equidem in adventu tuo, o Mater Virgo, jucundissimo voluptatis sensu affecta, gratulatorium ascensui tuo veluti hymnum applaudens cecini; cum scilicet te et præter spem omnem huc advenientem, et nova ac mirabilia tecum adferentem mysteria cernerem. Quocirca gaudio simul et stupore abrepta, lætitia gestiebam, exsultabam, super cœlos magis me excurrere, quam in terris versari existimabam, conditionis humanæ modulos supergressa mihi videbar, ac super ordinem naturæ elatam me quodammodo intuebar. Et sane quomodo hæc ita se habere non putarem, cum eorum creatorem in te, tanquam cœlo quodam, insidentem, atque ad domum meam divertentem, et illum, qui cherubicis sedet in thronis, in immaculato tuo sinu indutum corpore viderem, meumque pauperculum tabernaculum ex insperato in cœlum commutatum? Memetipsa tunc ineffabilia arcana edoctam persensi; excipiebam scilicet prægnantem Virginem, nubem, quæ servabat in se lucem, amplectebar. Hæc cum mihi animo obversarentur, profecto te amplexata sum quidem uti cognatam; at acclamavi simul tanquam reginæ, celebravi velut omnium dominam, reverita sum ceu Creatoris matrem, et tanquam heræ habitandam tibi domum meam obtuli. Benedictionis vocibus benedictionis radicem honoravi; gaudii et felicitatis verbis tibi, quæ verum gaudium affers, coronam texui.

XXXV. Et hæc quidem mihi ex adventu tuo bona. Cum vero magis quam pro meritis, ex diuturniori tua consuetudine mysteriis tuis perfrui mihi licuerit, atque ultra spem omnem hoc munere oblectari; propterea hinc quidem desiderium factis ipsis adauctum est; inde vero cum te domum tuam versus iter festinantem videam, utut collectum mysteriorum thesaurum ita apud me servem, ut auferri mihi non possit, dolor tamen de discessu tuo jucunditatis meæ gaudium retundit. Ampliorum enim bonorum fruitio, gravis tristitiæ, si quando auferatur, illis quoque origo est, qui aliquam eorum partem teneant. Subtracta enim plena cujuspiam boni possessione, vilescit quod adhuc ex parte habere licet; et illud parumper degustantibus sese ceu bonum exhibet, cujus cum plane non sint exsortes, totius potiundi desiderio non cruciantur. Majus porro bonum merito illud appellabitur, quod ex comparatione cum minori, ut tale habeatur, assecutum fuerit. Quod vero commensurationem omnem excedit, et quamlibet comparationis rationem prætergreditur, quomodo majoris boni appellatione donari poterit, cum et ipsa per se bonitas idem sit, et ad maxima quæque bona tribuenda proclive? Ejusmodi autem est, qui per te huc advenit Dominus, fons ille bonitatis, pulchritudo illa indeficiens, bonum immutabile, semper desiderabile, dulcedo ac satietatis

A τῆς Ἐλισάβετ, ὡς τὸ εἰκὸς αὐτῇ ἐπᾳδόμενα· μείζονα γὰρ ἢ κατὰ τὴν ἐπιδημίαν, τὴν εὐχαριστίαν προσήρμοσεν· ὅσῳ καὶ μᾶλλον τοῦ μυστηρίου κατετρύφησεν.

ΛΔ'. Ἔχει γὰρ ὧδε ταῦτα· Ἡδὴ μέν σου, μητροπάρθενε, τῇ παρουσίᾳ συνευωχηθεῖσα, ἐπιβατήριον ὥτπερ τὴν εὐφημίαν ἐκρότησα· παρ' ἐλπίδα μὲν ἐπιδημοῦσάν τε κατανοοῦσα, καινὰ δὲ καὶ παράδοξα συνεπιφέρουσαν μυστήρια. Διὰ τοῦτο χαρᾷ τὴν ἔκπληξιν ἀναμίξασα, ἥσθην, ἐσκίρτησα, οὐρανοδρομεῖν μᾶλλον ἐνόμιζον, ἢ ἐπὶ γῆς ἐνδιατρίβειν, ὑπερβῆναι τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἐδόκουν μέτρα, ὑπεράνω τῆς φύσεως ἐφανταζόμην. Πῶς γὰρ ἂν μὴ ταῦτα εἶναι κατενόησα, τὸν Δημιουργὸν αὐτῶν ὁρῶσα, καθάπερ ἐν οὐρανῷ, σοὶ ἐποχούμενον, καὶ πρὸς τὴν ἐμὴν B ἑστίαν ἀφικνούμενον, τὸν ἐν τοῖς χερουβικοῖς ἐφεζόμενον θρόνοις, ἐν ἀχηράτῳ σωματούμενον νηδύϊ, οὐρανὸν ἐξ ἀνελπίστου τὴν εὐτελῆ μετασκευαζομένην σκηνήν; Μύστιν ἑαυτὴν τότε πραγμάτων ἀπορρήτων ἠσθανόμην, Παρθένον κυοφόρον ὑπεδεχόμην, νεφέλην φωτοδόχον ἐδεξιούμην. Ταῦτα δὴ κατανοοῦσα, ὡς συγγενίδα μὲν περιεπτυξάμην, ὡς δὲ βασιλίδα ἐπευφήμησα, ὡς τῶν ἁπάντων ἀνύμνησα Δέσποιναν, ὡς μητέρα κατηδέσθην τοῦ Κτίσαντος, ὡς κυρίαν ἐν τοῖς ἐμοῖς συνῳκισάμην ταμιείοις. Εὐλογίας φωναῖς τὴν τῆς εὐλογίας ἐφιλοτιμησάμην ῥίζαν· χαρᾶς καὶ μακαρισμοῦ ῥήμασί σε τὴν τῆς ὄντως χαρᾶς κατεστεφάνωσα πρόξενον.

C ΛΕ'. Ταῦτα μὲν οὖν τὰ τῆς ἐπιδημίας σου καλά. Ἐπεὶ δὲ τῇ ἐπὶ πλεῖστον συνδιατριβῇ μεῖζον ἢ κατὰ χάριν τῶν σῶν ἀπήλαυσα μυστηρίων, ὑπὲρ ἐλπίδα τῆς δωρεᾶς ἀπωνάμην, διότι τὰ μὲν τῆς προσδοκίας συνηυξήθη τοῖς πράγμασι, σὲ δὲ πρὸς τὴν οἰκάδε πορείαν ἐπειγομένην κατανοοῦσα, ἔχω μὲν τῶν συλλεγέντων μυστηρίων τὸν θησαυρὸν ἀναφαίρετον· ἀνία δὲ, ἡ τῆς ἀποδημίας, τὴν τῆς ἡδονῆς ἀνακόπτει θυμηδίαν. Αἱ γὰρ τῶν μειζόνων ἀγαθῶν ἀπογεύσεις, χαλεπὴν τῆς ἀφαιρέσεως τὴν ὀδύνην καὶ τοῖς ἐν μεθέξει τούτων γινομένοις ἐμποιοῦσιν. Ἀμαυροῖ γὰρ τὴν ἐν μέρει κοινωνίαν, ἡ τοῦ παντὸς μὴ προσοῦσα ἀπόλαυσις· καὶ καλὸν ἐκεῖνο τοῖς μετόχοις γίνεται, οὗ μὴ ἐνδεῶς ἔχοντες, τῇ ἐπιθυμίᾳ τῆς κτήσεως ἐξελέγχονται. Ἀγαθὸν δὲ εἰκότως ἂν ἐκεῖνο μεῖζον D λέγοιτο, ὃ συγκρίσει τῇ πρὸς τὸ ἧττον, τοῦτο εἶναι κεκλήρωται. Τὸ δὲ πάσης ἀντεξετάσεως ἀνῳκισμένον, καὶ συγκριτικὴν ἅπασαν διαδιδράσκον ἔννοιαν, πῶς ἂν τὴν τοῦ μείζονος ἐπιδέξηται προσηγορίαν, αὐτοαγαθότης τε ὄν, καὶ τῶν μεγίστων ἀγαθῶν παρεκτικόν; Τοῦτο δέ ἐστιν, ὁ διὰ σοῦ ἐπιδημήσας Δεσπότης, ἡ πηγὴ τῆς ἀγαθότητος, τὸ μόνως ἀναλλοίωτον καλὸν, τὸ ἄτρεπτον ἀγαθὸν, τὸ ὡσαύτως ἔχον ἐφετὸν, ἡ γλυκεῖα καὶ κόρου παντὸς ἐπέκεινα ἡδονή, ὁ ὑπερμεγέθης τῇ αὐτεξουσιότητι, οὗ πάντα ὡς Δημιουργοῦ καὶ φιλαγάθου ἐφίεται Δεσπότου· πῶς οὖν τὸ ὑστεροῦν οὐκ ἂν ἀνάλογον ἐμποιήσειε τὸ λυπηρόν; Διὰ τοῦτο οὐκ ἀναλγήτως μὲν τὴν διάστασιν ἔχω·

Digitized by Google

φέρω δὲ ὅμως τὰ τοῦ μυστηρίου εἰς τὸ ἐμφανὲς προχωροῦντα βλέπουσα, κατ' εὐθεῖαν προβαίνουσαν τὴν οἰκονομίαν, λαμπρῶς τὰς τῆς φιλανθρωπίας ἐφαπλουμένας ἀκτῖνας, ἐπαφιεῖσαν ἤδη τὴν πηγὴν τοῦ ἐλέους κοινῇ τῷ γένει τοὺς τῶν ἀγαθῶν ὀχετούς. A omnis expers suavitas, supremus ille immensæ potestatis rex, quem cuncta, utpote Creatorem ac benignissimum Dominum concupiscunt. Quo ergo pacto hujus boni absentia consentaneam non afferat tristitiam? Et ideirco non equidem sine dolore disjunctionem hanc fero; sed tamen fero, dum mysterium jam revelari incipiens, divinam faustissime progredientem dispensationem, divinæ in homines charitatis radios late circum undique sese effundentes, ac misericordiæ fontem bonorum rivos universis in commune hominibus emittentem cerno.

ΑΖ'. Ἄπιθι τοίνυν ὁ θησαυρὸς τῆς σωτηρίας, ἡ σκηνή, ἐν ᾗ ὁ τῆς εὐεργεσίας ἐταμιεύθη πλοῦτος. Ἄπιθι τὸ τῆς χαρᾶς εὐαγγέλιον, ἡ προκήρυξις τῆς εὐφροσύνης, ἡ ἐπιθυμητὴ τοῦ γένους ἀπεκδοχή, τὸ πολυτίμητον ἐνέχυρον, ἡ ἀξιόλογος καταλλαγή, ἡ πολυζήτητος μεσιτεία, ἡ ἐλπιζομένη παῤῥησία. Ἄπιθι δεδοξασμένως, ἡ δόξα τῆς ἀνθρωπότητος, ἡ νοητὴ ὡραιότης, τὸ πάσης εὐπρεπείας ἐξῃρημένον κάλλος, ἡ τῆς ἀγγελικῆς ὑπεραστράπτουσα λαμπρότητος, ἡ φωτεινοτέρα πάντων λαμπτήρων ἐπαφιεῖσα τὰς ἀκτῖνας. Πορεύου τὸ δυσθεώρητον ὕψος, τὸ πολύφθογγον διήγημα, τὸ ἡδιστον τῶν σε ποθούντων θέαμα, τὸ γλυκὺ καὶ μὴ νοούμενον θαῦμα. Ἄπιθι, τὸ τῶν ἐμῶν ὠδίνων ἐγκώμιον, τὸ σεμνολόγημα τοῦ τόκου μου, ἡ τοῦ προελθόντος κήρυκος τὸν κηρυττόμενον κυοφοροῦσα, ἡ τοῦ τεχθέντος στρατιώτου τὸν Βασιλέα καὶ Κτίστην ἐπιφέρουσα. Πορεύου τῆς στειρωθείσης φύσεως ἡ εὐφορία, τῆς ἐν λύπαις ὠδῖνος ἡ ἐλευθερία, χαρὰ τὴν σὴν προοδοποιεῖται ἄφιξιν, εὐφροσύνη τῶν σῶν προτρέχει διαβημάτων, δόξα σε κύκλῳ περιστοιχίζουσα, δορυφορεῖ ὡς βασιλίδι, ὡς μητέρα τοῦ Κτίστου κατακοσμεῖ, ὡς δέσποιναν περιαστράπτει ταῖς χάρισιν· ἐντεῦθεν ἄρα εὐλογημένη σου ἡ παρουσία, καὶ δεδοξασμένη ἡ ἀποδημία. B cupide quæsita, sperata fiducia. Abi gloriose, o humanæ gloria naturæ, venustas sola mente conspicienda, cujusvis pulchritudinis selectus decor, præ angelico fulgore renitens, ac lucidiores splendoribus quibuslibet radios emittens. Abi, sublimitas nulla oculorum acie assequenda, narratio linguis omnium celebranda, suavissimum te desiderantium spectaculum, dulce et cogitationi impervium miraculum. Abi, o partus mei encomium, prolis meæ ornamentum, utero eum gerens, quem præcurrens annuntiabit præco, natique militis regem Creatoremque circumferens. Abi, steriliis naturæ fecunditas, doloris partum comitantis exemptio; viam abeunti sternit gaudium, gressus tuos C lætitia præcurrit, te gloria, circum undique cingens, tanquam reginam, comitatur, tanquam Creatoris Matrem exornat, tanquam dominam fulgentissimis circumdat gratiis. Exinde sane benedictus adventus tuus, et discessus tuus glorificatus.

XXXVI. Abi igitur, salutis thesaurus, tabernaculum divitias recondens beneficentiæ ac liberalitatis. Abi, fausta gaudii annuntiatio, lætitiæ promulgatio, concupita generis nostri exspectatio, arrha pretiosissima, eximia reconciliatio, mediatio

ΑΗ'. Οὕτω τάχα περιπτυσσομένη τὴν ὁλοπόθητον ἡ Ἐλισάβετ, τὰ ἐξιτήρια προσέλεγεν. Αὐτὴ δὲ τὴν ἐπ' οἴκου ποιουμένη πορείαν, συνοδοιπόρον ἑαυτῆς, τὴν διηνεκῆ δοξολογίαν ἐπεφέρετο· καὶ ὅσῳ τὰ τοῦ μυστηρίου εἰς τὸ φανερώτερον ἐχώρει αὐτῇ, τοσούτῳ τὴν εὐχαριστίαν γεγωνοτέραν ἐπεκρότει, οὐ τῷ μεγέθει τῶν δωρεῶν τῇ διανοίᾳ μετεωριζομένη· τῷ δὲ τῶν χαρίτων ἀναλόγῳ ὕψει, τὸ ἄπειρον τῆς ταπεινότητος ἐπιδεικνυμένη.

XXXVII. Hisce verisimiliter vocibus totam desiderabilem illam Virginem Elisabeth amplexata, abeuntem prosecuta est. Ipsa vero domum versus iter faciens, jugem Dei laudem quasi sibi viæ comitem deducebat; et quo manifestius mysteria illi revelabantur, tanto elatiori voce plaudens, gratias Deo agebat, non supra se ipsam vanis cogitationibus ob donorum amplitudinem semet erigens, sed consentaneæ gratiarum celsitudini infinitam humilitatem præseferens.

VI. — *Ex quarto Jacobi monachi sermone in Deiparæ Desponsationem excerptum* (91).

Ἐπειδὴ γὰρ ἀπῤῥήτων τι οἰκονομεῖν τὸ μυστήριον ἔμελλε, καὶ πάσαις ἀΰλοις Δυνάμεσιν ἀδιάγνωστον ἦν, λαθεῖν ἔδει τοῦτο πάντως τὸν ἄρχοντα τοῦ σκότους καὶ τοὺς τούτου συναποστάτας. Ὅ καὶ δηλαδὴ καὶ ἐκπεπλήρωται. Ὅθεν τῶν μυστικῶς ἐν τῷ ναῷ τελεσθέντων μηδὲν ὁ τύραννος κατανοήσας, μόνην τὴν ἀμίαντον παρετηρεῖτο Μαρίαν. Ἑώρα γὰρ αὐτῆς ἀνωτέραν τῆς φύσεως οὖσαν, καὶ ἀπροσπίλαστον πάντη ταῖς αὐτοῦ κακοτεχνίαις. Διὸ προσβάλλειν ταύτῃ μὴ ἰσχύων, μηδὲ ψιλῶς τὸν αὐτῆς ὑπεράμωμον νοῦν περιδονῆσαι δυνάμενος, αὐτὴν περιεσκόπει μόνην. Ὅθεν τρανῶς τοῦ ἱερέως τὰ D Quandoquidem de ineffabili quodam mysterio disponendo agebatur, hoc autem internoscere neque ulli ex incorporeis virtutibus datum fuerat, multo magis oportebat, ut hoc idem principem tenebrarum et rebellionis ejus socios lateret. Idque reipsa factum est. Quocirca tyrannus ille nihil eorum, quæ in templo mystice perficiebantur, animadvertens, solam immaculatam Mariam pravis suis intentus consiliis observabat. Eam enim cernebat communi sublimiorem conditione, pessimisque suis technis prorsus inaccessam. Cum itaque adoriri eam non valeret, animumque ejus imma-

(91) Ex Cod Græc. Vatic. 1162, fol. 91 vers.

Digitized by Google

culatissimum ne minimum quidem commovere posset, ipsam tantum attente circumspiciebat. Hinc licet mysteria, quæ ad illam spectabant, clare sacerdoti revelarentur, nihil eorum omnium, quæ sive per oraculum manifestabantur sive facto complebantur, intellexit; et in Virginem quidem intentos oculos habebat; sed nihil, quod ad ipsam pertineret, noverat.

A κατ' αὐτὴν μυουμένου μυστήρια, οὐδὲν ὁ τῆς κακίας συνῆκεν εὑρέτης οὐδὲ τῶν χρωμένων, οὔτε τῶν πραττομένων· καὶ τὴν μὲν Παρθένον ἐσκόπει, τὰ δὲ περὶ ταύτην ἠγνόει.

Quapropter nunc ipsum mihi opportune subit imbecillitatem illius irridere, eumque hujusmodi dictis compellare : Ubinam, o tyranne, sunt versutiæ tuæ? Ubi stolida illa gloriatio tua propter rebellionem adversus Deum? Ubinam ille jactantiæ tuæ fastus? Quomodo ipse, qui super astra thronum tuum ponebas [66], abjectioribus creaturis abjectior evasisti? Quomodo tu, qui ob stultitiæ excessum, te ipsum Altissimo fore similem jactasti [67], ne cum illius quidem creaturis parem assecutus es prudentiam? Qui velut nidum arripiebas universam terram, quomodo illico absorptus es? Qui ipsam totam, tanquam ova derelicta, defensore orbatam te occupaturum gloriabaris, quomodo per summam dementiam captus ipse es? Non advertebas animum, cum videres, ad Virginis mysterium? Non noveras, quotquot fuerant hominum generationes, nunquam ejusmodi fructum protulisse? Nonne in universam hominum progeniem malis utens artibus ab initio invasisti (92)? Nam verba tua sunt, quæ palam id faciunt, utcumque causam prætermitti volueris. Dixisti enim Creatori : *Terram omnem, quæ sub cœlo est, circuivi* [68]. Porro si qui id dixit, alius quispiam esset, et ad hoc ipsum confirmandum alienis uteremur testimoniis, habere fortasse, quo mendacem defensionem prætenderes. Sed quoniam, ipsis tuis verbis captus, insolubilibus vinculis constrictus es, hinc aufugere nullo modo potes. Quodnam igitur, cum omnia scelerate invaderes, purissimum ejusmodi cimelium unquam novisti, cujusmodi incomprehensibilem hanc vidisti virginem? Inspexistine tam præclarum innocentiæ thesaurum in humana natura latitantem? Advertistine ad tantas virtutum divitias in ullo eorum, adversus quos per insidias irruisti? Occurritne tibi unquam corpus tanta puritate nitens? Novisti unquam animam tam immaculatam, tamque incursionibus tuis imperviam? Nihil unquam tale in humanis generationibus vidisti. Quomodo artes tuæ nullam nocendi viam vident? Quomodo solertia tua in omnimodam inertiam desiit? Quomodo ignita jacula tua in cor tuum defixa sunt, et dum cernis, non intelligis, et dum fraudes agitas, plane es cæcus? Vere vanus effectus est fastus tuus, ac fatuum eum esse ex imbecillitate aperte patuit.

Διὸ καὶ νῦν εὐκαίρως μοι νῦν ἐπεισέρχεται τῇ τοῦτου καταπαίζοντι ἀδρανείᾳ, τοιαῦτα πρὸς αὐτὸν ἀποφήνασθαι· Ποῦ ποτέ εἰσιν αἱ πανουργίαι σου, τύραννε; ποῦ τὸ ἠλίθιον τῆς κατὰ τοῦ Θεοῦ ἐπαναστάσεως καύχημά σου; ποῦ τὸ τῆς ἀλαζονείας σου φρύαγμα; Πῶς ὁ τὸν θρόνον ἐπάνω τῶν ἄστρων τιθεὶς, ταπεινότερος ἐδείχθης τῶν κατωτέρων κτισμάτων; πῶς ὁ μωρίας ὑπερβολῇ ὅμοιον ἑαυτὸν τῷ Ὑψίστῳ γενήσεσθαι φήσας, πρὸς ἴσην τῶν αὐτοῦ δημιουργημάτων οὐκ ἤλασας φρόνησιν; Ὁ τὴν οἰκουμένην ὡς νεοσσιὰν καταλαμβάνων, πῶς κατεπόθης ἀθρόον; ὁ πᾶσαν αὐτὴν ἀπροστάτευτον, ὡς ὠὰ καταλελειμένα, αἱρεῖν αὐχήσας, πῶς ἐκλάπης ἀνοίας ὑπεροχῇ; Οὐκ ἐνενόεις, ὁρῶν τὸ τῆς Παρθένου μυστήριον; οὐκ ᾔδεις, ὅτι τοιοῦτον καρπὸν αἱ πᾶσαι γενεαὶ τῶν ἀνθρώπων οὐκ ἤνεγκαν; οὐ παντὶ γεννητῷ κακοτεχνῶν ἀρχῆθεν ἐνέσκηπτες; καὶ γὰρ σός ἐστιν ὁ τοῦτο παριστῶν λόγος, κἂν βουληθείης παραγράψασθαι τὴν αἰτίαν· *Περιῆλθον* γὰρ, τῷ Δημιουργῷ, *πᾶσαν τὴν ὑπουράνιον*, ἔφησας. Εἰ μὲν οὖν ἄλλος ἦν τοῦτο λέξας, καὶ μαρτυρίαις ἑτέραις πρὸς τὴν τοιαύτην ἀπεχρώμεθα σύστασιν, εἶχες ἂν τῷ ψεύδει προφατίσασθαι τὴν ἀντιλογίαν. Ἐπεὶ δὲ τοῖς σοῖς ἁλισκόμενος λόγοις, δεσμοῖς ἀλύτοις δέδεσαι πανταχόθεν, ἀμήχανόν σε τοῦτο διαδράναι. Τί οὖν, ἅπασι πονηρῶς ἐπιβαίνων, ἔγνως τοιοῦτόν ποτε καθαρώτατον κειμήλιον, ὁποῖον τὴν ἀκατανόητον Παρθένον ἐώρακας; Εἶδες τοσοῦτον ἀγνείας θησαυρὸν ἐν ἀνθρωπείᾳ κρυπτόμενον φύσει; Προσέσχες ἀρετῶν τοσούτῳ πλούτῳ ἐφ' ὅσοις δολίως ἐνέσκηψας; Προσέβαλες ἀνεπάφῳ ποτὲ τοιούτῳ σώματι; Ἔγνως ἀκηλίδωτον τοιαύτην ψυχὴν, καὶ ταῖς ἐπηρείαις σου ἀπροσπέλαστον; Οὐδέν ποτε τοιοῦτον ἐν γεννητῇ τεθέασαι φύσει. Πῶς οὖν ἐσκοτίσθη σου τὰ μηχανήματα; πῶς τὸ πανοῦργόν σου εἰς ἄργον ἀπεπαύθη; πῶς κατὰ τῆς σῆς καρδίας τὰ πεπυρωμένα σου πέπηγε βέλη, καὶ βλέπων οὐ κατενόεις, καὶ μηχανώμενος οὐχ ἑώρας; Οὕτως ἐματαιώθη σου τὸ φρύαγμα, καὶ μῶρον εἶναι τῇ ἀσθενείᾳ δέδεικται.

[66] Isa. xiv, 13. [67] Ibid. 14. [68] Job. i, 7.

(92) Ab initio videlicet cum protoparentes Satanas per fraudem decepit, reipsa universæ humanæ progeniei ruinam paravit.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCV

PHILIPPUS SOLITARIUS

—

MONITUM EDITORUM

Opus *Dioptra* inscriptum Michaeli Psello et Symeoni Metaphrastæ perperam ascriptum est ; auctorem enim habet Philippum Solitarium, ut codices mss. optimæ fidei testantur et ipse operis textus clamat. De sorte hujus operis et de codicibus mss. quibus continetur nonnulla scribunt Fabricius et Harles, quæ etsi obscura et confusa, hic tamen repetenda videntur. Sunt autem tenoris sequentis : « Vide Reiser indic. « mss. August., p. 34. In catal. quoque B. Lugd. Bat. 317, n. 64, de cod. Bonav. Vulcan. citatur « *Pselli Dioptra*, i. e. corporis et animæ dialogus. — In cod. Barocc. 197, sunt *Symeonis monachi* ser- « mones 52, it. *Dioptra*, inscripta Philippo Monacho et *Dialogus inter animam et corpus*, quem Psello « attribuit Barocc., teste confectore cat. mss. Angliæ et Hibern. — Mosquæ autem in cod. 149, n. 11, « B. synod. *Mich. Pselli* in lib. dictum Διόπτραν, V. Matthæi Notitiam codd. Gr. mss. B. Mosquensium, « tom. I, Lips. 1805, 8, p. 81. Huc reducam quæ Fabric. in vol. VI, p. 542, scripserat : *Dioptra* in « cat. mss. apud Anton. Verderium Symeoni Metaphrastæ tributa, incertum est, aliane sit ab *Dioptra*, « sive amussi rei Christianæ, quam Philippus Solitarius versibus politicis, a. C. 1105, Alexii Comneni « 16, ad Callinicum Monachum scripsit, et Jac. Pontanus ex cod. ms. Augustano prosario sermone vertit « et Latine edidit Ingolstad. 1604, 4, cum Nic. Cabasitæ libris sex de Vita in Christo, Joannis, Carpa- « thiorum episcopi, capitibus hortatoriis 191 ; Philothei, patriarchæ CPol. Laudatione Basilii, Naz. et « Chrysostomi, quæ Græca etiam adjuncta habet, et Mich. Glycæ duabus disputationibus, additis etiam « in calce voluminis observatt. Jac. Gretseri ad obscura *Dioptræ* loca. Locum Dioptræ ex libro IV, qui « in versione desideratur, ex ms. bibl. regiæ Græce cum interpretatione sua exhibet Cotelerius ad libr. « VIII Constitutt. Apostol., c. 42. Exstat etiam Græce *Dioptra* sæpius in bibl. Vindobon., ut docet « Lambec. lib. V, pag. 34 sqq., 42 sq [s. p. 76. sq. 89. de codd. 213 et 214 n. 1, in quo exstant libri « secundi maxima pars posterior, et libri III, IV et V integri; it. p. 95 sqq. de cod. 215, qui n. 1 exhi- « bet *Philippi Solitarii Dioptram*, sed æque corruptam et interpolatam, ac cod. Augustanus : in n. 2 « sunt versus Constantini grammatici et Vesti in laudem *Dioptræ* et auctoris ejus Philippi : necnon « p. 141, de cod. 232, n. 3, ubi reperitur fragmentum libri quinti :] et Montfauc. p. 54 *Palæographiæ* « *Græcæ*. Ac Lambecius quidem observat, in Pontani editione librum primum integrum omissum, ex- « cepto exordio, quod ad calcem libri quarti sub titulo *Flebilis lamentatio* subnexuit, et secundum pro « primo, tertium pro secundo, etc., venditatum, ut adeo quatuor tantum libros Pontanus ediderit, cum « a Philippo scripti sint quinque. Notat etiam falli Gretserum, qui ex primis versibus *Dioptræ*, quos « Crusius in *Turco-Græcia*, p. 118, adducit, putavit, Crusium de alia *Dioptra* loqui. Hanc porro recen- « seri et Græcam dictionem castigari a Phialito quodam jussit Dionysius Euzoitus, metropolita Mityle- « næus. Michaelis vero Pselli præfatio præmittitur etiam in laudata editione, cujus quoque notæ sive « scholia hinc inde asperguntur. Quæ appendicis loco in codice Vindobonensi subjici notat Lambec. « lib. V, p. 56 [p. 80, n. 2, ed. Kollar. coll. cod. 247, n. 9, 11 et 12, ib. p. 255 sq. Conf. cod. Taurin. « B. CC. sine nomine auctoris, in cat. codd. Gr. Taur. pag. 297]. Se fide et cærimoniis Armeniorum, « Jacobitarum, Chatzitzariorum et Romanorum, s. Francorum, hæc (excepta postrema de Romanis), Gr. « et Lat. vulgavit Combefisius Auctario novo tom. II, pag. 262 et 271. Hactenus Fabricius. — In « cod. Cæsar. laudato n. 3, 4, 5 et 6, sunt præterea quatuor adhuc appendices; v. p. 81 sqq. et in cod. « 214, citato n. 2, p. 90, apud Lambec. Appendix prima continet *Phil. Solitarii* epistolam ad Constan- « tinum sacerdotem *De differentia inter intercessionem et auxilium sanctorum*. Add. Nessel.Cat. codd. Cæs. « in indice p. 100 sq. — Paris. in B. publ. cod. 2747, n. 1. *Philippi Solit. Dioptra*, versibus politicis; « rejecta ad oram varia scriptorum ecclesiasticorum loca, quæ ob oculos habuit auctor : in cod. primo « est n. 3, *Phil. Solit. epistola ad quemdam, qui vitæ spirituali valedixerat*. Eadem in cod. 2728, n. 1, « 2872, n. 1 (sine nomine auctoris), et 2873, n. 1 (in quinque libros est dialogus tributus, cum scholiis « marginalibus), et in cod. 2874, n. 4, qui ab editis sæpe discrepat, et testimonia Patrum atque alia quæ- « dam pedestri sermone, a Michaele Psello adjecta habet. In eodem cod., n. 1, est Mich. Pselli testimo- « nium, præfixum libro qui *Dioptra* inscribitur; et n. 2, sunt versus iambici Constantini et Vesti Granati

Digitized by Google

« de *Dioptra*. — In cod. Vindobon. Cæsareo 77, n. 78, sunt excerpta ex scholiis in Philippi Solitarii « *Dioptram*, h. e. regulam rei Christianæ, quorum scholiorum auctores videntur Lambecio in comment. « III, p. 418. not. 3, esse Mich. Psellus et Philalethes. — In cod. Taurin. Bibl. 199, sine nomine auctoris, dialogus inter carnem et spiritum, versibus prosæ similimis descriptus, a cap. 11 tertii libri, eoque mutilo, circa initium, ad caput 5 libri quinti. V. cat. codd. Gr. Taur., p. 296 sq. — Philippi Solit. « *Dioptra* et alia, in cod. Coislin. 341. Vid. Montfaucon. Bibl. Coislin., p. 451 sq. Add. infra, § 78 et « Oudin. l. c., pag. 677. HARL. »

PHILIPPI SOLITARII
DIOPTRA

ID EST REGULA SIVE AMUSSIS REI CHRISTIANÆ

AD CALLINICUM MONACHUM,

***Sub dialogi forma,* ANIMÆ *nempe discipulæ, et* CARNIS *magistræ, quatuor libris explicata* (1).**

Cum notis Jacobi Gretseri.

—

JACOBI PONTANI PRÆFATIO.

Volumen istud inscriptum ΔΙΟΠΤΡΑ, vocabulo instrumenti geometrarum, quo illi ad explorandas ex intervallo altitudines utuntur, ut sunt quæ vocantur quadrans geometricus et baculus S. Jacobi, nos *Regulam*, sive *Amussim rei Christianæ*, ad argumentum ipsum quo de hic disputatur, satis accommodate, ut puto, appellavimus. Volumen ergo istud in Augustana bibliotheca cum reperissem, etiam atque etiam dignum judicavi quod Latina lingua expressum, ad virtutis et vitæ Christianæ studiosos perveniret. Auctorem et parentem habet Philippum Solitarium, qui libro quarto testatur, se id confecisse anno post Christum natum millesimo centesimo quinto, quo tempore Alexius Comnenus annum decimum sextum imperabat. Reliqua ex Pselli, Phialiti correctoris, ipsiusque auctoris præfationibus licebit cognoscas. Magnopere vellem, Phialitum illum in ista emendatione accurationem majorem præstitisse. Spirat ubique pietatem Philippus, et nos Deo gratiores efficiendi studio flagrat. Usus est versibus politicis, de quibus præfatione in Orationes Simeonis, superiore anno a nobis conversas, et in lucem prolatas disseruimus.

Jacobi Gretseri notæ.

(1) Quid sit Διόπτρα habes in Præfatione. Suidas ita describit : *Διόπτρα*· μηχανικὸν τεχνούργημα, δι' οὗ οἱ γεωμέτραι ἀπηκρίβουν τὴν τῶν ἐπάλξεων ἐκ διαστήματος ἀναμέτρησιν. Πισίδης ·

Ταῦτα πρὸ πολλοῦ τῇ διόπτρᾳ σου βλέπεις.

« *Dioptra* : instrumentum mechanicum, cujus ope geometræ ex intervallo propugnaculorum dimensionem æstimabant. Pisides :

Hæc multo ante dioptra tua cernis. »

Citatur in *Turco-Græcia*, fol. 198, liber *Dioptra* inscriptus, versibus politicis constans, animæque et corporis disputationem continens, *cur ad moriendum se non præparent*. Initium ejus fertur hoc :

Πῶς κάθῃ, πῶς ἀμεριμνεῖς, πῶς ἀμελεῖς, ψυχή μου. Ὁ χρόνος σου πεπλήρωται, ἐξελθε τοῦ σαρκίου. Ποῦ τραπεζῶν ἀβρότητες μαγείρων μαγγανεῖαι; Ποῦ τῶν αὐλῶν τὰ θέλγητρα, τύμπανα καὶ λίγα;

Ποῦ ἡ χαρὰ ἡ πρόσκαιρος τοῦ βίου ἡ μπαλα; Ὡς ὄναρ παρελήλυθεν, ὡς καπνὸς διελύθη.

Sed cum *Dioptræ* nostræ longe aliud sit exordium, haud temere suspicamur, diversam esse ab illa cujus *Turco-Græcia* meminit. Caput primum insignem locum continet adversus veteres et novos sectarios de necessitate operum ad salutem, quorum commendationem cum in sua quoque *Dioptra* reperisset hæreticus auctor *Turco-Græciæ*, continere se non potuit, quominus oræ libri sui hanc maculam allineret : Μοναστικαὶ ἀσκήσεις σωματικαὶ καὶ ψυχικαί · *Monasticæ exercitationes sunt corporales et animales* ; Ἔργοις μὴ πίστευε, *operibus ne crede. Θεοῦ σώζει χάρις οἵῃ, ἣν πίστις δέχεται* · *Sola gratia Dei salvat, quam fides accipit.* Πίστιν δείκνυσι τὰ ἔργα, *Fidem monstrant opera.* Quam appendicem adjeceruntisti, postquam animadverterunt, quantam absurditatis immensitatem vox illa de sola fide, exclusis cunctis operibus, secum traheret.

Digitized by Google

Qui, quoniam Latinis auribus parum noti sunt, et eos multis locis rerum subtilitas sermonisque Romani egestas, non admitteret, soluta et perpetua oratione, non sine exemplo interpretandos censuimus. De paucis singulorum librorum capitibus multo plura fecimus : cuique lemma, sive summam suam nostris verbis, uberiusque et accuratius aliquanto, quam scriptor ipse fecerat, præfiximus, quo omnia luculentiora fierent planiusque perciperentur : tametsi nihilominus ad quædam promptius intelligenda graviores et severiores illas scientias libasse opus erit. Œconomia non immerito cuipiam admirationem movebit, cur nimirum, cum hosce libros in dialogo conscriberet, ANIMÆ interrogandi ac discendi, CARNI respondendi docendique partes dederit : et illam discipulam, hanc magistram esse voluerit in hujuscemodi rebus tam sanctis ac spiritualibus, addo etiam, tam eruditis, cum contra potius faciendum fuisse videatur. Caro quippe est anima inferior, et appetitus sentiens, Augustino anima irrationalis ; anima vero hic est superior anima, anima rationalis, ut idem Augustinus nominat, et quæ a Paulo spiritus dicitur. Accedit quod animam caro semper κυρίαν et δέσποιναν, *dominam, heram;* anima carnem semper δούλην, θεράπαιναν, παιδίσκην, πρόπολον, ὑπηρέτιδα, *servam, famulam, ancillulam, ministram* vocat. Ex quo utri potiores partes convenissent, nullo negotio quis rationem concludet. Ut respondeamus aliquid, et scriptorem quoquo modo tueamur, primum, illud certum est, cum toto quantum est volumine de anima et corpore agatur, non indecore hanc προσωποποιΐαν introductam : et multa non melius, neque commodius magistræ et discipulæ, aliisve personis adhibitis explicari potuisse. Deinde disputantur ab Anima quæ non apte et recte a Carne, et vicissim a Carne, quæ non tam idonee ab Anima disputarentur, etiamsi illa magistræ, hæc discipulæ officio fungeretur. Quamobrem et nos, cum principio œconomiam istam pro absurda haberemus, commutare personas instituimus ; sed in progressu, mutata sententia, eas, ut invenimus, ita reliquimus. Sunt et alia per hos libros, in quibus τὸ πρέπον negligentius servatum animadvertas, nec Philippum satis scivisse, quid esset dialogum scribere. Verum hæc et similia peccata homini ascetico, quique de una sanctimonia nobis persuadenda laboraret, ignoscenda sunt, et sæpe illud cogitandum, quod mihi libros istius potissimum generis tractanti e grammaticis, quibus puer sum imbutus, frequenter solet occurrere,

Tu vivendo bonos, scribendo sequare peritos.

Quintum librum paucarum paginarum, nec capitibus distinctum, cum quarto conjunxi. Notas in margine aut a Psello, aut a Phialito cum SS. PP. sententiis appositas in contextum recepi, delectu tamen habito, et diverso charactere expressi * . Non parum quippe lucis et gratiæ ipsi operi allaturæ videbantur. Versus illos politicos, ne monstrum facerem et aliis de causis non addidi. Quæ lib. II, cap. 12, ex Damasceno, et ejusdem libri cap. 16 et 17 fusius adducuntur, ea ex interpretibus illorum tibi annumeranda censuimus. Nunc ut Patres illos, de quibus dicebam, noveris, catalogum subjiciam.

PATRES IN MARGINE DIOPTRÆ ADDUCTI.

Gregorius Nazianzenus.	Theodorus Studita.
Gregorius Nyssenus.	Anastasius Sinaita.
Joannes Chrysostomus.	Isidorus.
Athanasius.	Ephræm Syrus.
Cyrillus Alexandrinus.	Dionysius Areopagita.
Basilius Magnus.	Maximus.
Theophylactus	Michael Psellus.
Damascenus.	Nilus.
Theodoretus Cyri episcopus.	Isaac.
Theodoretus Heracleæ.	Carbonius (?).
Joannes Climacus.	Gennadius.

* Quod certe parum consulte et non sine magno studiosi lectoris incommodo factum est. Aliam viam inimus : ut textus ab his insititiis sentibus expediretur, omnem scholiorum apparatum sustulimus et ad oram inferiorem paginarum amandavimus, stellulis remissoriis in textu positis. EDIT. PATR.

Digitized by Google

MICHAELIS PSELLI

IN DIOPTRAM PRÆFATIO.

« *Melius est, inquit Scriptura* [1], *modicum justo, super divitias peccatorum multas.* » *Melius igitur etiam vera dicendo balbutire, quam mentiendo Platonis copiam et gravitatem exprimere. Neque enim tunc admirationem meretur oratio, cum profluens extra limites fertur, sed cum longitudine modica, sententiis abundans ac dives fuerit, et in brevitate, perspicuitate, venustatisque neglectu, quod necessario tradendum est, quodque cum in ipsa doctrina, tum in moribus splendet, comprehenderit atque in medium protulerit.* « *Spiritualia comparantes et dijudicantes* [2], » *ut sacrarum Litterarum non ignari, et probati, haud nitidam, figuris involutam, tornatilem, et ab artificio profectam compositionem, verborumque ornamenta (in quibus sæpenumero exquisita dicendi exercitatio mendacium occultat, quo inconsiderate legentes, nec lecta excutientes detrimentose irretiuntur), verum illustratæ, et evangelicis oraculis confirmatæ, et quanquam non sine barbarismis et solœcismis pronuntiatæ, veritatis orationem desiderant. Quare quicunque ista fideliter, nulla invidia, nulla curiositate, citra omnem simulationem fraudemque legerit, in paucis nec obscuris interrogationibus, præceptis et responsionibus, quæ diversis ætatibus a doctoribus Ecclesiæ catholicæ tanquam ejusdem luminibus ac sideribus super necessariis quibusdam fidei nostræ capitibus dilucide quæsita et explanata sunt, inveniet. Quæ quidem studio et labore non minimo sanctissimus solitarius Philippus, ad ædificationem et utilitatem salvari cupientium, in unum corpus collegit. Nec illa solum quæ ab Ecclesiæ magistris scripta, sibi conquirenda duxit : sed multa insuper ob se inventa et excogitata orthodoxorum proborumque animis salutaria adjecit. Itaque in hoc scopo ac fine cordis oculum defigere oportet. Oratio namque structura, varietate, festivitate et elegantia quodammodo transformata, tractationi propositæ incommodat, dum latenter eorum quæ leguntur intelligentiam surripit, et offusis tenebris rem ipsam perspicere ac penetrare vetat.*

Porro semetipsum alloqui, et per prosopopœiam (hoc est, personæ fictionem) animam interrogare, et rursum dubia seu difficilia sibimet dissolvere, tum iis qui sub lege antiqua, tum iis qui sub gratia vivunt vixeruntque, solemne et usitatum est. « *Benedic, anima mea, Domino,* » *ait David* [3]; *et,* « *Converte, anima mea, in requiem tuam* [4]. » *Et de eo qui erat in Deum dives, narrat Dominus, ita locutum,* « *Dicam animæ meæ : Anima, habes multa bona* [5]. » *Et Hymnographus, Anima, quæ hic sunt, temporanea sunt. Et ab aliis alia id genus sæpe scripta sunt.*

[1] Psal. xxxvi, 16. [2] I Cor. ii. [3] Psal. ciii, 1. [4] Psal. cxiv, 1. [5] Luc. xii, 1.

PRÆFATIO PHIALITI

Super emendatione *Dioptræ*, quam, hortatu beatissimi Dionysii, metropolitæ Mitylenes, domo Peloponnesii, et cognomento Euzoiti, suscepit.

Volumen hoc, Dioptra *inscriptum, a Philippo, viro sanctissimo, compositum esse, eumque suadentibus et hortantibus parentem et obsecundantem, non suopte nutu ac voluntate id confecisse, ut per se jam notum, non est hic verbosius asserendum : Philippo, inquam, qui temporibus magni imperatoris Alexii, instar corusci luminis virtutis claritate effulsit. Illud quoque certum est, ipsum abundasse, et hic etiam abundare optimis ac salutaribus commentationibus atque sententiis : quas partim e Scriptura sancta derivavit partim ex semet deprompsit ac digessit. Cæterum, quod ad dictionis elegantiam et elocutionis leporem, concinnitatem ac numerum attinet, non bene se res habebat, quod videlicet Pater ille admirandus hæc, ut apparet, in minimis duceret : de sola veritate utilitateque hominum laboraret, qua nihil pulchrius, nihil fructuosius, nec ipsa quidem vel sapientia Platonis, vel eloquentia Demosthenis, vel gravitas Thucydidis. Quid enim hæc omnia sunt, si cum sententiis hisce lectissimis comparentur ? Quod non ignorant, qui eas norunt. Sed hactenus ista fuit hujus libri conditio, pulchritudoque Dioptræ sententiarum, cætera haud sane pulchra videbatur : sed erat auro frustra ac temere projecto similis ; aut (ut alio exemplo rem declaremus) arbori speciosis quidem pomis gravidæ et onustæ sed foliis nusquam comanti et idcirco ad aspectum indecoræ ac invenustæ. Porro bonus Lesbiorum pastor*

Digitized by Google

Dionysius, cum in librum sic, ut diximus, habentem incidisset, ita incorrectum et informem relinquendum non putavit, nec reliquit : sed germana et diligenti operæ nostra debitas ei emendationes adhibuit. Quantum quantum enim toto opere salebrosum et absonum erat, ceu marcidum quoddam senium sive situm abradens quasi novum ac vegetum præstitit, repulsa inde omni barbarie, et quidquid in consecutione orationis vitiosum erat; contra, nitore, concinnitudine, compositione, certaque numerorum moderatione inducta, et ubique luce perspicuitatis illata. In rebus autem ipsis nihil vel contractum, vel ablatum, sed omnia ad auctoris memoriam integra conservata sunt. Quod facile cognoscet, qui novam hanc et recentem Dioptram cum prima et veteri illa collatam perpenderit et examinarit, inque singulis sensum ponderarit, ac reliquam orationis vim explorarit. Vel cæco apparet, ut Plato ait.

PHILIPPUS SOLITARIUS, PECCATOR, ABJECTUS ET PEREGRINUS, CALLINICO MONACHO SALUTEM.

Petitioni tuæ, quanquam invitus, propter obedientiæ tamen et charitatis fructum obsecutus, et expleto munere quod mihi imposuisti, venerande Pater fraterque Callinice, omnia versibus politicis, et libris quatuor, interrogandi ac respondendi forma servata, complexus sum. Anima quærit, Caro respondet. Sunt autem res hujusmodi, quæ non ad aures tuas demulcendas, sed ad animam exhilarandam valere possunt. Hosce libros accipe : et si quid parum consentaneum offenderis, imperitiæ rusticitatique nostræ veniam tribue : nec in verbis ipsis inhære : neu elegantiam inelegantem considera (sane enim nihil in his nisi vulgare inest, et agresti inscitia plena sunt omnia), sed offerentis obedientiam ac propositum amplectere. Quod si quid laudabile dictum occurrerit, ad Deum auctorem referatur, illique, ut par est, laudes dicantur et gratiæ habeantur, qui etiam idiotas ad emolumentum audientium sapientes reddit, et virtutem suam in infirmitate perficit [1]. Si quid vicissim imperfecte et inaniter scriptum repereris, humanæ imbecillitati ignosce, quæ, ab ignoratione quadam majore impedita, nec quæ voluit, nec quemadmodum voluit litteris mandare potuit. Et quoniam fratrum jussis mos gerendus est, hæc tibi, Pater et Frater, multo cum timore et reverentia conscripsi, proque captu meo perexiguo e sacris Scripturis necessaria, utilia, tuæque sanctitati conducibiliora magisque opportuna decerpta libens misi. Precaberis Deum pro me assiduo, Pater in primis venerande, quo mihi delicta mea condonentur : ut, cœlestia bona consecutus, regno illo perfrui queam.

[1] I Cor. XII.

IDEM AD LECTOREM.

Ad rudes ego rudis qua possum facultate dissero, eosque pro virili mea admoneo, et hortor, et tam sæcularibus, quam monasticis hominibus munus ipsorum in mentem revoco sermone prorsus imperitis, ut ego sum ; neque ad faciendam orationem, ipsamque artem propensis neque rhetorum eximiorum et scientiæ magistrorum cupidis. Atque hinc est quod scommata, et reprehensionem eorum non horreo, qui aliorum lapsus irridere consueverunt. Sed quod potius soleo, id sapio et loquor.

DIOPTRÆ REI CHRISTIANÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Perspicue demonstratur, fidem operibus destitutam nihil prodesse.

ANIMA, discipula; CARO, magistra.

ANIMA. Tempus antiquum est, imo antiquissimum, quo nos ab omnium Conditore ac principe fabricatæ sumus, unum animal homo, ex utroque mundo, mistura ac temperamentum nobilissimum. Ego vero usque in hunc diem nihil ex te percunctata, nunc primum domina famulam interrogabo Tu te erige, et doce alacriter, mihique desidiam præteritam ignosce.

CARO. An ego, quod imperas, detrectare queam? tametsi ita erudita non sum, ut tibi quidem videor.

ANIMA. At enim nec ego artium disciplinis imbuta sum Loquere igitur, et omni posito metu, responde, quæsitaque mea prompte dissolve.

CARO. Ausculta ergo, et dictis meis attende

Digitized by Google

Sæpenumero a compluribus audivi, hominem animantem eximium, omniumque animantium pulcherrimum, nunquam a Conditore suo suppliciis traditum iri, si modo salutari ablutus lavacro, ac fide præditus fuerit; ablutionis autem, ac simul fidei expertem, juste pœnas subiturum. Quos quidem pro eo ac decuit ignorantiæ condemnavi. Insignis namque et doctor maximus Basilius ita sentientes facile refellit, optimeque docet in hanc sententiam : cum servus quispiam dominum offenderit, et offensio illa miserationem penitus excluserit, ut secundum legem pœna illi infligenda sit, primum omnium damnatur, gloria nudatur, spoliatur et ejicitur iis quæ habebat bonis tandemque commeritæ pœnæ addicitur. Præterea lex et disciplina ecclesiastica servatur; et cum quis sacerdotum deliquerit, sive inferioris gradus fuerit, sive throno episcopali clarus, symbolis sacrarum vestium exuitur * : et simul, ut ait canon, omnem dignitatem exuit, ac pro papa fit apopapa, canonibusque subjectus, debite supplicio mulctatur. Judex autem totius orbis an non ita omnes judicabit? Cum venerit ad judicium, criminibus obnoxios gratia baptismatis, quod illi suorum vulnerum sordibus inquinarunt, denudabit, et tum, heu! cruciatibus mandabuntur sempiternis **.

Esset siquidem a ratione alienissimum absurdissimumque, tantum beneficium, tantumque donum una cum anima ignominia affici, atque condemnari. Gratia igitur privata, tormentis deditur. Nec solus Basilius ista quæ dixi, scripta reliquit, sed alicubi etiam eloquentissimus Chrysostomus, et cum his Amphilochius, tres, inquam, hi velut Ecclesiæ sidera, magistrique Verbi Dei maximi ac præstantissimi.

Anima. Testes tu mihi non spernendos, fideque dignissimos memoras : « Nam in ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum [7]. » Quod si plures producere potes, age, producito; licet enim testari pluribus.

Caro. Ergo alium testem audi, cui crede, cui fidem habe : verba enim Scripturæ sunt. Os namque Christi, et magnus illi præco Paulus, Hebræis qui erant Romæ scribens, ait : « Circumcisio quidem prodest si legem observes; si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est [8]. » Nam circumcisionis in Christo quæ causa, aut quæ gratia? nec etiam præputii [9], si adsit gratia. Mandatorum observatio prodest, ut ait : neque enim auditores, sed custodes, et factores legis [10], si in eo perseverent, justificabuntur. Sed totum ex ipso Verbi ore discas licet : « Non omnis qui dicit mihi, Domine, et non facit quæ dico, intrabit in regnum cœlorum : sed is potius, qui implet voluntatem Patris mei [11]. » Nemo te decipiat, nemo tibi blandiatur, quasi fides operibus destituta tibi salutem afferre queat. Fides sine operibus, scias velim, inutilis est : et vicissim opera sine fide nihil valent. Quapropter si salvari vis, et felicitatem illam concupiscis, fidem et opera rite conjunge.

Anima. Expone igitur quænam opera intelligas : ut ubi cognovero, ad ea recte præstanda festinem. Agedum, dic, doce, recense.

CAPUT II.

Quænam mandata divina, sive opera bona præstantiora ducenda videantur.

Caro. Et plurima et pulcherrima, et omnia fructuosa sunt. Quæ autem meliora, et pulchris pulchriora, quibus compendio ad Dominum ascendatur, omnino a me docendum ac præcipiendum est. Sex tantummodo, nec plura, sunt numero. Vide catalogum, et quæ sint nosce. Esurienti mihi cibum, sitienti dedistis potum. Peregrinum et hospitem me recepistis, nudum cooperuistis. Infirmus eram, et in carcere, et accessistis, visitastis, et ministrastis mihi. His alia item, eaque permulta, et salutaria adjungere potuisset : verum ut ad salutem magis necessaria, magis obvia, et honorabiliora, sex duntaxat enumerans, cætera prætermisit. Ad hæc igitur omnes allicit et provocat, divites, pauperes, servos, dominos : reliquorum usum volentibus permittit, neminem ad ea ullo modo compellens.

Anima. Ede porro ista, quorum necessitatem

[7] Matth. XVIII, 16. [8] Rom. II, 25. [9] I Cor. VII, 18. [10] Rom. II, 13. [11] Matth. VII, 21.

Scholia.

* *Non eamdem pœnam ante et post initam sacerdotii dignitatem exsolvemus, si peccaverimus. Qui enim ne tantum quidem honorem adepti, meliores evaserint, multo gravius et dirius jure punientur. Honoris quippe magnitudo peccantibus supplicii fit augmentum. Et qui indignos consecrant, earumdem cum ipsis pœnarum rei sunt, tametsi quos consecrant, non noverunt.*

** *Omnes qui in circuitu ejus sunt, offerent munera terribili* (*Psal.* LXXV, 12), *et ei qui auferet spiritum principum. Nam apud formidabile illud divinumque tribunal justi actiones seu opera sua tanquam dona Deo offerent. A singulis autem peccatoribus datus illis per baptismum spiritus auferetur atque ita æternæ illos pœnæ excipient.*

Chrysost. *Nihil confert baptismus vitam non bene rectèque instituent.bus.*

« *Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, sermones meos servat.* » — « *Si enim ego Pater sum, ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* (*Malach.* I, 6.) » — *Gloria patrum, sanctitudo filiorum : et dominorum honos, servorum timor.*

Cyrillus, *Nihil conducit nobis, Christianorum appellationem esse consecutos, nisi etiam opera sequantur. Scriptum est enim :* « *Si filii Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis.* (*Joan.* VIII, 39.) *Sicut enim corpus sine anima mortuum est, ita quoque fides sine operibus mortua est.* (*Jacob.* II, 20.) *Haud enim quidquam valet sanitas fidei, si mores sint corrupti. Nam etsi omnem fidem dogmatumque veritatem complectamur, et a vitæ innocentis patrocinio inopes ac deserti simus, nihil obstabit quin in gehennæ igne sempiternum arsuri abripiamur.*

Digitized by Google

imponere noluit; aveo enim sigillatim cognoscere.

Caro. Virginitatem colere, vitam monasticam vivere, pervigilare in divinis precibus, cubare humi, multum peregrinari, et corpusculum pœnis voluntariis atterere, unica tunicula vestiri, Deo, Virgini matri, aliisque amicis Dei opere magnifico templa condere. Ad hæc nos Christi præcepta non adigunt; sed « qui potest capere capiat [12]. » Cæterorum seriem, quæ nimirum salvari volentibus conducunt, quis percensuerit? Verumtamen mandatur nobis omnia illa facere quæ in sacris Litteris præcipiuntur, si Deum in nobis habitare cupimus. Sed illa sex honestissima, et laudatissima, præque aliis indicta nobis sunt. Nec solum aliis ea præponit ac præfert, sed et alibi eorum sæpius meminit : « Misericordes, inquit, estote, sicut et Pater vester cœlestis misericors est [13]. » Non hortatur nos psallere, quando nec Pater psallit; non pervigilare; non labores et ærumnas multas, non vitam ac certamina solitariorum amplecti : nihil horum. Sed ad misericordiam solam nos invitavit : quoniam natura « miserator, et multum misericors est Dominus [14] : » quoniam « misericordiam tantum vult, et non sacrificium [15] : » quoniam nulla re alia colitur, nec placatur, nisi una misericordia : quoniam vult miserationes; et quoniam misericordiæ abyssus est. Dicam breviter : misericordia solum opus est homini cum Deo commune, et per misericordiam solam homo Creatorem suum imitatur, eique consociatur. Id ita esse ex decem virginum parabola liquet. Ex conservatione virginitatis pulchræ erant omnes; amabant Deum, et pudice vitam agitabant *.

Et quinque quidem prudentes, quinque autem fatuæ continentiæ, lacrymis et luctui incumbebant : otium molle, morumque licentiam nullo modo diligebant; viam angustam et tribulationes consectabantur, carnemque assiduis laboribus debellabant. Non tamen æqualiter illis mandatum curæ fuit; sed prudentes prudenter oleum habuerunt in vasis suis, quo fatuæ caruerunt. Atque hinc veniente Sponso, gaudiis nuptialibus exclusæ sunt : « Nescio vos, » clamat Sponsus formosissimus [16]. « Nescio vos, » recedite. Quis enim vobis aperiet, cum virginitate oleum etiam non afferentibus, sine quo omnia, et ipsum virginitatis lumen exstinguitur; sine quo omnia vana et inefficacia : quandoquidem id Sponsus super omnia diligit? Intellige cum tremore verba Domini, et crede, et fidem commoda, et neutiquam diffide dictis. Proferet verbum asperum ad eos, qui a sinistris stabunt : « Discedite procul hinc in gehennam ignis, qui præparatus est diabolo, et angelis ejus [17]. » Non quia adulteria commisistis; non quia fornicati estis; non quia furtum fecistis; non quia cædes et latrocinia perpetrastis; non quia libenter maledixistis, et vim aliis attulistis, et mendacia profudistis, et vobismet placentes, et vinosi, et ebriosi, et improbi fuistis; nec quia omne genus iniquitatis atque sceleris consecivistis : nihil horum in ipsis tum reprehendet; sed quia mendicum stipem rogitantem despexistis; sed quia fame et siti conflictantem, in carcere sedentem, et nudum, et hospitem, et lecto misere affixum me cum vidissetis, non cibo refecistis, non potu recreastis, non vel paulum visitastis, non vestivistis, non hospitio accepistis, non ministrastis **.

Hoc ipsum quod dico, rursus ex Evangelio confirmo [18]. De divite illo duro et inhumano audivistis, quomodo videlicet lingua ejus (o calamitatem!) apud inferos arserit. Non quod variis se sceleribus in vita obligasset; nec quod proximum odisset; nec quod per temulentiam plurima et nefaria admisisset; nec quod undecunque provenientibus vectigalibus intumuisset ac superbisset, opulentus, gaudens, rapiens, dominatum obtinens, bysso et purpura indutus splendide; non, inquam, horum causa ad tormenta detrusus : sed quia Lazarum pauperem omnimodis neglexit, et super afflicto misericordia non est commotus. Res mira hæc, et horroris plenissima. Quantum potest charitas, quantum misericordia, et compassio!

Anima. Si plura dicenda restant, ne tace, et ad utilitatem meam adde his quæ dixisti. Silentium tuum nobis damno erit non ferendo.

CAPUT III.

Omnia ad Dei præscriptum a nobis facta, citra charitatem frigere.

Caro. Sex igitur illa mandatorum prima et maxima esse pro facultate docuimus. Propemodum

[12] Matth. xix, 12. [13] Luc. vi, 36. [14] Psal. cii, 8. [15] Osee. vi, 6. [16] Matth. xxv, 12. [17] Ibid. 41. [18] Luc. xvi, 19 seqq.

Scholia.

* Basil. *Qui circa modum operis offendit, etsi videatur facere mandatum, reprobus est apud Deum. Ait enim : Etiam si quis certaverit, « non coronabitur, nisi legitime certaverit.* (II Tim. ii, 5). » *Nam bonum non est bonum, nisi bene, atque ut oportet, fiat*

** *Sane necessariis magis necessaria ex comparatione præferenda sunt. Nihil habet commodi sine compassione virginitas. Etenim et otium, sive socordia in virtute, supplicium parere potest, non solum actiones improbæ : quando et illi, qui esurienti non dederunt manducare, nec sitienti bibere, nec nudum cooperuerunt, fortassis aliena non rapuerunt, nec fraudarunt aliquem. Sed quia misericordiam non fecerunt, supplicio in eos vindicatum est.*

Chrysost. *Misericordia charitatis præstantissimus ramus, et primogenitum germen est. Et, si æternum punitur, qui bona, et bene non fecit : multo magis puniendus est is, qui mala supra commemorata admiserit.*

Isidor. *Divitiæ parum attentis ac providis ministræ viliorum sunt : paupertas vigilantibus sapientiæ mater est. Si igitur divitias amantes benigne aliis facere contemnimus, digni sumus qui longo igni torreamur.*

Digitized by Google

autem memoriam nostram fugerat (proh jacturam !) illa Pauli vox inaudita sane et admirabilis.

ANIMA. Tu vero vocem illam admirabilem ne prætermiseris; sed in medium profer, celeriterque recita.

CARO. Accipe Pauli verbum : « Si fidem habuero, ut montes transferam; si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam; si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam; si etiam linguis angelorum loquar, charitatem autem non habuero, nihil mihi proderit [19]. » Charitas prophetarum, et legis caput ac scopus est. Charitas est res maxima : charitas res divina. Deum esse charitatem, Joannes Theologus divinitus scripsit [20], et manentem in charitate, in Deo manere, et Deum in eo. Papæ, quanta est charitatis vis ! Rursus aliud quiddam a Verbo ad honorem charitatis in Evangelio dicitur : « Ab his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ. Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis : et proximum (hoc est, fratrem tuum) sicut te ipsum * [21]. »

In quibus autem inest charitas (2), in iis quoque fidem inesse manifestum est. Rursus in quibus fides, etiam charitas. In quibus porro charitas et fides coaluerunt, in iis et alia, quæcunque optima sunt, reperiuntur. Quod si charitas abfuerit, ea omnia procul recedunt. Audisti quantum sit in charitate positum, et quomodo ex ipsa ceu fonte, aut radice omne bonorum operum germen erumpat profundaturque. Proinde charitatem cole citra quam non est speranda salus, quemadmodum e Scriptura demonstravimus.

CAPUT IV.

Pauli apostoli erga Deum, et proximum charitas immensa.

ANIMA. Quispiamne in hac vita reperitur, qui mandatorum præcellentissimum, ut dicis, charitatem probe servet, ut nimirum Deum ex toto corde, et proximum ut seipsum diligat?

CARO. Imo multi, iidemque optimi, et honore digni. Si tamen nosse desideras quisnam in his primas obtineat, et quis supra modum, vehementerque Dominum dilexerit, et proximum legitime ut seipsum : Deum, inquam, plane « ex tota anima, et ex tota mente », ut in lege scriptum ac præscriptum est, Pauli Epistolam ad Romanos percurre; inde charitatis ardorem perspicies, qua ille erga Deum proximumque flagrarit. Verum audi et obstupesce; ausculta et treme, tanta verborum Pauli virtus est, tantus amoris æstus ! « Quis nos unquam separabit a charitate Christi? Non tribulatio, non angustia, non periculum, non persecutio, non fames, non nuditas, non gladius, non mors, non angeli, non principatus, non virtutes, non instantia, non futura, non altitudo, non profundum, non alia omnino creatura separare me poterit a charitate Dei [22]. » Et hæc quidem de charitate illius erga Deum. Erga proximum vero quod attinet, sitiebat, appetebat omnes fratres salvari. Pro illis ipse se a Domino abscindebat (anathema quippe ** [23] divisionem a Deo significat) qui erant secundum carnem cognati, modo salutem consequerentur.

Quis tantum ex omni sæculorum memoria ausus est? Quis tantum propter charitatem desideravit perpeti? egregie, inquam, perpeti pro fide et charitate. Quomodo non demittebat animum, sed au-

[19] II Cor. XIII, 1, 2. [20] I Joan. IV, 15. [21] Matth. XXII, 36, 37. [22] Rom. VIII, 33 39. [23] Rom. IX, 3.

Jacobi Gretseri notæ.

(2) Loquitur de fide viva et *formata*, ut vocant; nam fidem alioquin sine charitate consistere posse, res est explorata apud orthodoxos. Et cum paulo post ait recedente charitate, omnia alia recedere, loquitur de recessu quoad fructum respectu justificationis, meriti, et consequendæ beatitudinis, cum absque charitate omnia sint velut *æs sonans et cymbalum tinniens*. Vide Bellarminum lib. I *De Justificatione*, cap. 14, 15 et seqq.

Scholia.

* Basilius. *His qui primum pietatis curriculum ingrediuntur, timor, tanquam prima rudimenta, utilior est, juxta illud : « Principium sapientiæ timor Domini* (Prov. IX, 10). » *Qui autem, ut infantes, lacte amplius non indigent, sed solidis Scripturæ dogmatis uti possunt, iis mandatorum præcipua, charitatis scilicet erga Deum et proximum, proponantur.*

** *Anathemati honoris causa nullus appropinquare audet : ab abscisso autem, et eo qui factus esset anathema, contraria de causa omnes se removent. Ac separatio quidem una erat, cum hic, et illud a multitudine vitarentur. Modus autem separationis non idem, sed priori contrarius. Anathemate enim tanquam re dedicata abstinebant : hoc autem tanquam alienato a Deo, et ab Ecclesia orthodoxorum abrupto.*

Chrysost. *Discamus primum, quid sit anathema, et tunc sciemus quid sit Pauli anathema. Anathema est omne, quod Deo suspendimus et dicamus, quod nemo profanis manibus audebat attingere, nec propius accedere. Sic etiam ab Ecclesia separatum, et ab omnibus abscissum, longissimeque remotum vocat, contraria significatione : edicens omnibus, ut multo cum timore ab eo abstineant, et resiliant. Ait autem : « Volebam anathema esse », id est, exsecrabilis, cum quo aliis nihil commune est, non habens partem cum Christo, ut traderetur diabolo, et flagellaretur, et pœnas Israeli ob incredulitatem in Deum jure irrogandas, ipse sustinere deberet : « Quemadmodum tradidit Christus semetipsum pro nobis, et factus est maledictum. Maledictus enim, inquit, omnis qui pendet in ligno* (Galat II, 3). » *Illo autem* pro fratribus meis, *propter charitatem in Christum cognatos se diligere Apostolus significat. Quoniam quem nulla creatura a charitate Christi separare potuit, quomodo eum charitas cognatorum et fratrum separasset?*

Digitized by Google

debat adversus omnia, terrena et cœlestia, ut Christum lucrifaceret? Quem Paulo similem vidimus? aut quis unquam hujuscemodi charitatem spirabit? En, absolvi, quæ de charitate dicere habui, tum ex aliorum, tum ex Pauli scriptis, quanta nimirum in eo charitas fuerit, et quam mirifice Deum dilexerit.

ANIMA. Intelligo dicta et miror. Paulum vero propter virtutem incredibiliter suspicio.

CARO. Atqui Paulus natura homo fuit, omniumque aliorum similis, quanquam civis cœlestis. Si itaque salutem æternam assequi concupiscis, Paulum tibi imitandum propone. Quod si quæ singularis tentatio te invaserit, aut insperata calamitas te oppresserit, ab hominibus pestilentibus occulte, aut palam invecta, ne concide, fer æquo animo, et petere quod accidit, ne fluctua. Pone ante oculos Patres antiquos, pone martyres, pone prophetas, pone chorum apostolorum, pone majorum multitudinem. Quam multas tribulationes et ærumnas quisque exantlavit! Quam varios cruciatus, contumelias, vexationes, incommoda, malorum tempestates et mortes experti sunt! Horum propositum et fidem studiose imitare, et onus malorum tuorum sustine ut potes, et salvabere.

Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore, et in mutatione humilitatis tuæ patientiam habe : quoniam in igne probatur aurum [24], homines vero receptibiles in camino humilitatis : « Tolle tentationes, nemo erit sanctus : aufer molestias, afflictiones, miserias, nemo salvabitur. »

CAPUT V.

Qui irruentes tentationes afflictionesque grata mente pertulerit, præmium adepturum. Qui invitus pertulerit, nullum adepturum. Scopus tentationum quadruplex.

ANIMA. Frequenter me tentationes quædam invaserunt, quas ego ob animi imbecillitatem tolerare nequivi.

CARO. Non ita est; velamentum, et inanis excusatio est quod dicis. Si verum audire vis, Paulum audi : « Benedictus Deus, inquit, qui non patietur vos tentari super id quod potestis [25]. » Nam qui tentationibus lacessuntur, illis Deus robur addit. Tribulationes pro rata parte virium hominibus contingunt, robustis graviores, infirmis leviores. Pro cujusque captu et viribus, inquam, arcano Dei consilio unicuique tentationes eveniunt. Haud supra vires, sed quas facile sustineas. Quoniam autem aliæ secundum œconomiam Deo permittente, aliæ eodem volente et favente accidunt, non intelligo cur istuc dicas, quod dicis. Non potes, non, inquam, potes absque tribulationibus salute potiri *.

Nemo præterea vitam omni tristitia vacantem degit, quemadmodum nemo per mare circa fluctum navigat. Sed ut aurum in igne probatur, splendidiusque et solidius efficitur ; ita te quoque tentationum flammæ purgant, et sordibus maculisque tenebricosis liberant. Nulla enim relinquitur purgatio, non dantur præmia salutis, nisi grata voluntate tentationes admittas : cui rei maximam fidem martyres, de quibus diximus, conciliant. Neminem Paulus absque tentatione et dolore intrasse, aut intraturum in regnum cœlorum affirmat : « Per multas tribulationes, inquit, oportet nos intrare in regnum Dei [26]. » Fidelis est, qui hoc dicit, et fidelis Deus, ut [27] idem scribit. Tentationes, ut docui, ad utilitatem accidunt. Accidunt autem modis quatuor, seu fine quadruplici, quod ostendemus. Aut ut præterita peccata deleant; aut ut illa quæ nunc in nobis operantur, impediant, in his qui moribus sunt improbis, et in viam redire nolunt; aut ut ne cadat qui feliciter currit, et tentatione spiritus elatos coercente, malum magnum effugiat; aut ut exploretur ac probetur quispiam : quo pacto justi complures probati fuerunt. Recordare Abrahami et Job, virorum eximiorum. Noli timere tentationis incommodum ; noli metuere molestiarum onus ; sed si te adortæ fuerint, admitte : si invaserint, consiste. Cave quidquam pusillanimum committas, Gregorio Theologo utiliter præcipienti obtempera : « Incursantes tentationes, inquit, generose suscipe : castigationem flagelli, sanationem reputa **. »

Afflictiones tanquam fluctus tolera. Velis incidere in manus Domini potius, quam in manus hominum : castigat enim in misericordia, non in ira, et consolationem consequeris, sicut magnus ille Job consecutus est. Qui omnia citra exceptionem, velut beneficia perpessus est, quæcunque illi dæmon tentator inflixit. Sed rem novam prorsus, et maximam considera. Ambobus pecuniæ possessiones, et omne genus facultatis, et liberi, fruges, pecora, materia et argumentum animadversionis, et ærumnæ fue-

[24] Eccli. II, 5. [25] I Cor. X, 13. [26] Act. XIV, 21. [27] I Cor. X, 13.

Scholia.

* Isidorus. *Non est invenire artificium aliquod, quo quispiam usus, ab afflictione immunis sit, et in tentationes nunquam lapsus, hujus vitæ fluctus effugiat :* « *Nam si tentatio est vita hominis super terram* (*Job* VII, 1), » *qui tandem, qui in tentatione vivunt, non tenentur ?*

Chrysost. *Invenire qui tecum tua mala aut re ipsa communicent, aut iis commemoratis pariter tecum doleant, magnum est in ipso dolore solatium.*

Basilius. *Oportet cum gaudio omnia propter nomen Domini, et eos qui sunt ejus, sufferre ac perpeti : non tamen prius quam ipse sinat, sese in tentationes præcipitare : sed orare potius, ne in eas incidamus.*

** *Disciplina Domini aperuit mihi aures* (*Isa.* L, 5). *Castiga me, Domine, verumtamen in judicio, non in furore* (*Psal.* VI, 2). *Non enim quantum meruerunt peccata mea, flagellatus sum.* « *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei* (*Mich.* VII, 9). » *Incidamus in manus Domini, et non in manus hominum :* « *secundum enim magnitudinem ipsius, ita et misericordia illius* (*Eccli.* II, 22, 23). »

Digitized by Google

runt. Ubi autem inopinato omnia amiserunt, uterque (vir et uxor) alterum est miseratus *.

Amplius tamen uxor lamentis indulsit : sunt enim feminæ naturaliter ad miserationem propensæ, et ad effuse plorandum faciles, impatienterque lugent et plangunt pectora, lacerant genas, ululatibus et ejulatibus et luctibus tabefiunt. Mirum dictu, quantum in omnibus conjux cum marito doluerit, omniumque rerum adversarum, eumdem cum illo sensum habuerit ; remunerationum vero, præmiorumque particeps neutiquam fuit.

Anima. Quænam hujus rei causa, quæ ratio ? et unde tandem ita factum ? ne me cela, si scias. Num quia non æque ut maritus lepra seu ulceribus cooperta est, nec proinde opprobrium ex eo sustinuit, idirco etiam parem mercedem non obtinuit ? Hæccine causa sit, nescio, tu dixeris.

Caro. Non hanc esse causam, ex ipsis verbis planum est, quibus virum lacrymans alloquitur. Heu ! mi vir, inquit, en memoria tui periit, quando una cum rebus aliis etiam liberi tui, dolores uteri mei, pericrunt. Ego vero misera famula, ut inops et infamis exsul vagor, domum domo infeliciter mutans, exspectans dum sol occidat, ut a multis acerbisque molestiis respirem, ob quas jam mihi præcordia vel ante mortem contabuerunt. Cernis quantopere misera mulier afflictetur ! propemodum ac si ipsa quoque opprobriis, et lepræ subdita esset.

Anima. — Si ita viri calamitate doluit, ut dicis, qui tandem non ipsa similiter præmium retulit ? Dic causam, et solve quæstionem.

Caro. Protinus tu ausculta. Job calamitates quasi beneficio afficeretur, suscipiebat **, ut imperturbatus, ut robustus animi ac validus. Quas illa haud perferebat : quin verba quædam maledicta jactabat ***.

Ille eam objurgans : « Desipis, inquit, infelix mulier, quid ista loqueris ? Sicut una de stultis mulieribus nunc locuta es [22]. » Quoniam igitur pusillo, ingrato et iniquo animo clades illas passa est, etiam remuneratione excidit. Aliud insuper exemplum narrabo tibi ad confirmanda quæ dixi, quod de quodam longe infelicissimo litteris mandatum est.

Anima. Istum, quicunque est, mihi nomines velim.

Caro. Quando Judæi Dominum meum in crucem egerunt, duos etiam cum eo latrones insignes crucifixerunt, unum a dextris, alterum a sinistris. Quibus cætera omnia paria fuerunt, facta sceleratissima, supplicium, genus mortis, crurum confractio. Æquales igitur hi duo in pœnis inventi sunt : ast in extremo prudentia etiam pares cogniti non sunt. Nam ille in paradisum, hic ad inferos profectus est. Ille bonus, hic improbissimus apparuit. Quod si roges, quonam modo id acciderit, sic accidit : Latrones juxta Verbum suspensi, ad verba venerunt. Unus horum divinitus loquebatur : alter maledicta fundebat. Et bonus ille quidem cum divino sermone suo salvatus : alter blasphemus cum maledictis suis damnatus est. Vides quemadmodum latro demens, manifeste malorum omnium socius, ut dicebam, latroni prudenti fuerit (sicut item Jobo uxor), at non perinde præmiorum. Operæ pretium est igitur, sibi attendere. Amabo, ne tu quoque, domina, onus tentationum portes, secururam vero mercedem ex ignavia amittas, quomodo infelix latro (dicam enim sæpius), quomodo uxor misera hominis forti animo prædîti. Sed si quæ afflictio, aut tentatio, aut molestia te occuparit, ne animo agiteris, ne mente concutiaris : sed immota penitus, et inconcussa usque ad finem persevera, respiciens, et exquirens bona, de quibus egi. Nam si vitæ tuæ rationes ad meliorem normam accommodaveris, et quæ deteriora sunt declinaveris, tu quoque coronam adipisceris, et cum nominatis a me glorificabere.

Anima. Res mihi videtur adeptu ardua, et ad imitationem neutiquam expedita. Proinde aliud me doceas.

Caro. Non ego adeptu difficilia dissero, quid ita gravaris ? Nec est cur pusillanimes sequare, quorum memini. Et tamen ut morosa et hæsitabunda respondes. At si quis temere probra tibi ingerat, te vituperet, facete irrideat, accuset, ignominiose tractet, naso suspendat, ludibrio, dedecore afficiat ; si te detestabilem, piaculum, pestem vocaverit : si effeminatam, stupidam, morosam, plagosam, fœdam, deformem, tenacem ac sordidam appellet : si mendicam, fungum, nullius pretii, aut furem, obtrectatricem, vinosam, aut scortum, aut adulteram, aut laceram, aut etiam pediculosam : dicam paucis, si aliud quippiam hujusmodi, qui te nominet, sustine fratrem, sustine scomma, custodi os tuum, coerce cor tuum, ne quid accusatione dignum committe, ne loquere, ne muti, nil quidquam responde. Quid enim jacturæ, aut damni facies, ex

[22] Job II, 10.

Scholia.

* *Rerum improvisarum repentini casus, hominum animas perturbare et concutere consueverunt.*

** *Morbi aut ex peccato proveniunt, aut ex ignavia et ordinis negligentia, aut ex infirmitate naturæ, aut etiam ad demonstrandam tolerantiam et virtutem.*

*** Chrysost. *Sunt quidam, qui si quid offenderint, aut ab aliquo convitiis appetiti fuerint, aut in podagram, seu alium quempiam morbum inciderint, illico in blasphemiam erumpunt. Et cruciatum quidem patiuntur, lucro autem privantur. Quid facis, homo ? num si contumeliosus in Deum fueris, morbum leviorem reddis ? Imo vero dolorem diriorem et intolerabiliorem tibi facis.* — Idem. *Non enim tentationum conditio et natura, sed tentatorum desidia inter homines cadendi ac delinquendi causa est. In paradiso versabatur Adamus : et quoniam deses erat, supplantatus est. In sterquilinio sedebat Job : sed quia vigilavit, vicit, magnamque apud posteros est laudem consecutus. Et nos ex verbis nostris justificari atque condemnari, ex præsenti sermone clarum est, nempe blasphemi latronis, et uxoris Job.*

Digitized by Google

eo quod male audis? Si igitur immerito tuo contumelias audieris, ex tolerantia fructum percipies. Quod si hæreticam te vocet, hoc solum ne patere, nec dicas, te esse; hic irascere: alioqui Christum negasti, si hanc injuriam perfers *.

In aliis tametsi supra modum injuriose tracteris, ut supra dixi, nihil perdidisti ob id, nullum damnum es perpessa. Habes adhuc oculos, ut ante habebas: habes omnia membra intus et foris, et majorem spiritum. Humiliatio ista tibi adjumento, et ornamento fuit. Si tantummodo verba irrisoria pertuleris, utilitatem inde, haud nocumentum capies. Quid plura opus est? Sine flagris athleta, sine tormentis martyr eris. Scrutare, perpende, discute negotium. Si inveneris convitiatorem vera dicere: si deprehenderis subsannantem, quod res est loqui, ne illi, sed tibi irascere, et te ipsam damna, idque etiam verbis præ te fer **.

Si non quodammodo voluisses audire quæ audis, non malum perpetrasses; non te vitio dedidisses. Fruere operibus tuis, et perversis moribus. Sin autem, etiam ideo vitam religiosam excole, ut externis nullam tui reprehendendi ansam præbeas, ut de cætero te perstringere, et convitiis incessere quispiam non possit. Ubi te collegeris, correctione gaude, exulta, tripudia; quoniam præter laudem magnam quoque coronam, et mercedem certaminis reportabis.

ANIMA. Quo istuc argumento, me hinc mercedem et coronam accepturam videlicet?

CARO. Quod a Christo in Evangelio beati pronuntiantur, quibus maledicitur, et in quos omne verbum malum, ac pessimum propter Verbum jactatur: « Gaudete tunc, inquit, et exsultate, quoniam mercedem in cœlis amplissimam recipietis [28] *. » Hæc si in animo, et in memoria tua reposita habes, lætare, confide, in omni injuria patientiam adhibe, tametsi convitiator scelestus ac detestandus fuerit.

ANIMA. Esto, feram, patiar: quid amplius mihi faciendum putas?

CARO. Ne talem ut inimicum, sed ut benefactorem intueare. Ne labiis fare lenius, et corde irascere. Ne condemna maledicum, quanquam tibi maledicat. Delictum ei ignosce, erratum condona: ut remissionem peccatorum, remunerationem optimam referas. Hæc enim Verbi doctrina, hoc judicium est. Si dimiseritis hominibus peccata eorum, inde quoque vobis omnia peccata vestra dimittentur. Si dimittis, dimitteris, misericordiæ enim misericordia tribuitur ***.

Non dabitur porro secundum, si non præcesserit primum. Si terribilis Judex tum judicaturus sedens tibi dixerit: Non dedisti veniam, quinam, petitam licet, accipies? Non dimisisti aliis, quomodo remittetur tibi? Ipsamet contra te ipsam sententiam tulisti: « In quo judicio judicas, eodem judicio judicaberis [29]. Qua mensura metiris, eadem remetietur tibi [29*]. » Audisti admonitiones, cognovisti præceptiones. Quid tibi pluribus verbis ad salutis rationem opus est? Nihil horum difficile: nihil operosum utique, nihil intractabile: nihil parum tolerabile. Sed omnia facilia, et facillima volenti. Si igitur inter humiles probata fueris, et officio inter abjectiores fungeris, eamdem cum illis partem feliciter consequere, qui prius grandia æquo animo sustinuerunt: et annumeraberis primis ac secundis, et cum iisdem in præmiis ac honoribus communicabis.

ANIMA. Dic, oro, unde hoc intelligam: nam affirmatio tua vix est ut admitti queat.

CAPUT VI.

Qui propter Christum parvas, et paucas tribulationes grate integreque sustinuerit, eum magna passis æqualem futurum.

CARO. Video te verbis meis fidem non abjungere, sed dubitare, et eapropter e Scripturis testimonium requirere. En igitur testimonium firmum et eximium: ipsam quippe Veritatem, ipsum tibi Dominum, ut verborum meorum testem fidelissimum dabo, ut saltem hinc credas vera me locutam. Ne respicias quantum cujusque sit studium et contentio; nec judicium, quo operarios posteriores primis exæquat; illis qui a prima hora magis, eos qui postea mediocriter post undecimam, quando ad vineam pastinandam missi sunt, laborarunt; et quo pacto quidam ex prima hora murmuraverit, posterioribus æqualis præmii dationem invidens, audieritque, « Amice, non facio tibi injuriam; tolle quod tuum est [30] ****. »

[28] * Matth. v, 12. [29] Rom. II, 1. [29*] Matth. VII, 2. [30] Matth. XX, 13.

Scholia.

* Chrysostomus. *Ne doleamus nobis maledici: sed jure maledici. Qui enim contemptum, contumeliam, detrimentum sustinet, hic salvari poterit. Malo enim cum humilitate vinci, quam cum superbia vincere.*

** *Hoc principium salutis est, et mutationis optimæ, penitus pudefieri, penitus sua facta damnare, ac vilipendere. Quod si anima tua peccatis affixa, afflictiones ei supervenientes repudiat, tum angeli de ea illud usurpant: « Curavimus Babylonem, et non est sanata (Jerem. LI, 9). »*

*** *Si nihil pœnarum debes Deo, debentes misereri, et mansuete illos tracta: misericordiæ siquidem Deus misericordiam rependit.*

Basil. *Septuagies septies dimittendum est, « si pœnitentiam egerit, » inquit (Matth. XVIII, 22; Luc. XVII, 4). Quo enim pacto quispiam dimiserit ei qui nec peccasse se fatetur, nec pœnitentiam agit?*

**** Isidor. *Ne putes exercitationem virtutis insidias repellere posse; maxime enim tales insidiis sunt expositi eorum qui honorem non consequuntur, quia se in virtute non exercent, et iis qui virtutis causa honorantur, invident. Præstat igitur virtutem colentes generoso animo invidorum pravitatem perpeti, quam invidiam fugientes a virtute desciscere.*

Basilius. *Sæpe, qui exiguum quoddam et in medio positum officium exsequitur, major est eo qui liberis summis functus est.*

Digitized by Google

Cum igitur dicit: « Erunt primi novissimi, » murmuratores intellige. « Et novissimi primi, » gratos et beneficii memores accipe, qui fratribus non invident, et gratiam agnoscunt. Qui judicat omnes, ita judicavit: quis de cætero habet cur dubitet?

ANIMA. Excellenter, ac necessario colligis, et quo de agitur, probas optime. Sufficit mihi, etiamsi plura super hoc quæram.

CARO. Acrem te in urgendo reperio, et in percunctando multam cerno. Tentas enim me, ut experiaris fortasse, utrum ad interrogationes tuas dubium quippiam eloeutura sim, quam potius vela contrahere oportuit. Quoniam autem plura testimonia postulas, cedo et obtempero tibi; tu adverte sis animum: testem enim dabimus haud B obscurum, quin insignem potius et excellentem, magnum divinumque Patrem et Prophetam illustrem,

ANIMA. Quisnam, et unde est? dic statim.

CARO. Sanctissimus Pater David, a quo genus suum Christum secundum carnem duxit. Sed prius totam rem gestam audi; dicemus postremo quorsum tandem ea spectet. Postquam egregius ille vir Goliathum interfecit *, Saul pactis stans, strenuum bellatorem accersit, eumque his verbis compellat: Ecce, mi gener, Merob major natu filiarum mearum, longe venustissima, eam tibi conjugem promissam habeto. Sec huic thorus Davidicus non placuit. Placuit autem se- C cundæ, Michol nempe, quæ prudentia excellebat. Hanc forma præstantem David sibi conjugavit. Mulieres igitur hilaria nuptiarum agunt, pro more choros ducunt, oblectantur, gratulantur: et et cum Davidi, tum Saulo carmina suavissime modulantur in hanc sententiam: « Percussit Saul mille, et David decem millia [31]. » Quod ubi Saul audivit, invidit, et succensuit, et furere, cruciarique cœpit: « Mihi, inquit, mille dederunt, et filio Isai decem millia [32]. Ex eo sollicite de genero occidendo secum cogitavit. Id ubi rescivit, cui invidebatur, sine mora fugiens, ad Achimelech senem, et sacerdotem venit, panes propositionis necessitate adactus comedit acceptoque gladio inde abiit. Aderat tum Doeg Syrus, Saulis pastorum potentis- D simus. David fugitivum cernit, ad Saulem currit, omnia renuntiat, omnia revelat, de Abimelech, de A David, de panibus, de gladio, et verbis hominem concitat, atque ira inflammat. Rex iratus, Achimelechum advocat. Sistitur ille ad judicium, et supplicium. Ut potest, veram ac justam defensionem affert: non se Davidem ut fugitivum, sed ut generum regis accipisse. Et profecto, quo esset ille animo, non cognovisse: ignorasse id funditus; proinde misericordiam petere. Hæc senex Achimelech pœnam deprecans profatus est. Non flectitur Saul, sed ipsum principem, omnesque sacerdotes alios ad necem condemnat, et omnes comprehendens Deogus jugulat. Heu crudelitatem! Ante omnes, inquam, Achimelechum, deinde alios omnes, octoginta quinque, omnes fungentes sacris, omnes gestantes ephod in loco venerando: simul etiam quotquot reperiebat urbis illius sacerdotalis incolas, nemini parcendo gladiis trucidat **.

David porro cum fugisset ad Achis regem regionis Get, alienigenam, quanquam sibi notum ***: timeretque ne quid inexspectatum pateretur, prudenter se epilepticum finxit, optimoque fine ac scopo notum suum fefellit. Quam fallaciam, calliditatemve cum toparcha non intelligeret, ipsum expulit, domesticosque pro stultis reprehendit, qui hominem insanum ad se introduxissent. Inde salvus ad speluncam Odollam pervenit. Ubi sic brevi manum parvam collegit, aliis aliunde ad eum se adjungentibus, assumptis illis ad Achis mente sana revertit, et Siceleg pro suo amicorumque domicilio in munere accipit. Gerebat tum bellum Achis, quem contra hostes juvenis, et hospes David adjuvabat. Triduum præterierat, ex quo David abfuerat. Interea Amalecitæ Siceleg urbem circumdederant; et quoniam defensoribus tum carebat, citra laborem occuparant, omniaque diripuerant, simulque mulieres, pueros, puellas, virgines in servitutem abduxerant, et viris quotquot inerant occisis, oppidum incendio disperdiderant. Pervenit ad aures David Sicelegensium calamitas; perturbatus est animo, ut heroem tantum perturbari conveniebat, cum omnes hostiliter tractatos cerneret: commotusque et inflammatus, Abiatharum, qui sacerdotii principatu et genere clarus erat, sacrum ephod applicare statim jussit, ut illuc eventu cognito, in hostes procederet. Cognovit, eosque ad torrentem Besor persecutus est, ubi impedimentis relictis, et ad ea custodienda mili-

[31] I Reg. XVIII, 7. [32] Ibid. 8.

Scholia.

* [Chrysost. *Si virtus absit, nulla est in corporis compositione, et viribus utilitas. Goliath alienigena, et Saul, robusti erant: sed quoniam virtute carebant, nihil illis corporea moles roburque commodavit.*

** Isidor. *Eadem peccata et propter locum, et propter tempus graviora fiunt. Exempli causa, cædes grave scelus est: quæ si in loco sacro commissa fuerit, redditur sceleratior; quod si etiam sacro tempore, sceleratissima. Quia igitur cædes per se ipsam diritatem habet, si locus, aut tempus, aut persona eam auxerit, dirior utique et longe gravior efficietur.*

*** Interrogatio. *In psalmi inscriptione Abimelech nominatur; ait enim: « Psalmus Davidi, quando immutavit faciem coram Abimelech, et dimisit eum (Psal. XXXIII, 1). » Hic autem Achis appellatur. Quid hoc sibi vult?* — Responsio. *Reges illi habebant commune nomen Abimelech, seorsum vero unusquisque suum sibi proprium, quo appellabatur; quod etiam in Romano imperio videre est ubi communiter Cæsares et Augusti dicuntur; nihilominus propriis nominantur nominibus: sicut item apud Ægyptios Pharaones.*

Digitized by Google

tum numero sufficiente (quorum equi præ lassitudine sequi non poterant) cum selectis Amalecitas secutus et assecutus, eos occisione occidit, et prædam reduxit, victorque ad torrentem Besor, ubi sarcinæ remanserant, est regressus. Huc cum venisset, præda quam quisque retulerat in unum congeritur, σκῦλα et λάφυρα, uno verbo, universa præda (σκῦλα vocantur, quæ interfectis detrahuntur; λάφυρα quæ a vivis auferuntur). Hæc igitur spolia inter insecutores et impedimentorum apud torrentem Besor custodes, de quibus dictum est, æqualiter distribuit. Ubi vero quidam præ invidia id ægre ferentes conquesti sunt, noluerunt que iis qui remanserant partem suam de præda decerni (satis enim fore, si uxores liberosque reciperent), non id justum judicavit: sed omnibus æquam partem spoliorum impertivit, cum diceret non se illos ut ignavos, nec ut inutiles, parumque commodos, sed propter equos, currere præ lassitudine non valentes, reliquisse. Quam ob causam relicti sunt, non ut otiosi tamen manerent, sed ut, inquit, vasa nostra quæ relinquebamus, custodirent, quæ ni illi custodissent, nos amisissemus, nec quidquam quod vel ederemus, vel biberemus superfuisset; non vestis, non tegumentum ad fovendum operiendumque corpus: fuissemusque privati rebus ad vitam pertinentibus. Et oportebat sane neque hos pari portione fraudare. Hæc tibi ad probationem dictorum meorum satis sunto: quomodo scilicet Christus sententiam inter operarios, et mitis David inter milites tulerit: et quod divisit, inter omnes æqualiter diviserit, inter eos qui plus, et qui minus laborem capessivissent (3). Et gloria Domino meo, gloria Christo meo, judici misericordiam diligenti, beneque facienti universis. Iis credin', an iterum testes, et omni exceptione majores expetis, et probationem cumulari vis, ut consuevisti, cum interrogas?

Anima. Tertium testem non posco, sed exemplum tantummodo.

Caro. Mox, ut petis, exemplum afferam. Multi multos propter Christum cruciatus, alii breviores ac leviores, alii diuturniores sævioresque sustinuerunt: et tamen æqualia, eademque præmia A consecuti sunt. Ad verba mea ut paradoxa obstupuisse te arbitror: sed explicationem, eamque brevem adjiciam. Cogita mihi duos, eadem voluntate præditos, ad certamen currentes, ut pro Christo moriantur. Unum quidem mente excelsa, et natura robustum; alterum viribus imbecillem et ægro corpore: qui confessi Christum, in stadium ingrediuntur, ambo nudantur, et flagris diverberantur. Sed robustus centum omnino plagis acceptis, vita deficit, spiritumque Conditori tradit. Imbecillis tantummodo quinquaginta passus, ad pœnas amplius durare nequit, et exstinguitur. Ne tu igitur alterum athletam in reportanda mercede priore inferiorem futurum existimes, quia non etiam centum plagas perferre potuit. Non enim B robur corporis, sed animi virilitas amorem erga Christum demonstrat. Nisi enim alter ille prius animam efflasset, ut dixi, ipse quoque perinde ut primus centum plagas tolerasset. Sed illi tanta virtus tabernaculi sui, hoc est, corporis, non suppeditavit. Quanam vero alia de causa anima ad hæc tam parata, ei prompta sit? Non enim pigritatur ipsa, non refugit, neque timet flagella experiri. Nam quod verberatur, illico mori, aut non mori, non est in nobis, nec in potestate nostra situm: sed in eo « qui portat omnia verbo virtutis suæ [33], » et pro sua sapientia judicat, ordinat et facit: quique omnes præscit, et prædestinat, et quid cuique conducat ac prosit, pusillanimo, C inquam, et magnanimo, novit. Est cui multa, est cui pauca sustinere cruciamenta expedit *.

Quanquam igitur alter cito edidit animam, non ideo pro impatienti et ignavo habendus est. Nam uterque quas a natura vires accepit, quamvis non pares, Domino, ut potuit obtulit: non plus, non minus, quam sibi desuper, contigit. Humanarum enim rerum quædam in nostra potestate sunt, quædam non sunt. Si quis iis quæ sunt non recte usus fuerit, rationem reddet. Quod autem in nobis ita est, ut nostra potestate non contineatur, si non bene se habuerit, nos pœnam non debemus. Mori enim haud est nostri arbitrii; nec fame affici, aut siti; nec laborum molestiarumque sensus, nec defatigatio in cursu; nec ut corpus nostrum aut

[33] Hebr. I, 3.

Jacobi Gretseri notæ.

(3) Minime vult auctor omnes beatos fore simpliciter pares in beatitudine; hæc enim est Joviniani hæresis jam olim damnata a sancto Hieronymo lib. II, *contra Jovinianum*, et a concilio Tolensi sub Siricio Papa, et ab aliis; sed vult pares fore secundum communem quamdam rationem beatitudinis, ut scilicet est fruitio unius et ejusdem summi boni, quod est Deus; omnes enim beati perfruentur eodem D hoc summo bono. Cum hac tamen æqualitate secundum communem rationem beatitudinis, consistit inæqualitas secundum particularem beatitudinis rationem, quatenus pro ratione meritorum alius alio perfectius summo bono fruetur, clariusque Deum intuebitur. Vide Alphonsum a Castro v. *Beatitudo*, hær. 7, et Gregorium de Valentia 1, 2, B. Thomæ quæst. 5, p. 5.

Scholia.

* Isidorus. *Proposita sunt tibi in una domo vasa diversa: non ideo tamen sine discrimine omnibus uteris: sed quodnam vino, quod oleo, quod aceto suscipiendo idoneum sit, nosti. Sic nimirum et Deus cuinam animæ misericordia tribuenda, cui supplicium imponendum sit, novit. Non quoniam ejusce-modi illam ipse fecerit, sed quia moribus et vita sua talis evaserit. Quocirca Deus Jeremiæ ait* (I, 5): « *Priusquam te formarem in utero, novi te: et antequam exires de vulva, sanctificavi te.* » *Hinc et Paulus apostolus: Quos præscivit, et prædestinavit* (Rom. VIII, 29). » *Non dixit prius,* « *Prædestinavit,* » *sed,* « *Præscivit.* »

Digitized by Google

magnum, aut parvum sit; nec ut colore aut fuscum, aut album, aut lividum; nec ut tenue, macrum aut carnosum; nec ut solidum ac validum, aut infirmum. Non enim nostrum est posse, aut non posse; verum id naturæ nostræ, a Procreatore cœlitus conceditur. Nec quisquam hæc in nobis accusat, nec querimoniam habent. Neque ob ista vel pœnam incurrimus, vel coronas adipiscimur. Esse autem improbum, aut scortationi deditum, aut lascivum, aut ebriosum aut cynædum, aut mendaciloquum, aut furacem; aut contra, sobrium et probum, et continentiæ amicum, aut mansuetum, fratrum et veritatis amantem, aut animo simplicem aut moribus dolosum, hæc omnia in nobis sita esse certum est. Esse, inquam, electionis et voluntatis humanæ, et consilii et scopi, et potestatis. Hæc retine, et dicta considera : « Scrutatur corda et probat renes Dominus [34]. » — « Et homo videt ea quæ parent, Deus autem cor [35]. » Et quis hunc medullitus amat?

CAPUT VII.

Multos bonis operibus, et recte factis compluribus abundantes, aliis quorum minuta et pauca numerantur, divina voluntate et sententia non anteituros.

Cum autem oblationem obtulerimus Creatori, hic quidem jejunium, lacrymas; alius preces et stationem; alius affluentem luctum : alius vigilantiam cordis, humilitatem sinceram; alius sublimem charitatem, in tribulationibus gratiarum actionem, in rebus adversis patientiam, misericordiam in pauperes, alere esurientes, auxilium erga orphanos, viduas, egentes, gaudere cum gaudentibus, lugere cum lugentibus; alius abdicationem rerum omnium, et paupertatem spiritus, propter Christum voluntarias corporis verberationes, non qui horum plus dedit, acceptior et gratior fuit; cave istuc putes : cave ullo modo arbitrere. Haud enim simpliciter Dominus quod plus est admittit. Non curat mensuras, et modos, et qualitatum elegantiam, neque molem et magnitudinem, neque aliud quippiam istiusmodi : consilium tantummodo et intentionem eorum quæ aguntur, eligit atque spectat, affluentiam voluntatis, et fervorem cordis, amorem intimum, desiderium, zelum *.

Non ea quæ sunt ipsorum concupiscit : in his acquiescit. Quodque admirabilius, et misericordia plenum est, non oblatorum præstantiam, sed quæ jam a me recensita sunt admittit, et approbat, quæ vicissim largiter remuneratur, quod e duobus minutis, a vidua missis (quæ sane præ divitum muneribus suscepta legimus) liquidissimo constat omnibus. Nam hi partem aliquam de summis divitiis suis : illa totum quod habuit, magna voluntate dicavit : nec arbiter Christus secundum doni amplitudinem, sed secundum animi magnitudinem, divitiasque arbitrium pronuntiavit. Viden' ut munus viduæ hujus et abjectum et pusillum, visum est maximum? Sæpenumero enim exigua quædam dicuntur amplissima : id quod ex his quæ dictura sum perspicies. Olim Cain, et Abel dona obtulerunt; verumtatem non eadem mente ac scopo obtulerunt, sed Abel optimo, Cain pessimo. Non respexit autem Dominus ad dona Cain, quanquam eximia ac sumptuosissima. Prior quidem de frugibus terræ sacrificavit, at non recte, nec convenienter sacrificavit. Atque hinc etiam verba parum jucunda audivit : « Nonne si recte obtuleris, non recte autem diviseris, peccasti [36]? » — « Cur adeo tristis es? peccasti, quiesce [37]. » Satis apparet, quid istuc significet. Cæterum et alia de Scripturis audi. Noe de ligno, quo mundus servatus est (de arca) egressus, Domino sacrificium fecit; quod ille, ut odorem suavem odoratus est. Thymiama sive incensum Hebræi obtulerunt, quod tamen Deus ut vanum, exsecrandum et detestandum repudiavit. Vapor, et fumus hic et ibi. Ibi nidorem fumi cum voluptate odoratus est : hic thymiama eadem natura constans, non aliud quam ignis crepitus, et res odorifera indicatum est **.

Anima. Indica mihi quomodo, et qua de causa hæc duo sacrificia sibi contraria fuerint. Declara vim, expone, nihil occulta.

Caro. Illud factum est cum fine Deo grato acceptoque : sacrificium enim Noe justitia commendavit, vehementerque placuit, ut dictum est ***; horum contra extrema improbitas, incredulitas, malevolentia naturam sacrificii exsecrabilem reddidit. Hebræa quippe natio animo et voluntate perversa fuit : in donis autem offerentium animos Deus intuetur, ex quibus statuit. En habes a me quod quæsisti. Ex Scriptura enim et distincte docui Deum oblationibus et sacrificiis hujuscemodi non delectari : nec eum ad illorum naturam, sed ad mentem sacrificantium, ipsamque eorumdem intentionem ac voluntatem potius attendere. Hanc præ

[34] Jerem. xvii, 10. [35] I Reg. xvi, 7. [36] Gen. iv, 7. [37] Isa. i.

Scholia.

* Chrysost. *Non enim ea quæ fiunt, sed scopum quo fiunt judex Deus inspicit. Et in rebus quidem quas sensu percipimus etiam satio ipsa laboriosa est, messisque similiter : sæpe enim æstus temporis messores languefacit. Ast illa messis alia est, labore enim et sudore caret.* — Idem. *Affectu enim animi, non mensura facultatum, penuriam, et abundantiam judicare consuevimus. Multi namque de multis pauca largiuntur : nec dati copia, sed dantium mens talis, aut talis indicatur, æstimaturque.*

** Theodoretus. *Non quasi odore delectatus sit : ossibus enim ustulatis nihil graveolentius : sed animum offerentis laudavit. Nec enim corporea membra habet, ut et nares ei attribuamus, per quas olfacimus.*

Non naturam munerum, sed propositum mentemque offerentium intuens Deus, ita de oblationibus judicat.

*** Chrysost. *Virum justum eum dicimus, non qui unam aliquam, sed qui universas virtutes complectatur.*

Digitized by Google

omnibus amplectitur, sive pauper quis, sive dives fuerit *.

His placatur, his favet, his gaudet, seu minus, seu majus quispiam obtulerit, seu obolum, seu minutum, seu ovum duntaxat, seu panem, seu calicem aquæ frigidæ (nam et hujus Scriptura meminit [37]) seu vestem veterrimam, aut lacèram ad tegumentum, aut capę, aut alium, aut intybum, aut herbam aliquam, aut aliud quippiam vilissimum quod quis nominaverit. Animus et animi bona voluntas in his plane judex est : citra voluntatem affectionemque optimam donum per se nihil valet **.

Quid ego donum memoro ? Solus sermo sufficit. Sicut enim ros frequenter æstum sedat : ita sermo roscidus cor æstuans refrigerat. Etenim parvum quippiam, et modicum haud est modicum, si tantummodo pro virili fiat : sed longe maximum, et optimum, Deoque placitum. Nam in rebus humanis facultas et voluntas frequentissime in eodem non concurrunt : præsertim in pauperibus ac tenuibus, quibus exiguæ sunt copiæ. In his enim alterum, velle fortassis inest : sed posse, et facere non est, Quocirca solus animus, et voluntas, et oratio inopi subveniunt, et mercedem consequuntur. In locupletibus autem, et probis voluntas, et facultas feliciter respondent. Qui igitur pro recula sua Deo munus sacraverit, is in cœlum usque ascendit, quod duarum viduarum, unius duo minuta, alterius farina ostendunt ***.

Nam illa duo dedit, et Sarephtana quod dedit nihil præter farinam : imo potius pugillus farinæ fuit, utpote quæ pauper, et priore illa etiam pauperior esset : tametsi ambæ eadem mente, voluntateque obtulerunt, qua viros et feminas omnes post se reliquerunt. Ne frustra igitur, ne frustra te excusa. Nam qui prorsus nolunt, non autem qui non possunt, cœlesti gloria privabuntur, quod ex ante dictis perspicuum evasit, satisque ad fidem demonstratum et confirmatum est. Hoc nihilominus, ut tibi gratificet, apponam. Pharisæum, et publicanum norunt omnes, e quibus ille virtutes suas jactavit : hic in humilitate cordis pectus suum verberavit. Deus autem, humiliantem se probavit, jactantiam et jactabundum rejecit ****.

Age, rursum quam attentissime potes ausculta. Exigua in parvis et vilibus, magna in eximiis, et præstantibus numerantur. Sed quæ magna inertibus videntur, ea a studiosis et diligentibus exigua et abjecta habentur ; quemadmodum disputatione nostra fusius explanatum est. Porro in erratis et lapsibus nostris aliter se habet opinio. Exilia enim et parva apud viros perfectos non sunt, nec æstimantur parva. Et vicissim, quæ imperfecti magna censent, ea levis momenti, et tenuissima ab illo judicantur, qui perspicit et cum justitia judicat omnia. Ad hæc alia bonæ spei plena audi : « Primi enim erunt novissimi » et e contrario, « novissimi primi [38]. » Quando enim juvenis, jussus facultates suas in pauperes distribuere, si hæreditatem cœlestem adire, et perfectus evadere vellet, majorem animo tristitiam concepit, sic adversus eum ad astantes locutus est Dominus : « Quam difficile divites intrabunt in regnum cœlorum [39] ! » Ad quæ licet evidentissima, cum discipuli objicerent : « Quis igitur, magister, salvari poterit? » ille confestim responsum verum ita reddidit : « Quæ impossibilia sunt, inquit, apud homines, apud Deum et possibilia [40]. » et facilia, et facillima sunt : Domino enim universorum etiam universa sunt possibilia : qui et ordini et legibus naturæ imperat. Crede verbis meis, nec amplius dubita. Sive enim Christus te sociare salvandorum choris, sive annumerare fulgentibus justis voluerit (sicut antea memoravimus, et de operariis in vinea, relictisque a Isarcinas a Davide exemplum attulimus), ut pelagus benignitatis, ut abyssus misericordiæ, num est qui tantillum resistere ausurus sit? » Deus est qui justificat, quis est qui condemnet [41] ? » Dominus enim et conditor est omnium, et idem rex animorum atque corporum. Non utitur curatoribus, non provisoribus, non aliquo vicario indiget. Quem enim timet Deus? Gloria Domino meo, gloria Christo meo, qui miseretur omnium, et omnes suscipit, si modo quis accesserit, si modo pœnituerit seu ille exoletus, seu mœchus, seu fur, seu publicanus fuerit *****.

CAPUT VIII.

Ad pœnitentiam cohortatio. Ad tribunal Christi judicis adversus scelestos diaboli accusatio.

ANIMA. Bonas mihi spes injecisti, meque delectasti.

[37] Matth. x, 1 seqq. [38] Matth. xx, 16. [39] Matth. xix, 23. [40] Ibid. xxiv, 25. [41] Rom. viii, 33.

Scholia.

* Chrysost. *Non parum est apud Deum, pro viribus, sed magnum quiddam, et illi gratum. Alacritas enim ab animo ; facere autem et posse a facultate proficiscitur.*

** Chrysost. *Licet enim, licet ex Dei benignitate inexplicabili etiam iis, qui opus non præstiterunt, de sola voluntate coronam auferre. Et quamvis non possimus opitulari, famemque dando repellere, tamen de voluntate perfectam remunerationem consequemur.*

*** Theologus. *Suscipit et Pauli plantationem, ut Pauli, et Apollo rigationem, et duo viduæ minuta, et humilitatem publicani, et confessionem Manassæ.*

**** Chrysost. *Si is qui virtutis munere functus erat, propter ostentationem ejus fructum amisit, quod supplicium merebitur, qui in peccatis gloriatur ?*

***** *Pharisæi Salvatorem reprehendebant* (Marc. II, 1 seqq.) *quod cum publicanis et peccatoribus manducaret, quandoquidem lex distinguebat inter sacrum et profanum : ignorantes, Christum supra legale judicium donasse benignitatis gratiam. Lex enim malum, seu peccatum exscindebat : gratia in bonum mutat. Cujus rei testes sunt Zachæus et Matthæus, et quotquot victi denuo pugnarunt et vicerunt.*

Digitized by Google

CARO. Non vides rem, ut potes, non vides : aliud enim vereor dicere, ne te audacius videar reprehendere. Alacritatem ostende, fidem adhibe, voluntatem, charitatem, spem non dubiam, paululum in hac vita labora, et ingentibus bonis potiere. Desiste, a peccatis præteritis longius refuge. Regnum cœlorum exstare audivisti, et illud pati vim atque a violentis tantum rapi [42]. Nemo hoc ingreditur, nemo salvatur, ni prius cum tentationibus luctatus, ni prius molestias doloresque perpessus : præcipue si illicita perpetravit. Hoc non ingreditur rapax, non injustus, non fur, non maledicus, non ebriosus, non cinædus, non corpus suum libidine contaminans, non mollis, non pestilens, non masculorum concubitor, non malevolus, non idolorum cultor, quem mors inevitabilis comprehensum abripiet, et in recessibus inferorum collocabit, ubi nulla penitus est confessio : id quod magnus inter videntes (prophetas) quoque scribit. Absterge, elue delictorum sordes. Annuntia commissa, ne diutius tacita habeto, et luge, et geme, et lacryma, et plora, quantumque potes, in salute comparanda elabora. Creator te paternis ulnis excipit. Quoties ceciderit, surge ; cadere enim humanum est : et propter peccatores, non propter justos Christus venit : et illos, non hos ad pœnitentiam vocat *.

Velut limis oculis aspexisti, irrita fecisti, transgressa es pacta, quibus Christo in sancta ablutione ascripta es, et Satanæ, atque angelis ejus servisti. Proinde cum Dominus in judicio sederit, draco improbissimus, ac primus apostata, ut invidus, ut insatiabilis, et crudelis dicet : Hæc, Domine, verbis duntaxat me negavit, operibus ipsis mea fuit, mihi servivit plurimum : meæ voluntati quamvis enixe, diligenterque obtemperavit : mea potissimum amica et familiaris est. Nihil in illa tuum est. Quid tibi cum ea? Non latent ejus actiones : teneo, quibus se obligavit, litteras : cœlum et terra scelerum ejus testes sunt. Tu, juste judex, quomodo ulla ratione injuste poteris facere? Tuis contentus esto : aliena cur appetis ** ?

Hæc judex judicaturus audiens, astantibus virtutibus, ministratoriis angelis, archangelis, principibus sacerdotum, athletis, et religiosis omnibus, quot ordines supra, quotque infra sunt, et audacem hunc clamorem admirantibus, non volet justam ferre sententiam, sed rationem probabilem, et excusationem quæret, ut in judicio tu vincas. Si igitur tu quoque tum aliquid probe factum habueris, aut fidei (quod præcipuum est) aut actionis optimæ, ut quiddam ad defensionem peropportunum, et optabile obtende, et ab imo pectore exclama : hinc enim misericordiam impetrabis, et cum ovibus ad dexteram collocaberis, manibusque sceleratissimi impostoris eripere. « Non in manu potenti [43], » sed in misericordia, et judicio. Atque hinc et ad judicem major redibit gloria, et ad te laus, si salutem consequere. Dum tempus est, contende : tempus hic est operandi. Dum es in via, emendare, et salvabere. Exerce talentum, cave ne defodiatur. Thesauriza tibi virtutes, ut in judicio abs te malignum queas depellere, et habeas cur salvere. En, et exemplum adduxi tibi, et cætera quoque, prout voluisti, et censuisti, explicavi, auxilio illius, qui solus docet homines scientiam. Quod si quid a me falso prolatum putas, ideoque non credis, occurre quantum in te est, rursumque interroga : ego tuæ oppositioni respondebo. Quod si a me dicta tibi certa indubitataque videntur, ne de cætero cunctare, quæso, ne locum des desidiæ. Ad opera exsuscitare, et illa te ad judicium abeuntem, ut commodum itineris adminiculum viaticumque comitabuntur. Sin opera neglexeris, quod te maledictum maneat, dicere nolo.

CAPUT IX.

Parvum negligentiam atque socordiam non parva mala generare, ostensum ex historia Levitæ de libro Judicum.

ANIMA. Non repugno abs te dictis amplius, quibus assentior, et in sententiam tuam transeo maxime. Tu vero jam docere perge : propter istud, quod dicis, maledictum, quodque animum mordet, quid tandem ex desidia gignatur mali : hoc enim liquidius nosse desidero. Istud mihi edisserere ac patefacere ne differas : ut ne quid ex desidia mihi contingat mali, neque tecum perdas : te ut quæ non docueris ; me, ut quæ non didicerim.

CARO. Quoniam ita cupis, aures adverte. Jussi sumus orare, vigilare, sobrii esse, quandoquidem nescimus, qua hora fur venturus, et perfossa domo abiturus sit. Qui vigilare instituit, oculos vigiles

[42] Matth. xi, 12. [43] Psal. cxxxv, 12.

Scholia.

Principio peccanti omnes ignoscimus, propter inexperientiam : post multos autem recursus supplantatum, difficulter quis venia impertiendum existimabit, ut qui ex negligentia socordiaque ceciderit. Nec istud solum est indignum, et horribile, sed etiam, quod multis scandalizatis, et sæpe ignavioribus effectis, ipse tanquam criminis reus, et inexcusabilis evadit : « Cum autem averterit se justus, inquit, a justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecit, non recordabuntur amplius. In peccatis suis morietur, et justitia justi non liberabit eum, in qua die erraverit (Ezech. xviii, 24). »

** Chrysost. *Bonus est Deus, sed idem justus. Justi autem munus, pro dignitate mercedem reddere : sicut scriptum est, « misericors, sed et judex (Psal. cxi, 4). » Ac Deus quidem, quanquam regnum cœlorum promittens, non auditur. Diabolus vero cum hominibus gehennam comparet, diligitur et amatur : et cum ante gehennam hic probra et ludibria, mille pœnas, ipsamque mortem importet, nihilominus prompte sibi obsequentes non paucos habet.*

Digitized by Google

circumfert, nec dormit ut nos, nec rhonchos trahit : sed lampadem accendit, et, ut prudens, in vase oleum ad salutem habet, quod est misericordia erga pauperes, ex charitate et miseratione adversus eos, ut fas est, exsistens : et paratus est, et citra dormitationem vigilias agit. Atque hic beatus servus appellatur [44]. Qui autem procrastinat, indignus est, et miser. Vita hæc in actione versatur, tanquam mercatus quidam *.

Quia igitur mercatus est, lucra tua sectare. Futura vita pro meritis præmia singulis persolvet. Ibi voluptate potientur, quotquot hic vigilant : e diverso, punientur quotquot hic inertiæ ac languori se dedunt. Excitare proinde, vigila, semove abs te socordiam. Lugeamus quantum possumus : ducamus gemitus ex alto pectore. Et quoniam simul vivimus, altera alteram incitamus, et ad opitulationem mutuam exacuamus. Nam si repertæ fuerimus remissæ, et ad cursum segnes, frustraque diem ex die transiverimus, ex improviso mors ut leo in nos irruet, inopinata sequetur dissolutio, et copula nostra dirumpetur, peribitque mistio ista admirabilis, et una pars nostri sub terra, ut ex terra procreata relinquetur : altera, utpote mens, ad mentium naturam revertetur. Timendumque ne quid ambæ patiamur tale, quale olim passus est Levites, malum intolerandum, insperatum, et omnino non ferendum, cum uxorem morte turpissima amisit, sicut in libro Judicum memoratur.

Anima. Quæso, istud mihi latius declara. Equidem historiam hanc cognoscere cupio. Sat scio, cum nobis, tum aliis proderit, quibuscunque studio erit hinc fructum colligere ; et is sermo ad disciplinam conducet.

Caro. Longa et varia est narratio, atque idcirco et cognitione, et disertiore lingua ad explicandum eget. Ast ego utroque destituta, facere verba vereor.

Anima. Quanquam res est difficilis, tu tamen mihi debes obsequi in omnibus. Quapropter tolle moras.

Caro. Obsequor, dico, et hinc duco initium. Olim vir quidam Israelita, tribus Leviticæ, habitans in latere montis Ephraim, uxorem accepit Bethlehemitidem ex Juda, quam in suam regionem secum duxit. Mulier aliquanto post icta desiderio parentum ac patriæ, eo revenit, ac perdiu apud eos mansit, diebus centum viginti videlicet. Post maritus consurgens cum duobus asinis, et puero ad conjugem reducendam properato abit. Socer generum amanter recipit. Apud quem ille toto triduo diversatus, quarta luce mane exsurgens, domum redire voluit. Socero autem rogante filios, ut etiam illo die secum manerent, audiunt illum, manent et cum eo se lætitiæ dedunt. Quinto demum die genero iter urgente, nullaque jam dilatione interposita ad abitum incumbente, socer ei persuadet, ne jejunus discedere velit. Prandent una rursum, et procedit dies, illisque ultra debitum tardantibus, iterum a patre filii detinentur, et die etiam illo manere compelluntur. Cum postridie mane in viam se conferre pararent, iterum socer ut maneant precibus instare. Verum ille detrectavit, et alieno tempore egressus, vix ad oppidum Jebus pervenit. Jam sol ad vesperum et occasum urgebat, cum puer consilium dedit, uti illuc diverterent. Verum Levites eo declinare noluit, quod ei in Gabaa, urbe munita et tribus Benjamiticæ, pernoctare deliberatum esset. Transierunt ergo Jebus, occubuitque eis sol juxta Gabaa, quo hospitii causa se receperunt, id quod malorum maximorum principium fuit. Igitur senex quidam tribus Ephraim, probus moribus, qui tunc advena illic incolebat, in publico sedenti occurrens, eum salutat, quærit unde veniat. Quod cum mox didicisset, et ut erat ingenio hospitali, ejus misertus esset, ambos in ædes suas invitat, introductosque benigne habet. Cæterum quidam indigenæ libidinosi ac protervi, hunc hospitem lascivis oculis intuiti, facto sodalitio, ut rabiosi canes, pulsare, et impellere januam diversorii, virum (pro facinus) ad muliebria patienda expetere : non jus et fas, non hospitii, non legum sanctitatem revereri. Quid ad hæc senex hospes et honestus ? obstupescit illico, non se capit, ad pedes detestandorum illorum procidit, quantum potest obnititur, hospitique suo consultum volens, amentes illos rogat, ut minore malo sint contenti, relictoque viro, sua filia adhuc virgine, et cum ea uxore hospitis quem quærebant, ad suam libidinem abutantur. Illi vix huic preci annuunt, mulierisque castitati mirum in modum illudunt, totaque nocte, vi adhibita eam deturpant ac defœdant, vicissim nefaria libidine sese inquinantes : ut oriente sole dimissa, et ad januam senis veniens, et sive calamitatis magnitudine, sive doloris acerbitate humi cadens (o rem novam) statim animam ibidem exspiraret. Inventam ante ostium jacentem Levites dormire existimans, ubi mortuam cognovit, ut erat, mortuam jumento imposuit, domumque onus omnium acerbissimum portavit. Postmodum in partes duodecim divisum, ad unamquamque tribum unam partem mittit, nuntio apposito in hanc sententiam : Num egregium factum sit, vos ipsi considerate, et

[44] Matth. xxiv, 46. [45] Judic. xix, 1 seqq.

Scholia.

* Chrysost. *Nam et homicida quandiu in via est, potest mutare animum, et supplicium effugere. Ubi autem judicis arbitrium subierit, gladius, carnifex, barathrum illi imminent. Sic plane et nos, quandiu in hac vita sumus, mutatis moribus sempiternas pœnas evadere possumus. Ubi hinc in alia illa loca migraverimus, frustra lamentabimur.*

Digitized by Google

sincere judicate. Sin factum hoc contra Creatorem, et exsecrandum scelus est, in reos, ut par est, vindicate. Re cognita, zelo Israelitæ accenduntur, copias expediunt, quadringenta millia, omnes omnino tribus, præter Benjamitas, quorum numerabantur viginti quinque millia; et Gabaonitas ejusdem tribus septingentos, et hos omnes bellatores peritos, ac funditores. Pro more omnes in Silo conveniunt, Deum consulunt, quæ tribus bello præesse, et præliandi initium dare debeat: responsum, Judam debere primam impressionem facere. Confligunt, caduntque primum præter spem de ultoribus viginti duo millia. Tum flentes Conditori supplicant. Altera puga committitur, iterumque decem et octo millia occumbunt. Denuo lamentatio in Silo, denuo supplicatio, et denuo conatus flectendi Deum per victimas, et fructuum oblatio, et sacrificia, et oblationes acceptabiles. Phinees filius Eleazari, nepos Aaronis primi sacerdotis, sacra peragens, istiusmodi voces effundebat: « Quomodo nobis sic iratus es? En secunda clades prima pæne major accidit. Nam cum arderemus ulcisci impios, ab illis, nescio quomodo iterum victi sumus. Verum age, nunc audi, et suffice nobis robur. » Obsequitur eorum voluntati Deus, et victoriam tribuit, qui « voluntatem timentium se facit [46]. » Insidias circum urbem locant, plurimos ignes accendunt, plenis agminibus procedentes, oppidanos ad pugnam etiam tertium eliciunt, manumque acerrime conserunt; omnes Benjamitæ, quinque et viginti millia, et centum præterea ferro conficiuntur *. Undecim autem tribuum quadraginta millia.

Postquam autem omnes de tribu Benjamitica, ut breviter dicam, cum conjugibus et liberis bello absumpti sunt, et sexcenti duntaxat relicti, in petram Rhemnon confugerunt, ibique totos sex menses commorati sunt, undecim tribus in Maspha se conferentes, et internecionem generis sui magnæ calamitati ducentes, primum unam tribum Benjamiticam scilicet, ex aliarum numero deletam luxerunt. Nihilominus adhuc iisdem irati conjurant, et inter se pactum ineunt, uti neminem flagitiosorum illorum qui in Rhemnon confugissent, quispiam sibi generum facere sustineret. Cum porro solemne festum in Silo advenisset, ad quod omnes undique ascensuri essent, et lege veteri Judæorum nemo abesse ab ea celebritate posset, rursum eos qui prius conjuraverant, ut cum nullo unquam illorum sexcentorum affinitatem conjungerent pœnitudo subiit.

A Sed quoniam tribules Galaat simul in Maspha non ascenderant, datum adversus Benjamitas jusjurandum negligentes, decem millia contra eos miserunt, ut tanquam perjuros omnes occiderent: solas autem virgines reservarent. Editur mandata cædes, et puellæ illis servantur, omnes numero quadringentæ, quas fœdere facto Benjamitis nuptum tradunt. Quia vero ducenti sine uxoribus restabant de illis Israelitarum a majoribus natu, quibus cura erat tribum Benjamiticam ad cæteras recuperare, tametsi juraverant generi illi non parsuros, alia suscipitur cogitatio. Inveniunt modum, quo etiam hi uxores adipiscantur. Mandant proinde illis, solemne anniversarium fore in Silo, eo accelerarent, atque intra sepia vinearum insidiose latentes, virB gines indigenas ad choros ducendos procedentes raperent, nec plures, quam pro numero suo, id est, ducentas, raptasque domum ducerent, et in matrimonio sibi haberent. Si eorum cognatio, patres, fratres, propinqui et amici hunc raptum accusatum venerint, dicturos non habere se quid faciant: cur rogantibus non dederint? legitimam nihilominus affinitatem, necessitate probandam esse. Metuendum enim, ne miseri, naturæ stimulis subacti, aliunde sibi uxores, ex alienigenis, et incircumcisis quæsitum eant. Iis dictis a primoribus populi, verba secundum præceptionem ad rem conferuntur, rapiuntque sibi ex Silo uxores, tertia pars, inquam, eorum qui stragi superfuerant, iterumque Benjamiticum genus instauratum, et de integro ex sexcentis illis auctum est, ubi uxores adepti, ut dictum est, liberis operam dederunt, urbesque et castella multa construxerunt.

C

Rem gestam tibi totam exposui, et demonstravi, quantum sit in eo mali, si quis quod in manibus habet, segniter tractet. Vides enim ter infelicem illum viatorem, in quot incommoda ex segnitie incurrerit, amissa uxore, morte indignissima, excitatoque inter tribus belli incendio exitiali. A scintilla cœpit, et in facem excrevit, totumque genus arsit. Mutuo enim in se insanientes, et ruentes mutuo trucidarunt. Sed hoc facinus (o cladem insperatam) unius hominis desidia ac remissio invexit. Si enim hora tertia voluisset itineri se dare, D ante vesperam domum suam revertisset: nec cedendo soceri precibus, et semper remanendo tantum malum et passus fuisset, et aliis creavisset, sibi primum, subinde tribubus, et Benjamitis maxime **.

[46] Psal. CXLIV, 19.

Scholia.

* Isidorus. *Qui enim gravioribus erant astricti sceleribus, et longe majoribus eo quod patratum erat, ut vuri ac innocentes ad cædem fratrum suorum ascendebant unanimes. Verum experientia didicerunt illud: « Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui* (*Matth.* VII, 5). » *Nam undecim tribus cum a Deo descivissent, et cum idolis fornicatæ essent, ab una tribu devictæ sunt, simulque victores funditus exstincti perierunt.*

** Chrysost. *Prioris enim delictum, posterioris cautio fit, si attendamus. Nonne vides quomodo et matres, cum filiolus præcedens lapsus fuerit, si subsequens quoque labatur, durius eum verberant, subjicientes: non videbas illum te antecedentem cadere? quomodo tu quoque cecidisti? non vidisti? non habes*

Digitized by Google

Numerus omnium in hoc bello cæsorum, ex undecim quidem tribubus quadraginta millia, præter viros Jabes Galaad. Ex sola autem tribu Benjamin, mali auctoribus, exceptis mulieribus, ancillis, et pueris, viginti quinque millia, et centum. Usitatum est enim inprimis Scripturæ Veteris Testamenti, in enumeratione generis et genealogiæ viros tantummodo, non etiam feminas, non pueros seu mares seu femellas recensere. Viros igitur illos connumeravit, qui manifeste in viris ponuntur.

CAPUT X.

Remisse, et in peccatis vitam agitantes e rebus humanis duriter violenterque excedere. Secus accidere iis, qui ad superna animo et cogitatione conversi, vivendi rationes in melius commutant.

Quamobrem si me audis, neutiquam differes, B quemadmodum Levita, neutiquam tali procrastinatione utere. Nam si diem ex die ducamus, semperque crastinum frustra exspectemus; quoniam diversi casus vitam nostram circumstant, repente securis lethi apponetur, et arborem ut infructuosam radicitus amputabit; nostramque colligationem ante tempus dissolvet, ut conjugem a Levita abstraxit, et in pugna tribuum tot millia prostravit. Quanquam illa corporum separatio fuit, nec spiritus animæve periculum habuit. Et quoniam anima mori non potest, supplicium immortale luet, si non quo statu debet e corpore emigraverit. Judicium plenum est horroris, pœnam quis sustinebit *?

Ultimis horis currimus, finis est in foribus, æstas adest, albæ sunt regiones, falx instat, tempus est messis. Vita nostra est miserrima, mores infructuosi. Nescis quam vana sint in rebus humanis omnia. Nondum nosti bonum, vel ipsa diuturnitate temporis. Nondum satiata es videlicet rerum caducarum usu. Si finis vitæ est incertus, in adolescentibus incertus est, in senibus manifestus et minime dubitabilis. Sperant juvenes ad senectam se perventuros; senes de vita longiore desperant: jam enim terram intuentur, et quæ terrena sunt maxime aspiciunt; unde et γῆρας, *senectus*, ἀπὸ γῆς, *a terra*: et corpus simul magis magisque incurvescens, in senibus termini adventantis indicium est. Et quidem in humum unde processerunt proclinantur, quam et tanquam sinum maternum subire festinant: et lex nobis lata exstat, ut qui de terra sunt, in terram revertantur [67]. Præterea quod senescit et inveterascit, prope interitum aiunt esse, quodcunque illud est. Quomodo igitur etiam senex deterioribus inhæres, neque prophetam illum clamantem audis: « Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum [68]. Eheu ** !

In quemnam alium potius, quam in nos istuc convenit? Quod si peccans, putas fortasse te divinas manus, et fæcem iræ ejus in extremo posse effugere, et ob hanc causam ignava es ac torpes, qui tandem cum ista opinione tua non cæca es? Væ tibi, et sæpe, nisi pœnitentiam agis. Divinam benignitatem cave ullo modo despicias: divitias bonitatis [69] ejus neutiquam negligas. Est enim longanimis, et vult te converti ***.

Tu autem non converteris, magisque ipsum irritas, et thesaurizas tibi futura supplicia, quibus rebelles judicio illo damnatos puniet ****.

Resipisce, vigila quantum potes: stultos zelus igneus exspectat. Nihil mirum est quemquam ægrotare: sed morbum flocci pendere *****.

« Et horrendum est incidere in manus Dei viventis » [70], juxtaque vivos ac mortuos incorrupte C judicantis, et cuique dignam factis mercedem persolventis. Etenim ignis est Deus [71], ignis urens et illuminans: insipientes urens, prudentes autem illustrans. Hic appropinquat, ut de omnibus justam judicii sententiam ferat: tu vero dormitas, negligentiæ succumbis, dormis et obdormiscis, idque Sponso neutiquam morante [72], et parato illo ad nuptias his qui digni fuerint, tu non habes vestem dignam ullo modo [73]: sed tota sordibus et maculis plena jaces, nec ablui purgarique ab his quæris. Iterum ac sæpius tibi dico, ne contemnas, ne differas, ne peccata cumules ******.

Prope est qui judicat, cur judicium non times?

[67] Gen. III, 19. [68] Isa. V, 18. [69] Rom. II, 4. [70] Hebr. X, 31. [71] Deut. IV, 24. [72] Matth. XXV, 1 seqq. [73] Matth. XXII, 11.

Scholia.

oculos? itaque quod alii ante nos ceciderint, non solum venia nos privat, si in eadem inciderimus: sed etiam supplicium nobis auget.

* Theologus. *Aliquando dolor voluptati præferendus est, et vultus demissus ac mœstus pompis ac spectaculis, et risui inhonesto lacrymæ laudabiles: « Quis sapiens, et intelliget (Osee XIV, 10)? »*

** *Catenis enim suorum criminum quisque constringitur.*

*** Chrysost. *Benignus est Deus; ideo non statim delinquentes pœna mulctat, eorum conversionem exspectans. Quod si nonnullis omnino hic parcit, futuras iisdem pœnas atrociores infligit.*

**** Isidorus. *Non te, homo, regnum cœlorum incitat: non gehenna terret. Non advertimus nos bestiam immansuetam delinire, et in forma humana cum perverso dæmone colluctari.*

***** Chrysostomus. *Non est moleste ferendum quempiam male habere: sed cum male habeat, non curari. Nec simpliciter ulceribus affectum lamentamur, sed sic temere jacentem sine medicorum auxiliis. Eum porro qui secatur, et uritur, ad sanitatem tendere dicimus. Ita quoque quod ad animam attinet, nos geramus censeo. Non eos qui tentantur, sed qui impune peccant lugere ac deflere oportet. Nam improborum animadversio, justos ad officium attentiores facit.*

****** Chrysostomus. *Fatemur quidem, nos regnum Dei desiderare, sed per quæ illud adipisci queamus, nobis sollicitudini non sunt. Quod si Deus inflammatum animum tuum, excitatam voluntatem viderit, ipse te ad perficiendum juvabit. An non dicentem audivisti: « In mundo pressuram habebitis, et mundus gaudebit, vos autem contristabimini (Joan. XVI, 33)? »*

Digitized by Google

repente superveniet, quid tempus frustra conteris? Memor esto eorum quæ patraveris, et emenda, et esto vix tui memor, et te geras provide. Cognoscis veritatem, nosti quid deceat, si tamen affectionibus animum turbulentum non habes. Cognoscis, quemadmodum peccatum adducat supplicium : virtuti autem deditum esse, contra voluptatem comparet. Tu secus egisti, idque insipienter. Peccatis dedita es, virtutis studium fugis. Et deterioribus gaudes, bonis abstines, neque cohabitatricem tuam ad eadem tecum pertrahis. Falx æstatis advolat, messis instat, regio albet maxime. Et quomodo coram Judice apparebis, quæ fructibus cares, cum opera mala ante te nuda stabunt? quæ omnia exhibebunt, et demonstrabunt, quæcunque clandestine, quæcunque palam designasti, quibus deteriora nemo fecit ab orbe condito? Tempus tibi restat brevissimum, ut ex aspectu tabernaculi tui patet. Etenim consenuisti, et ad metam tendis : « Memorare novissima tua, et non peccabis [54]. » Rogo, ignava ne sis. Nosce Fictorem tuum, et quis te mecum, domina, copulaverit, et quæ inter nos mistio, et quale istud temperamentum. Et quis conditor, quis judex, et mercedum distributor. Quis renes, cogitationes, et corda intueatur [55], et quis a sordibus peccatorum mundare possit [56]? Tempus est abluendi te, ad hoc enim spatium tibi concessum est. Noli celare amplius : dic tu primum peccata tua, et occulta et aperta, seu verbo seu opere commissa, quibus me miseram tecum quotidie corrumpis. Quid si rapiaris, si hoc nexu solvaris antequam convertare, et a principe latronum, ut infelix mancipium abducare, tuorum scelerum catenis impedita? Væ tibi, quantum tunc ingemisces. Cum dictum sit : « Quos Deus conjunxit, homo non separet [57], » neve penitus quisquam id audeat, quid illi fiet, qui animam a tabernaculo suo prorsus distraxerit? quomodo non suppliciis, et quidem extremis afficietur? si igitur, ut dicebamus, repentina nobis separatio (quod utinam ne fiat) acciderit, et finis improvisus, quomodo Levitæ ex animo parum attento factum est, quam veniam consequaris, abs te pendet.

Anima. Quonam pacto ego sola horum causa sum? et quomodo a me proficisci delictum pronuntias? alius est omnium Dominus, alius omnium Conditor; ille colligavit, ille separat; et ille vitæ ac mortis imperium habet [58]; et huic quidem addit, alteri aufert, et quod melius est disponit, et quod

A est utile judicat, hominumque vitam sapientissime regit. Quomodo igitur insontem tu me tam audacter accusas, et separationem a te male mihi objicis?

Caro. Rationi consentanea, et vera admodum loqueris. Terminum vitæ alius omnibus emetitur; alius finem hujus lucis mortemque distribuit. Et aliis quidem annos apponit, ab aliis rursum amputat, ut fecit Ezechiæ regi [59], et improbo Balthasar [60]. Ego vero plurimos novi, qui repente corruerunt in lege, et ante legem; rursumque post gratiam, quibus peccare contigit, nec in viam rediisse, ut in barathrum et profundum perditionis caderent; vitamque probam et honestam omnimodis neglexisse, et pro ea luxuriosam et improbam B amasse. Et hæc tremens David impense rogabat clamans : « Ne revoces me in dimidio dierum meorum [61]. » Et filius ejus Salomon : « Ne, inquit, esto similis impiis, et iniquis, nec duris corde, et incompatientibus. » Et mali pereunt, insuper mortibus immanibus, et tempestas veniet ad perniciem impiorum *.

Quod si vim verborum istorum nosse vis, res mihi considera, quemadmodum cum verbis conspirent. Respice superiorum temporum homines, qui sæculo Noe vixerunt : et rursum Sodomitas, et qui humo absorpti sunt cum Chore, Dathan et Abiron, centum quinquaginta; quique in solitudine interierunt, tot myriades. Heli filios mihi hic con- C sidera, Phinees et Ophni sceleratissimos. His et plurimis aliis, quorum nomina edere erubesco, improvise et puncto temporis emori contigit. Tu, si volueris, omnino plures reperies, et quo pacto, et qua ex causa interierint. Verumtamen unum quiddam solum, quod etiam Christi est, tibi dicam. In Siloe fine improviso deleti sunt viri pestilentes, improbissimi, et moribus detestandi, et digni his, quæ jam significavimus. Sic docet Verbum in sermonibus de pœnitentia de iis qui lapsu turris extincti sunt, genere Israelitæ decem et octo; idque propter peccata et delicta, quibus obnoxii pœnas omnino dederunt.

Et hoc addit : « Si pœnitentiam non egeritis, D omnes similiter peribitis ** [62]. »

Alibi [63] rursus discipulis loquens Verbum se vitem, illos palmites, Patremque suum, alioqui conditorem, agricolam nominavit. Palmes fructum non ferens, mortifera sectione exscinditur, in ignem

[54] Eccli. VII, 40. [55] Jerem. XI, 20. [56] Isa. XLIII, 25. [57] Matth. XIX, 6. [58] Hebr. II, 14. [59] Isa. XXXVIII, 1 seqq. [60] Dan. V, 1 seqq. [61] Psal. CI, 25. [62] Luc. XIII, 3. [63] Joan. XV, 1.

Scholia,

* *Qui oblique ad Deum accedit, ejusque mandatis adversatur, ad eum vicissim ille oblique veniet. Et merito. Ne facias mala, et non te comprehendent mala.*

Chrysost. *Qui ob præterita peccata pœnas dedit, veniaque dignatus est, si rursum peccarit, majus sibi judicium iræ parat. Quanto enim majus est donum, tanto peccatum minus ignoscendum judicatur. Judex enim, si latronem et furem comprehenderit, punitumque dimiserit, si postea eadem scelera admisisse invenerit, longe acerbius punit : quandoquidem priore venia melior non evasit.*

** Maximus. *Mala voluntaria, involuntaria generant : non enim potest, qui peccavit, futurum judicium sine aut sponte sua hic susceptis, aut extrinsecus illatis afflictionibus effugere : « Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei* (*Mich.* VII, 9). »

Digitized by Google

conjicitur, et ardet, et perit. Consentanea his et consequentia scribit David : « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tetendit, et paravit in eo vasa mortis [a]. » Cernis, non pœnitentes, neque conversi, et compuncti, quomodo male pereunt, et insuper damnantur interitu repentino, ut liquidissime ostendimus. Qui autem studiose ante obitum vitam suam, moresque in melius formaverunt, et cum lacrymis ac pœnis voluntariis pœnitentiam egerunt, misericordiam impetrant misericordis Domini : id quod cum e multis, tum e Ninivitis potissimum apparet : qui cum in cinere et sacco pœnituissent, vitam conservarunt ; et e Manasse, qui per fletum et correctos mores salvatus est. Ex publicano, ex latrone, ex meretrice, ex filio prodigo, ut Davidem, et Petrum magnos illos taceam, et (ne verbosa videar) plures præterumittam *.

Num aliam præterea demonstrationem requiris, an a me dictis contenta es, an incredula es, et ægre fers pertinacia quædam Hebraica?

ANIMA. Prorsus verbis tuis fidem habeo. Absit enim a me, ut tam vere dictis fidem negem. Quomodo enim quispiam adhuc hæsitarit, et credere detrectarit? Quin vehementissime dictis istis obstupui et cohorrui, et omnia peccata ac delicta mea reputo. Reputo ut abs te audivi, judiciumque tuum amplector. Dixisti enim quod conducat, et in commune prosit.

CAPUT XI.

Qui hic peccata sua confessus non fuerit, eum alia via salvari non posse (4). Cur Petro ante alios claves traditæ. Quid sit pœnitentia. Notanda magnopere quæ hic de confessione sacra disserentur.

Porro me præter alia hortaris, ut peccata mea spiritualibus Patribus annuntiem, quibus me et te fœdavi, et pro absolutione ea confitear. Mihi autem primum perquam difficile est hæc in memoriam revocare. Deinde timor, pudor, dubitatio, et angor me impediunt, quominus serie quadam, et ordine omnia, quemadmodum a me commissa sunt, confitear : quæ arenam maris, guttas roris numero vincunt, et manent, et animam versant. Quod si forte in memoriam omnium rediero, et animo multitudinem complexus fuero, rursum æstuo, et tremor ac pudor me corripiunt. Confessuram turpitudinis opera, timor me invadit, et horror exanimat. Hinc impense angor ad declarationem occultarum pestium, quas infelicissime tacitas habui : quas diebus, noctibusque, quas volens et deliberate, quas verbis voluntariis, quas aperte, quas clam, quas ignoranter etiam perpetravi. Quis hæc omnia dixerit? quis per species enumerarit **?

Et tertius timor me incessit, ne cum totum dixero, aliis ad perniciem et scandalum dicam, iterumque judicium velut a nobis incipiat : malumque revertens, in caput meum recidat. Etenim si quis e vulgo aberrans peccaverit, ad ipsum solum damnum redundat, quoniam qui peccavit, in communi latere potest. At si quis statu sublimior, et sacerdos deliquerit, malum ad omnes communiter pertinet. Insuper timeo, et pudori mihi est apud sanctum virum aperte edicere turpia flagitia.

CARO. Nihil est penitus, cur formides. Quanquam enim pater est, cui peccata confiteris, tamen et ipse natura homo est, tibique carne, et spiritu similis : etsi alioqui vitæ rationibus, familiaritate cum Deo, ut virtutis cultor, distet abs te plurimum. In humilitate, in contritione cordis te ad pedes ejus abjice, ab imo pectore clama, ingemisce, quantumque potes recense omnia. Ne confundare, ne perturbere, ne concutiare. Quæ clausa habes, patefacito, et diutius tacere noli. Opera te-

[a] Psal. VII, 13.

Jacobi Gretseri notæ.

(4) Locus illustris pro confessione auriculari, de qua longe melius disserit Philippus, *Dioptræ* parens, quam Jeremias patriarcha Constantinopolitanus in sua Censura cap. 11, ubi ait : *Quæ autem* (peccata) *per oblivionem, vel animi pudorem confiteri* (pœnitentes) *omiserint, precamur pium et misericordem Deum, ut et hæc ipsa simul cum cæteris illis condonare velit, confidimusque eos talium etiam a Deo veniam consecuturos.* Et quidem quod ad oblivionem attinet, nemo id inficiatur. De pudore, alia ratio est : quia confessio debet esse integra, ut recte etiam *Dioptra* demonstrat ; integra autem non est, si quis peccata quorum memor est, solo pudore præpeditus, omittat. Probationes quæ afferuntur ex Veteri Testamento, rationes quædam probabiles sunt, quales nimirum ex figuris duci solent. Lege de hoc argumentorum genere Bellarminum lib II *De pœnitentia*, cap. 3. Sic et Isidori sententia de confessione peccatorum baptismo Joannis præmitti consueta plus nec evincit, nec evincere cupit, quam confessionem illam fuisse quemdam typum confessionis nostræ sacramentalis, ut idem Bellarminus copiosius ostendit, qui fere omnes locos ex Veteri Testamento pro confessione a *Dioptra* adductos, egregie ab hæreticorum nugis asserit.

Scholia.

* *Virtutis enim, et bonitatis comites sunt voluptas animi, et gaudium : vitii autem et peccati ærumna, afflictio, ploratus, cruciatus, mœstitia.*

** *Quemadmodum in navi, si nauta offenderit, vectoribus parum nocet ; si gubernator, commune omnibus exitium affert : ita subditorum lapsus, non tam communi, quam privatim suum cuique detrimentum afferunt. Sacerdotum vero ad omnes perveniunt, multoque illorum quam profanorum delicta severius vindicatur.*

De tractandis autem peccatoribus sic scriptum est ab Isidoro : « Medici excellentissimi, cum quempiam nacti fuerint oppletum vulneribus, tantum ei curationis et medicinæ adhibent, quantum vires affecti patiuntur, ne, dum vulnera sanare volunt, ægrotantem perdant. Magnum revera est aliquod delictum, et impunitate majus : ideo increpatio adhibeatur pro supplicio : venia autem detur celeriter, ut morbus ad sanitatem procedat.

Digitized by Google

nebrarum in lucem profer, ut de cætero in tenebris peccatorum ne ambules. Etenim, etsi naturam humanam gesserit, quemadmodum gerit is cui tu cogitationes tuas enuntias et committis, tamen Dominus tunc inaspectabili modo præsens, veniam, et absolutionem impertit *.

Imitare mansuetum Davidem, regem et prophetam : « Peccavi Domino » clamat ex imo corde. Et mox audit ; « Et Dominus transtulit peccatum tuum [65], » Nathane divino prudenter huic rei subserviente. Scriptum est : « Dic tu primum iniquitates tuas, ut justificeris [66]. » An enim si tu dicere nolis, Dominus eas non videt? Et qui tandem, qui videt, et prænoscit omnia? Qui tamen non absque pudore temporario te a futuro pudore liberari vult. Fidelis est Dominus : si tantummodo enunties peccata tua, omne debitum dimittet tibi, sicut dixit : nam quod manifestatur, etiam lux est manifeste : « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini [67]. »

« Adhuc te clamante, ecce adsum [68], » ait tibi, et prævenit. Christus Deus appropinquat iis magis, qui ei student esse proximi. Fidelis est Dominus in verbis et in operibus suis. Alia via mihi benignitatem Domini considera, qua peccantibus januam aperit : non enim regni cœlorum claves alteri tradidit, quam Simoni Petro, qui ipsum pernegaverat.

Anima. Quo judicio, quibus rationibus adductus est, ut id faceret, et cur non eas dilecto, ac virgini, cur non charo fratri tradidit, Jacobo videlicet, aut ejus cognomini? Petro, qui ipsum negaverat, eas committit.

Caro. Disce igitur rationem ejus quod interrogas. Et ex eo rursum Verbi propensionem ad misericordiam, clementiam ineffabilem, miserationum multitudinem, quibus erga lapsos utitur, qui est natura misericordissimus, cognosce. Ut enim lapsos lapsurosve aliquando liberaret et ad pœnitentiam ex timore, turbatione, et tremore ac timiditate animosiores redderet, non alteri alicui sibi obsequentium, sed Petro potissimum, qui ter eum negaverat, claves illas cœlestes dedit : ut ille, si alios deinceps cecidisse, et per pœnitentiam pulcherrime resurgere, lacrymisque maculas abluere, et violenter regnum supernum rapere audiret, verborum Domini ad se, et quomodo statim cecidisset, cribratus ut triticum, memor, et exemplo ad compassionem promptior, lapsis iterumque se erigentibus, sine molestia, ac prompte cœlestem januam reseraret **.

Anima. Gloria Deo meo, gloria Christo meo, cujus clementia et patientia nondum adest finis ultimus.

Caro. Quoniam igitur plene didicisti, quam ob causam Christus Petrum tradendis ei clavibus majoris æstimarit, in eoque alios omnes discipulos præterierit, viriliter age, ne cadas animo. Petri exemplum tibi propone, qui nihil neglexit, nec dissolute egit, nec rem cunctando procrastinavit, neque propter delictum socordiæ indulsit, nec dolorem posthabuit, quo multo erat opus ob id cujus gratia a divinis septis, et a parte Christi illa desiderabili abjectus erat. Sed celerrime ad sanitatem reversus, et malum suum cognoscens, ut cordatus, ut constans, ut fidens animi miles, lucta instauranda victorem suum vicit : et qui adversus se insurrexerat, eum prostravit : nam qua nocte cecidit, eadem resurrexit ***.

Ne proinde cunctare, sed quam habes in conspectu viam, ingredere. Vade viam, quæ te ad pœnitentiæ altitudinem ducit. Et, si cadis, resurge ; si dormis, expergiscere, propositumque ac voluntatem muta in melius, et veniam adipiscere, quandoquidem penes te (aut penes quem alium, est Creatoris venia, qui solus habet potestatem dimittendi peccata. Hic enim abs te committuntur, et rursum abs te omittuntur. Hic remissionem, et absolutionem accipiunt : nam quæ confessio apud inferos? Hic pœnitentiam arripe, et omnia tibi condonantur, et tunc claviger tibi januam reserabit.

Anima. Quam supra et infra, ac toties prædicas

[65] II Reg. XII, 13. [66] Isa. XLIII, 9. [67] Jac. V, 16. [68] Isa. LVIII, 9.

Scholia.

* Chrysost. « *Quis gloriabitur castum se habere cor : aut quis mundum se a sordibus libere profitebitur* (*Prov.* XX, 9 ; *Job* XIV, 4)? » *Omnes igitur misericordia egemus : sed non omnes misericordia digni sumus. Etenim quanquam misericordia non deest, nihilominus dignum se postulat, juxta illud :* « *Miserebor cujus misertus fuero : et clemens ero, cui clemens fuero* (*Exod.* XXXIII, 19). »

Idem. *Peccato nihil exitiosius accusatione et condemnatione. Demus operam ne peccemus. Si peccaverimus, ne per negationem et occultationem male commissi nobis ipsis pœnam exaggeremus.*

** Chrysost. *Corpora enim morbo affecta curare, non est cuivis facile : at vere animam ægrotantem sanare, quivis sine magno negotio potest. Et ad corporis quidem adversam valetudinem depellendam medicamentis et pecunia opus est ; anima autem parvo pretio, et nullo sumptu convalescit. Sola quippe voluntas satis est, qua omnia expedite et cum virtute conficiuntur. Nam confessio iis qui peccaverunt, peccatorum fit abolitio.*

*** Isidorus. *In peccatum prolapso perniciosum est non pœnitere, perniciosius desperare : nam cum illud ab ignavia, hoc a stupore et stoliditate proficiscitur. Quanto autem stoliditas ignavia est calamitosior, tanto desperatio ignavia est nocentior. Illud quippe malum est immedicabile : hoc curationem admittit. Siquidem illud judicii est corrupti : hoc falsæ ratiocinationis. Sunt autem ignavia et stoliditas duo infestiora mala.*

**** Isidorus. *Quoniam quæsisti per epistolam, quo te verteres, quo ires, respondeo ego, ad pœnitentiam. Ipsa enim arx tibi erit excelsa, et sublimis, et muris inexpugnabilibus, atque in modum turrium altissimis undique circumdata.*

Digitized by Google

pœnitentiam, doce me quænam sit; et quomodo salus mea in hac sola sita sit, perque eam solam, non per aliud acquiratur.

Caro. Pœnitentia a me dicitur, et est, a diabolo ad Dominum per sudores et labores exercitationis alicujus reversio. Ad bonum in abstinentia a malo conversio, cum quis, discussis tenebris pessimis, quibus obnoxius omnigenis passionibus servivit, recurrerit ad Deum, ab his quæ sunt præter naturam, ut prudens, reversus ad ea quæ secundum naturam sunt. Hæc est aperta mutatio mentis et pœnitentia; revocatio, resurrectio a peccato, seu pactum cum Deo vitæ melioris. Sermo autem prophetæ est, imo Salvatoris. Postulat enim conversionem, ut convertatur, nostram erga ipsum, et ejus ad nos. Misericors, inquit [69], sum, et diligens misericordiam natura, longanimis, diligens viscera misericordiæ, benignus, filiorum amans, paratus converti propter humanas nequitias. Hæc ipsa etiam David psalmographus scribit: « Declina a malo, et fac bonum [70] *. »

Ferme eadem Paulus ad Romanos scribens mandavit [71]. Membra vestra exhibuistis ad serviendum peccatis, membra, inquam, Christi capitis omnium. Verum age, aptate ea ad serviendum Verbo. Quomodocunque et huic serviant membra. Porro vir quidam spiritualis, animo ferventi, ad Dominum rursus ita clamare ausus est: « Dignare me, Domine, et te quodam modo diligere sicut peccatum dilexi, heu mihi! et tibi servire puro Domino prompto animo ac studio, sicut peccatis servivi. » Si quis ita se convertens alacriter se converterit, merito dicetur pœnitentiam agere. Quod si mens ut mancipium in habitu consueto dominationem et tyrannidem patiatur, cum cogitationibus et opinionibus non bonis, impulsibus, et luctis, quibuscum commercium habens, voluptatibus inquinatur, et inde in corde passiones morabuntur, nec virtus ibi est inde emergendi (quandoquidem passionibus impeditæ cogitationes eam una secum trahunt), nec est revocatio, aut memoria conversionis. Qui enim esset, cum tanta absurdorum turba oppressa teneatur **?

Sed ne sic quidem consternari debes, desperan- A doque concidere: sed occurrere, et rationes, quantum potes, reponere, ut ne illam in ultimas tenebras devolvi patiare. Qui enim minoribus victus cadit, ejus mores etiam in majoribus corrumpuntur. Qui vero levioribus resistit, etiam gravioribus adversabitur. Nam si parva debellaveris, majora quæ te appetent?

Anima. Docuisti, idque satis, spiritualibus Patribus peccata confitenda esse, cogitatione, verbo, opere commissa, quod quidem ad salutem conducit vehementer, faciendumque est omnibus, quibus sua salus curæ est. Ego porro nosse desidero ubi hac de re scriptum sit; num lex de eo vetus, aut nova exstet, quæ nos viris spiritualibus hortetur exponere quid noctu et interdiu egerimus. Audivi B enim nusquam in litteris mandatum reperiri: nec opus esse, hominibus cogitata enuntiare, sed soli puro Domino.

Caro. Negligens et iners mihi videris, neque scrutari Scripturarum oracula. Quod si Patres tuos, ut scriptum est [72], interrogares, ipsis annuntiantibus rem totam uti se haberet cognosceres, et nunc haud imperita et indocta appareres. Quod si et hoc te latet, ego tibi pandam. Pentateuchum, id est, quinque libros Moses ille Dei spectator Hebræis conscripsit, Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium. In Numeris igitur etiam hoc præter alia posuit: « Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel: Vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent C hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum, et reddent ipsum caput, quintamque partem desuper ei, in quem peccaverint. Sin autem non fuerit qui recipiat, dabunt Domino, et erit sacerdotis. Et hoc quidem in libro Numerorum *** [73]. »

Quod si plura testimonia desideras, Davidis librum, Salomonis, omniumque aliorum prophetarum attente perlege. Omnibus enim quiddam super hoc insertum est, oportere omnes utriusque sexus admissorum confessionem obire, et quantum possunt eo alios adducere. Nec verba Verbi ac Domini audisti, qui longe clarissime de hoc sanxit?

[69] Ezech. xxxvi, 1 seqq. [70] Psal. xxxvi, 27. [71] Rom. vi, 1 seqq. [72] Deut. xxxii, 7. [73] Num. v, 6-10.

Scholia.

* Chrysost.: *Non idem est a peccatis desinere, et justum esse, sed aliud hoc, aliud illud. Non enim satis est discedere ab improbitate, ut justus fias. Ait namque, « Declina a malo, et fac bonum, » ubi illi, « Declina, » statim « bonum, » seu fructus virtutum subjungit.*

Basilius: *Pœnitentibus recedere tantum a peccatis, ad salutem minime sufficit: sed eos etiam fructus pœnitentiæ dignos facere necesse est. Non enim qui bene incipit, seque bene exercet, hic perfectus et beatus est: sed qui bene claudit vitam suam, et ita ut Deo placet, ad finem perducit. Hæc cum sciamus, in fine ne corrumpamus.*

** Isidorus: *Idcirco et Joannes professionem ante* D *baptismum requirebat in his qui ad se confluebant. Non quod ea indigeret, sed ad se adventantium salutem ita efficere studebat. Nemo enim, antequam peccata sua confiteatur, salutem potest consequi: hoc siquidem revera humilitatem gignit.*

*** Theodoretus: *Jubet enim eum qui alteri re quapiam nocuit, primum confiteri peccatum; deinde eidem ablatum restituere. Quod si contigerit, eum cui illata est injuria, ante vita defungi, quam noxius pœnitentiam egerit, id cognatione proximo reddere. Quod si nullus fuerit, nec inveniatur cognatus, Deo offerri. Quod autem pro peccato redditur, cedere in usum sacerdotis.*

Digitized by Google

Nec quæ hortati sunt, et scripserunt apostoli, præcones Verbi; nec quæ magistri, et primi Patrum? Ut paucis dicam, omnes hortantur, clamant, et universos ad annuntianda ipsorum cogitata, dicta et opera invitant. Non est enim aliud, ut diximus, principium pœnitentiæ, nisi occulta spiritualibus viris detegere, sicut et Dominus ad Mosen dixit. En docui quæ dicatur pœnitentia, et quæ sit, et unde. Si ergo vis, accede, pœnitere incipe. Nihil est quod impediat, nihil quod prohibeat. Verum audi, et extremum sermonis mei pernosce. Verbum est Christi : « Si non venissem, inquit, et eis locutus non fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent de peccato suo [74]. » Quod dictum ad te tuique similes pertinet *.

Anima. Optime doces omnia, egoque admitto et amplector, ac de cætero sociam, et opitulatricem vitæ agendæ, et consiliariam, et contubernalem te ascisco : tantum quæ convenit disseré, ut ambæ purgemur a sordibus, et pro viribus ad Dominum in superna curramus, nec in posterum ut pullus infrenis, aut rabiosa Scylla, tibi resistam. Quod si ambæ in scelus ruemus, et ego tecum puniar, et tu una multaberis. Quandoquidem nos unum esse animal planum est, e carne et spiritu conflatum, « quæ sibi invicem adversantur [75]. » Verumtamen una est vita, et actio una penitus, et judicium, et damnatio, et supplicium unum. Cum autem hinc discesserimus, tolletur actio, nihilque vel boni, vel mali operabimur **.

Caro. Ut me occupas, et trahis quo vis? Nec possum tibi ut famula non obsequi. Age, ut libet, non me excuso.

Anima. Duc me ad meliora, et adjuva me.

Caro. Fias bene placens, et probata Conditori; et ego opera tecum prompte capessam.

Anima. Pudor et timor futurarum pœnarum me tenet, a quibus liberari magnopere cupio.

Caro. Tu opera verbis congruentia demonstra.

Anima. Unum antea versum profari æquum est. Ita disseras velim, ut etiam apte convenienterque exordiare.

Caro. Quinam me famulam loqui deceat, ante dominam clarissimam multoque excellentissimam? Vereor ne id temeritati potius ascribatur.

Anima. Ast ego jubeo, obtempera, et sine mora prior dicto. Nam pro instrumento mihi es, et te verba facere oportet, mihique linguam ad sermonem commodare, citra quam nec quidquam omnino proloqui, nec Deum, ut decet, cantare, ac laudibus celebrare queo.

Caro. Quoniam præcipis, obsequor; tu fac attendas. Ex virtute tanquam genere quodam duo oriuntur : quorum aliud πρᾶξις sive actio, aliud θεωρία, sive contemplatio nominatur, per quas quis ad virtutis exercitationem elevatur, et ad intimam Verbi amicitiam provehitur. Ad praxin igitur tibi auxiliabor; nam theoria tua solius est ***.

Anima. Incipe igitur, ut potes, a praxi, tametsi praxin theoria antecedit.

Caro. Nec enim quisquam ad theoriam venire potest, nisi prius ad finem practicæ venerit. Incipiendum igitur tibi, et studendum in primis huic, laborandumque in gemitibus, in lamentis, in luctibus, in lamentationibus, in fluentis lacrymarum, in oratione constanti, in psalmodia stabili, in chamæunia humili, in maceratione caruneulæ, in contritione vera, in jejunio severo, in lectione Scripturarum, in earum meditatione et notitia, in pervigilatione continua, in opere manuum, in manuum elevatione, in genuum inclinatione, in forma divinæ sanctæ crucis exprimenda. Pectus libenter percute, ut percussit publicanus [76]. Distribue facultates pauperibus, ut scriptum est [77], et omne bonum opus quod poteris, hoc facito ****.

Anima. Oratione tua in me officiosa candide fuisti. Quod si et operibus me delectare volueris, tum revera et adjutrix mea vocabere.

Caro. Fidere tantummodo te oportet, fidere, inquam. Moveare ad Dominum motu operum, ad eum

[74] Joan. xv, 22. [75] Galat. v, 17. [76] Luc. xviii, 10. [77] Psal. iii, 9; II Cor. ix, 9.

Scholia.

* Isidorus. *Qui non paret rectori suo chorus, absurde et inconcinne canit : et ægrotus, qui non obtemperat medico, miser est. Rector autem et medicus culpa vacant. Num et ipse Christus cum Judæos, tum Judam crebrius officii monuit : tamen non eis persuasit. Persuadeantur enim necne auditores, ipsorum debet esse potestatis, propter arbitrii libertatem videlicet. Docentis munus est, nihil prætorire eorum quæ ad gignendam persuasionem valent; audientium, persuaderi. Etenim qui docet, dictionem, non item persuasionem in potestate habet. An igitur Christum accusabimus, quia Judæ et Hebræis non persuasit, nec eos salvavit? Neutiquam.*

** Basilius. *Duplicem ait animæ functionem esse, unam quidem vitalem corporis : alteram rerum contemplatricem, quam et ratiocinantem appellamus. Sed vitalis illius virtus a voluntate non procedit. Nam quemadmodum sole illucescente non potest non illuminari, in quod ille radios suos projicit : ita non potest anima non vivificare corpus illud, cui insita fuerit. Contemplatrix vero a voluntate vim suam accipit. Improbitas autem aliud nihil est, nisi virtutis interclusio, et absentia.*

*** Isaac. *Sicut cum primi homines fingerentur, prima fuit corporis fictio, deinde secutum est spiraculum : sic opera, seu actiones corporeæ, actiones animæ præcedere debent.*

Cognitio indiget actione, et actio cognitione. Unde ait Dominus, « Qui fecerit, et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum (Matth. v, 19). » Si enim sufficisset ad perfectionem facere tantum absque docere, aut docere solum sine facere, non ambo conjunxisset, his verbis, « Quicunque fecerit, et docuerit. » Ait enim Scriptura : « Jesus cœpit facere et docere (Act. i, 1). »

**** Chrysost. *Non enim ex gratia tantum, sed etiam ex fidei et virtutis usu salus comparanda est. Etenim ut ignis proprium est calefacere, et solis illustrare; sic Dei benefacere, et multo plus quam nos velimus. Ubi etiam gratia est, opera non sunt, et ubi opera, gratia non est. Ubi autem gratia est, superbire non oportet.*

Digitized by Google

sursum respiciens. et omnino ipse dabit. Et accede, et fide non procrastinata ad vestigia Conditoris tui procumbe, clamans cum lacrymis : Tu, Salvator, ineffabili tua exinanitione instaurasti, tu, Domine, salvasti naturam hominum e manibus inimici, et ex servitute. Tu salva me rursum gratia tua : es enim Deus salutis. Si enim ex operibus me salvaveris, erit ista compensatio, non gratia, manifestaque retributio. Mihi autem nullum adest opus bonum. Ipse solus bonus, ipse natura misericors, et tantum fidem requiris, et tantum charitatem vis. Si fides tantum redemptio est, etiam ipsis desperatis, fidem habeo, salva me, es enim Deus ad salvandum. Fides est mihi pro opere, fidem pro opere suscipe. Sufficiat tibi fides, quam et solam tibi offero. Si enim quoquo modo abstrahere me ab omnipotenti potentia tua pessimus tyrannus Belial potuerit (proh audaciam! proh impudentiam!) efferetur, et gloriabitur vehementer. Seu igitur voluero, seu non voluero, salva me; « cito anticipent me misericordiæ tuæ [78]. » Tu es Deus meus ab utero; tu custos, tu Servator meus. Hæc si compuncta dixeris, si e profundis clamaveris, si ex animo lamenta et lacrymas et gemitus fuderis, audiet te, et parcet, et salvabit, et liberabit; nam liberator est Dominus [79-87], et animorum Salvator solus. Habe spes bonas, et exspecta optima.

A

B

CAPUT XII.

Exempla Manassis et Davidis pœnitentium, et salutem consecutorum.

Anima. Verum ego omnes mortales peccando superavi : omnes peccatis omnigenis prætergressa sum; filium prodigum, principem latronem, meretrices, et publicanos, Sodomitas insuper, et Ninivitas. Omnes qui temporibus Noe vixerunt, et qui inde ab Adamo primo hucusque procreati sunt. Et metuo, ne seductor me devoret.

Caro. Ne adeo timeas, ne supra modum metuas. Nam dolor immodicus mentem evertit. Et formidandum, ne quod animæ damnum hinc accipias, et in imum exitium præcipites *. Sed patere te consolari : audies enim verba a viro quodam spirituali prolata, et ad hoc de quo agimus spectantia : Invenio, inquit, Manassem regem tantopere peccasse, divinasque leges transgressum esse, ut adversum Dei gloriam etiam detestanda idola constitueret : qua de causa genus Judæorum, in lamentis videlicet, ploratibus, et supplicatione jejuniorum ad Dominum clamabat. Non tamen illorum lamenta tunc, sed postea exaudivit, et in contritione cordis, in humiliatione animæ humiliato Manasse, contritionem illam minime est aspernatus. Quin etiam idololatriæ scelus, quod maximum et pessimum erat omnium, ei dimisit ** [80].

Si placuissent tibi victimæ : « si sacrificium voluisses, dedissem utique [78], » clamat ad Dominum David : at non his oblectaris, nec gaudes ullo modo : sed spiritus contribulatus, et humiliatus, placitus et gratus est tibi. Quæ sequuntur, rectissime et præsertim apud prudentes dicta sunt. Rursum David, alibi duorum peccatorum reus peractus (nam in eodem simul adulterium et homicidium commiserat), quia prostratus pœnituit coram Domino, quia procidens exclamavit : « Peccavi Domino, » et hanc vocem dedit cum pœnitentia, audit vicissim, et statim a Nathane propheta : « Dominus quoque transtulit peccatum tuum [79]. » Si tantum potest humilitas ad salutem, obtempera, confide, et humilitatem adhibe, veluti pharmacon quoddam adversus viperam, quæ intelligentia percipitur, et animas peccatis perdit præstantissimas. Perniciosum est tibi (iterum iterumque dicam), si immoderatius dolueris.

C

CAPUT XIII.

De concipienda spe divinæ misericordiæ, ex pœnitentia et humilitate.

« Petite, et dabitur vobis [80], » verbum est Verbi. Si pulsaveris, aperietur, et si quæsiveris, invenies. Quære, pulsa, pete, ne his faciendis defatigere, donec aperiatur et detur tibi. Si judex iniquus exaudivit viduam instantem, importune clamantem et accusantem [81], qui judicat orbem terrarum juste judicio [82] (quoniam justum est judicium tuum, Domine [83]) quomodo non cito judicabit, si tantum urseris, et sedulo petiveris *** ?

Anima. Gloria Domino meo, gloria Christo meo, qui misericorditer vult, et judicat, et salvat.

D Caro. Aliud quiddam majus, et elegantius accipe,

[78] Psal. LXXVIII, 8. [79-87] Dan. VI, 27. [78] Psal. L, 18. [79] II Reg. XII, 13. [80] Matth. VII, 7. [81] Luc. XVIII, 37 seqq. [82] Psal. XCV, 13. [83] Psal. CXVIII, 137.

Scholia.

* *Quomodo penitus non dolere propter admissa crimina perniciosum est, et extremi cujusdam stuporis : ita assiduo, et nimium dolere, omnibus est noxium. Nam angor et tristitia semper animo incumbens, sæpius mente a sua sede dimota ad insaniam redigere consuevit, et ad omnia bona honestaque inutiles efficere.*

** Theodoretus episcopus Heracleæ. *Misericordias Domini cum implorasset David, et mundari ab iniquitate, sive a peccato suppliciter oravisset, per hyperbaton infert, « Ut justificeris in sermonibus tuis : et vincas cum judicaris (Psal. L, 6). » Cum enim Deus pœnitentiam convertentibus se in remissionem peccatorum vertat (sicut et juramento confirmavit, « Nolle se mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat (Ezech. XVIII, 32) » perspicue verba illa attulit ad probandum, quasi diceret : Si mihi pœnitenti ignoveris, et converso propitius fueris, justificatus es in sermonibus tuis, et verus in promissionibus tuis tempore retributionis ostenderis. Me enim propter pœnitentiam misericordiam consecutum cum in medium produxeris, merito judicabis eos, qui pœnitentiam non egerunt, sed usque ad exitum vitæ peccatis inhæserunt.*

*** Chrysost. *Perseverandum est in assiduis precibus et vigiliis, sic enim exaudimur. Primum quidem ex*

Digitized by Google

quò et majorem omnino lætitiam haurias, doccarisque, et in puritate confirmeris : quam ob causam sermones utiles audire voluisti. Quando enim verbo et imperio dæmonas ejiciebat a dæmoniaco, rogabant illi Dominum impudenter, ne in cruciatum mitterentur : sed in porcos maximè, qui tunc pascebantur, ingredi juberentur. Et obtinuerunt quod desiderabant, processitque negotium, et hinc in ea regione, quorum erant porci in mare summersi, detrimento sunt affecti [84]. Num igitur ille non prægnovit, qui prænoscit omnia, scopum esse dæmonum, ut porcos summergerent? Nihilominus eis optata concessit : qui appellabantur legio, hoc est, ingens multitudo. Tuam autem petitionem, cui proposita est utilitas tua, an non multo magis, et benevolentius (gaudium enim est in cœlo, ut scriptum est, super uno peccatore pœnitentiam agente [85]) suscipiet, et procul adhuc tibi paternas ulnas ad complexum expandet? Sane magis te accipiet, magis admittet, qui totum orbem judicio incorrupto judicat. Alioqui justitia tanta Domini ubi tandem, et quando apparebit, si non tunc apparebit? Et si quis audiet dæmonas auditos fuisse, nos vero non audiri, judicis æquitatem desiderabit. Et insontem quomodo sontem facies? Quocirca iterum misertus, ut misericors, petitionem ut æquam humaniter implebit. Si tamen inflexibilis, et ignava, et remissa, et segnis, et accedia plena non petis, non quæris, non pulsas, non audis, quomodo janua aperiet tibi miserationum januam? aut quomodo invenies quod desideras? quomodo accipies quod appetis? Non lavisti lacrymis pedes Salvatoris, et quomodo amabilissimam vocem illam audies, « Remittuntur tibi peccata tua [86] ? » aut quomodo sordes peccatorum elues [*] ?

Dicam paucis, invitam te salvare non vult, nec sua ad hoc uti potentia. Nec enim mysterium salutis nostræ violentia et coactu peragitur. Voluntatem vult. Nescit virtus dominum. Quod autem violenter, aut voluntate tyrannica fit, non est, nec dicitur proprie virtus. Quod natura honestum est, voluntarium est, et arbitrii, non externæ necessitatis, ut dixi, sed affectionis ferventis et alacris, qua quis semet mandata servare cogit. Quod si solum compunctio, et contritio cordis voluntati maxime alacri succurrat, et lacrymæ, idque ex corde amaro, ex fervore et humilitate, ad vincula solvenda, et remissionem quam consequi desideras sufficit [**].

Non indiges sumptu, non labore, nec alio quopiam, unde tibi per continentem, per mare, per vias difficiles periculum aliquod, aut molestia pariatur. Sed in anima, in tabulis cordis inscriptum geris, quod te volentem nullo negotio meliorum admoneat : si modo etiam fides haud dubia insit. Cum tu purgationem obtuleris, paratam quoque remissionem accipis, ut dixi. Quod si tu in aliis quibusdam excusationes excusas, plurimaque et diversa, et sæpe prætendis, in his quod prætendas haud invenies, cum prætendi nihil possit. A multis prudentibus sæpenumero audivi, nec jejunium frequentandum, nec vigilias amplius, nec humi cubandum. Nihil quippe horum tantum posse ad salutem, quantum illud, quod magis celebratur : « Humiliatus sum, inquit, et liberavit me [***] [87].

Sicut publicanus humilitate cordis salvatus est, non quia laboribus asceticis se delassavit, nec quia insudavit occupationibus spiritualibus : sed quia humiliatus est, humilitate, quam perfectam et optimam ex superna gratia sortitus est.

CAPUT XIV.

Descriptio humilitatis ex effectis ejus.

Quid autem sit humilitas, breviter nunc tibi declarabo. Si senseris, et dixeris te omnium ultimam : te peccando vicisse omnes, et omne facinus nefarium, et omne genus sceleris, si quis alius homo, novis modis perpetrasse. Si quid aliquando deliqueris, id tuum existimaveris. Si quid recte feceris, id Dei gratiæ ascripseris : si neminem oderis, neminem afflixeris, neminem scandalizaveris. « Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundo maris [87*]. »

[84] Marc. v, 7. [85] Luc. xv. 7. [86] Matth. ix, 2. [87] Psal. cxiv, 6. [87*] Matth. xviii,6.

Scholia.

eo quod digni sumus, qui impetremus. Deinde, quia secundum legem a Deo præscriptam petimus. Tertio, quia sine intermissione. Quarto, quia nihil ad vitam istam spectans petimus. Quinto, quia conducentia orando quærimus. Quod nisi has conditiones habeat oratio, audiemus, « Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis (Jac. vi, 3), » et supra quam decet.

[*] Chrysost. *Num Deus oculos nobis tantum ad videndum largitus est? Hunc usum et in animantibus ratione carentibus cernimus. Et, si diligenter explores, quædam bruta nobis acutius vident. Tibi vero non solum ad visum, sed etiam ad pœnitentiam oculi serviunt. Commove lacrymarum fontem. Habes puteum; ex imo cordis, proportione perpetrati criminis haurias licet.*

[**] Basilius. *Quæ necessitate, aut vi aliqua fiunt, apud Deum pro virtute non reputantur. Quempiam autem sponte se ad mandata servanda convellere, manifestum est omnibus. « Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. (Matth. xi, 12) »*

Chrysost. *Medicinæ corporis peregrinæ sunt, et extraneæ : animæ autem medicamenta ex ipsamet, et propriis naturæ prærogativis habemus.*

Sciendum, nos ferventi et inflammata anima, et ardenti fide, ut meretricem illam, ad Christum accedere oportere, et peccatorum remissionem flagitare.

[***] Climacus. *Si inflata de se opinio quosdam ex angelis dæmones fecit, plane humilitas ex dæmonibus angelos facere potest : quamobrem qui cecidimus, bono simus animo. Si Cherubin, ob solam superbiam cœlo extrusi sunt, videndum, ne forte etiam absque alia virtute, et ex sola humilitate in cœlum ascendere liceat. Dolor quippe cordis et animi præ omni corporali labore satis est, « quoniam prope est Deus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabuntur. (Psal. xxxiii, 19). »*

Digitized by Google

Si neminem irriseris, neminem turbaveris, neminem judicaveris, injuriæ non memineris *.

Si neminem per calumniam ullo modo accusaris. Si neutiquam de alio detraxeris, nullum odio habueris. Si hæc rite præstiteris, acquisisti humilitatem : acquisisti salutem, haud dubie sine laboribus, sine ærumna, sine fossionibus, sola ad hæc voluntate sufficiente **.

Quod si et linguam loquendo quæ decent exercueris, scito te totum Decalogum probe observasse. Si quis autem se humiliaverit, piaculumque, et exsecrabilem, et ludibrium hominum duxerit, qui tandem verbum aliquod inutile, aut profanum, aut inane, aut gloriosum profuderit? Nunquam enim super contribules se eriget, despiciet fratres et amicos, nec deridebit in aliquo proximum : sed servum se inutilissimum reputabit, et tum ad felicem terminum, in Scriptura expressum perveniet : « Qui se humiliat, exaltabitur : contra, qui se exaltaverit, humiliabitur ***. »

CAPUT XV.

Epilogus, cum gratiarum actione ad sanctissimam Trinitatem.

En tibi salutis viam, eamque facillimam demonstravi, viam quæ compendio ad princeps lumen perducit. Nihil enim habet laboriosum, neque ad dispiciendum difficile, nihil acclive, nec tortuosum, A ut labyrinthus : insuper nihil rebus ad corpus et res caducas pertinentibus : non divitiarum abundantia, nec sumptu aliquo, tantummodo humili precatione et timore Dei opus habet. Complectere humilitatem, si salvari desideras, et tu, et alius quilibet qui sapit, mentemque humilem amat et honorat, ut etiam ad Dominum quem concupiseis ascendas : appropinquat enim sibi in humilitate appropinquantibus.

Anima. Rectissime de hoc etiam me admonuisti. Qualis sit humilitas demonstrasti et explanasti.

Caro. Sed age, hic sermonem finiamus, ipsi Verbo verborum largitori gratias agentes.

Gloria igitur tibi, o Trinitas, Deus omnium Conditor. Trinitas in hypostasibus, in divina autem B natura unitas ****. Unus Deus ratione inconfusa. Opinionem gentilium, et Judæorum, tanquam hydram multicipitem, aut monstrosum Typhœum declinamus : Hebræorum quoque propter monarchiam. Nos enim monarchiam quidem, sed in tribus personis sive hypostasibus inconfuse honoramus, naturam unam, et identitatem gloriæ ; a qua utinam a peccatis in hac vita contractis liberemur. Quam decet gloria, honor, adoratio, et imperium, o Pater, et eodem throno illi assidentes, Fili et Spiritus sancte, nunc et semper, et in omnes generationes.

* Isidorus. *Quemadmodum veri et fervidi pudicitiæ amatores ex sua ipsorum castitate etiam aliorum animos, quanquam tales non sint, sæpe puros esse censent, neminemque libidinosum ducunt : sic contra protervæ libidinis æstro perciti, etiam illos qui hujusmodi vitio carent, sibi similes arbitrantur. Quilibet enim ex se alios metiri consuevit.*

** Chrysost. *Etiam hoc divinæ benignitatis opus est, quod præcipua Dei mandata, et quibus vita nostra continetur, ab imbecillitate corporis nihil impediuntur.*

*** *Humilitatis imago et species frequens est, et cumfertur a multis, cum veritas ejus nusquam reperiatur. Non qui seipsum abjicit, hic humilis est : sed qui cum gaudio a proximis contumelias ignominiamque sustinet. Humilitas porro et timor Dei omnibus virtutibus antecellunt.* C

**** Gregorius Theologus. *In sancta Trinitate tres quidem substantias, et tres personas, naturam et voluntatem unam esse dicimus. In Christo vero unam quidem hypostasin, et unam personam ; duas autem voluntates, duas naturas, duas operationes : ita ut carnis voluntas divinæ voluntati subjecta sit.*

DIOPTRÆ LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Carnis vitiositas, et contumacia ipsius ab anima exprobratur. Animam ex his quæ per corpus agit et operatur, qualis quantaque sit cognosci.

Anima. Alterum tibi ζήτημα quæstionemque propono. Quæ enim sermone antegresso, et hesterno die ex te scire volui, ea tu mihi omnia, pro eo ac res postulavit, exposuisti *. Nunc nosse velim, dissoluta natura, in quas oras spiritus sive anima hinc proficiscatur. Si dicas, ad inferos, ubinam D sunt inferi? Hoc te pro virili tua explicare ne pigeat.

Caro. Laboras tu negligentia, ut mihi quidem videtur. Si enim animum quoque ad Scripturas attenderes, perinde ut eas legis (quotidie enim psallis, et hymnos recitas), omnia nota et experta tibi intus forent : sermoneque et doctrina externa minime indigeres. Nunc et ignorantia quasi tenebris offunderis : et me miseram abjectamque famulam tuam interrogas.

Scholia.

* Isidorus. *Si enim quæsieris, invenies : quæres autem, si te nondum scire putaveris. Nam putare se jam scire, ut nec quæratur, nec sciatur in causa est. Tunc namque sciemus, quando nos arbitrantes nescire, magistros a quibus erudiamur requisiverimus. Et enim opinari se scire, nos ad sciendum proficere, et quærere, et invenire non sinit.*

Digitized by Google

ANIMA. Si abs te non didicero, a quo tandem alio discam? Et ipsam Scripturam audio jubentem interrogare, dicentemque, inter se quærere et rationes conferre fructuosum esse.

CARO. Quodnam opus tibi curæ est: et cui intendis animum, et ad quod natura es idonea? agedum narra mihi.

ANIMA. Certum ac stabile mihi opus est divinarum rerum meditatio; et unde a principio exstiterim, et quam ob causam: et quis sit conditor meus: et quomodo is me rebus creaturisque universis excellentiorem condiderit, omniaque in manus meas dederit, volatilia, reptilia, bestias, cœlum, et omnia sidera, terras et maria. Et tandem quo pacto me tibi fœtidæ incluserit, atque conjunxerit: et quonam ex hoc tabernaculo evolatura sim.

CARO. Bene narras: et ego ista te facere ac dicere cupio, ut eorum rationem naturamque perspicue comprehendas.

ANIMA. Non alius mihi scopus, non appetitio, non desiderium est, quam semper commentari et lætari his quæ dixi. Et gaudeo, et delector, et sanctæ Scripturæ sum dedita. Verum ut sus se in lutum abjicit et contaminat, et in eo se jucunde volutat: similiter tu stolida mihique exitiosa facis. Ut porcus quippe spurcissimus cupiditatibus carnalibus inquinaris, et me polluis penitus: et deorsum vergis, et mentem ad imaginem Dei factam turbidam reddis, ut, quemadmodum deberet, cœlestia respicere nequeat. Quem gero oculum vitias, atque hinc quamdam mutilationem cæcitatemque animi sustinens, intelligere ac perspicere cogitationes cordis, et affectiones turbulentas non possum.

CARO. Cur ita loqueris, domina, cum tu imperium in me teneas: tu ceu eques equum versas me quo lubet. Tu omnem potestatem meam in manu tua habes: absque cujus nutu ac voluntate ego nihil vel mali queo efficere *. Et tamen maledicis, et irata mihi sic exordiris.

ANIMA. Haud vera dicis, nec quod res est. Similiter enim facis, ut equus ferox, intractabilis, habenas respuens, calcitro, et percussor, cum lupatum mordens, et per loca præcipitia currens equitem trahit, hinnit, humum ungula pulsat, sessoremque quamvis firmum, et frena tenentem, si furere cœperit, sella excutit, quod pessimum est, et præcipitem agit. Eodem modo nunc quidem inter nos se res habet. Os tibi ligneum, et frenorum impatiens, ut equus contra hinnis, nec duci facile, nec converti potes: sed me potius ducere, rapere et tyrannice tractare conaris **.

Si igitur flagellavero, et punivero te, si fame, A siti, afflictione maceravero, et laniavero, si tot et tot labores tibi imposuero, et frigore, et nuditate ærumnosam te fecero, tuosque saltus, et motiones protervas ita compressero, per quas in superiorem et heram tuam calcitras, et te carnem spiritui pro ancilla subjecero, non habeo qui mecum currat, qui mihi opituletur, quemve in consectanda virtute socium adhibeam. Quomodo ergo fungar actionibus honestissimis? Contra si te colo, si tibi parco, si te amo, adversariam te, et hostem rabiosam reperio: et fœdas, et confundis me, et tecum deorsum rapis. Et ita rursum te hic sociam laboris et adjutricem adipiscor. Malevolentiam tuam rebellionemque timeo. Adjutrix mihi es, et vicissim obluctatrix. Nunc me oppugnas, nunc adjuvas. Mirum sane, B quomodo utrumque possis. Quid captem consilii in hoc negotio, penitus nescio. Si Conditore imperante absolvi a te possem, pro desiderio meo e custodia hac sordida egrederer, discedensque a rebus istis inferioribus, ad Dominum, ad patrium solum, ad meum vitæ genus ascenderem, et relicta terra, cœlos habitarem.

CARO. Sublime evecta es, et supra me sublata potius, velut materia et corpore vacans, velut natura angelus, velut ratione ornata ac sempiterna, velut sola Conditoris imaginem et similitudinem consecuta. Mundus universus tuæ præstantiæ non est comparandus ***. Ego vilis, et natura ignobilis, ego peccatis dedita, et carne lutea, et C exsecrabile quiddam ac detestabile, ex quatuor elementis commista et composita, ut tu censes. Dic mihi, et impera, ut domina, quod videbitur. Tamen si me, quam ut improbam vituperas, et turpem ducis, non haberes, nihili æstimanda esses.

ANIMA. Siccine, ancilla audacissima, dominæ tuæ respondes? cur tu adeo imperite et audacter loqueris?

CARO. Si audire placet, cur dixerim quæ dixi, primum posita iracundia placidam te exhibe. Ego vero etsi paululum a decoro deflexi, personæque reverentiam aliquantum seposui, veritatem, ut par est, latius tibi exponam. Tu me attente audi, et cognosce. Sine instrumentis, et membris, et partibus D meis Conditorem afficere laudibus, et venerari, et illi gratias agere non potes. Quod alterum est, delictis perpetratis non potes pœnitentiam agere cum lacrymis humilibus, ut Petrus, et meretrix, nisi ego collaborem tibi, et te adjuvem. Ubi te a me sejunxeris, tum me verum dixisse comperies.

ANIMA. Iterum blateras, iterum contradicis, iterum impudentius, hostis mea, respondes ****.

Scholia.

* *Excellentiam animæ ostendit. Nam illi tota gubernatio commissa est.*

** *Corpori cum anima fœdus non intercedit, nec ut reginam honorat: sed adversus eam impudenter insurgit lege peccati, et lege concupiscentiæ: et voluptate in consilium adhibita, in terram se abjicit, peccatumque operatur.*

*** Chrysost. *Nosse vis, quantum valeant animæ nostræ? Redempturus eas Christus, non mundum, non cœlum, non terram, non mare, sed illum pretiosum sanguinem suum dedit.*

**** Isidorus. *Nec libertati impudentiæ, nec impudentiæ libertatis nomen imponendum.*

Digitized by Google

Caro. Quamobrem vero taceam? Quamobrem desinam? Scio me tibi famulam et servam traditam et adjunctam esse. Ideo tamen elinguis facta non sum, nec desipio. Qui utramque nostrum finxit, spiritum mihi indidit, et tu non prior me creata es. Nec me figulus quidam, te autem Deus præmisit. Sine me contempta, et deserta, et nihil es. Incognita es, spectari nequis, otiosa, et iners. Quis enim te novit, quis spectavit, quis te vel aliquantum cognoscit, num pulchra, num deformis sis natura, num prudens, num laudabilis, an plane secus : num ingeniosa, num inepta, et imperita prorsus?

Anima. Quam ob causam tu mihi ista exprobres, et quid tibi velis, ostende.

Caro. En veritatem perspicue tibi pandam. Tota hæc universitas, partim sensu, partim intellectu percipitur : intelligibilia intelligibilibus, sensibilia sensibilibus. Utrumque natura nostra pro portione sortita est. Quæ subjecta sunt sensibus, per sensuum instrumenta cognoscit : intelligibilium comprehensio non ex his ipsis, sed ex sola sensuum functione gignitur. Hoc modo tu qualis sis, cognosceris. Ex illis enim quæ agis, nota evadis. Et Dominus creaturarum his solis comprehenditur. Quis enim post homines natos Deum vidit? Etenim natura est inaspectabilis, et omnem essentiam vincit : sed ex ipsis creaturis proportione videtur : « Invisibilia enim Dei, ut magnus ille Paulus scribit, ex his quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur [68], » ot ex sapientia amplitudineque qua producta sunt, Conditor, ut dictum est, cognoscitur. Deinde quotquot opera quotidie fiunt, instar præconum omnibus Dominum prædicant. Ex magnitudine enim, et pulchritudine creaturarum, inquit, earum parens et rector perspicitur. Ego motum vitalem abs te accipio, tu vicissim tui manifestationem a me accipis, per quam, ut per instrumentum operaris. Ego enim tuum indicium et nota, nec imprudens præco, et teatis incircumscripta sum operum et sermonum, quæ et quos per organa mea prodis, et per ipsos, et cum ipsis terrarum orbem peragras. Et apud me occultaris, et sub umbra mea lates, ut natura intelligentia constans, et aspectum fugiens. Et omnis tua cogitatio, quæsitum, placitum non exit, non effertur, apud te remanet. Non orator, non philosophus, non geometra, non vates, non magus aliquis, non ullus alius ea cognoscit, donec a me os, id est, sex quasi chordas, instrumenta scilicet ad sonum vocis edendum inter se congruentia sumpseris : guttur, fauces, collum, linguam, labra, dentes; et his sensum tuum declararis, et dubia explanaveris, in lucemque protuleris, obscuraque et occulta omnibus patefeceris. Prospicis autem per oculos meos, et intueris quæ vis. Loqueris per linguam meam : per aures audis; per odoratum odoraris; per manus meas operaris, et omnes artes scientiasque, a trivialibus et minutis usque ad maximas per me exerces. Nihil sine hac ancilla, nihil, sive id ad intelligentiam, sive ad sensum spectet, præstare vales. Ego te manifesto, ego tibi gloriam affero. Alienis ne gloriare, adventitiis ne insolesce.

[68] Rom. I, 20. [69] Luc. XI, 34.

CAPUT II.

Nisi artus et membra corporis accreverint, animæ functiones non apparere; et, si membrum aliquod perierit aut vitiatum fuerit, secundum illud animam nihil agere. Qua in parte corporis animum seu mentem habitare existimandum sit. Animam et corpus sibi mutuo creata esse.

Quod si totum plene cupis discere, attende hic mihi animum, et dilucide percipies. Nota es ut maxima pulchrorumque pulcherrima. Ab origine tua perfecta, per te consummata et plena es, mihi inde ab utero materno assidens et cohabitans. Ego autem cum primum nascor, infans sum, fœtus novus ac recens omnino, omnis actionis impotens, et tu per me tunc universe nihil agis. Nec enim articulate quippiam loqueris, nec ambulas omnino, nec aliquid operum manibus meis conficis : sed otiosa es, ut dictum est, et tempus inutiliter transigis, meque famulam et abjectam tu, domina, exspectas, donec membra mea, et partes tibi perficiantur, eorumque conveniens tibi incrementum adipiscar, plenitudinemque, et mensuram ætatis attingam. Tum demum ad actionem et praxin procedis [a].

Quod si mihi nec opinati aliquid morbi acciderit, et forte membro mutilata aut privata fuero, etiam tu ex ea parte ad agendum operandumque imbecilla et impotens deprehenderis. Quod si et cerebri inflammationem patiar, aut alia ratione male me habeam, subito mecum doles, et attonita, et quasi epileptica, aut mente capta non aspicis, non loqueris, nihil penitus facis. Breviter, semimortua, et vitæ expers videris. Sicut et ego, si oculi mei obtenebrati fuerint, et iis patiar, mox totum corpus meum obscuratur, ut in Evangelio scriptum est [69] : tametsi omnia membra firma ac robusta servem. Hoc etiam contingit tibi, si mens minus belle habuerit. Cerebrum igitur in medio capitis collocatum est : mens ut regina est, cum facultate triplici, memoria, imaginatione, ratiocinatione. Vis imaginatrix (διάνοια) in anteriori ejus parte, memoria in posteriore sita est : tertia in medio, cerebri, inquam. Intellige bene quæ dico [b].

Scholia.

[a] Anastasius. *Dum corpus nostrum infantile et adhuc imperfectum est, etiam intellectus noster velut infans, et imperfectus, et insipiens est, ac nihilo fere magis, quam brutæ animantes discernit. Crescentibus autem membris secundum eorum accretionem etiam intellectus augeri et illustrari videtur.*

[b] Psellus. *Caput cum sit una quædam pars humani corporis, ejus nomen tres illius partes complectitur, quarum media vertex, antica sinciput, postica occiput dicitur. In harum medio situm est cerebrum, recta sub vertice, ubi sedes est animi nostri, tanquam regis, quem proxime stipant facultates prin-*

Digitized by Google

Triplex porro facultas absque mente, est inutilis A omnino, quantumvis valuerit, et salva tibi manserit : nempe ratio, ira, cupiditas, cum quibus et procreata es, et a principio a fictore, et conditore tuo, omniumque effectore processisti. De cætero si in medio cerebrum fuerit validum, tres facultates tuæ quatuor virtutes cardinales, instar alicujus quadrigæ generant. Quæ ratione constat, prudentiam et justitiam ; in qua irarum ardores exsistunt, fortitudinem ; cui libidines insunt, temperantiam. Cerebro autem affecto, perdidisti omnes, non solum quatuor has et generales virtutes, sed quotquot harum complexu coercentur, memoriam puta, ratiocinationem, phantasiam, opinionem, et vim sentiendi mentem principem, et fenestras meas sentiendi quinque, visum, odoratum, auditum, gustatum, tactum in manibus; omnia simul pereunt, quæ animæ et corporis, quæ occulta et manifesta. Quod si bene valeat tripartita vis, rationalis, irascibilis, concupiscibilis, nihilominus non habent quod agant hæc tria, patiente cerebro, quod omnibus excellit. Jam si vita mea ad senectutem majorem pervenerit, et ad octogesimum, aut eo diutius supersim, languidaque ac marcida membra evaserint, et alii sensus, quibus libere uteris, nec ita tibi mens damni expers erit. Nec quando in febrim acrem et quotidianam incidero. Nec cum mustum bibero plurimum, sicut Noe. Quantum enim corporis vigor remittitur, tantum etiam intelligentia et cognitio vanescit. Inveteratum quippe organum, C et vas, sive etiam corpus, totum vigorem efficientiamque pristinam non servat, quæ una cum corpore crescit et convalescit, et cum eodem rursum consenescit et flaccescit : et ex instrumento musico, non bono, nec suaves eduntur soni. Cerno ego oculis, tu vero pupillis mentis : qua quidem non sana, omnia perdidisti. Intellexisti, cognovisti, domina, quid voluerim, et quo pacto sine me honore aliquo dignanda non sis ?

Anima. Intellexi, perspexi penitus, et obstupui. Ut dixisti, ut locuta es, ut memorasti, ita est. Nescio autem unde tibi horum cognitio, et unde et a quo hanc scientiam compararis. Narra mihi de præceptore tuo, quis et unde sit.

Caro. Percellis me verbis tuis, et premis, et mirari subit, quomodo me tam imperite interroges, tanquam simpliciter percunctere. Dicam tamen veritatem. Nihil per me novi. Ex quo autem nata sum, et in lucem edita, scrutata sum, didici, Deo adjuvante, mediocriter. Cum didicissem autem quomodo quærens quæsitum inveniat, et convertissem me ad ipsum, inveni mihi datum, quod quærebam *.

Aristoteles et Hippocrates Cous (5) mentis seu animi sedem esse volunt in corde potissimum ; Galenus dissentiens eam in cerebro ponit. Gregorius Nyssenus aliud judicat, et physicis horum dogmatibus contradicit, dum ita scribit : Animus ut res incorporea non potest circumscribi, non hæret in locis cum moveatur, nec cohiberi queat ; nec B in partibus corporis et membris manet. Totus autem totum corpus pervadens, quæ sui muneris sunt, ut natura sua fert, suopte nutu agit, sanis partibus pro instrumentis utens. Quod si aliquod horum infirmum præter naturam fuerit, non operatur animus in affecta parte, ut superiore disputatione satis superque docuimus. Exemplo tibi quod dico dilucidius faciam. Quemadmodum si quis faber ferrarius quæ non sunt agat, multisque instrumentis ad opus e ferro conficiendum usus sit, præ aliis autem incude, malleo, forcipe, et his faciat quod facit : nihil enim sine iis fabricare potest ; sic mihi et animum considera : si non sanum cor, et sanum cerebrum, ut instrumenta tractet, non habet quomodo convenientia naturæ suæ opera capessat. Quod autem in his excellentius atque præstantius ac majus est, anima viva et ad spiraculum vitæ condita est. Admiranda res maxime, immortalis, par angelis. Non tamen postquam producta es in te ut consisteres accepisti, sed in me, et apud me, quod magnum est miraculum. Ego ficta sum, et tu mecum condita. Non seorsum tu, seorsum ego. Non ita est, domina, ne istuc cogites : ambæ simul a Conditore sumus conditæ. Non est corpus fictum ante animam, nec anima ante corpus substitit, aut exstitit. Hoc verissimum est. Simul enim ambæ, et iterum seorsum. Non alterum alteri tempore antecedit, contemporanea, coæva, coætanea vocaris.

Jacobi Gretseri notæ.

(5) De hoc vide Conimbricences in II lib. *De anima* cap. 1, quæst. 9. Inde etiam apparebit, quomodo explicanda sit sententia Nysseni, quam *Dioptra* statim citat. Vide eosdem quæst. 4, in 1 cap. lib. II *De anima*, ut intelligas quomodo verum sit illud quod *Dioptra* mox subdit : *Non est corpus fictum ante animam*, etc. Et ipsa *Dioptra* eod. lib. c. 5, D prope finem, ita loquitur : *Corpus priore loco formatur ex quatuor primis corporibus*, etc. *Postea animam quoque inspirat*, etc. Nec anima est ex traduce, etiam ex sententia *Dioptræ*. Vide Conimbricences in lib. II *De anima*, cap. 1, q. 3, et Alphonsum a Castro v. *Anima*, errore v.

Scholia.

cipes : longius principes simul et naturales, longissime autem sentientes. Verum huic regi tyrannus e vicino imminet, corpus videlicet, et ad eum facultates quasdam turbationibus obnoxias caducisque inhærentes oppugnandum mittit. Nec secus in corpore, quam in navi vastum istuc vitæ pelagus animus purus trajicit. Aquæ quibus supervehitur corpus, insitæ in eo passiones sunt, in quibus frequenter, antequam portum attingat, naufragium subit, et corporis affectionibus qui navi insidet animus, summersus et suffocatus, undis fertur.

* Isidorus. *Non mediocrem cognitionem secessio in solitudinem peperit. Nam qui in mediis tumultibus versatur, et cœlestia cognoscere nititur, ignorat in spinis seminatum ab iis suffocari ; et eum qui non vacat, Deum non posse cognoscere.*

Digitized by Google

Nec enim anima sine carne, nec caro sine anima omnino facta est, nec condita constat : sed ex animatis animatum, et ex viventibus vivens utique corpus gignitur, vivens, animatum, mortale, et corruptioni obnoxium animal homo, ut dicitur.

CAPUT III.

Corpore per mortis fata dissoluto, animam haudquaquam dissolvi et exstingui, Platonis argumento confirmatum.

Anima. Dogma quod non facile intelligas et assequare. Conjunctio admirabilis, mistio nova maxime. Nunc mihi responde. Nos Conditor creavit, ut dixisti, ambas omnino et colligatas, utramque commiscuit, ut ipse novit. Tu vero quomodo recedis et fugis a me putredo, et in pulverem terramque converteris, ac interis funditus? Ego autem etiam post disjunctionem nunquam occido. Et ego quidem absque te vivo, tu sine me neutiquam. Ego, inquam, vivo et vigeo.

Caro. Rursum audi dicta elegantia, quæ ego a veteribus sapientibus audivi (*a*). Quod ab aliquo movetur, quidquid illud fuerit, non habet vitam a se, sed ab alio potius a quo et quod consistit et movetur habet. Tantum enim est, et apparet, et spirat, quantum adest illi a quo agitatur, in quo et una consistit et permanet. Cum autem ab illo, a quo continebatur, solutum fuerit, desinit esse, quod motu ciebatur, cum desit quod motum afferebat. Tu autem te ipsam moves, et semper moveris. Ex quo necessario sequitur, te æternam esse : nam quod se ipsum movet, quia nunquam deseritur a se ipso, nunquam ne moveri quidem desinit. Quod autem semper movetur, vivere non cessat : quod non cessat, nec desinit, et fine caret, estque a corruptione alienum. Tale autem esse immortale, ratione colligitur. Sed etsi ego et corruptioni obnoxia sum, et mortalis, tamen abs te vim vitalem accipio, et spiro et moveor. Rursum si a me separata fueris, vivere amplius nequeo. Nec queo spirare si abs te divellar. Divellor autem propter ea ex quibus sum composita ; et sine te nihil sum, nisi odor teterrimus.

CAPUT IV.

Quam ob rem mundus ante hominem, et corpus ante animam procreatum sit. Hujus nobilitas, illius vilitas.

Anima. Et quomodo cum adeo vili et ingloria caruncula conjuncta sum ; et quomodo non prior fui, præcessique gloria, tu autem, ut inferior, posterius e terra formata es? Et quomodo immortalis anima cum mortali carne colligata sum?

Caro. Si hæc vis cognoscere, attende, disces. Totus hic mundus animæ causa procreatus est : omnibus enim præstantior est, non ipsa propter mundum condita. Quod autem inferius est, Dominus et Creator primum condidit : majus, ut melius, posterius constituit. Quoniam autem natura animæ sine comparatione melior et excellentior est, ut dixit Dominus [90], minus, nempe mundus, debebat prius produci, ut quoddam palatium, deinde animæ vis imperatoria. Duplicem autem mundum condidit, superiorem et inferiorem. Supra angelos, ministros, divinæ gloriæ spectatores, mentes a concretione materiæ segregatas, spiritus naturæ tenuis et igneæ ; naturam inferiorem mortalem, creaturas diversas, animalia quæcunque terrestria, volatilia, et aquatilia. Fuerunt autem omnia bona valde, ut scriptum est [91]. Intellectualia propter cœlum, ministratorias virtutes scilicet : sensibilia propter sensum, inferiorem scilicet hunc mundum. Naturam invisibilem et visibilem, solam, simplicem, separatim utramque, hanc quidem corporalem, illam incorpoream. Incorpoream mihi cogita supramundanorum, quotquot immaterialis et intelligibilis substantiæ sunt ; corpoream autem inferiorem, et comprehensibilium sensu. Nec igitur supra corpora sunt, nec materia expertia infra. Homo autem præ omnibus solus ex duplici substantia, ex intelligibili, et sensibili, superiorum et inferiorum, fictione et inspiratione Dei a principio est productus. Nam corpus ex inferioribus, anima ex superioribus est *.

Præstantior pars de superorum, deterior de inferorum numero est. Animal sapientissimum, mistum ex his ambobus, animam ad imaginem Dei continens. Et hunc, magnum mundum in parvo, et in medio intelligibilium, sensibilium, animatorum, inanimatorum collocavit : ut utriusque mundi oblectamentis et bonis, tanquam cognatorum, abundanter merito frueretur ; divinis quidem per animam a Deo suppeditatis, terrenis per corpus, ut ab ipsis ex fide Conditori fructum afferret. Virtutes porro administratoriæ, ordinum, qui intelligentia cernuntur, animæ et tabernaculo ejus præsunt : quemadmodum magnus et divinus præco Paulus confirmat [92] : « Nonne, inquit, omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi

[90] Matth. xvi, 26. [91] Gen. i, 31. [92] Hebr. i, 14.

(*a*) Plato in *Phædro*.

Scholia.

* Chrysost. *Solus homo ex duplici substantia concretus est : cætera omnia tum superioris mundi, tum inferioris similiter ex una tantum producta sunt : superioris quidem incorporea, inferioris corporea, sensibilia, inquam, et intelligibilia.* — Idem. *Corpus, anima, et spiritus. Meminit autem et Moses, corporis quidem, dum ait,* « *Formavit autem Dominus Deus hominem de limo terræ* (Gen. II, 7) ; » *animæ, ibi,* « *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* » (Gen. I, 26) *Spiritus ibi,* « *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* » (Gen. II, 7.)

Digitized by Google

propter eos qui hæreditatem capient salutis? » Et Salvatorem docentem audi : « Videte, inquit, ne contemnatis unum de pusillis istis. Nam eorum angeli semper vident faciem Patris mei [93], cui cum tremore assistunt *.

Propter hæc mundum hunc prius produxit, et veluti palatium aliquod tibi subjecit. Mundus autem e quatuor elementis compositus et coagmentatus est, quæ ipse Deus nulla subjecta materia creavit : ex his, inquam, mundum verbo fabricatus est. Primum et summum elementum est æther, sive ignis, cui subest aer, et huic aqua : infimum locum terra obtinet. Reliqua singula, et particularia, quotcunque et qualiacunque sunt, minora et majora, bestiæ, jumenta, stirpes, reptilium genera, arbustorum germina, et herbarum semina, deinceps, ut magnus et sapientissimus superum et inferum opifex mandavit, ex elementis exstantibus prodierunt. Postquam vero mundum hunc inferiorem consummavit, postremo loco hominem, ut illius principem futurum, condidit. Nec enim prius regem venire oportebat, quam ei tabernaculum et domicilium, et quibus egeret, essent constituta : sed palatium paratissimum esse conveniebat, et omnia demum, quæ usus et commoditas postularent, et ita eum intrare. Siquidem et herbam ante quam pecudes procreavit. Ut si quis insignis paterfamilias amico et vicino suo magnificum epulum appararet : ac principio vitulo et tauris mactatis esculenta ac poculenta pararet, mensamque instrueret : deinde amicum convivam introduceret, qui lautissimis illis epulis deliciisque se expleret. Itaque, sicut dixi, ita factum est, et universitate condita, primum fictum est corpus, postmodum anima, pars hominis præstantior creata est. Prius exstitit quod servit, posterius quod imperat [**].

Sapientium et antiquorum magistrorum ratio quædam seu doctrina est, quod propter aliud fit, quidquid illud aliud tandem sit, inferius esse illo, propter quod subsistit : idque ante alios Salvator docet : « Nonne anima, inquit, plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. [94] ? » Nullo enim modo anima propter escam, nec corpus propter vestimentum formatum est : quin contra potius, duo illa horum gratia quæruntur. Corpus autem ut vehiculum animæ honorandæ et gloriosæ prius factum est. Sed age, attentionem renova. Quoniam hominem geminum seu duplicem facere constituit, ex anima nimirum et corpore, corpus priore loco format ex quatuor primis corporibus, ex igne, aere, terra et aqua : ex calido item et frigido, humido et sicco, ex sanguine, phlegmate, flava et atra bile, perque horum, et ex horum quatuor quaternione carnem fictor ille fingit. Postea animam quoque inspirat. Inspirat autem unde vult, et ut melius novit, non ex elementis ut cætera cohærentem : sed, ut supra dixi, de supernorum ac cœlestium ordine, conditioneque, immortalem, incompositam, simplicem, et divinam, supernæ nobilitatis angelorum participem, et ad illos amoris desiderio contendentem, quanquam carni mihi, deorsum te trahenti alligata es. Ut cum luctata contra principes tenebrarum, supernæ gloriæ hæreditatem sortita fueris [95], indeque certaminum præmium acceperis (ut quæ bonum ipsa elegeris, et non a Deo tantum), opitulatrix et adjutrix ancillæ tuæ appareas, et hic infra morantem, ad superos tecum evehas, et hoc onere levatam, me pauperem despicabilemque conservam et σύντροφον tuam ad Deum una introducas, contubernalemque, et individuam comitem me, et civem eorum qui illic ævum agitant, quamvis indignam habeas. Reginam te fecit, me autem ut subditam, ministram, famulam, alieno arbitrio subjectam, ancillam. En, quod quærebas dissolvi : quomodo nempe, tametsi naturæ nobilitate prior me sis, mihique honore et excellentia antestes, non tamen prior procreata sis.

CAPUT V.

Uter protoplastorum, et utra pars animæ potius peccarit. Superbiæ detestatio, cujus auctor et origo Lucifer.

Anima. Etiam hoc quæsitum satis superque solvisti. Quoniam vero mihi imperium auctoritatemque, tibi subjectionem et locum ancillæ tribuis, hinc jam hoc quoque præter alia dissere ac doce. Utrius protoplastorum in mandato transgrediendo delictum magis fuit. Et uter potius peccavit, spiritus intelligentiæ compos, an pars in qua non inest ratio. Vehementer scire istuc cupio.

Caro. Difficilis est tua quæstio, domina, meamque propemodum scientiam et captum excedit. Verumtamen, ut Scripturæ mediocriter peritæ, quæ inde habeo, et didici, fidenter tibi de re proposita enuntiabo. Animam ratione præditam certo nosti, a Conditore ab initio armis probe munitam fuisse,

[93] Matth. xviii, 9. [94] Matth. vi, 25. [95] Ephes. vi, 12.

Scholia.

* Chrysost. *Cœlestes igitur angeli hominibus bonis ministrant : mali autem dæmones suppliciis peccatoribus infligendis inserviunt. « Immisit enim in eos iram indignationis suæ. Indignationem, iram, et afflictionem per angelos malos immittit* (Psal. lxxvii, 49) *» Dæmones itaque licet voluntate rebellent, tamen jugo subjecti sunt, et quasi carnifices quidam, a Deo et sanctis imperata exsequi jubentur. Non enim sua auctoritate, sed inviti faciunt, quæ illis mandantur.*

** Chrysost. *Cogita mihi formationis ordinem, et considera, quomodo insufflatio Domini facta sit ipsi in spiraculum vitæ, « et factus sit homo in animam viventem* (Gen. ii, 7). » *Quid igitur formatus ? Simpliciter imago inanima : et otiosa, et inutilis erat. Quare et prius corpus producitur, et post anima, ut honoratior et nobilior.*

Digitized by Google

et munitam ad auxilium habendum, et pugnandum adversus seductorem. Arma intellige vim irascendi et concupiscendi. Verumtamen quæ ad suum apparatum et munitionem habuit, his ipsis contra semet stulte usa est *.

Inimicus quippe, improbi serpentis specie velatus, verbisque dolosissimis Evam allocutus, divinitatem eos consecuturos, si de ligno vetito gustarent, nobilitatem spiritus in fraudem pellexit, et in judicium rationi minime consentaneum ratio delapsa est, dum lignum gustare, et Deum fieri sibi utile futurum censuit. Peccavit item pars cupiditatis maxima, dum escam illam, et divinitatis adeptionem æque amavit **.

Primum tentavit voluptas, mox vana gloria. Illa lignum ostendit, fallacia quasi flatu quodam incensa, quod aspectu delectabile, et bonum ad vescendum. Hæc, divinitate potiri, majus esse rebus universis. Ista duo, domina, Evam falsum persuadendo circumvenerunt, perque illam et ab illa etiam Adamum.

« A muliere quondam initium peccati, et per illam omnes morimur [96]. » Parva est omnis malitia ad mulieris malitiam. « Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens [97]. » A mulieribus enim procedit iniquitas, sicut a vestimento tinea [98].

Nec vero impostor solum ratione et cupiditate affectis, fraudulentam hanc lusit comœdiam : sed insuper tertia facultas, irascendi videlicet, plagam sensit. Qua cum adversus illum uti oporteret (quo consilio Dominus ipsam dederat) Eva potius cum eo fœdus inivit, ad deteriora illecta, et mentem, qui est oculus interior, convulnerata. Et hinc, sicut diximus, spe divinitatis obtinendæ, de ligno scientiæ boni et mali gustavit. Anima igitur carnis expers peccato se obligavit. Verumtamen age, domina, attende, et vide superbiam, moresque inanis gloriæ, qui nos omnes perdiderunt. Quæ olim primum, et præcipuum, cœlestiumque exercituum principem angelum cœlo deturbavit, et natura lucidum, tenebrosum reddidit : qua et ille cecidit, et omnes cadere concupiscit, a quo A superbiæ morbus manavit, qui omnibus eo laborantibus exitium sine controversia parit, estque universis animi morbis deterior ac perniciosior. Illuic qui servit, Deum habet adversarium ; e diverso, inimicum humani generis socium et amicum. « Superbis enim, ait Scriptura, Deus resistit [99], » quemadmodum celeriter seductori restitit.

CAPUT VI.

Animam potius quam corpus ob scelus primævorum parentum pœnas luisse. Quo pacto utriusque corpus miserabiliter commutatum sit. Mortem videri pœnam levem et conducibilem. Animam hinc exeuntem, bene aut male habituram.

B Anima. Quod ex tuis verbis est colligere, videtur caro passa injuriam. Si enim anima deliquit, cur pœna ad carnem pervenit ? Ea siquidem, ut patuit, morte damnata est, atque in interitum, et vitam ærumnis plenam ruit. Anima vero, antea immortalis, etiam post lapsum immortalitatem retinuit : et cum pœnas dare merito deberet, nullas dedit ***.

C Caro. Imo vero, tota animadversio non ad corpus, sed ad animam pertinet potius, tametsi videatur nihil pœnarum, ut ais, persolvisse. Cujus rei paradigmate quodam tibi fidem faciam. Si rex quispiam natura humanus a crudeli tyranno mancipium emat longe calamitosissimum, ærumnosissimum, maxime miserabile, exili corpore, nudum, macie confectum, natura morbidum, vehementer biliosum, petulans, improbissimum, vituperabile, probrosum, indignum aspectu, lepra et scabie coopertum, plenum dedecore ; si, inquam, hujuscemodi servum emat, eumque placidis oculis respiciat, curæ ac diligentiæ quam plurimum illi adhibeat, et quidquid habet morbi, sordium ac fœditatis, ab illo depellat, et destringat, veste pulcherrima induat, stationeque et loco primo eumdem dignetur, aulicorumque præcipuum faciat : ille autem ista vilipendens, tantum beneficium nullo modo capere ac sustinere queat, contraque regem benefactorem maximum et dominum malevole manibus et calcibus insurgat, et in illum aliquid novi sceleris nue-

[96] Eccli. xxv, 33. [97] Eccli. xlii, 14. [98] Ibid. 13. [99] Jac. iv, 6.

Scholia.

* Gregorius. *Anima intelligens non habet substantiæ suæ socias iram et cupiditatem, quæ animæ ratione carentis propria sunt. Partes quidem illius sunt, quatenus ei agnatæ sunt. Verumtamen substantia et natura, sicut mens et ratio, cum ea non communicant : sed ut adjuncta et adventitia.*

** *Sæpissime pars animæ, in qua sunt cupiditates, ægrotat, et tunc mentem una secum trahit, atque ad consensum in peccatum inescat.*

*** Chrysost. *Quid igitur ? injuria afficitur caro, propter animam corruptioni obnoxia ? Nequaquam. Etenim propter animam caro, dicimus. Quæ igitur propter ipsam facta est, quomodo injuriam accepit, si hoc ad ipsius emendationem passa est, et pro ipsa patitur ? Nam quia illa peccarat, mortalis ipsa evasit : quæ si rursum justitiæ servierit, magna denuo per* D *illam gloria fruetur. Id quod et alibi factum invenies. Nam cum homo peccasset, terra maledicta est : « Maledicta enim, inquit, terra in operibus tuis. Spinas et tribulos germinabit tibi. In dolore comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ* (Gen. iii, 17, 18). » *Etenim maledictio in ipsam, hominis voluptatem et licentiam labefactavit. Hoc item in diluvio perspicies. Nam cum homines in scelera se effudissent, animalia bruta quoque cum nihil peccassent eamdem tamen cum ipsi pœnam subierunt* (Gen. vii, 1 seqq.). *Semper quippe Deus, peccante anima, corpus punit. Sic et in Cain fecit* (Gen. iv, 1 seqq.). *Anima peccavit cæde perpetrata, et corpus ejus dissolutum est, gemens et tremens super terram. Similiter et in Ozia. Elevatum est cor ejus, et mox in facie illius lepra apparuit* (II Paral. xxvi, 19).

Digitized by Google

ditetur, deprehendaturque et cognoscatur homo pessimus, et auferantur ab eo pecuniæ, facultates, gloria, felicitas, pannisque vetustissimis, inutilibus, laceris, ad risum et ludibrium tandem induatur, ut qui manus adversus benignum dominum petulanter sustulerit; damnatusque in carcerem, aut in locum, insulamve desertam et inhabitabilem projiciatur : ut detrita ac lacera vestis, quæ ad annum septimum aut octavum suffecerat, putrefacta solvatur, indeque ille miserrimus nudus obambulet, donec vitam ærumnosam tot malis oppressus decurrat; cedo, domina, cujus est damnatio, et quis delicta luit? Num stolidus et petulans famulus, ut qui manus regi intulerit? Ille proscriptus, in carcerem conclusus, et juste mala perpessus, qui natura intelligenti et voluntate libera præditus est : an pecuniæ, facultates, divitiæ, et gloria, quæ animo externa sunt, quibus est spoliatus?

Anima. Potius homo ipse, ut demonstrasti, damnatur, et pœnas sustinet, quamvis corpus nondum suppliciis subjectum est, nec quidquam aliud exitiosum pertulit.

Caro. Dic mihi, et judica, quemadmodum judicas, num putas juste latam esse sententiam, qua ille proscriptus et gloria sua ejectus est?

Anima. Justissime, probissime. Nisi enim esset humanus ille rex, in membra corporis vindictam exercuisset, non tantum externis ipsum multasset. Itaque contumelioso illi corpus illæsum reliquit.

Caro. Bene respondes, et ut se res habet, fers sententiam. Verumtamen super anima et carne hæc scienda sunt. Quoniam anima in his, propter quæ procreata fuerat, permanere noluit, nec contenta esse illustri dignitate quam sortita erat, et pulchritudine mundi legitime frui, ut paterna hæreditate, natura et gratia sibi tradita, et præsens tanquam non præsens rapere voluit, paremque illum cum Domino honorem ad se derivare insipienter studuit, elata gloria, qua desuper dives erat, carne a Deo ficta atque a principio condecorata, cujus subtilitas incredibilis, cujus pulchritudo admirabilis, lapsum privavit, ne iterum laberetur. Luci enim stellarum, et lunæ primævam protoplastorum pulchritudinem assimilavit, spectaculum ineffabile, singulare, incomparabile, sine veste, sine artificio, non egens tegumentis, gloria et pulchritudine solem omnino æquans. Sic enim illi quamvis nudi nihilominus clarum fulgebant, et gratiæ splendores jaculabantur. Et hanc quidem carnem induuntur ex causa quam dixi. Fluxa autem et corruptibili natura, instar foliorum, ab universitatis opifice postmodum vestiuntur. Non qui mutasset pulverem, aut naturam ejus, sed qui priorem subtilitatem abstulisset. Et ab Eden et deliciis illis ejiciuntur, ut ligno vitæ orbentur; quod Deus curaret, non autem (quod absit) invideret, impetumque peccandi et errandi cohiberet. Mors autem non est mors, tametsi quædam pœna est : sed remedium quoddam benignum, quo ad conducibile nobis transimus; et pœna est plena humanitatis, ut etiam malum non sit tandem immortale : sed ut mortui a peccato justificemur. Servit igitur animæ caro pessima in annos viginti, aut amplius, vel centum etiam : quanquam quis eo usque vitam producit? Quam enim cumque diu vincula illa duraverint, tandem rumpuntur, et corpus in ea resolvitur, e quibus a principio est formatum : terrenus postremo in terram redit. Corpore autem intereunte, penitus nudaris et desolaris manifeste per quod appares, quodque ipsa contines, nec ullo modo ab ipso contineris *.

Soluta igitur, sursum ad Conditorem proficisceris. Verumtamen si custodieris etiam mentem (ut fas est id quod ad similitudinem Dei est conditum) non depravatam, a vitiis liberam. Proficisceris, inquam, intelligens ad intelligentes (ducibus angelis) quibuscum tibi cognationis et naturæ et patriæ societas intercedit; ad lucidos, coruscos, et lumina altera **. Pura ad puros, in virtute a Deo data, et gaudio impleris eorum quæ in cœlis invenis. Quod si contra aliqua et operibus nigra et caliginosa fuerit, a tenebrosis et caliginosis angelis abducitur. Et quia tenebræ est, cum his tenebras sortitur (ut illaudatis motionibus implicita) cum earum præfectis et curatoribus. Nam naturæ animarum respondent actionibus suis, et omnimodis unaquæque talis est, quales actiones ejus apparent. Si opera lucis fuerint, illuminantur natura; sin tenebrarum, participes fiunt tenebrarum. Anima quippe ab initio corpori immissa, velut visco adhæret, et tota quodammodo illi coaluit, et per speculum corporis insinuatur et respicit, obscurante et obtegente carne naturam incorpoream; a qua ubi separata fuerit, clarius perspiciet ***.

Hic paradigma sive exemplum quod attuli, finem

Scholia.

* Gregorius. *Non enim est anima in corpore ut in vase, aut in utre aliquo : sed contra potius corpus in anima, quæ non ab ipso continetur, sed ipsum potius continet.*

** *Haud enim per se anima ad vitam illam evolat, quod non potest : sed a sanctis angelis deducta.*

Chrysost. *Præsens enim vita via quædam est, superna manuductione opus habens. Si namque in urbem aliquam abituri necessarius est nobis qui viam monstret, quanto magis in cœlum abituri, superna indigemus ope, quæ et monstret iter, et nos confirmet, et manuducat. Multæ enim sunt viæ aviæ. Cæterum duci nos eo, Dei munus est : ut autem digni simus Deo et ejus manu teneamur, studii nostri esto. Si enim immundus fueris, non te illius manus continebit.*

*** « *Facie ad faciem* (I Cor. XIII, 12). » *Non quod Deus faciem habeat; sed clarius videlicet, et manifestius.*

Digitized by Google

habet. Id si non optime convenire, nec undique ipsi rei propositæ respondere existimas, quodcunque paradigma considera, et disce, semper illud leviter rem attingere, seu stringere, non plane tangere, nec esse omnino par : hoc enim modo esset idem. Quod autem idem est, nunquam παράδειγμα vocari queat.

CAPUT VII.

Quid significet, « ad imaginem et similitudinem ; » et verius secundum animam nos esse homines. De celeritate animorum incredibili.

Anima. Et qualem tandem arbitraris esse hominem? Explicandum mihi. An solum corpus, quod corrumpitur : an (penes quam imperium est) anima illud, « secundum imaginem et similitudinem, » ut scriptum est, citra ullam mutationem servat (6)? Moses enim litteris tradidit, hominem ad imaginem Dei procreatum esse, eum quem primum ab initio Deus condidit. Quonam pacto autem citra animam corpus homo vocatur? rursumque, quinam sola anima homo appellatur, absque corpore, cum quo subsistit? Etenim ille spectator Dei scripsit in Genesi, Deum de pulvere terræ hominem formasse [1]. Corpus igitur quomodo tam aperte hominem nominavit? Nam spiraculum vitæ postea, post primam scilicet formationem, in faciem inspiravit, ac postmodum in animam viventem factus est. Ad utrum igitur illud, « ad imaginem et similitudinem » pertineat, velim me doceas, ad animamne, an ad servum et conservum corpus.

Caro. Docebo, et ex Pauli scriptis testimonium firmum desumam, unde rem cognoscas. « Licet is, qui foris est, homo noster corrumpatur, inquit, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem [2]. » Homines igitur hæc ambo nominavit, internum et externum : utrumque separatim, quoniam utrumque animam habet et corpus. Verumtamen proprie secundum animam homo vocari potest. Ne tu mihi externa, et quæ in oculos incurrunt, considera, neque illam corporis formationem tecum reputa. Caro enim velut indumentum et tegumentum quoddam concipienda est. Illud, « secundum imaginem, » ut paucis dicam, anima est. At enim secundum gratiam istuc, non secundum naturam intellige. Noli enim existimare, domina, corpus hoc quod corrumpitur, hominem nuncupari, tametsi Scripturam dicentem audias : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram; » sed intellige animam potius ibi hominem dici, non, inquam, hunc quem videmus, sed qui intus latet : naturam scilicet aspectum fugientem, interitus expertem, et præstantiorem. Porro hoc ipsum hinc aptius percipies. Ipsa ego secundum animam homo sum. Meum enim corpus dicitur : nam corpus est animæ corpus. Non enim aut manus, *ego*, dicit, aut pes, aut membrum aliud : sed vox ista, *ego*, plane est animæ. Cætera omnia quæ corporis sunt, pedes, manus, membra, et partes ejus vocantur ab his qui sciunt illud a principio tanquam instrumentum aliquod seu vehiculum esse factum, ut ostendimus. Itaque et hinc animam potius esse hominem existimandum est. Ratio porro regina in perturbationes imperium habuit, et homo imperium in creaturas totius orbis. Quatenus præest ut princeps et dominus, homo imago Dei est, et vocatur *.

Præstantissimum maximeque primum in anima certum est mentem esse, cui facultas celerrima et incomparabilis data est. Habitat quidem in anima, et puncto temporis universum mundum peragrat, ac citra defatigationem, Boreæ et Austri, Orientis Occidentisque climata percurrit : mare, continentem, insulas pervadit, cœlestia et supercœlestia attingit. Essentia quidem minime, ne istuc cogites, neve dicas : sed vi cogitationum, et imaginationibus solis. Sola divinitas omnibus et ubique præsens adest, substantialiter et naturaliter, ut natura supra naturam, ut sola supersubstantialis, ut sola inexplicabilis. Itaque *secundum imaginem* principatum dilucide significat. Verum quemadmodum nemo est superior, nec æqualis Domino (omnia quippe omnium Conditori cedunt), ita in terris nihil est homine superius ac majus. Ille enim Dominus et Creator est omnium simul : te autem per gratiam suam principem omnium quæ in terris sunt, facit. Omnibus jumentis præsumus, omnibus natantibus, et terrenis, universis, ut breviter dicam, imperamus, reptilibus, volatilibus, piscibus, bestiis, et quotquot tandem animantia ratione carentia Deus creavit. Jam igitur cujus et quale sit illud « secundum imaginem, » cognovisti. Rursum illud, « secun-

[1] Gen. II, 7. [2] II Cor. IV, 16.

Jacobi Gretseri notæ.

(6) Quæ de anima et corpore disserit auctor, ἀρίστῃ γνώμῃ interpretanda sunt ; neque enim vult hominem proprie esse solam animam, ut Plato censuisse fertur, aut carnem proprie non aliter uniri animæ quam indumentum corpori, aut navim nautæ, aut vehiculum sessori. Meminerit lector et hic et alibi legis illius apud jureconsultos admodum celebratæ : *Benignius leges interpretandæ sunt quo voluntas earum conservetur ;* sensusque metaphorici et improprii, quos aliquando scriptores consectantur, nequaquam proprias rerum rationes evertunt ; nisi sint ejusmodi qui cum veritate consistere nequeant. Verum de anima, ut se habeat respectu corporis, lege Gregorium de Valentia I. p., S. Thom. d. 6, q. 2, part. 1, qui etiam disp. 7, q. 3, p. 1, fuse docet, an et quomodo homo fuerit ad imaginem et similitudinem Dei creatus.

Scholia.

* Theodoretus. *Homo neque secundum corpus, neque secundum animam, sed secundum imperii majestatem duntaxat Dei imago est. Ut igitur omnium quæ in terris sunt principatu insignitus, Dei imago appellatur. Mulier autem ut sub viri potestate constituta, gloria est viri, et velut imaginis imago. Est quidem et ipsa aliarum rerum princeps, verumtamen viro subesse jussa est.*

Digitized by Google

dum similitudinem » in nobis situm est, nostræque voluntatis, et consilii, et morum est. Etenim assimulamur ratione etiam Domino, si mores ex virtute manantes, ut decet, induamus. Nam potestatem qua secundum Deum vivere queamus, si modo velimus, ipse nobis indidit, faciendique optima et salutaria, et divina, per quæ quis pro modulo suo similis Deo evadit, qua veritate, misericordia, judicio videlicet *. Ut si studuerimus vitam probam agere, et nos virtuti debitos probaverimus, etiam mercedem ut debitam, non gratuitam, non temere, sed propter opera tantum præbitam accipiamus : ex quibus quispiam pro captu humano Conditoris similitudinem acquirit : sicut homines docet perfectos fieri, cœlestem et omnimodis perfectum Patrem imitantes, qui communiter et ex æquo pluit super justos et injustos, et solem suum omnibus oriri facit *. Si igitur tu quoque vitam Deo placitam amaveris, fuerisque fratrum amans, et misericordiæ studiosa, mitis, humana, Conditorem similitudine quadam expressisti. Verumtamen « secundum imaginem » habes donum a Deo, et facultatem rationem, et imperii principatum et (quod quartum est) auctoritatem, qua nihil majus : « secundum similitudinem » vero ex operibus virtutis. Si enim et hoc donum esset, ut prædicta, ubi esset quæ tibi refertur gratia? quomodo coronareris? et superna regia quomodo aperiretur tibi? Itaque bonum est salvari, et ex laboribus suis, ex quibus coronam ut debitum, non ut donum adipiscaris : quod pigritantium, vel potius pusillanimium et illiberalium servorum est.

* Matth. v, 45.

CAPUT VIII.

Corpus Adami nec interitui obnoxium, nec ob eo alienum esse conditum (7).

ANIMA. Etiam hæc disertissime disseruisti, satisque demonstrasti. Verum age, et hoc mihi cupienti edisseras, corpus protoplasti, mortalene tantum, an contra immortale principio formatum est?

CARO. Nec mortale et corruptibile, nec contra immortale : sed inter mortalem immortalemque naturam medium, et maxime inter hæc utraque. Ut si quidem partem meliorem eligeret, legisque præscriptum servaret, ex opere æternitatem consequeretur. Si autem cupiditatibus rerum labentium cederet, et corruptibile et mortale corpus gestaret. Si enim Conditor prorsus immortalem condidisset hominem, non eum morte damnavisset : immortale enim mortalitate quis damnaverit? Sin condidisset mortis in omne ævum expertem, alimento corporeo et corruptibili, ac terrestri non egusset **, nec aliquo modo delicti eum pœnituisset : quomodo in ipso primo angelo contigit : qui etsi adversus Conditorem elevatus est atque insurrexit, tamen eum immortalem, ut prius, manere sivit, et manent immortales illi spiritus, tenebrarumque participes.

CAPUT IX.

In quas oras animæ ex hac luce commigrent.

ANIMA. In longum hujus dogmatis disputationem produximus. Non quia dubitaremus aut cavillaremur, sed quod in primis oportebat, ut disceremus, non ut tantum percunctaremur. Quoniam autem et hoc finem optatum accepit, tempus opportunum est

Jacobi Gretseri notæ.

(7) Dicit auctor corpus protoplasti nec mortale, nec immortale fuisse ; sed inter mortalem immortalemque naturam medium. Id ideo dicit, quia, ut theologi cum Magistro II, d. 19, docent, duplex est immortalitas, una secundum quam quis possit non mori ; altera secundum quam non solum possit quis non mori, sed etiam non possit mori. Et quia posteriorem hanc immortalitatem non habuit homo in statu innocentiæ (quam habent beati in cœlo), ideo *Dioptra* ait, eum habuisse mediam quamdam inter mortalem et immortalem naturam ; quia potuit peccare et mori, sicut et peccavit et mortuus est. Quo fit ut immortalitatem illam non habuerit, cujus beneficio non potuerit mori : tametsi hanc quoque immortalitatem habuisse dici potest, sed ex hypothesi, si scilicet non peccaret, ut asserit etiam S. Bonaventura 2, d. 19, art. 2, quæst. 1. Vide Gregorium de Valentia 1. p., S. Thom. d. 7, quæst. 4, part. 1, et Bellarminum lib. *De gratia primi hominis*, potissimum cap. 9, ubi probat immortalitatem primi hominis fuisse supernaturalem, non naturalem, ac proinde commisso peccato ademptam protoplasto ; angelis autem post peccatum non ademptam, quia erat illis naturalis et intrinseca. Quod autem *Dioptra* ait : Si corpus protoplasti immortale fuisset, futurum fuisse ut non egeret alimento, id non sequitur : quia causa illius immortalitatis ex parte erat etiam esus fructuum arboris vitæ ; nam in statu illo non habebat homo corpus spirituale, quale habebunt beati, sed animale, quod non potest consistere sine ciborum usu propter continuam deperditionem humidi naturalis, quod est instaurandum nutritione. Vide Gregorium de Valentia tom. I, disp. 7, q. 4, p. 2, hæc ex S. Thoma et S. Augustino explicantem.

Scholia.

* Basilius. « *Secundum imaginem,* » *est nimirum potestas illa regia et imperatoria.* « *Secundum imaginem* » *habeo ex eo, quod ratione sum præditus :* « *secundum similitudinem* » *autem fio ex eo, quod bonus fio. Et,* « *secundum imaginem* » *quidem sum, ut qui revera sim, et semper sim : etsi non absque principio : sed tamen sine fine.* « *Secundum similitudinem* » *vero, ut bonus boni, ut sapientis et quidem natura sapientis, ego per gratiam sapiens. Et,* « *secundum imaginem* » *quidem Dei est omnis natura intelligens :* « *secundum similitudinem* » *autem soli boni ac sapientes.*

** Chrysost. *Quoniam enim hominem corruptibilem nutritura erat, creaturam ipsam quoque hujuscemodi esse oportebat. Non enim intereuntia corpora incorruptibili alimonia victura erant. Sequebatur ergo, ut et creatura corruptibilis fieret.*

Digitized by Google

ad alia transeundi, quæ ab initio proposui, ne in oblivionem veniant. In omnibus autem quæstionibus, peto ut mihi ignoscas.

CARO. Eloquere quid quæras : haud enim memini.

ANIMA. Illud erat quod percunctabar, quibusnam in locis, et quibus regionibus justorum peccatorumque spiritus post discessum ex hac luce, usque ad Christi adventum vivere statuendum esset.

CARO. Si noscere vis, quomodo se habeat, quod interrogas, adverte animum his quæ dicam, et veritatem percipies. Scripturæ docent, excelsissimum esse locum, in quo animæ justorum requiescant. Hic autem locus diversis nominibus appellatur. Nempe regio viventium, terra mitium, tabernaculum a Deo factum, civitas altissima, torrens odoratissimus, sonitus festum celebrantium. Et hæc quidem ex Epistolis Pauli ad Corinthios et Philippenses constant. Inferior autem incolatus, et temporaneus, et servilis est, tabernaculi hujus, quo dissoluto, domum aliam in superis habemus, cujus ædificator Dominus, cujus opifex Deus [4].

Soluti igitur corporibus, constanter credimus abductum nos iri ad Dominum, quicum esse præstat. Quare et amabilem illam vocem emittit, Cupio dissolvi, et hinc absolvi, ut cum Christo vivam, quicum esse desidero [**] [4].

Et Salomon rex, ut videns (futuri providus, ut prophetæ, qui videntes dicebantur) ita scribit : « Justorum animæ in manu omnipotentis Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis [5]. » Joannes autem Damascenus, vir sapientissimus, vere ipsa gratia, quod ejus nomen sonat : « Animas quidem habetis (inquit in hymnis martyrum) in civitate cœlesti, in qua habitantes, cum Domino vivitis, pro quo et occubuistis. » Et plurimos alios testes, et majores inter sanctos dictis meis astipulantes producam tibi, Gregorium, Basilium, summos magistros; Gregorium Nyssenum, Andream Cretensem, et illud aureum divinumque Os : omnes simul concorditer et unanimi consensu, omnium sanctorum animas in cœlo esse confirmantes. Oportet enim mundum supernum impleri omnimodis (ut magna illa et vigil mens Gregorius scribit) e quo delapsus Satanas, ut fulgur de cœlo cum angelis suis, Domino teste [6], projectus est. Postquam autem locus ille vacuus impletus fuerit, consummatio-

A nem sæculi et judicium exspecta. Testis et citra exceptionem Paulus, qui omnium caput et principem Christum, postquam resurrexit, primogenitum mortuorum [7], et primogenitum in multis fratribus [8], et Adamum secundum nominat [9] [***]. Qui et primo prior, et prodromus nobis ad Patrem præivit, et in ejus throno glorioso ad dexteram consedit, simul omnium caput, ut et capitis corpus paulatim eo congregetur, et congruenter aptetur et coagmentetur. Nec enim corpus sit, absente capite, nec rursum caput, si absit corpus [****].

Cæterum animæ bonorum solæ nunc evehuntur, per se, ut possunt, omni nexu solutæ, ad omnium caput et Dominum vadentes : post resurrectionem vero, etiam cum ipsis corporibus evehentur [*****].

B Papæ! quanta gloria, quantus honor! Papæ! quantum mysterium! Quam multa dona, quam multa beneficia, in quibus a principio cum Conditore communicavimus, et quæ a Conditore usque in finem et in sempiternum obtinemus! Tu crede, et fidem habe hæc dicentibus, ut vera de bonorum animabus sentientibus ac docentibus. Quod si etiam cognoscere lubet, ubi peccatorum animæ inveniantur, et quo deveniant, de hoc quoque dicam. In partes terræ infimas et locum abeunt, in mortem | caliginosam. Attende, et conditionem illam defle. David psallendo gratias agit [10], qui eduxerit ab inferno animam ipsius, ut omnipotens, nec siverit, ut misericors, diutius tyrannidem pati.

C Quin et Job inferni loca lamentatur [11], vocans terram tenebrarum et caliginis, ubi horror sempiternus inhabitet : ubi nec videt quisquam, nec videri potest. Est enim locus tenebrosus, et vallis caliginosa, plena lacrymarum, et dolorum, longeque profundissima. Quo cum descendisset Dei Verbum, animas, quotquot illud etiam ibi adorabant, et violentia tyranni detinebantur, eduxit, et tropæum victoriæ erexit.

CAPUT X.

De resurrectione hominum supremo illo die : et cujusmodi tum beatorum, tum damnatorum corpora futura sint.

Sed quod futurum est audi, et contremisce, et horresce ad alterum illum extremumque adventum, D et universorum communem resurrectionem. Inde prodibunt singulæ animæ cum corpore, cum quo

[4] Philipp. I, 23. [5] Sap. III, 1. [6] Luc. X, 18. [7] Coloss. I, 18. [8] Rom. VIII, 29. [9] I Cor XV, 45. [10] Psal. XXIX, 4. [11] Job. X, 21, 22.

Scholia.

[*] *Terrenam autem domum præsentis vitæ cursum et institutum, tabernaculum corpus appellat. Si igitur, inquit, præsens vita finiatur, « domum non manu factam habemus (II Cor. V, 1), » cœlestem nimirum, nempe ut cum Christo simus.*

[**] *Propter perfectionem dissolutionem desiderat. Non enim simpliciter ex hac vita discedere bonum dicimus : sed bonam famam consecutum discedere.*

[***] Chrysost. *Adam Christum adumbrabat. Nam sicut ille posteris suis, quanquam de ligno non comedissent, causa exitii per esum illum inducti factus est : ita et Christus in se credentibus, quanquam justitiæ opera non habentibus, causa justitiæ factus est, quam per crucem omnibus nobis donavit.*

[****] Chrysost. *Non quod ea sola (anima) salvetur : sed (ut est in confesso, et cui refragari nemo potest) quod salvata anima, etiam corpus in resurrectione salutis particeps futurum sit.*

[*****] Climacus. *Quisapiunt quæ Dei sunt, emigrantes ab his rebus caducis, parte sui superna scandunt : contra, qui res fluxas et inferne positas, infra descendunt. Nam quod sejunctum est, anima, inquam, de cætero in medio non manet : qui cœlestia, inquam, sapiunt, ita in superna evolant, ut in terra corpus relinquant. Qui autem terrena et carnalia sapiunt, post mortem ad inferos devolvuntur.*

Digitized by Google

vixerant, et illinc rursum, heu! ad infernum redibunt *.

Hoc magni Davidis verba docent quia peccatores ad inferos reversuros affirmat; ait enim : « Revertentur unde exiverunt. » Ibi atrocia et plus quam atrocia patientur, dolebunt, gement, plorabunt amare, et plangent, et flebunt; verumtamen frustra et inaniter. Nihil enim proficient, incassum lugentes. Parce mihi tunc, Domine : ita parce mihi, obsecro te. Quod paulum effugisti, iterum cernes, et accedes vetus tuum tabernaculum, proh! quam horribile quiddam! et voles ad angelos confugere, sed ab iis repellere. Aspicies autem abominandum et deforme domicilium, et impuritate, et maculis, et stigmatis plenum, et formidabile intuens, aversata fugies. Sed minitantibus angelis ac terrentibus, et ad ipsum flagris te violenter impellentibus, quanquam nolens, tuum corpus iterum ingredieris. Et hæc quidem hujusmodi. Justorum autem corpora ut margaritæ nitentes, ut carbunculus, ut lampades, ut sol splendidissimus pulchritudine gloriæ. Quod si hæc doctrina tibi ambigua videtur, agam argumentis admodum probabilibus.

Anima. Cujusnam argumentis? et unde habes?

Caro. Unde? ex sanctissimis, et plurimis, quorum primus est Ezechiel, alter Isaias, tertius David inclytus, et cum eo omnes qui ante Christum et post eum insignes exstiterunt. Christus autem amplius tibi hujus quæsiti fidem facit, qui tropæum maximum adversus mortem constituit : nempe his quæ in Evangelio dixit. Magnus autem Paulus de resurrectione ad Corinthios scribens, carnem velut ingloriam in terram lapsam consumi, ut infirmam, ut animalem, testatur. Condita enim sepulcro putrescit, et dissolvitur, et corrumpitur : resurgit autem incorrupta in spiritu, et gloria, immortalis, semper vivens, plena gratiarum. Continuo hujusmodi exemplum apponit. Quemadmodum granum primum quidem nudum in terram cadit : postea computrefactum non nudum quid germinat, sed cum tunicula, et alia simul calamum, aristas, genicula, folia, et multitudinem compositam granorum ad visum speciosorum profert ** [12].

Similiter mihi cogita de resurrectione ab ipso Adamo primo parente usque ad finem, et inspice, et admirare altissimam providentiam. Repente tunc omnis creatura mutabitur. Non enim tunc parvus, nec magnus, nec niger, nec albus, nec gracilis, nec crasso corpore, nec rufus, nec flavus, nec nigro capillo; non curvus, non claudus, non turpem affectum habens, non deformis, non carens manu aut pede, aut claudicans, non gibbosus, non cæcus, non balbus, non sapiens, non stultus, non senex, non puerulus, non servus, non liber, non barbarus, non Scytha. Nec enim ut moritur quis, ita etiam resurget : sed qualis primo conditus homo fuit, et qualis erat antequam de ligno vetito comedens, mandatum transgrederetur. Non enim hoc corpus tunc crassitiem habebit, sed idem quidem erit : character et habitus autem diversus. Non generatio (nec enim virorum mulierumque naturalia ad mistionem, ad copulationem, libidinemque corporum servient), sed erit alius status, quem Conditor solus novit, non solum ut ostensum est, ad rationem incorruptionis : sed etiam extra omnem curam, et sollicitudinem, et studia mundana conatusque. Cessabunt post resurrectionem nuptiæ; desinet amor carnalis; nulla erit corporum venerea conjunctio. Non enim nubent, ut Christus ait [13], nec adulterandi, aut fornicandi sentientur impetus; non bellum, non irruptiones et luctæ, sed natura hominum similis naturæ angelorum futura est; quod et Dominus perspicue docet, ***.

Et Paulus scribit, eos qui relinquentur, necdum morte obita, immutatum iri, cum in momento, in ictu oculi Judex aderit. Deinde universos resurrecturos [14], etiam immutatos : omnes siquidem eadem erunt ætate. Nudos autem, τετραχηλισμένους resurrecturos. Nudum, et τετραχηλισμένον ab ovibus rationis expertibus, et sacrificiis dictum est, quasi dicas, resupinata facie omnium oculis expositum. Nam antiquius lex a Mose lata fuit, ut hujuscemodi hostiis sacrificandis pelles detraherentur, ut membra undique rimari liceret, ne alicubi læsum quippiam, aut mancum subesset : quandoquidem tunc etiam tota res nudabitur **.

Illud autem, « mortui resurgent incorrupti, »

[12] I Cor. xv, 35 seqq. [13] Matth. xxii, 30. [14] I Cor. xv, 52.

Scholia.

* Isidorus. *Cum vita præsens, sive sæculum paulatim deficiat, tempus resurrectionis propius accedit. Quod si Deus ex non exstante producere potest quæcunque vult, quanto magis ex eo quod exstat, potest renovare corpora, quæ jam fuerunt, et in terram redierunt? Fore autem resurrectionem, et qualis futura sit, et mysterium illud, quæ seminantur, omniumque plantarum motus te docebit : quæ cum hieme moriantur, verno tempore reviviscunt.*

** Chrys. *Ne tu perinde in resurrectione fieri existima, ut cum frumentum seritur, et spicæ omnes e granis assurgunt, præsertim cum nec in seminibus sit æqualitas, sed alia aliis potiora. Unde discimus, quanquam omnes boni in regno cœlorum futuri sint, non tamen omnes iisdem gaudiis fruituros. Et quamvis omnes peccatores in gehenna erunt, non tamen omnes eadem tormenta sustinebunt : sed utrique multo discrimine, et illi lætabuntur, et hi cruciabuntur.*

*** Gregorius. *Tunc pelliceam tunicam deponemus, qua post transgressionem e pellibus brutarum animantium cooperti sumus, et simul omnia quæ sunt brutæ pellis in nobis, exuemus.*

Basilius. *Linguæ sæculi hujus etiam post resurrectionem exspectandæ haud sunt. Sed sciendum, vitam angelicam, citra ullam egestatem in sæculo futuro actum iri.*

Theodoretus. *Vide quid sit* τετραχηλισμένον. *Lex jubebat, quæ in sacrificium offerrentur, perfecta et integra esse undequaque, non aure mutila, non claudæ, non vitium aliquod habentia. Abstrahi etiam pellem,*

Digitized by Google

hunc sensum habet : non erit aliqua substantiæ carnalis consumptio. Sola quippe mors mortalitatem solvit, et naturæ pereundi finem affert, et mori posse tollit, naturam non tollit. Quanquam enim corpus evanescit, manet nihilominus, et illo dia gloriæ plenum resurgit *.

Verumtamen hoc non de omnibus hominibus intelligendum est. Resurrectio quippe communis est omnium. Ast quod ad gloriam et communicationem gloriæ attinet, procul dubio nisi eorum erit, qui in Christo vitam exegerunt. Nam « qui bona fecerunt, in vitam resurgent ; qui vero mala, in judicium, » ut scriptum est [18].

CAPUT XI.

Ecquid Christus descensu ad inferos (8), *omnes animas inde eripuerit.*

Anima. Oratio tua nihil dubitationis habet, mihique per omnia summopere placet. Equidem credo ista, et fidem habeo, extra hoc solum. Audio enim Scripturam aperte dicentem, cum descendisset A Verbum ad inferos, ab illo dominatu omnes in libertatem asseruisse. Tu vero paulo ante docuisti peccatorum animas in Tartaro detineri, manereque nihilominus, ut antea. Si enim simpliciter omnes a tyranno vindicavit, quo pacto tu contra affirmas, animas illic retineri, et pati quæ patiuntur qui pœnas persolvunt ? Mihi quidem sacris Litteris parum consentanea, falsitatisque suspecta videris disserere.

Caro. Adverte animum, domina, hoc quæsitum tibi dissolvam. Etenim et vera tibi dico, et Scripturæ congruentia. Paradigma rem confirmabit. Ponamus aliquem esse facinorosum et fugitivum, ingratum, servum vernaculum Domini ac Regis sui, qui se loco munitissimo, expugnatuque difficillimo teneat ; quo in loco urbem ædificet, quam crebris et excelsis turribus communiat. In hujus urbis medio effodiat lacum profundissimum, qui ipsos terræ fines ac terminos infra attingat, cujus latitudo altitudini respondeat, lacum tenebrosum et obscurum, lacum umbræ mortis : et car-

[18] Joan. v, 29.

Jacobi Gretseri notæ.

(8) Quæ disputat auctor hic et cap. seq. de descensu Christi ad infernum, hoc est, ad locum damnatorum, deque animabus inde eductis, caute legenda sunt. Nec refert, quod assertionem suam confirmat auctoritate Damasceni ; nam librum illum seu orationem de defunctis, non esse Damasceni, facile probari potest, inquit cardinalis Bellarminus lib. II *De purgatorio*, cap. 8, quia in eo libro auctor non solum dicit Trajanum et Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum cœlorum transivisse, sed etiam multos alios qui in infernum descenderant, quia fide divina caruerunt, a Christo conversos et salvatos, quando ad inferos descendit ; quod et per se erroneum est et contrarium verbis Damasceni lib. II *De fide*, cap. 4, ubi dicit hominibus id esse mortem quod fuit angelis casus. Hæc Bellarminus. S. Augustinus lib. *De Hæresib.*, cap. 79, inter hæreses refert quod, descendente ad inferos Christo, crediderint increduli et fuerint liberati. Et repugnat id ordinariæ Dei legi explicatæ in illis Scripturæ locis, I Corinth. v : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum ;* et Galat. VI : *Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet ;* et infra : *Ergo dum tempus habemus, operemur bonum.* Ex quibus et aliis similibus locis constat, non nisi in hac vita esse tempus comparandi salutem. Atque eadem est ratio de parvulis damnatis qui cum solo peccato originali decesserunt. Hæc Gregorius de Valentia tom. IV, disp. 2, q. 4, p. 3. De qua re copiose etiam disputat Franciscus Suarez tom. II, in III p. S. Thomæ, disp. 43, sect. 3. Locum illum I Petr. III : *In quo his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit*, etc., ex quo errandi occasio sumpta videtur, fuse et recte explicat Bellarminus lib. IV *De Christo*, cap. 13 ; et Pererius *in Genesim.*

Nec prætereundus ille *Dioptræ* error cap. 11, prope finem, in his verbis : *Si igitur animas adhuc in inferno manere audis, scito neutiquam tormenta sustinere, ut prius, nec etiam vinculis teneri ferreis, utpote a tyrannide vindicatas.* Nihil minus ; quia in inferno nulla est aut redemptio, aut remissio : et singulis damnatione dignis, etiam in hora mortis accinitur triste illud carmen : *Ite in ignem æternum.* Quare qui inferni tormentis addicti fuerant ante Christi ad inferos descensum, iisdem adhuc addicti manent manebuntque in perpetuum. Ea de causa negari non potest quin *Dioptra* nimium a vero abeat, asserens cum fictitio Damasceno, quosdam penitus ex inferno liberatos propter fidem in Christum, quam tunc primum, Christo ad inferos descendente, adepti sint ; illos vero, qui non crediderunt, hoc saltem relaxationis consecutos, ut pœna usque ad extremum diem judicii dilata fuerit. Nihil horum cum orthodoxis dogmatibus consonat. Veniam tamen meretur *Dioptra* ob hos nævos, quos aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura, præsertim cum Damascenum sese putarit sequi, cujus non est exigua auctoritas, cumque etiam S. Gregorius Nazianzenus orat. I *in Pascha*, agens de Christi ad inferos descensu, sub dubio reliquerit, utrum Christus omnes sine ulla exceptione descensu suo salvos fecerit, an eos duntaxat qui crediderunt ; quamvis, ut notat Suarez, Nazianzenus non videatur scripsisse illa verba quod de veritate dubitaret, sed solum ut proponeret quid de hac veritate inquirere ac scire oporteat. Locus quidam S. Augustini epist. 99, *ad Evodium*, perobscurus, Græcis istis notus esse non potuit. Qui tamen recte accipitur de liberatione ex Purgatorio, ut monet Suarez loc. cit. et Greg. de Val. tom. IV, disp. 11, q. 1, p. 3.

Scholia.

et si quid reperiretur maculæ, aut denigratio aliqua a parte quapiam corporis, Deo hostiam illam non sacrificari.

* *Differunt hæc tria :* φθορὰ, διαφθορὰ, καταφθορά. *Etenim* φθορὰ *interitus, est animæ a corpore separatio, et corporis quies atque ab omni motione cessatio, quam et immaculatum Christi corpus sustinuit.* Διαφθορὰ *corruptio, est putrefactio, et pastio ipsa vermium, quam immaculatissimum Christi corpus nescivit.* Καταφθορὰ, *pernicies, est consummata et perfecta perditio, sive exitium. Quo sensu dictum est illud :* « *Disperiit populus iste propter peccatum.* »

Digitized by Google

ceres in eo angustos, caliginosissimos, et ad cruciatum aptissimos. Ad hæc aliam malevolentiam considera. Postquam infelix tyrannus bestias venenatas, et leones, et dracones, visu deformes pardales, aspides, rubetas, serpentes, scorpiones exitiabiles congregavit, has simul lacu caliginoso ad dolores et pœnas eorum retinet, quotquot subactos ibi incluserit. Nec in hoc lacu, nec in hac urbe vel solis vel lunæ lumen cernitur : sunt autem tenebræ palpabiles, et tenebræ illæ Ægyptiæ, omnibus notissimæ. Juxta urbem esto via militaris, sive publica, quam omnes hominum nationes pertranseunt : et alii quidem amici regis, alii adversarii, et inimici, qui omnes, alius aliunde a seductore capiuntur, nec alio currere salutis causa possunt. Duravit dominatio tyranni hujus diutissime : omnes paulatim in suam potestatem redegit, violentia illi pro jure est, tyrannice insurgit, capit, verberibus indigne pulsat, premit, affligit insignes, abjectos, omnes, bonos et malos ferreis compedibus in lacu constrictos : in quo locus nullus ejuscemodi indignitate vacat. Quam tyrannidem rex amplius non ferens, sed benigne respiciens, et populum miseratus, charissimum et quem habuit unicum filium ad generis humani liberationem et auxilium misit. Qui cum advenisset, et cum seductore manus conseruisset, eumque dejecisset, et constrinxisset, et vi valida enervasset, victoriamque adversus hostes, ut potens in prælio, obtinuisset, urbem pervastavit, turres diruit, simul quidquid inimicorum fuit, perdidit, occidit, elisit et omnia vasa rapuit ac diripuit. Et infima loci illius penetrans, omnia claustra, catenas et portas confringens, omnes penitus in custodiis illis vinctos liberavit, in lucem eduxit, multisque videndos exhibuit. Sed animadverte quod consecutum est arbitrium et judicium. Amicos quidem paternos ab aliis secretos, maximaque gloria et honore dignatus, regi et patri universos adducit, ut sint imperii cum Domino participes : non amicos autem, sed hostes infra reliquit, quoad dies extremi, et generalis judicii illucescat, et de omnibus justa sententia pronuntietur. Alioqui et tu, domina, plane injustum judicas, si impios et inimicos illos potentis, pari frui voluptate cum amicis ejus, aut eadem cum ipsis præmia consequi debere existimas. Non autumo te istuc arbitrari. Et hoc illis ad misericordiam maximum censeo, quod eamdem universe libertatem sunt adepti, prostrato qui æque in omnes crudelitatem exercebat suam, communiter custodia levati plane, vinculis soluti, et absoluti, et a belluis truculentisque carnificibus liberi ; quodque amplius et pulchrius est, quod transire potuerunt, cum non esset custos carceris, non punitores acerbi. Si igitur animas adhuc in inferno manere audis, scito neutiquam tormenta sustinere, ut prius, nec etiam vinculis teneri ferreis utpote a tyrannide vindicatas. Et hoc munus est maximum atque amplissimum. Ad hæc dicito, si quid tibi in mentem venit.

Anima. Quorsum spectet hoc paradigma, intelligo. Justo judicio omnes quod debent, amici maxima, inimici minora accipiunt. Verumtamen proportione gratiam omnes debent.

Caro. Quo tandem modo intellexisti problema, seu potius quo fine hoc paradigma allatum censes ? Quis sit hic tuus sensus, nosse pervelim.

Anima. Interpretationem maxime talem puto. Tyrannus idem est qui prius, Lucifer. Quam urbem ædificavit, infernum esse conjicio. Profundissimus lacus, et carceris tenebræ, infernus sunt, et mors, amborumque imperium. Via regia seu publica sine dubio hujus vitæ cursus. Insidiæ prope hanc viam publicam mors, ut videtur, quæ omnes rapit, et ad inferni ventrem demittit. Reptilia autem, et genera venenatorum pessima, cruciatum illum intolerabilem interpretari oportet : Rex et Dominus, et Filius regis, est omnium Conditor, et Salvator hominum Christus. Amici sunt justi : contra, inimici sunt impii peccatores : quos enim alios esse dicam ? Quo autem paternos amicos induxerit, regnum cœleste quispiam non inepte dixerit.

Caro. Dexterrime intellexisti, et pulcherrime declarasti. Gratia Christo, qui hoc tibi inspiravit. Verumtamen scito paradigma non usquequaque illi quadrare, cujus est paradigma. Non enim jam paradigma, sed omnimodis idem foret. De Christo vaticinans Jacob patriarcha, « Recumbens dormivit ut leo [16], » inquit. Rursum alibi ursus a Scriptura dicitur [17]. Difficilia plane et symbolica, non tamen ex his audebit quispiam rationem ferarum Verbo ac Domino prorsus attribuere. Quod utile est, et ad rem facit, id duntaxat a feris mutuandum est : quod blasphemum et rancidum, relinquendum. Leo, quatenus animalium rex et terribilis, huic comparationi servit. Ursus autem, ut quiddam natura justum, et ultionis expetens. Tale est paradigma, non simile et aptum omnimodis. Quæ autem mihi dicenda restant ea posterius dicam. Nunc quod ad utilitatem tuam addam, sancti Damasceni est. Docet enim, et perspicue demonstrat, in Christo viventibus hanc rationem multo verissimam. Docet vero per iambos, num simpliciter omnes Christus apud inferos salvaverit, an qui ibi crediderant, quod recipiendum (*a*).

[16] Gen. xlix, 9. [17] Amos v, 19

(*a*) Sermonem hunc non esse Damasceni, propter characterem iamborum, hoc est, quia iambis conscriptus sit, affirmat in margine scholion : quanquam in illis iambis non dimensionis syllabarum, sed pedum ratio habita est potius. Est autem sermo seu oratio pro defunctis cum hac inscriptione : *Quod ii qui cum fide ex hac vita excesserunt, virorum missis et beneficiis juvantur.* Pontanus.

Digitized by Google

CAPUT XII.

S. Joannis Damasceni locus, de iis quos Christus ab inferis liberavit.

Ac nonnulli quidem per eos, qui ante crediderunt, Patres et prophetas, et judices, et reges, et principes intelligunt, aliosque nonnullos, Hebraici populi, qui facile recenseri possunt, omnibusque noti ac perspicui sunt. Nos vero adversus eos qui ita sentiunt, ad hunc modum disseremus : Nec beneficii loco ducendum, nec novum ac mirum hoc censendum est, iis nimirum qui crediderint salutem a Christo allatam esse : quippe cum solus ipse Judex æquitate præstet, nec periturus sit, quisquis ipsius verbis fidem adhibuerit. Quocirca eos omnes salutem consequi, atque ad Dei ac Domini descensum inferni vinculis solvi, necesse erat. Idque et ipsius providentia contigit. At vero cuncti illi, mea quidem sententia, sola ipsius benignitate ac misericordia salutem acceperunt, qui etiamsi alioqui vitæ puritate excelluissent, atque optimis quibusque actionibus perfuncti fuissent, tenuiter ac temperanter, et caste vixissent, tamen puram ac divinam fidem haudquaquam perceperunt, ut qui nulla omnino disciplina, aut cujusquam magisterio eruditi excultique fuissent. Ilos quippe ille omnium moderator ac Dominus retibus divinis inclusos sublime traxit, eisque cum divinorum radiorum splendorem injecisset, ac veritatis lumen ostendisset, ita eorum animos inflexit, ut in eum crederent. Neque enim illa natura misericors tot labores frustra atque incassum ab ipsis susceptos fuisse sustinebat. Perdifficilem enim, et ærumnosam, ac, supra quam dici queat, angustam vitam duxerant. Nam et animi perturbationibus imperaverant, et voluptates respuerant, et paupertatem ac continentiam ad extremum usque coluerant, et vigiliis sese confecerant : atque ut paucis complectar, omnia virtutis gratia, haud pie illi quidem, sed tamen expleverant, summæque Providentiæ (ut quidem ipsis videbatur) præstantissime, tametsi non sine erroris labe, cultum et venerationem adhibuerant. Quin fuerunt etiam nonnulli, qui divinam omnipotentis Trinitatis fidem, exiliter illi quidem ac perobscure, sed tamen perceperunt. Alii Verbi incarnationem, venerandosque ipsius cruciatus, reditumque ad vitam prædicarunt. Alii ortum ex Virgine, atque adeo nomen ipsius enuntiaverunt. « Maria, inquit, nomen puellæ [18]. » Alii rursus eximia illa omnia, naturæque vim excedentia, a Christo edita miracula vaticinati sunt, hoc est, mortuorum excitationem, cæcorum, mutorum, leprosorum, surdorum, febricitantium, hydropicorum, ac manus siccitate laborantium, paralyticorum, atque eorum qui dæmonum intemperiis vexabantur, curationem, obambulationem item in mari, et panum ac piscium benedictionem, rursusque aquæ in vinum commutationem, hæmorrhoissæ denique, et curvæ prorsus mulierculæ sanationem una cum quamplurimis aliis rebus prædicentes. Hos, inquam, divina Verbi potentia perire optimarumque actionum fructu carere, minime sustinuit. Temporis enim pars ipsis, ut diximus, commodata, in obscuritatem haudquaquam abit : verum omnis iis qui vitæ curriculum honeste confecerint, servata, cumulatiore postea mensura refertur. Contra qui turpiter ac scelerate vixerunt, nihilque omnino, quod cum virtute conjunctum esset, egerunt, nec semen ullum, aut fructum habuerunt ; verum et vita, et sermone, et fide prorsus aberrarunt, nec pluvia divina cœlitus in eos fusa, ullum germen ediderunt (neque enim ut jam a me dictum est, sementem ullam fecerunt) nec, ut prorsus steriles, illucente gloriæ sole maturuerunt : his profecto nullo modo Christus profuit, nec lapsos, ut opinor, secum excitavit, ut qui salute penitus indigni essent. Quin ne in ipsum quidem eos credidisse existimo. Primus etenim ille ex superbia in tenebras lapsus draco, quem in prima ætate coluerunt, mentes eorum, ac spirituales cordis oculos cæcavit, ut videntes non viderent, quemadmodum scriptum est [19], et intelligentes omnino non intelligerent. Reliqui autem omnes, qui semen susceperunt, illapsa pluvia germen protulerunt, atque exorto sole maturitatem contraxerunt.

CAPUT XIII.

Qua demum ratione quælibet anima suum ipsius corpus a mortuis exsistens recognoscet.

Anima. Optime vero rem explanasti, mihique tradidisti. Divinum hoc testimonium amplector, et eo sum contenta. Sed enim aliud habeo quærendum, atque id, ut opinor, difficile. Hoc etiam pro viribus tuis solvere velis. Cum enim mortale corpus anima immortalis deseruerit, quonam modo id quod æternum est, jam corruptum ac deletum invenire atque cognoscere valebit ? Et alia reliquit corpus mutilum, alia surdum, alia surdastrum, alia mutum, alia virilitate spoliatum, alia macrum, alia vix ossibus hærens, alia pingue, plenum, carnosum, grave, inutile, ventriosum, putredinem meram et marcorem. Alia juvenile, imberbe. Alia ætate languescens. Alia pedum et manuum usu destitutum, Alia infantile, nuper natum, in cunis adhuc vagiens. Alia confectum senio, et rugis exaratum. Alia coma nigra, alia subargentea, seu candidissima. Tu tamen asseris in communi resurrectione excitatum, et mutatum iri, et tale futurum, quale primi parentis ab initio fuit conditum, expers habitus pristini et notarum, quibus antea præditum fuit.

Caro. Mirum quiddam et inauditum audi. Ne tu illic naturæ proprietatem et faciem quæras ; sed omnia supra naturam fore crede et imaginare. In hac enim vita hujusmodi differentiæ ac notæ, hic affectus isti, affectuumque miseriæ, quas in corpo-

[18] Luc. I, 27. [19] Isa. VI, 10.

Digitized by Google

ribus enumeravi, cernuntur : in futuro autem sæculo nihil horum cernetur, sed sicut Dominus novit, et judicio quod ipse scit, ineffabili modo spiritibus signa dabuntur, quibus unusquisque corpus suum recognoscat : quemadmodum ovessuos agnos in ovilibus, vicissimque agni matrum suarum ubera agnoscunt. Non enim ex signo, aut ex aliquo indicio aspectabili ; sed ex odore quodam eoque solo mutuum cognoscunt, ut unaquæque procul ad suum accurrat. Frequenter ego mille oves vidi ab herba, et pascuis in ovilia redeuntes, et matre etiam longius agnum requirente, accedere alios, aliarum fœtus. Verum illa penitus negabat ubera, et lactis nutrimentum, nec eos admittebat, propter odorem alienum : suum autem, quem ex odore internoscebat, non excludebat. Sic omnium corporum tunc quoque fiet agnitio, per indicium, quod divinitus dabitur, cum ad tubæ cœlestis sonitum rediviva e sepulcris prodibunt. Signum illud ego quidem ignoro, soli Conditori notum. Non enim sub sensus cadit nec est corporatum : sed intelligentia tantum percipi potest.

CAPUT XIV.

Generatim omnes inter se agnituros, donec alii ad dexteram, alii ad sinistram Judicis separentur. Inde justos in omnem æternitatem, peccatores autem non amplius mutuum noscituros.

Non solum quisque corpus suum, ut allata similitudine declaravimus, sed etiam cognati cognatos et amicos, et omnes alii inter se agnoscent. Neutiquam enim putandum, neutiquam existimandum non singulos singulis in illa communi omnium resurrectione et judicio notos fore. Erunt utique, sed eo modo quo dixi, non per figuram et indicium signorum corporalium, sed signis quibusdam a materia et corpore sejunctis.

Anima. Et unde constat istud? quis hujus sententiæ testis? Si enim testes idoneos dederis, credam, et probabo : interea fidem non adjungo.

Caro. Primum audi Christum in Evangelio, ubi de hoc dogmate perspicue loquitur, aitque divitem illum agnovisse Lazarum in sinu Abrahæ requiescentem [10]. Alibi rursus ad Judæos inquit : « Cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli [11]. » Hic clara agnitio, notitiaque exprimitur. Et quamvis hæc sub parabola dicantur, tamen tu nullo modo dubita. Parabolæ enim rerum futurarum solent esse imagines, et illæ inprimis, quæ ab ipsa Veritate, Christo, inquam, futura præ.licente prolatæ sunt*.

Anima. Dominus inter omnes, et ante omnes fide dignissimus ; si aliud testimonium suppeditat, dictis abs te aptum et conveniens, addas licet.

Caro. Plurima vero suppeditant. Verumtamen ex tanto numero non nisi tria, quatuor aut quinque, eaque a primoribus Ecclesiæ magistris petita proferam. Ne longe abeam, Chrysostomus inter Patres eximius, præclarissime sic docet : « Non solum quos novimus familiares agnoscemus, sed etiam quibus nunquam visi sumus, aut quos antea nunquam novimus Abraham, Isaac, Jacob, omnes retro patriarchas usque ab origine, prophetas, martyres, Patres, apostolos, omnes qui ab Adamo, inde usque a primordio ad finem propagati sunt, viritim et separatim perfectissime cognosces. Similia Basilius in oratione contra divites avaros. Quomodo causam dicturus, inquit, coram justo Judice te defendes ab iis qui abs te lacessiri acriter instabunt? Nam quocunque oculos circumferes, umbras ubique simulacraque malorum aspicies. Hinc orphanorum lacrymæ, illinc viduarum gemitus, aliunde abs te oppressi pauperes : servi quos lacerasti, vulneribusque affecisti : vicini quos ad iram provocasti : cuncta hic adversus te consistent. Scribit et Gregorius Theologus in hunc modum : Tunc et Cæsarium luce clarissima circumfusum videbo, qualis mihi per quietem frequenter apparuit. Quid vero beatus, et lacrymis addictus ille Ephrem Syrus? Tunc, inquit, liberi parentes suos redarguent, quod nihil operum legitimorum fecerint. Et alii, cum viderint notos ac familiares cum ovibus, ut optabant, ad dexteram collocatos, lamentabuntur ob disjunctionem, flebunt, dolebunt. Magnus Athanasius Alexandrinorum episcopus, doctrinæ orthodoxæ propugnator, fundamentum et basis, sic ait : Et hoc justorum animabus præmium concessum est, ut cum resurrexerint, omnes recognoscant, unaque sint, simul vivant, simul habitent, fruentes gloria, et cum Christo ævum ducentes. Peccatores autem etiam hoc, præter alia privantur, non habentes agnitionem, sicut nec aliam delectationem, ex quo a justis separati fuerint. Sicut igitur actiones, et omnia tunc manifesta erunt, ita etiam omnibus omnium facies notæ : donec, ut dixi, segregatione facta, quisque ad locum quem sortitus erit, missus fuerit. Ad Deum quidem justi, et ordines sanctorum : e diverso peccatores ad loca horrida catervatim abducentur, cognoscenturque ab aliis ; ipsi inter se minime agnoscentes, alios ad majorem cruciatum suum agnoscent (9). Nam si tunc ab aliis non agnoscerentur, quanam ignominia scelerati illi plecte-

[10] Luc. xvi, 22. [11] Luc. xiii, 28.

Jacobi Gretseri notæ.

(9) Quod damnati se mutuo non agnoscant, non videtur satis conforme vero, idemque asseritur lib. iv, cap. ult. ; nam quem damnatus videbit in infernum, judicio peracto, detrudi, aut reipsa

Scholia.

* Theodorus Studita. *Parabola est oratio, ex præsentibus rebus futuras indicans, seu, imago rerum futurarum, seu futurarum rerum similitudo, et species respondens : siquidem nemo unquam ejus rei afferre parabolam potuit, quæ fieri nequivisset.*

Digitized by Google

rentur? quæ tunc acerba et intoleranda est, cum quis alienos novit, et ab iis noscitur. Quicunque enim multatur seu damnatur, non coram iis quibus ignotus, sed quibus notus est erubescit. Nam quem nemo novit, cur pudore suffundatur? at notus suffundatur necesse est. Et hoc quidem hujusmodi et est, et dicitur : et omnes (exceptis quos excepi) vicissim agnoscent. Tu vero quid de istis probationibus sentis? Credis, an non credis? ut mihi videtur.

CAPUT XV.

Magno et novissimo die universam creaturam ad speciem elegantiorem, et incorruptionem, similiterque humana corpora et animas in melius immutatum iri (10) : *et earum partes duas (in quibus scilicet inest irascendi et concupiscendi vis) desituras,* τὸ κατ' εἰκόνα *cum archetypo comparatur.*

Anima. Neutiquam his fidem denego ; qui enim possim, cum tu ista tam vere ac merito disseueris et docueris? potius tibi de persoluto quæsito meo gratias habeo, quando ex Christi ore didici, omne verbum fieri credibile, si a duobus aut tribus testibus fuerit confirmatum. Verum restat insuper aliud ζήτημα, cujus cognitionem maximopere desidero. Existimo enim (sicut tute supra docuisti) et cœlum, et terram, et omnem denique creaturam in consummatione sæculi ad naturam excellentiorem redactum iri : sicut et corpora hominum in vitam reversorum, mutationem naturæ in melius adipiscentur. Sed in me, et meis rebus, dic, obsecro, quomodo tunc res se habebit? Egone talis etiam tunc ero, qualis modo sum? nempe, secundum triplicem facultatem, et alia quæ de me traduntur, et in his immutabilis penitus cernar et in omne ævum sic tripartita vivam, unaquaque parte, nimirum ratione, ira, et cupiditate definitam sibi functionem exercente? Nam si et in futuro sæculo hujusmodi statum tenebo, iterum perturbationibus subjecta, et contaminata, et vitiosa, dum vis istæc tripartita ad illicita me pertrahit, anima profecto in statu puritatis et innocentiæ neutiquam versabitur. Quod si fortasse ex his tribus duas amisero, quomodo iis deperditis perfectio mea constabit? Nam cui plane deest aliquid, non est perfectum et absolutum utique. Et si bipertito dividar, quomodo immutata et truncata plenitudinem habebo? Rursum, quo pacto secetur separeturque quod natura est insecabile et inseparabile? Quomodo separetur separatumque permaneat? Si enim, ut dixisti, totum animæ gratia factum est, quidquid Conditor et Conservator produxit, mundus autem iste decreto ac nutu Conditoris ac Domini in statum nobiliorem migrabit, et elegantiorem formam accipiet, quam qua nunc superbit, habitumque splendidiorem ac diviniorem consequetur, efficitur hinc mihi injuriam irrogari. Quid tu ad hæc : Si perseverabo esse talis, qualis hodie sum, nec ad decus et gloriam ampliorem provehar, perinde ut cætera omnia, atque etiam tu, et tota universi species, novitate quadam condecorata et illustrata, et rebus alium ordinem atque modum præstantiorem videlicet, et in omnium spatia sæculorum permansurum tenentibus : si Creator carnem contubernalem ac sociam meam immutarit et honorarit, ut decrevit et decet, me autem dominam sine honestamento reliquerit, quid dicemus? infima summis, summa infimis omnino miscebuntur. Immutata enim inferiore substantia, me, quæ de superiorum ordine sum, nulla ratione fas est negligere : sed cum honorabilis et illustris, et natura sim admirabilis, æquitas postulat me dignitati meæ parem mutationem adipisci, quæ præsentem hanc conditionem meam excellenti præstantia multis partibus post se relinquat. Etenim si et inanimem naturam immutaturus est, et quidquid inter homines ministrat, ac servit, me unam mentis et consilii participem, et ad imaginem Dei factam, an non exornare, an non etiam plus quam mundum cohonestare convenit? Jam tu me doce, quid exspectare consentaneum sit.

Caro. In altum quoddam pelagus cogitationum ac sensuum me inducis. Quod enim quæris, laboriosum est et copiosum, nec facile ejus exitus inveniri potest, nec est ut quisquam id parvo negotio assequatur et intelligat. Hæreo, timeo, obscuritates et ænigmata loqueris. Doctiorem percontare, mihi ut imperitiori ignosce.

Anima. Alium audire et ab alio discere nolo. Nam quod tibi adest, cur id aliunde petitum eam?

Jacobi Gretseri notæ.

in inferni carcere versari, eum utique damnatum esse certo cognosceat, etiamsi nesciat quis qualisve sit in specie. Quod autem quis eum quem in hac vita novit, ut filius parentem, parens filium, amicus amicum, etiam in illo calamitoso statu agniturus sit, id theologi, IV, d. ult., tanquam per se notum supponere videntur. Neque agnitioni huic obstant tenebræ illæ exteriores in quas damnati dicuntur conjici, quia, ut recte Durandus, IV, d. 50, q. 1, explicat, *tenebræ illæ non sunt intelligendæ per carentiam omnimodam luminis, sed per carentiam, ut visio ejus est delectabilis, unde tales tenebræ erunt in inferno, quia nihil perspicue videbitur ; sed solummodo videbunt ibi sub quadam tenebrositate illa, quæ afflictionem cordi possunt ingerere. Unde, damnati videbunt pœnas suas, et illos quos secum per malum exemplum traxerunt de mundo : quod totum cedet eis ad augmentum supplicii.* Hæc Durandus. *Dioptra* arbitratur nihil prorsus luminis in inferno fore post extremum judicium. Quod si verum esset, sententia *Dioptræ* utcunque probabilis efficeretur, tametsi visus non sit unica agnoscendi quempiam ratio : nam et auditu, et in tenebris constituti agnoscere quempiam possumus ; præsertim si antea nobis non fuerit ignotus.

(10) Per totum caput disserit auctor de statu animæ post resurrectionem ad corpus regressæ. Pro quibus rectius intelligendis lege Franciscum Suarez tom. II, in III p. B. Thomæ, d. 47., sect. 7, ubi accurate explicat quæ actiones animæ sentientis in corpore glorioso sint futuræ ; nam de ipsis facultatibus, seu potentiis sentiendi, dubium non est quin eas omnes anima corporis gloriosi habitura sit.

Digitized by Google

Quinam alium nondum mihi familiarem interrogabo? Tu intima, et tanquam convictrix mea, tu mihi responde. Si detrectaveris, scias velim, non te alam imposterum ; non cibum, non potum mecum sinam capere.

CARO. Tamen canis lorum non comedit, ut nosti. Quia vero me urges, dicendum est pro viribus. Et antea tibi affirmavi, et iterum affirmo, architectum universitatis hujus tua causa mundum hunc duplicem, superiorem et inferiorem, sub oculos cadentem et non cadentem, quodque in medio amborum mistum et coagmentatum est, construxisse. Quem cum rursus immutabit et innovabit, etiam propter te tuumque splendorem et gloriam innovabit : mea quoque reformatio et reflctio tuum est decus, quando honor corporis ad id, quod ad imaginem Dei factum est, redundat : sicut contra, si contemnor et dedecoror, id ipsum quoque tua refert. Deus sibi sufficit, nullo horum indiget, non lumine solis et lunæ, non orbibus cœlestibus, non terrarum spoliis, non quatuor elementis. Nulli prorsus egestati divinum Numen subjicitur : qui enim ulla re egeret? (sed tibi omnia et nunc impertivit, et in futuro impertiet). Si ergo his quæ tua causa producta sunt, ornamenta majora quædam conferet, illa quoque propter te, et tua causa conferentur. Ablatis autem abs te hisce duabus facultatibus, in quibus cupidines, et irarum ardores exsistunt, quibuscum nata et adulta es, simul certe a natura tua vitiosæ affectiones, quæ ex hisce ad detrimentum tuum prodeunt, auferentur. (Si tamen ita eas vocare licet, unde sæpenumero optima, et plurima sane promanant. Nam si mens, quemadmodum debet, omnibus præsideat atque imperet! affectionum usum rationi convenientem ; sin autem, earumdem usum a ratione aversum, et vitium nominare oportet.) Etenim si illis careas, simul cares bile, ira, iracundia et injuriarum memoria, timore, timiditate ; nec est ulla apud te audacia, non æmulatio contentionis amans, non voluptas aliqua rationis expers, quæ animum fœde concitet : sed ut simul ingressæ sunt, sic simul abeunt. Supercilium et ostentatio cessabunt, si ira desit. Non erit fides, non spes, si non sit cupiditas. Memoria evanescet. Quis enim ejus usus? Atque hæc quinque sunt rationis, ut ita dicam, germina*.

Vacabis igitur ira et cupiditate, seu concupiscentia. Cum enim ad ipsum finem et extremum eorum, in quæ appetitus fertur perveneris, nullo horum tibi opus erit : longe recedent. Veterem quippe hominem penitus exuens, una cum ipso quidquid habet exuis, iterumque ad vitam omni dolore liberam recurris. Sola charitas in perpetuum tibi adest, propria ex omnibus quæ habemus, et comes individua. Hæc ambo autem principio non habuisse te scias, vim concupiscendi et irascendi puta, erant enim rationis expertia ; sed posterius indita tibi, et apposita sunt **, tanquam arma ad propulsandum devincendumque adversarium, ut neque vulneraret te, nudam intuens, neque jaculis igneis, et acutis feriret. Finito autem bello, prostratisque inimicis, et pace tranquillissima consecuta, impressioneque, lucta, et pugna confectis, hostibusque robore et audacia spoliatis, et longe in gehennæ ignem projectis, quid ista velut arma de cætero tibi proderunt, videnti et ridenti adversarium jam exstinctum? Aderat autem tibi cum mente ratio pura puta, castissima, sinceritate fulgens, vis contemplandi, judicandi, et ejus ideæ divinitas ; simplicitas, cum qua conditum est, quod est secundum imaginem Dei. Quale divinum spiraculum, per quod subsistis, a principio habuisti, tale recipies, atque hinc nobilissima, et formosissima, et supra omnes ordines cœlestium apparebis. Auditu novum, et visu tremendum erit, quomodo a gloria in sublimiorem gloriam ascendes. Hoc tamen κατ' εἰκόνα *ad imaginem Dei*, nosse oportet archetypo esse simile, et ad illud imitatione contendere, eo respicere : et quod mente tantum et intelligentia continetur, velle illi menti divinæ evadere simile. Non apportat molem, nec latitudinem, nec profunditatem : non intervallum, non dimensionem, non mensuram : ab hisce omnibus omnino liberum est, κατ' εἰκόνα quod est in anima, aliud quidduam est, quod ex comparatione ad archetypon omnium antiquissimum et maximum, et quod secundum naturæ suæ proprietatem simul et semel tale est, intelligimus. Illud primum et increatum, hoc creatum est. Illud natura est expers principii, omnium rerum princeps, et plena causa : hoc autem omnino cœpit : est siquidem res condita (nec enim jam imago dici potest, si semper est) exemplari primo absque mutatione quam simillimum. Hoc igitur manifeste creata natura, et conditum quippiam est. Natura autem et ratio conditorum, quid tandem sit, satis claret. Quod si verum est quod dicitur, sicuti plane est, quam tu majorem hanc gloriam, aut quem alium honorem, divino præstantiorem, tibi concupiscis? Hæc a me disputata intellexisti, ut opinor. Unum ea citra dubitationem credas, et probes, et admittas, an nihili facienda, et falsa, et aperte ridicula, et nugas arbitrere (quod equidem non puto) nosse cupio. Dic quid tandem, et quomodo de his sentias.

ANIMA. Non ego ista nihili facio, absit, Deus meliora : sed delector dictis tuis, verissime am-

Scholia.

* Gregorius. *Memoriam dicimus de iis quæ ad Deum et divina spectant. Nam quod oculis usurpatur, memoria non indiget. Similiter et fides, et spes tunc non aderunt : sola charitas neque nunc desinit, nec in futuro desinet, sed augescet amplius.*

** Gregorius. *Simplex et uniformis ab initio anima procreata est, protoplasti, inquam, cum mente sua et ratione, quod erat divinum illud spiraculum. Deinde sic illi ira et cupiditas natura irrationali constantes copulatæ sunt.*

Digitized by Google

plector, suscipio, acquiesco, admiror, solutis, quæ dubitabam, quantum satis est. Si fidem denegem, merito reprehendar. Nec est orthodoxus nec habet partem cum Verbo ac Domino, qui his adversatur, nec dignus illius nuptiis et thalamo : sed infidelis, blasphemus, Sadducæis deterior censendus. Ego vero, gratia Christi, abs te auditis fidem adjungo, et ita facta esse hæc, ut tu doces, non repugno. Nullo modo contradico, crede mihi, et ita tibi persuade. Illud tantummodo te obsecro, ut dictis quoque confirmationem adhibeas. Quam si pro quæsito accepero, satisfactum mihi putabo in omnibus : et hoc præ aliis immotum, inconcussum, et alta radice fixum ac firmum in pectore conservabo. Tantum cave, ne aliquo modo voces ipsas commutes; sed ut sunt, ita referas, et ad verbum recita.

CAPUT XVI.

B. Gregorii Nysseni locus de anima tripartita, ex disputatione de anima et resurrectione, cum Macrina sorore habita (a).

Interrogatio. Animum aiunt esse intellectualem naturam, et instrumentario corpori vitalem vim ad sensuum efficientiam atque actionem ingenerare. Nam non solum circa eam mentis nostræ agitationem, qua scientias percipimus ac speculamur, efficax et actuosa anima nostra est, per eam quæ mente constat, et intelligentia suæ naturæ vim talia efficiens, neque sensoria vasa, instrumentaque sola ad naturalem efficientiam, operationemque gubernat : sed multus quidem cupiditatis, multus item iracundiæ quoque motus in ejus natura cernitur. Cum autem horum utrumque generaliter in nobis insit, in multa pariter, ac varia, actionibus efficientiisque malorum progredi motum videmus. Nam multa quidem videre licet, quorum concupiscendi vis auctor ac dux est : rursus item multa a causa iræ concitatrice nascuntur, ac nullum horum corpus est. Quod autem incorporeum est, intellectuale prorsus est, solaque mente constat. Porro intellectualem quamdam, solaque mente constantem, et comprehensibilem rem esse animam, definitio declaravit. Ut duorum absurdorum alterum ex consequentia orationis exsistat atque emergat, aut ut iracundia quoque atque cupiditas aliæ in nobis animæ sint, et pro una multitudo animarum deprehendatur atque animadvertatur : aut ne mentis quidem agitatrix, et intelligendi vis in nobis, anima esse putetur. Nam intellectuale solaque mente constans, et comprehensibile, æqualiter omnibus accommodatum, aut omnia hæc animas esse demonstrabit, aut unumquodque horum ex æquo eximet atque excipiet ex hac animæ proprietate.

Responsio. Hanc, inquit (soror Macrina), rationem jam a multis etiam aliis quæsitam, consequenter ipse quoque requisivisti, quidnam tandem hæc esse oporteat existimare, τὸ ἐπιθυμητικὸν, id est, *vim concupiscendi*, et τὸ θυμοειδὲς, id est, *vim iræ concitatricem*, simul ne insita in animæ natura, et quasi coessentiata, atque consubstantiata, et ab initio cum ea sint, atque a principio statim una cum creatione et constitutione ejus exstiterint : an etiam aliquid aliud, atque ipsa sint, et posterius nobis accesserint. Nam quod hæc quidem in anima cernantur, ex æquo constat inter omnes. Quid autem de eis existimare oporteat, nondum plene atque perfecte ratio assecuta est, ut firmam de his habeat opinionem : sed vulgus etiamnum vagis falsisque, ac diversis opinionibus de his ambigit. Nos vero, æterna philosophia relicta, testem divinam Scripturam asciscamus, quæ statuit, ut nihil in anima putemus eximium et insigne, quod non etiam divinæ naturæ proprium sit. Qui enim similitudinem Dei animam esse dixit, quidquid a Deo alienum est, extra definitionem animæ esse declaravit. Ergo quoniam ejusmodi nihil cum divina cernitur natura, ne animæ quidem hæc insita, et quasi coessentiata esse, recte quis existimaverit. Quid igitur est quod dicimus? Quod hoc rationis particeps animal, homo nimirum, intelligentiæ atque scientiæ capax sit, vel eorum qui a ratione nostræ fidei atque religionis alieni sunt, testimonio comprobatum est : quippe non ita naturam nostram descriptura, ac designatura definitio fuisset, si quidem et iracundiam, et concupiscentiam, et hujusmodi omnia cum nostra unita, et quasi coessentiata, atque consubstantiata esse videret. Nam nec in ulla quidem alia re, loco proprii commune ponens, subjecti quisquam ediderit definitionem. Quoniam igitur et concupiscendi, et irascendi vis æqualiter quoque tam in rationis experte, quam rationis compote natura cernitur, nulla ratione, nec recte quis per communem notam id quod proprium est designaverit. Quod autem ad naturæ designationem supervacuum, ac rejiciendum est, quo pacto, tanquam pars naturæ, potest ad eversionem definitionis vires habere? Omnis enim definitio substantiæ, proprium subjecti spectat. Quidquid autem extra peculiaritatem ac proprietatem fuerit, tanquam a definitione alienum despicitur atque contemnitur. Atqui tam irascendi, quam concupiscendi vim atque efficientiam cum omni natura, tam rationali quam irrationali, communem esse constat. Quidquid autem commune est, non idem cum peculiari est. Necessario igitur per hæc sequitur, ut hæc in illis non esse existimemus, per quæ præcipue humana natura designatur. Sed quemadmodum si quis sentiendi, nutriendi, et augendi vim in nobis conspicatus, per hæc non resolvit animæ demonstratam definitionem (non enim, quoniam hoc est in anima, illud non est) eodem modo, si quis naturæ nostræ circa iracundiam, et concupiscentiam motus anim-

(a) Quæ sequuntur, apud ipsum Gregorium non continuantur : sed ea Philippus noster multis identidem versibus prætermissis (quod eæ res ad institutum suum minus pertinerent) ita congessit et consuit, ut orationem continentem efficeret. Pontanus.

Digitized by Google

advertit, non etiam recte definitionem oppugnet, ut quæ minus sufficienter naturam ostenderit. Palam est ergo, quod ex iis, quæ extrinsecus in rebus considerantur, hæc sint affectus et perturbationes naturæ, et non natura. Nam hæc quidem est, quod est : iracundia autem vulgo fervor sanguinis, qui circa cor est, esse plerisque videtur ; aliis vero, appetitio ulciscendi eum, a quo lacessitus, et ante læsus sis. Sed ut nos arbitramur, iracundia est appetitio nocendi ei qui concitaverit et ad iram provocaverit. Horum autem nihil convenit animæ definitioni. Itemque si per se concupiscentiam definiamus, appetitionem esse dicemus ejus, quod deest : vel desiderium fruendæ voluptatis, vel dolorem ob id quod non potimur eo quod cordi est, atque animo gratum et acceptum : aut B aliquam affectionem ad id quod est suave et jucundum, quo frui non licet. Hæc enim et ejusmodi omnia cupiditatem quidem ostendunt, ad definitionem autem animæ non pertinent. Quin etiam alii quoque, quæ circa animam cernuntur, quæ sibi invicem ex adverso posita videntur, velut timiditas et audacia, dolor et voluptas, metus et contemptus, et quæcunque talia sunt, quorum unumquodque cognatum quidem esse videtur cum irascendi et concupiscendi vi, peculiari autem definitione suam designant naturam. Quæcunque talia circa animam sunt, anima non sunt : sed veluti quædam verrucæ ex cogitatrice parte animæ enascentes : quæ partes quidem ipsius esse, eo quod C agnatæ sint, non tamen id esse existimantur, quod anima ex sui natura atque essentia est. Dicimus enim animæ quidem speculatricem et dijudicatricem, rerumque inspectricem vim ejus propriam esse ac naturalem : ejusque gratiæ qua Deo similis est, per hæc illam imaginem sese conservare. Quoniam ratiocinatione et conjectura colligitur, divinum quoque Numen (quodcunque tandem id ex sui natura est) in his occupatum esse : nempe tum in inspiciendo omnia, tum in discernendo bonum a malo. Quæcunque autem in animæ confinio posita sunt, ad alterutrum ex contrariis propensionem et inclinationem juxta sui naturam habent ; quorum certus quidam usus vel ad id quod bonum, vel bono contrarium est, ducit eventum : veluti D ira vel metus, ac si quid mortuum, qui in anima sunt, ejusmodi est, sine quibus humana natura considerari non potest, id extrinsecus ei accessisse existimamus, propterea quod in principali et originali pulchritudine nullum ejusmodi signum cernatur. Quæ non omnino mali alicujus causæ humanæ contributa naturæ sunt (nam alioqui Creatori causa malorum assignari potest, si illinc peccatorum necessariæ causæ simul in naturam collatæ essent), sed certo quodam usu voluntatis et arbitrii vel virtutis, vel vitii instrumenta talis animi motus exsistunt. Quemadmodum ferrum, dum ex sententia artificis cuditur, quodcunque ferramentum artificis animo voluntas destinaverit, ad id etiam formatur : et vel gladius, vel rustici alicujus operis instrumentum fit, metu quidem obedientiam, ira vero fortitudinem, timiditate cautionem atque securitatem ingenerante : cupiditatis item impetu divinam simul, et immortalem nobis voluptatem conciliante. Sin autem ratio habenas amittit, et tanquam auriga aliquis implicitus currui retro ab eo trahatur, illoque abripiatur, quocunque eum rationis expers motus jumentorum auferat, tunc in perturbationem appetitiones convertuntur (quale nimirum etiam in brutis videre licet, quoniam ratio naturaliter eis insitæ motioni non præest), sed quando motus eorum ad bonum inclinat, laudis materia fiunt, ut Danieli cupiditas, ac desiderium et Phineæ zelus, et bene lugenti dolor. Sin autem ad deterius propendent, tunc hæc affectus ac perturbationes et sunt, et nominantur. Speculandi, ac dijudicandi vis propria est ejus animæ partis, quæ Deo similis est, quoniam etiam divinum numen per hæc comprehendimus. Si igitur anima ab omni vitiositate pura fuerit, in bono et honesto prorsus erit. Bonum autem et honestum ex sui natura numen divinum est, cum quo per puritatem anima conjunctionem habebit, quippe cum proprio cohærens atque coalescens. Si igitur hoc acciderit, non amplius cupiditatis motu opus erit, qui nobis præeat ac dux sit ad id quod bonum et honestum est. Nam qui in tenebris vitam degens, lucem desideraverit : qui, si in lucem pervenerit eaque frui cœperit, concupiscere atque desiderare desinet. Facultas enim atque potestas potiendi atque fruendi, vanam et inutilem efficit cupiditatem : sed nobis quidem, propterea quod boni egena est, natura semper fertur, atque contendit ad id quod deest, ac desiderium ejus quod deficit, ipse naturæ nostræ concupiscendi affectus est : qui vel aberrat, propter sinistrum judicium ab eo quod vere bonum et honestum est ; vel etiam consequitur et adipiscitur id quo potiri bonum est. At ea, quæ superat omnem bonam cogitationem, natura, quæque super omnem potentiam eminet, ut quæ nullius indigeat earum rerum, quæ circa bonum et honestum intelliguntur, cum ipsa sit bonorum plenitudo, neque tanquam particeps alicujus boni et honesti in bono versetur, sed ipsa sit ipsius boni et honesti natura (quodcunque tandem etiam bonum et honestum esse mens ponit), neque sperandi motum in sese admittit (spes enim ad id quod non adest, duntaxat adhibetur : « Quod autem quis habet, cur etiam sperat [21] ? » inquit beatus Apostolus), neque reminiscendi ac recordandi efficientia ad rerum scientiam opus habent. Quod enim videtur, recordatione non indiget. Quoniam igitur divina natura supra omne bonum est, ac bonum bono prorsus amicum est, idcirco cum se ipsam intuetur, et quod habet vult, et quod vult habet, nihil externum in se admittens. Extra autem

[21] Rom VIII, 24.

Digitized by Google

eam nihil, præterquam sola vitiositas est, quæ (etsi dictu absurdum, et a vulgari opinione alienum est) in eo quod non est, suum esse habet. Non enim ulla alia generatio vitiositatis est, quam ejus quod est privatio. Quod autem proprie est, boni natura est. Quod igitur in ente non est, in eo quod non est, prorsus est. Postquam igitur anima quoque, segregatis omnibus variis naturæ motibus, Deo similis effecta fuerit, atque superata cupiditate in illo fuerit, ad quod olim cupiditate erigebatur et incitabatur, non amplius consistendi locum in sese dat, neque spei, neque recordationi. Nam quod quidem sperabatur, habet : occupatione autem fruendarum bonorum, memoriam a mente removet, ac missam facit : atque ita vitam superam, et excelsam, informata divinæ naturæ proprietatibus imitatur : adeo ut nihil aliud ei relinquatur, præterquam dilectionis affectus, qui naturaliter ei quod bonum et honestum est, adhæret. Id enim dilectio est, animo videlicet insitus habitus ad id quod placet atque cordi est. Cum igitur simplex, et uniformis, ac plane similis Deo anima facta, nacta fuerit illud vere simplex, et materiæ dolique expers bonum, quod solum revera dilectione dignum et amabile est, cum adhærèt eidem, tum una commiscetur atque contemperatur, per dilectionis motum et actionem ad id quod semper et comprehenditur et invenitur, sese formans, atque id per similitudinem boni evadens, quod ejus quod participatur atque percipitur natura est. Cum autem in illo cupiditas non sit (propterea quod nec ullius quidem boni defectus in eo sit), consequens fuerit, etiam animam, cum eo evaserit, ubi rei nullius egestas est, ex sese ejicere quoque concupiscendi motum atque affectum. Talis autem doctrinæ atque sententiæ divinus quoque nobis Apostolus auctor est. Cum enim omnium rerum, quarum nunc in nobis boni quoque causa, studia vigent, abolitionem et quietem quamdam, atque sedationem et finem futurum ante denuntiasset, solius dilectionis et charitatis terminum non invenit : « Nam prophetiæ abolebuntur, inquit, et scientia destruetur : charitas autem et dilectio nunquam excidit. » Quod perinde est, ac si dixisset : Semper eadem est. Quin etiam, cum fidem ac spem una cum charitate atque dilectione permanere diceret, rursus eam illis præfert atque præponit, neque injuria. Nam spes interim movetur, dum non licet frui atque potiri iis rebus, quæ sperantur. Et itidem fides sustentaculum ac firmamentum est incertitudinis earum rerum quæ sperantur. Nam et ita eam definivit, cum diceret, « Est autem fides sperandarum rerum substantia [22]. » Cum autem venerit id quod speratur, aliis omnibus quiescentibus, charitatis ac dilectionis efficientia manet ; quippe cum non inveniat, quod eam excipiat, et in locum ejus succedat. Quamobrem etiam universarum actionum quæ cum virtute perficiuntur atque etiam legis præceptorum principatum tenet. Si igitur ad hunc finem anima aliquando pervenit, aliarum rerum nimirum universarum plenitudinem complexa est. Nam cum vita, quam in præsentia transigimus, varie pariter ac multifariam a nobis exigatur, multæ quidem res sunt, quarum egemus et participes sumus, ut temporis, ut aeris, ut loci, cibique ac potus, ut tegumentorum, ut solis, lucernarumque, ut aliarum rerum multarum ad usum vitæ necessariarum. Beatitudo vero quæ ex spectatur, nullius quidem harum rerum egena est ; omnia autem nobis, locoque omnium erit divina natura, ad omnem usum ac necessitatem illius vitæ sese convenienter et apte impertiens. Atque id planum ac manifestum est ex divinis oraculis, quod Deus et locus exsistit iis qui digni sunt, et domus, et indumentum, et cibus, et potus, et lumen, et divitiæ, et regnum, ac quidquid vel mente concipi, vel nominari potest, quod nobis conferat, et conducat ad bonam vitam.

Caro. Hoc etiam mandatum tuum explevi, domina, et probationem attuli probatissimam, et quidem iis verbis, quibus scripta exstat, ut voluisti. Et plurimum fatigata sum, elaboravique, et ubique conquisivi, et scrutata sum, quærendoque non paucos libros evolvi, quo, quæ dicerem firmis argumentis et testimoniis confirmare possem. Ut igitur apud auctorem ipsum posita inveni, sic tibi proposui, præclarissime utique cum his de quibus agitur consentientia ; nec in elocutione quidquam immutatum est. Nunc tu super his judicium et sententiam expone, utrum ea scopum orationis attingere putes.

Anima. Congruunt, conveniunt, et consentiunt, et mihi dogmatis firmam ac solidam fidem faciunt, et in tabulis cordis notis indelebilibus inscripta sunt, postquam probationem insignem, quemadmodum petebam, accepi : cui nec contentiosus quispiam refragabitur. Qui igitur quæsivit discere tripartitam rationem animæ, rem inventu et explicatu difficilem, ut dixisti, homo industrius, et sapiens, ut apparet, fuit. Arbitror autem non plura mihi interroganda, et cognoscenda in negotio perplexo et difficili. Si quid ergo amplius habes, hoc sine mora affer in medium ad fructum, ad utilitatem et lucrum meum. Quod si ut segnis et socors tergiversabere, et occultabis, frustrationis et damni mei ultio in caput tuum recidat.

Caro. Quæ ille super anima interrogavit, et didicit, plurima admiranda et utilia sunt. Verumtamen unum accine, idque etiam utile, quod ad verbum, ut est, recitabo. Tu, si desiderio cognoscendi teneris, mihi attende, qui et quales in extremo die resurrecturi simus, quando venerit Dominus, et ad judicandum consederit.

[22] Hebr. xi, 1.

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De resurrectione uberior dissertatio ex iisdem Gregorii Nysseni Macrineis, ut auctor noster appellat. Ad sacros libros evolvendos cohortatio, et ad sacrosanctam Trinitatem gratiarum actio.

Quod resurrectio aliquando futura sit, et quod homo incorrupto judicio sistetur, cum propter Scripturarum demonstrationes, tum propter ea quæ jam ante exquisita atque excussa sunt, plerique audientium assentientur. Reliquum autem fuerit considerare, an prout est id, quod nunc est, ita etiam quod speratur, futurum sit. Quod si ita fuerit, fugiendam esse dixerim spem resurrectionis. Nam si qualia evadunt humana corpora, dum vivere desinunt, talia rursum vitæ restituuntur, nimirum perpetua quædam calamitas ab hominibus per resurrectionem speratur. Quod enim miserabilius spectaculum fuerit, quam cum in extrema senectute incurvata atque contracta corpora ad turpitudinem ac deformitatem redacta fuerint, carne quidem eorum tempore consumpta, rugosa autem et arida cute ossibus adhærente? Etenim nervis, quod naturali scilicet humore amplius non imbuantur ac pinguescant, convulsis, et idcirco toto corpore contracto, res quædam infirma ac spectatu miserabilis exsistit, cum caput quidem in genua inclinatum sit, manus autem utrinque ad naturalem quidem usum invalidæ sint (*a*), etc.

Caro. Audisti quæstionem, et vicissim responsum vere divini ac sapientis illius Patris, quibus resurrectio eximie stabilitur. Age dic quid sentias, et an tibi satisfaciant.

Anima. Dicam verum, et quod sentio. Multos super hoc argumento disserentes audivi, multorum scripta legi, orationes plurimas evolvi : verumtamen nihil simile unquam inveni : admiratione dignum ingenium illius, ornatissimus sermo. Tamen doce, qui sint, et ex quo genere, qui hæc litteris persapienter accommodateque conscripserunt.

Caro. Qui sint, non dicam tibi : quære et cognosces. Nam et ego quæsivi, et vix cum labore inveni. Tu quoque si quæsieris, invenies : si petiveris, accipies, et cum hujus disputationis auctorem, tum genus illius, et nomen, et vitam ad unguem cognosces. Ubi cognoris, cum animi tui fructu confirmabere. Non enim ad ingenuam cognitionem tardam ac pigram, sed laboris et doctrinæ studiosam esse, et præsertim (quod cupio) Scripturas perdiscere æquum est. Utile enim præceptum : « Scrutamini Scripturas. [a-99] » Me, utpote jam defatigatam, ne onera, quæ pro his Deo rependere laudum gratias volo. Solum Trinitatem venerari scio, Patrem, coæternum Filium, et divinum Spiritum; tres hypostases glorifico, tres personas ; omnino autem unam essentiam, unam potentiam, et unam naturam, individuam, inconfusam, et incomprehensam, omnium rerum inspectricem, universorum procreatricem, bonorum amantem, ipsam bonitatem, omnium bonorum causam, quæ omnia condidit, gubernat, sustinet, quam prædico, adoro, colo, glorifico.

[a-99] Joan. v, 39.

(*a*) Eloquentissime Gregorius (est enim orator magnus) adversus resurrectionem agit in eo dialogo, cui Macrina virgo et soror, quam ut magistram introducit, doctissime occurrit, veritatemque copiosissime explanat. Cæterum quia Nysseni codex in promptu est, tot paginas ea disputatione ad verbum, et ut ibi continens visitur, describenda consumere, operæ pretium non videtur. Si legeris, non pœnitebit. Quæ igitur hisce Macrineis recitatis apud Philippum sequuntur, quibusque liber hic secundus absolvitur, Latina facere pergimus. Pontanus.

DIOPTRÆ LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Mentem citra corpus multa perperam committere : corporis cum anima sola absque mente nullam esse functionem. Animam justam ex hac custodia eductam, simul cum angelis collaudare Dominum, rerum hujus vitæ immemorem : peccatricem in inferno suorum scelerum reminisci.

Anima. In secunda disputatione supra affirmasti animam sine tabernaculo suo, hoc est corpore, nihil neque mediocre, neque magnum, in summa, nihil proprium, nihil commune aut medium agere. Num igitur perinde se mens, ut anima, habet, et ipsa quoque citra corpus agere nihil potest?

Caro. Mens sine corporis ope multa sæpenumero agit, eorum partim cum virtute, partim cum vitio conjuncta sunt. Corpus per se, nisi a mente adjuvetur, nihil omnino, quamvis parvissimi momenti, facere potest.

Anima. Id vero quonam pacto, et unde fiat, videre nequeo.

Caro. Mihi da operam, et videbis. Culparum, delictorumque nostrorum, quæ noctes et dies conscisci-mus, quædam verbis, quædam actionibus, quædam cogitationibus (qui sunt intrinseci sermones) continentur. Horum trium generum divisionem rursus accipe. Quæ opere et verbis peccantur, in his mens carni sociam sese præbet. Quæ cogitatione, eorum contagia ad unam et solam animam pertinent.

Anima. De anima porro quid ais? num si ex hoc

Digitized by Google

domicilio discedat, sine instrumento et membris functionem quampiam obire valet? Num separata et sola quidpiam agere potest?

CARO. Anima carneis exsoluta vinculis, et ad Dominum suum egressa sine ullo fine cum angelis tripudiat, divinasque laudes modulatur, vocibus non quæ foras proferuntur, sed intus tantum concipiuntur : quoad judicii dies advenerit. Animæ, inquam, quæ vitam hanc innocenter degit, ista beatitas contingit. Quæ se vitiorum sordibus contaminat, et rationi reddendæ est obnoxia, ejus alia est conditio, quæ et locorum et personarum meminit, in quibus, et cum quibus alicujus nefarie commissi conscientia urgetur. Omnia reputat, omnium species secum gerit, et eorum imbibere oblivionem neutiquam potest : sed actorum suorum indelebilem memoriam retinet, indeque affligitur, et cruciatur, et pœnam sustinet, quam verbis nemo explicaverit, quæ plurium illustriorumque de sanctis Patribus doctrina est *.

Si igitur ob cogitationes suas torquetur, ut Litteris sacris proditum est, utique memoriam habet, et aliquo modo, et alicunde patitur. Si secundum a vero distat, etiam primum. Contra, si primo inest veritas, inest item secundo.

ANIMA. Quid igitur David secus scribit? « In illo die, inquit, peribunt omnes cogitationes eorum [1-16], » quo videlicet spiritus a carne separabitur.

CARO. Non ait cogitationes ψυχικὰς, hoc est animæ proprias, esse perituras, sed curas et sollicitudines hujus vitæ, seu quas hæc vita parere consuevit, de externis, de domesticis, de cognatis, de liberis, de aliis, quæ longe plurima in rebus humanis versantur, de plantatione, de agricolatione, de ædificatione, de vestitu. Horum anima, cum ex hoc tabernaculo recesserit, plane nullius recordationem habitura est. Quæ autem cum peccato et improbitate, voluptatum illecebris irretita factitavit, horum prorsus, et tantummodo tunc memor manet. De his cogitationibus scito Davidem loqui.

ANIMA. Assentior. Jam hoc quoque superiori non dissimile, et æque ex Psalmis depromptum mihi explanes velim : « Homo, sicut fenum dies ejus, tanquam flos agri, sic efflorebit. Quoniam spiritus A pertransibit in illo, et non subsistet, et non cognoscet amplius locum suum [17]. » Quæ subjecta est his sententia, eloquere, et doce me.

CARO. Exteriorem hominem, ejusque gloriam fluxam et caducam cum feno a Davide conferri certum est. Ut flos feni, gloria et decus rerum istarum, ad breve tempus durantium, inquit. Et unusquisque homo instar floris efflorescit, facileque defloresci ac marcescit, et fervore solis iterum exarescit, et defluit, et decidit, rursumque in terram redit. Corpus fenum, animam vero spiritum nuncupavit. Si in carne, seu corpore fuerit anima, motu agitatur corpus, eaque motione, quæ ejus naturæ consentanea sunt, exsequitur. Si illa inde evolet, corpus nullum est, perinde ut si nunquam B vixisset, nec in vita ista floruisset : nec dici potest, cujusnam fuerit, nec istud illius, illud hujus nominari. Nihil a floribus, nihil a foliis, nihil a feno differimus. Verno tempore folia virent, autumno decidunt, dispereunt. Hoc cum alii, tum Chrysostomus.

ANIMA. Quid ego de anima abs te audio? Bona et justa, corpore exempta, malorum et a se cum vitio gestorum non meminit : sed inter angelos Dominum laudibus prædicat **.

Ast quæ peccatis involuta hinc excesserit, illa et malorum suorum, et locorum, et personarum meminit, et improbe factorum suorum recordatur. Quod si justa et nequam anima substantiæ intelligentes sunt, ambæque iisdem naturæ divitiis præC ditæ, in utraque similiter eamdem memoriam reperiri oportebat. Nunc, ut tu quidem affirmas, anima improba tantum suorum scelerum meminit. Atqui consequens erat, bonam quoque malorum memoria tangi.

CARO. Dubitationem tuam vide quomodo solvam tibi. Pura puris angelis consociata, sicuti supra ostendimus, et bona illa splendida contemplans, illam lucem, illius voluptatis elegantiam, et divinitatem, illa dulcissima carmina festum celebrantium, exsultat, delectatur, et gaudio triumphat. Alia ex alia voluptas gignitur, et omnes divinæ sunt; ac molestorum quidem universorum oblivisci tur (11) : animarum autem in hac vita, quibus

[1-16] Psal. CXLV, 4. [17] Psal. CII, 14, 15.

Jacobi Gretsori notæ.

(11) Commodo sensu accipiendum est quod ait, animam beatam immemorem fore eorum malorum quæ in hac vita gessit. Asserit hoc, quia anima talis scelerum suorum memor non erit cum dolore et cruciatu sicut memores erunt animæ damnatæ. Et hanc esse suam mentem, satis expresse indicat ipsa *Dioptra* ad finem cap. 1 libri III.

Scholia.

* *Sciendum, nos usque ad nuda verba et cogitationes rationem reddituros. Et ex verbis nostris justificamur, condemnamurque, ut Pharisæi et Publicani parabola docet.* (*Luc.* XVIII, 10.) *De cogitationibus porro et consiliis quid Deus per prophetam dicit, ausculta : « Ego autem operam et cogitationes eorum venio ut congregem.* (*Isa.* LXVI, 18.) *Et David : Dixit enim in corde suo, Non requiret* (*Psal.* X, 13); *et, Unusquisque cogitat in corde suo mala* (*Psal.* XXXIV, 4); D *et, « Incumbit cogitatio hominis diligenter ad malum ab adolescentia sua. »* (*Gen.* VIII, 21.)

** Gregorius Nyssenus. *Omnino : hujus vitæ eventa, ut sanitas, divitiæ, deliciæ, gloria, paupertas, tribulatio, et quæcunque horum similia, tunc ab ipsis memoria non tenebuntur. Non quod animas oblivio vincat et occupet : sed quod præsens regni cælestis voluptas rerum tristium recordationem excludat, juxta illud : « In die bonorum oblivio malorum. »*

Digitized by Google

Dei gratiam implorat, legitime memoriam usurpat. At vero peccatis contaminata, simul corpus relinquit, simul ad infernum damnata abducitur, et cum horrore rapitur, ibidem ultionem, cruciatum, supplicium reperit, calamitatem inexspectatam, dolorem immensum, tabescitque lacrymis et gemitibus. Tum cogitat, considerat, secum disquirit, quinam in tantam ærumnam et in illas tenebras inciderit, illicoque ab se acta occurrunt, et meminit, et conscia est, et ipsa conscientia torquetur *.

Exemplum rei illustrandæ gratia producam. Si quispiam maleficus et homicida captus fuerit, adhuc stillans sanguine, et cruento pulvere sordidus, habensque manus et pedes currentes ad malum, qui in ligno maledicto est suspendendus, cognoscit qua de causa tantum sibi supplicium irrogetur, et quomodo ad mortem maxime miserabilem condemnatus sit. Hinc et aliarum cædium redarguitur; hinc conscientiæ telis iterum consauciatur, quæ illum universorum scelerum suorum commonefacit: sic tu mihi animam quoque suppliciis addictam se habere intellige.

CAPUT II.

Angelos sine instrumento corporeo divinas laudes celebrare. Eos ter tribus constare ordinibus. Uniuscujusque ternarii qualis hymnus.

Anima. De cætero de mentibus dissere. Scriptura sane eas docet vacare corporibus, et intelligentia constantes, et ministras ac flammam ignis, et divinas, linguæ, oris, labiorum expertes. Qua igitur ratione Dominum collaudare non desinunt?

Caro. Mentes, seu cœlestes illi animi, natura simplices sunt creati, ut a Scriptura sancta docemur [18], et hymnis Deum colere non cessant: non quasi quodam organo seu instrumento corporato illum compellantes: sed alium quemdam sonum edentes, citra pausam canticum τρισάγιον ei modulantur. Subtilissimam autem sortiti naturam, tanquam mentes, cantum et voces suavesonantes mire amant, et hinc quodammodo vocibus internis Domino canunt, ut inde ad eum melodia dulcissima perveniat. Sed hujus melodiæ sonum nihil cum corpore commune habere existima, qui non auribus, non ore, non lingua indigeat: verum absque prolato formatoque sermone, voluntate et ratione inter se communicant, et trigeminum illud *Sanctus* omnipotenti Trinitati concinunt, dicentes: « Benedicta gloria Domini in omnia sæcula de loco suo sanctissimo [19]. » His tribus verbis hymni angelici continentur.

Anima. Unde hoc noscam? quis auctor?

Caro. Magnus Dionysius ex Areopago tam decantato, doctus a magno Paulo videlicet, qui in cœlum tertium raptus, ut ipsemet scribit [20], et auditis illic verbis arcanis, et institutus doctrina nova, et ob id quoque avis cœlivolans nominatus, quæ ibi didicit, aliis revelavit. Tradidit autem cœlestis ac principis illius militiæ novem esse ordines, qui communiter angeli appellantur: sed ordine et statu inter se differunt, omnesque in tres ordines sunt distributi **.

Primus ternarius Cherubinorum, Seraphinorum, et Thronorum vocatur. Et hi hymnum concinunt venerandum: « Benedicta gloria Domini omnipotentis de loco sancto suo. » Medius Dominationes, Virtutes, Potestates complectitur, qui τρισάγιον solent canere. Ultimus Principatus, Archangelos, Angelos comprehendit, quorum hymnus est trigeminum Alleluia, quem divine et sine fine vocibus non vocalibus concinunt. Hæc duo prophetæ, divinus Ezechiel, et magnus Isaias testificantur.

CAPUT III.

Humanam naturam dignitate angelis antecellere, duabus potissimum de causis. Christi sponsam et reginam esse. Quantopere Sponsus eamdem in cælo honoraverit.

Anima. Obstupesco super his, obstupesco super illis quæ congressu antecedente disseruisti, in quibus, capite 15, de secundo Christi adventu disputans, sanctorum catervas gloria ipsos angelos antecessuros asseruisti. Quæ oratio tua nondum mihi fit credibilis. Itaque præsta mihi hoc officium, et scrupulum exime.

Caro. Nihil inopinatum, nec e cerebro meo dicam, ne tu sermonem meum pro nihilo ducas, et rejicias. Probationem e sacris petitam Litteris adducam, indeque difficultatem omnem discutiam. Ex Patribus enim antiquis interrogat quidam alicubi alium, eidem vitæ instituto et sapientiæ consecratum his verbis: Dic mihi, honorande Pater, promptoque ac libenti animo erudi me, qualianam sunt bona illa a Christo nobis donata, « in quæ et angeli prospicere desiderant [21], » sicut princeps apostolorum Petrus ait. Respondit ille in hunc modum: Opinor ego, desiderare angelos ut in natura ipsorum, quemadmodum etiam in nostra carne, secundum substantiam suam Deus Verbum ipsorum conditor inhabitet. Desiderant rursum ut ipsorum quoque natura a nobis adoretur et glorificetur, in

[18] Hebr. I, 14; Psal. CIII, 4. [19] Ezech. III, 12. [20] II Cor. XII, 2. [21] I Petr. I, 12.

Scholia.

* *Anima peccatoris et ipsius peccati speciem, et locum ipsum, et personam quacum peccavit, post excessum e vita meminit: et, si peccantes cor nostrum vulneramus, et latere conscientiam nostram non possumus, quanto minus peccantes quidpiam Deum latere poterimus?*

** *Sciendum, nostram quoque Ecclesiam habere novem ordines, ad imitationem virtutum cœlestium: patriarchas, metropolitas, archiepiscopos, episcopos, sacerdotes, diaconos, hypodiaconos, lectores, monachos, et sacrum laicorum cœtum. Alicubi sic et tot legi recensitos ecclesiasticarum dignitatum gradus apud Græcos: patriarcha, metropolita, archiepiscopus, episcopus, hieromonachus, presbyter seu papas, monachus, diaconus, hypodiaconus, anagnostes. Monachi quoque* τοὺς ἡγουμένους, *præpositos, seu* ἀρχιμανδρίτας *habebant.*

Digitized by Google

throno Cherubico, et in sinu Patris sedens, quemadmodum nostra natura in Christo ab ipsis, et ab omni aspectabili inaspectabilique creatura adoratur. Desiderant habere claves regni cœlorum, et sedere super duodecim thronos cum Christo judicantes [22], sicut in die judicii piscatores cum eodem judicaturi sunt [23]. Desiderant tanta apud Christum potiri libertate, quanta potitus est, qui super pectus ejus recubuit [24]. Dicam tibi quod majus est his omnibus. Affirmat Christus, cum venerit in die judicii, virtutes cœlorum commotum iri præ timore illius [25]; justos autem «faciet discumbere, et transiens ministrabit illis [26]. » Hæc et similia a Christo donata sunt nobis dona, in quæ et angeli prospicere, id est, intrare desiderant. Tum alter ille rursus interrogat, quid ita tandem Christus naturam nostram plusquam angelos glorificavit et diligit? Occurrit interrogatus. Paulum audi, qui te modum incarnationis Christi, et multæ bonitatis ejus erga nos docebit. Ait enim [27], mysterium, quod prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, esse ejusdem ad nos homines adventum et benignitatem. Favet itaque et complectitur Deus humanum genus plus quam ullam creaturam, idque duabus de causis : primum quia est plasma, et opus manuum suarum, et quiddam præformatum œconomiæ suæ animal, quod sub aspectum venit, et non venit, mortale et immortale, perinde ut Christus; deinde quia cognatus nobis, et ejusdem substantiæ, ejusdem generis ac formæ, homo natus videlicet. Ac proinde naturaliter deditus est, et diligeit cognatos, et generis sui substantiæque socios. Hæc præpositus monasterii ad montem Sina, qui et cognomento Sinaita dicitur, quem si testem admittis (et dignus est admitti), dicito.

ANIMA. Testem hunc amplector, suscipio et approbo : meretur inprimis fidem, et auctoritate valet. Quod si secundum apposuer s, tibi ea propter gratiam habebo. Nam duobus potius, aut tribus, quam uni credendum audio.

CARO. Non alterum solum, id quod petis, sed tertium quoque, si requiris, et plures addam : nempe Paulum, Davidem, Chrysostomum. Tres hi divino probati testimonio, et tria ora Verbi, clare docent, naturam humanam esse sponsam, et reginam astantem a dextris sponsi mystici, ac Domini. Cujusque horum dicta et sententiæ ad verbum, et ab initio recitandæ sunt. Paulus itaque de hac sponsa sic ait : « Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo [28]. » Et Joannes Baptista, idemque Præcursor Salvatoris : « Qui habet sponsam, inquit, sponsus est [29]. » Sed sponsus quidem caducus aliquanto post nuptias de æstu amoris multum remittit; noster autem sponsus amorem semper intendit et auget. Meminit item David his verbis : A « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate [30] (veste scilicet aurea et fimbriata). Visne etiam hujus calceamenta videre? Paulum nymphagogum audi : « Calceati pedes, in præparationem Evangelii pacis [31]. » Placetne intueri cingulum, ut a veritate circumdatum? « Succincti lumbos vestros in veritate [32]. » Avesne etiam aspicere ejus pulchritudinem? « Non habentem maculam, neque rugam, neque aliud hujusmodi [33]. » — Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te [34]. » Visne cernere pedes? « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem [35]? » Et cum ita eam ornaverit, non venit tamen ita ut ostendat, et exhibeat illi gloriam suam, ne immensitate pulchritudinis suæ ipsam percellat, et a mente dimoveat; B sed venit vestimento coopertus, sicut sponsa cooperta est. Non illam sursum accersit, sed ipse ad eam descendit, in hoc quoque sponsi leges observans, qua ille sponsam jubetur convenire; sicut et Paulus ait : « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ. Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia [36]. » Cum venisset igitur in ejus diversorium, invenissetque rugis obsitam, squalidam, nudam, sanguine inquinatam, lavit, unxit, vestimento induit, cui simile non est reperire, factus ipsemet ei vestimentum, et sic eam sibi copulatam in cœlum subvexit, et in superis collocavit : « Supra principatus, virtutes, potestates, et supra C omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, verum etiam in futuro [37]. » Vidisti honoris magnitudinem : vidisti dignitatis majestatem. Quæ pedibus ferebatur, quæ per terram trahebatur, eam in tantam altitudinem sustulit, ut ei angeli quoque assistant. Illa captiva, illa abalienata, illa meretrix, illa impura, vidisti in quantam altitudinem ascendit. Quoniam enim caput nostrum sursum est, ibique residet, nos corpus ejus, ejusdem gloriæ participes sumus, si tamen stamus. Cernis, ut quæ sponsa est, eadem filia : et quæ filia, eadem et sponsa sit? quod sane in corporibus humanis non datur : ubi aliud hoc, aliud illud. In Deo autem utrumque reperitur. Ipse siquidem per baptismum aqua perfusam regeneravit; ipse eam sibi conjuga- D vit; ipse illi pater, et sponsus. et Dominus fieri voluit; imo vero istuc ipsum quod ei Dominus factus est, multæ adversus eam curæ et benignitatis indicium est, mancipium dæmonum, ludibrium seductoris, sibi in propriam peculiaremque deligere. Atqui ille non modo famulam suam, sed et filiam et sponsam suam fecit. Vere et apte exclamemus : « Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus [38]? » Et rursum : « Quid retribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis [39]? » Quid enim cum tanto honore conferri

[22] Matth. XVI. 19. [23] Matth. XIX, 28. [24] Joan. XIII, 25. [25] Matth. XXIV, 29. [26] Luc. XII, 37. [27] I Cor. II, 1 seqq. [28] II Cor. XI, 2. [29] Joan. III, 29. [30] Psal. XLIV, 19. [31] Ephes. VI 13. [32] Ibid. 14. [33] Ephes. V, 27. [34] Cant. IV, 7. [35] Isa. LII, 7. [36] Ephes. IV, 31, 32. [37] Ephes. I, 21 [38] Psal. CV, 2. [39] Psal. CXV, 12.

Digitized by Google

potest? cum primitiæ generis nostri [40], quod toties Deum offendit, neglectumque et contemptum jacuit, in tam sublimi loco consideant, tantamque claritudinem obtineant? Et ista quidem de sponsa totidem verbis Joannes Chrysostomus.

CAPUT IV.

Quandiu, et quam studiose Dei Filius sponsam sibi quæsiverit : quibus ipsam ornamentis cumulaverit, eleganti parabola demonstratum.

Si porro quæ dicta sunt rursum exemplo illustrari cupis, afferam, quod ad fidem pariendam sufficiat, cognoscesque cum admiratione quod quæris. Audi igitur attente, et rationem adhibe. Erat quidam rex potens, dynasta incomparabilis, qui habebat urbem regiam, cujus incolæ et plurimi, et optimi. Eidem regi erat filius venerabilis, cui pater uxorem despondere volens, puellas civium illorum summorum, ac principum filias sibi prætereundas censuit : animo, inquam, et forma speciosissimas, felices, honestas, bene audientes, inclytas, elegantissimorum et laudatissimorum peritas operum. Capto autem consilio filium emittit, uti per omnem creaturam sibi indaget, et consociet sponsam formosissimam, suæ gloriæ majestatique proportione respondentem. Sibi enim nobilium illorum, de quibus diximus, filias non ita placere aiebat, ut ex iis aliquam filio connubio jungi vellet. Filius, peragratis diligenter creaturis, perlustratoque mundo terreno, et urbibus et regionibus universis, viciniss mis et remotissimis, mari et insulis, et locis omnibus, toto oriente et occidente, septentrione et meridie, in hac peregrinatione mansit, ut mihi discere contigit, multorum annorum periodo : nempe ut ratio subducitur (secundum Græcos) quinque millium, et omnino quingentorum. Tandem ut singulari pulchritudine conspicuam (perridiculum vel dictu tantum) meretricem lascivam pro sponsa sibi deligit, piacularem, abominandam, vilem, sordidam, ut erat, squalidam, ut invenit, morbidam, labore confectam, penitus despectam. Eam vero ad lavacrum adducit, purgat, unguento ungit, intaminatam reddit; stigmata delet, veste pulcherrima induit, cui similem haud facile invenias. Alit eam cibis decentibus, victuque exquisitissimo, et postremo in palatium suum sursum ducit. Quam ut rex ille magnus, et parens vidit, dilexit, et amavit, et aspectu ejus mirifice recreatus, corona imposita ut reginam honoravit, subitoque in eodem throno illam sibi assidere fecit, et totius regni sui hæredem instituit. Quin etiam sponsæ hujus genus in regiam sese congregaturum, et una cum illa decore et gloria affecturum est pollicitus : Ubi enim sponsa filii mei, inquit, ibidem et genus ejus universum esse, ljustum decorumque judico. Postquam urbis incolæ sponsam conspexerunt, senatus et consilium, magistratus, exteriorum interiorumque ordinum cœtus, obstupescere, ambigere, et timore quodam corripi universi, cernentes rem maximam, et a suo genere alienam : filias nempe suas, illi naturæ societate conjunctas ac domesticas repudiari. Non enim apprehendit genus domesticorum [41], nec ex illis, sed unde sibi ascivit, inde quamvis de peregrino genere sponsam adducere voluit. Quoties igitur regi ejusque filio regi laudes et honorem divinum oblaturi sunt, etiam sponsam, et assidentem et throni consortem, uti diximus, cum religione et tremore volentes nolentesque adorant, non sine timore et stupore, omnium cogitationes superantem prius damnatæ gloriam majestatemque intuentes.

Anima. Audivi paradigma. Nunc idipsum fac mihi interpretere.

Caro. Rex ill maximus est Dominus omnipotens, et Rex gloriæ ; civitas est urbs illa cœlestis, cujus opifex Deus. Indigenæ illius, ordines τῶν νόων animorum ; horum filiæ, angelicæ multitudines. Filius dilectus, Verbum et Christus meus. Genera creaturarum, natura communis hominum : quam autem ducit sponsam, patet esse naturam mortalem, quam ex Maria Virgine assumpsit, cum qua tandem ad Patrem est reversus. Cognati sponsæ et propinqui, sunt qui a Christo nomen duxerunt. Reliqua paradigmatis tibi nota esse arbitror, ut et Scripturarum testimonia, quæ, ut potui, ad astruendam orationi meæ fidem, produxi. Horum si tu quid nondum assequeris, vereor ut mentem sanam et imperturbatam geras. Sed me missam fac, quæso : noli mihi exhibere molestiam : ad obsurdescentes aures amplius verba facere nequeo. Natura mortalium jam inde a trangressione despicabilem et fluxam, naturæ divinitatis, omnia superanti hypostatice sociatam et colligatam esse, hoc est, quod dixi, populum sanctorum super omnes angelos glorificatum esse.

CAPUT V.

Naturæ humanæ cum divina conjunctio, collatione quadam declaratur cum exaggeratione tanti beneficii.

Alterum et breve paradigma tibi proponam. Aurum et plumbum natura discrepant, distantque inter se quam longissime. Si igitur quispiam aurifex varia ratione et artificio usus, plumbum in aurum probum mutaverit (12), et ita se solertem ingenio-

[40] I Cor. xv, 23. [41] Hebr. II, 16.

Jacobi Gretseri notæ.

(12) Similitudo de plumbo supra naturam in aurum converso, dextre accipienda, et ad incarnationis mysterium accommodanda est. Nam ut aliqua similitudo sit, ita utriusque mixturam concipere debemus, ut utriusque natura post unionem distincta et inconfusa maneat : nam si ponamus confundi, aut naturam plumbi desinere et penitus in aurum mutari, jam exemplum Eutychianismum oleret. Itaque legitimus sensus est iste : Sicut maxima plumbi dignitas foret si arte ita cum auro conjungi posset, ut verum esset dicere : Plumbum est aurum : ita maxima humanæ naturæ dignitas est, postquam sic cum divina est unita, ut verum sit dicere : Homo est Deus.

Digitized by Google

sumque artificem ostenderit, hoc novum, admirabile, et maximum videbitur, nempe plumbum supra naturam in aurum conversum esse, et aurum adhuc aurum manere, etiam post mixturam, et plumbum evasisse id, quod natura sua non erat. Sic et mihi de natura humana vili et abjecta ratiocinare, eam a Verbo in naturam gloriosissimam mutatam esse. O pelagus bonitatis, o gratia tanti doni! O magnitudo benignitatis. Proh divinas miserationes! proh immensum amorem, quo Deus humanam naturam dignatus est tanta gloria, claritate, divinis charismatibus, et usque ad finem, et usque ad extremum dignatur!

Nos profanos, perversos, et ingratos, audacissimos, pessimos, petulantes, perditissimos : nos a quibus pulchritudo imaginis corrupta est, a quibus (ut simul et semel dicam) nihil nisi turpitudo perpetrata est, per invidiam illius invidi tyranni, et malefici. Qui prius fuimus inglorii, qui canes rabiosi, qui ferocibus bestiis immitiores, et donum recepimus, et gratis omnia, et gloria angelis superiores facti sumus, quod maximum, et optimum, et sine comparatione præstantissimum. Qui venditi eramus in servitutem, in libertatem vindicati sumus. Qui eramus inimicissimi, declarati sumus filii et hæredes, et « hæredes quidem Dei opificis et conditoris, cohæredes autem Christi [42], » quemadmodum ostensum est, et conformes, et throni, et gloriæ supremæ consortes. Deus homo factus est, ut hominem quem manibus immaculatis formavit, deum faceret. Hoc est illud magnum prorsus divinumque mysterium, quod omnem cogitationem, scientiamque, seu humanam, seu aliam superiorem superat. Illud vero est admirabile, et animadvertendum : Defecimus a Conditore a quo prius descivit primus angelorum; non tamen curæ fuit Deo ut is ad se reverteretur, nec reversus est, nec ad pristinum locum revenit. Homini autem lapso succurrit, et ad primum statum, eoque majorem illum reduxit. Aliud si dixero, iterum obstupesces. Audio plane Scripturam semper Deum prædicantem, ut hominum, animarum, pauperum amantem; A nunquam audivi ab aliquo φιλάγγελον *amantem angelorum* nominari, tametsi angelus est substantia nobilis, et creaturarum excellentissima, deitati familiaris et cognata, et mente duntaxat percipitur. Etiam hæc Scripturæ sunt ad gloriam hominum, nos omnes aperte Dei filios nominantis : « Filios genui, inquit, et exaltavi [43]. » Et iterum : « Filius meus primogenitus Israel [44]. » Angelum autem nec deum, nec filium, aut sobolem usquam appellavit [45]. Tantummodo flammam ignis, et administratorios spiritus appellat [46]. Hujuscemodi, et tot testimonia, firmamentum demonstrationemque solidam rei propositæ attuli, et dogma istuc jam ad fidem confirmatum est satis. Qui autem has confirmationes aspernatur, et nondum recipit, non est ille fidelis, et desipit.

B

CAPUT VI.

Creaturam cujusque generis, sæculo quoa expectamus, novam fore. Paradisum, vetus Adami habitaculum, peracto judicio nullum fore.

Anima. Accurate rem cognovi sermonemque tuum, et divinæ misericordiæ pelagus obstupesco. Video enim in quantam gloriam sublatus sit homo, quantumque cœlestis militiæ principes antecellat. Quoniam autem secundo colloquio de tripartita anima, seu triplici vi et potestate animæ disputationem feliciter absolvisti, et ut se post resurrectionem anima habitura, quomodo videlicet sola ratio in ea permansura sit (13), demonstrasti : et in hoc tertio, quod de sanctis quæsivi, quomodo majores C angelis futuri sunt explicasti : hinc jam mihi hoc exsequere, quomodo cœlum, terra et alia immutanda sint; et quo pacto omnia ad alium meliorem habitum redacta, nova fient, uti scriptum est [47]. Indicasti enim de schemate mutationis tunc facturæ. Nunc dilucidius hujus rationem edissere, ecquid omnes creaturæ immutatæ, rursum ornatum suum citra mutationem aliam possessuræ sint, quas David enumeravit [47] sigillatim hortans omne opus Dei, omnem naturam ad laudandum Dominum. et quas ternarius puerorum in igne salvatorum inducit, cœlum, et duo luminaria solem et lunam,

[42] Rom. VIII, 17. [43] Isa. I, 2. [44] Exod. IV, 22. [45] Hebr. I, 14. [46] Apoc. XXI, 5. [47] Psal. XLVIII et CL.

Jacobi Gretseri notæ.

(13) Ait, solam rationem post resurrectionem in anima mansuram. Hoc non ideo dicit quasi potentiæ sensitivæ in anima corpori glorioso unita non sint futuræ, sed quia omnes cum actibus suis, quos exercebunt, perfecte subjicientur rationi; et proinde omnis rebellio inter appetitum sensitivum et rationem cessabit : quasi sola ratio in anima inesset, quia ipsa sola dominabitur, neque ulla facultas sese imperio ejus opponet, ut jam fieri consuevit.

Scholia.

* *Chirographum, quod Deus adversus Adamum conscripsit, nempe hoc, « Quocunque die comederis de ligno, morte morieris, » diabolus retinebat nec reddebat, donec Christus cruci affixus id ipsum delevit atque concidit. Quam eamdem charitatem erga nos perpetuo conservat. Non enim nostri curam ac providentiam dimisit : sed et rogat pro nobis, quod summi amoris est, non solum quæ sui muneris sunt facere, sed alium quoque pro nobis rogare.*

Chrysost. *Quanquam fortasse filii Dei facti sumus, tamen id usque ad ultimum spiritum incertum est. Quod est si cum bona spe vitam clauserimus, tunc* D *donum istuc immobile, inconcussum, et gratia stabilis est; quando nimirum et corpus nostrum a morte, et innumeris miseriis liberatum fuerit. Hæc enim est, et dicitur redemptio.*

** « *Cui enim dixit angelorum, Filius meus es tu? » Et iterum, « Non enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. » (Hebr. II, 6.) Nec enim naturam angeli, sed hominis suscepit. Natura quidem filii hominum : honore autem, et gratia filii Dei sumus : sed si imaginem ejus in virtute positam illi puram incorruptamque conservaverimus, tum demum donum hoc consequemur.*

Digitized by Google

lucem, stellas, mare, grandinem, glaciem, pruinam, nivem, imbrem nivalem, ignem, ventos, colles, imbres, fulgura, rorem, nebulam, frigus, æstum, noctem, diem, terram, ligna, colles, clivos, valles; omne reptile, volatile, jumenta, bestias, abyssos, tenebras, dracones : et quidquid humi nascitur, herbam, arbores, fenum; maria, cete, flumina, fontes, lacus, et omne quod movetur in aquis et natat [48]. An igitur singula quæ hic recensuimus, et simul etiam locus Eden, ut sunt modo, ita tum futura sint, age perspicue doce.

CARO. Etiam hic doctrinam sinceram tibi tradam, et ne dicta, ut incredibilia, improbes, testes promam sanctos, virtuteque insignes, et mox probationem haud disceptabilem accipies. Adhibe animum his, quæ hic ad verbum ex iis a me repetita audies, et intelliges quod postulas. Aliud sapientes vani, occultorumque mysteriorum scrutatores dubitant, et nobis in quæstione ponunt. Quærunt nosse, quale hoc universum jam dissolutum, hoc est omnibus defectum viventibus futurum credamus; quod illud novum cœlum, quæ nova terra, ut ait hujus scientiæ coryphæus; et num in Paradiso voluptatis plantato in Oriente, in quo Adamus protoplastus est collocatus, sancti habitaturi sint. Et num in illa nova terra peccatores supplicium experturi sint. Verum sublimior istorum notitia penes eum est qui ex nihilo fecit omnia, eademque postea immutaturus est modis et rationibus, quas lingua nulla effari queat. Tamen respondemus illis ad hunc modum : Quidquid factum est a principio, propter aliquam causam omnino factum est : causa illa fuit homo. Omnibus itaque hominibus post universi resolutionem in unum congregatis ad judicium, ut quisque præmium condignum ferat, juxta sanctum oraculum; inquit enim : « Et ibunt hi quidem in vitam æternam, illi autem in ignem exteriorem et æternum [49], » non intercedente alia causa, nisi ipso homine, cujus tandem gratia alia rursum creatura ab Opifice, nova, aspectabilis, et objecta sensibus fiet? Si namque creatura omnis, ab initio ex eo quod non erat, propter ipsum hominem exsistere jussa est : si Deus iterum novum cœlum et novam terram effecturus est, id eum facere ob aliquam causam oportet : hæc autem est homo, ut diximus. Aliis porro (ut aliter ista consideremus) raptis in aera ad occursum Christi, et sic semper cum Domino futuris, ut Paulus ait : « Hoc enim, A inquit, dicimus vobis, in verbo Domini, quia nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Christo in aera [50], » aliis ad pœnas inferni relictis, quæ novarum istarum creaturarum utilitas? Domino, inquam, ac Deo nostro extra universum exsistente, et super omnia in gloria beatitudinis suæ ineffabilis : hominibus autem ita se habentibus, ut hi quidem ad lucidas, illi ad caliginosas et tenebrosas sedes abeant, quod antea demonstravimus, quorsum illa præstantia et novitas creaturæ, et a nonnullis exspectatum ita sensibile cœlum itemque sensibilis et desiderabilis terra, quando, qui regnet, et fruatur ipsis, nemo erit (14)? Sed hæc infantium, et vix hominum, et a sanitate mentis deturbatorum, judicio corruptorum, et a ratione male habentium commenta sunt. Quid igitur? inquit, qua de causa cœli calore solventur, et elementa ardore liquescent [51], novos autem cœlos, et terram novam, ex promisso ipsius exspectamus? Ubi ergo ista nobis promisit, exquiramus. Quando pietatis gradus nobis enumerans, ascensionibus novem, decimum gradum apposuit, inter illos etiam novum cœlum recensuit. Ait enim : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum [52]. » Deinde : « Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram [53], » et, ut brevis sim : « Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis [54]. » In quibus tandem cœlis nostram mercedem multam fore spopondit? In quibus, ut meminit Petri oraculum [55], justitia habitat. Quis igitur est justitia? Deus. Si ergo Sol justitiæ in novis illis cœlis habitat (ut Scriptura docet), Deus autem extra omne est, dissolutaque creatura in seipso manet, similiter et semper exsistens, et nunquam esse desinens, nec in illis alio quodam modo creatura habitabit, divinius utique, quam in lumine inaccesso, in quo habitans Deus, amicitur lumine tanquam vestimento [56], et sanctos suos divinos reddit. Deinde juxta Scripturam mutata et alterata creatura, incorruptionem suscipiet ut nos, nec interibit amplius, mutata et a servitute liberata videlicet : « Liberabitur enim et ipsa creatura a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei [57]. » Quod si libertas electorum Dei divina est, et splendidissima gloria : « Erunt enim, inquit, sicut angeli Dei [58], » utique libertas creaturæ similis erit. Non tamen sors sanctorum rursus in ipsa erit, quandoquidem se cum Christo re-

[48] Dan. III, 1 seqq. [49] Matth. XXV, 46. [50] I Thess. IV, 16. [51] II Petr. III, 10; Isa. LI, 6. [52] Matth. V, 3. [53] Ibid. 4. [54] Ibid. 12. [55] I Petr. III, 13. [56] Psal. CIII, 2. [57] Rom. VIII, 21. [58] Matth. XXII, 30.

Jacobi Gretseri notæ.

(14) Hic et in capite sequenti disputat de renovatione mundi et creaturarum post extremum diem judicii. Et recte quidem. Non enim negat hanc instaurationem : etsi negat mundum hunc sensibus expositum, ideo renovatum iri, quod sit futurus domicilium beatorum : non enim in his terris degent beati, sed cum Christo in cœlis. Sub finem capitis septimi dubium movet, num hæc quatuor elementa, ex quibus nunc mundus hic inferior coagmentatur, permansura sint. Nec solvit dubium, sed insolutum relinquit. Cæterum communis theologorum sententia est, elementa ista ut et corpora cœlestia secundum substantiam suam perpetuo mansura; tantumque in illa communi rerum reparatione *accidentaliter* mutatum iri. De quo fuse et docte scribit Franciscus Suarez tom. II in III partem S. Thomæ, disp. 58, ubi etiam accurate explicat locum illum II Petri III : *Cœli autem qui nunc sunt*, etc., *igni reservati in diem judicii*, etc.

Digitized by Google

gnaturos exspectabunt [59]. Christus enim ut Deus, et quem nulla circumscriptio definit, ab eis non separabitur : sed ubi ille est, ad dexteram Dei Patris sedens, illic item omnes, qui Christum in se viventem et loquentem habuerunt, per spiritum erunt, sicut ipsemet Deus Verbum ad Patrem dixit : « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum, ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi. Gloriam enim, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut nos unum sumus. Non pro iis autem rogo tantum : sed et pro iis, qui per verbum ipsorum in me credituri sunt [60]. » Quod si tibi, o homo, clara est paradisi voluptas potius, miseret me infelicitatis tuæ.

Habes primum ac solidum testimonium : secundum et tertium quoque, ut cupis, accipe. Magnus quippe, et sapientissimus Chrysostomus, ipsa festivitas, ea quæ Paulus ad Romanos scripsit, sapienter exponens, ita docet. Sunt autem verba ipsa recitanda, ut se habent.

CAPUT VII.

Locus beati Pauli ad Romanos : « Nam exspectatio creaturæ filiorum Dei revelationem exspectat [61], » et quæ sequuntur, ex S. Joanne Chrysostomo propemodum explanatur. Statum corporis beati in hac vita perfecte non cognosci.

Hunc sensum habet, quod ait : Interitus capax creatura facta est, Deo ita volente jubenteque. Voluit autem nostri causa. Quoniam enim hominem interiturum nutritura erat, ipsam quoque hujuscemodi esse oportebat. Neque enim corpora corruptioni subjecta, a creatura, quæ esset a corruptione aliena, sustentanda erant. Verumtamen non talis manebit, inquit : sed et ipsa creatura liberabitur a servitute inimici, id est, a corruptione. Deinde significans, quando hoc, et per quem futurum sit, adjunxit, « In libertatem gloriæ filiorum Dei [62]. » Cum enim resurrexerimus, inquit, et corpora nunquam de cætero moritura induerimus, tum et cœli, et terræ, et cujusque creaturæ corpus incorruptibile et immortale erit. Et hæc quidem Joannes ille lingua aureus. Audi porro hujus loci et alium interpretem. Exspectatio enim creaturæ hoc sibi vult : Et ipsa creatura, inquit, futuram gloriam nostram vehementer exspectat. Quare ? quia incorruptibilis creata, propter hominum peccata corruptibilis evasit, quando et nos ex incorruptibilibus corruptibiles facti sumus. Vult igitur creatura, inquit, hominem in suam incorruptionem restitui, quod in resurrectione futurum est, et ut ipsa suam denuo adipiscatur. Homine, siquidem, propter quem creatura cœpta est corrumpi, ad incorruptionem reverso, ipsa quoque ad suam incorruptionem revocabitur *.

Totum autem prosopopœia quædam est, et bonorum amplitudinem declarat, ostenditque nos hoc magis studere debere, ut gloriam istam et incorruptionem assequamur : siquidem et creatura id desiderat. Cave enim existimes, inanimem, sensusque expertem creaturam vere hæc exspectare et sentire ; ἀποκαραδοκία autem vehementem exspectationem significat **.

Quod autem sequitur, « Revelationem filiorum Dei exspectat : » id est, finem, quando apparebit, quinam sint filii Dei, et qui filii diaboli. « Vanitati enim creatura subjecta est, » id est, corruptioni. Hac enim condemnata est propter peccata nostra. « Non volens. » Christi potentiæ et hoc argumentum est, invitam subjicere. « Sed propter eum qui subjecit eam in spe, quoniam et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis. » Ita, inquit, et ipsa liberationem exspectat. Sub spe igitur liberationis subjecta est. Deinde hoc ipsum interpretatur, quomodo in spe. « Quia et ipsa creatura liberabitur, inquit, in libertatem gloriæ filiorum Dei. » Puta, propter libertatem gloriæ, hoc est, propter nos erit et creatura incorruptibilis. Sicut enim propter nos est corrupta, sic vicissim propter nos erit incorrupta. Quoniam in libertatem a corruptione vindicabitur, utpote corruptionem incorruptione mutans. « Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. » Si creatura simul ingemiscit, volens corruptionem deponere, quanto magis nos hoc velle debemus?

Et has quidem persecutiones, solutionesque propter creaturam ab illustri illo Scripturarum explanatore Chrysostomo inductas audivisti : nempe, quodnam novum cœlum, quæ nova terra, et quomodo etiam hæc tandem incorruptionem consecuta sint. Nihil igitur ambige, nec controversare : sed

[59] Coloss. III, 4. [60] Joan. XVII, 20, 25. [61] Rom. VIII, 19. [62] Ibid. 21.

Scholia.

* « *Et omnes sicut vestimentum veterascent, et sicut operiorium mutabis eos, et mutabuntur.* (*Psal.* CI, 27.) » *Omnia enim sub oculos cadentia senescent, vestimentorum vetustatem imitantia. Tu autem ipsa immutabis, et renovabis, et incorruptibilia facies in resurrectione. Sicut enim corpora nostra resoluta esse desinent, rursumque ad immortalitatem instaurabuntur, sic et cœlestia corpora renovabuntur, in meliorem sortem reficta de integro, ipsa quoque a servitute corruptionis liberata.*

** Chrysost. *Avidissima exspectatio est. Quo autem oratio significantior fieret, mundum hunc universum loquentem inducit ; id quod et prophetæ factitant, facientes tum fluvios manibus plaudentes, tum colles saltantes, tum montes subsilientes : non ut hæc animata esse putemus, neque ut illis cogitationem aliquam attribuamus : sed ut hinc bonorum magnitudinem intelligamus, ut quæ vel ad sensum etiam carentia pertingat. Hoc ipsum autem et in rebus tristibus persæpe faciunt, inducentes, et vitem lamentantem, et vinum, et montes, et templi laquearia ejulantia ; ut et hinc rursus malorum gravitatem reputemus. Hos itaque Apostolus imitatus, hoc loco, personam creaturæ affingit, eamque suspirare et parturire ait : non quod suspirium aliquod a terra et cœlo editum ipse audierit ; sed ut futurorum bonorum immensitatem desideriumque declaret, quod habet, ut malis præsentibus liberetur.*

Digitized by Google

cum audieris creaturam fore incorruptibilem, et crede, et puta, et sape, et dic, penitus nihil horum quæ creaturæ complexu continentur, et nunc corrumpuntur, etiam tunc semina interitus habiturum. Nec enim in futura illa vita, gaudiisque venturis ullus erit creaturarum usus, cum figura hujus mundi præteribit, nec quidpiam omnino tale, quale nunc est, relinquetur. Dum enim creatura corruptionem et senectutem exuet, simul vetus vitium et defectum exuet; neque quos enumeravimus, vel Davide, vel tribus pueris, vel te indigebit, a quibus ad Deum laudandum excitetur, qui solus erit omnia in omnibus [63], et distribuet sufficienter, et eximie pro cujusque usu et merito omnibus, secundum virtutis mensuram, et vitam probe peractam, pro omnimoda perfectione sua ac plenitudine. Testis est Scriptura, et testis cui contradici nequit, quoniam et locus Deus, et esca, et potus, et lumen, et habitatio, et amictus, et divitiæ, et imperium sine successione, et omnibus erit omnia, et quidquid tandem est, et nominatur Deus, ad vitam illam sempiternam idoneum.

ANIMA. Ut igitur ostendisti probationibus necessariis, nec ista quatuor, et prima omnium corporum elementa, videlicet, aqua, terra, aer, æther sive ignis, in quibus et per quæ tota mundi machina subsistit, aspectabilium, sensibilium, animantium, vegetabilium, et quæ ζωέφυτα vocantur, et plantarum, inanimatorum, insensibilium, manebunt. Nam ex his quatuor conflata sunt omnia. Si igitur cum aliis et hæc transibunt, quibus tanquam principiis, ut dictum est, universa continentur, unde ego corpus ad resurgendum inveniam? Quomodo etiam expers corruptionis erit, ut supra docuisti? Quo pacto divinum, et a Deo reparatum, ut ostensum est? quomodo simplex quiddam natura et spectatu, consideratione splendidum, natura splendidissimum, et ante omnia a corruptione alienum, immortale, senectutis exsors, si in eo qualitas quædam et quantitas, et magnitudo manifesta exstitit? Ad hæc responde.

CARO. Ultra hæc ne quid discepta avidius, nec curiose ex me scrutare profunda Spiritus. Non enim potes istis commentationibus ea liquido perspicere, quandiu corpus gestas, quæ sermonum istorum auditione corporea, et luteæ materiæ, et uno quodam de sensibus corporis non capiuntur. Quandiu enim velamentum, carnem me scilicet, contines, nec claritatem illam inexplicabilem consecuta fueris, impossibile prorsus est, ut se ista habeant, cognoscere. Id quod ex hisce Pauli verbis liquet: « Videmus nunc (dum sumus in hac vita) per speculum, in ænigmate: tunc autem facie ad faciem [64], » quando nimirum cum natura subtiliore in vitam ex mortuis redierimus *.

Nunc mihi molesta et onerosa ne sis: sed si quid gryphorum et difficilium nosse voles, magistros percunctere, et ab iis discas licet: me indoctam ne urge, ut hic optatum finem disputatio accipiat.

CAPUT VIII.

Finem mundi incertum esse: super eo plurium vaticinationes et conjecturæ. Gregorii Nazianzeni sententia.

ANIMA. Per ego te Deum, perque ipsa abs te dicta oro, ne silueris. Etiam de extremis mundi temporibus, et quomodo, et quando omnium ventura sit consummatio; et unde, et quando infandus ille Antichristus sit emersurus. Timor enim vellicat me, voloque et desidero de eo cognoscere ne forte impostor me indoctam inveniens seducat.

CARO. Unde, et quomodo venturus sit, narrabo tibi. Tempus autem consummationis, ut incertum prorsus, non habeo dicere: nihil enim cum apostolis Magister hac de re communicavit, ac sæpe rogantes celavit. Hoc solum illis dixit, neminem novisse diem illum neque horam: non hominem, non angelum, sed Patrem solum [65]. Quod igitur occultavit Dominus, ego quomodo eloqui possim **?

Multi porro plurima ex aliis super hoc collecta disputarunt. Nam nonnulli, secum reputantes, quoniam Deus sex diebus in Verbo totum mundum procreavit, et Spiritu suo superiora et inferiora produxit, ac postea die septimo ab operibus suis requievit, completo sextæ chiliadis annorum numero, vitæ hujus finem et consummationem fore putaverunt. Nam, ut David canit: « Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit [66]. » Quare completa annorum sexta chiliade, etiam totius mundi tempus compleri et absolvi necesse est. Sed isti non satis ad scopum collineârunt, ut equidem arbitror. Aliis cogitare in mentem venit, quoniam hoc sæculum, ut aiunt, est humano generi septimum, sextam chiliadem, et

[63] I Cor. xv, 28. [64] I Cor. xiii, 12. [65] Matth. xxiv, 36. [66] Psal. lxxxix, 4.

Scholia.

* « *Nunc cognosco ex parte,* » *inquit sanctus Apostolus, sentiens Deum etiam hic ostensurum fuisse sapientiam suam, si quis ejus capax foret cognitionis, quæ nunc quidem non capitur, capietur autem, quantum licebit, in futuro sæculo videlicet.*

** Theophylactus: *Cum vellet Dominus cohibere discipulos ab indagatione diei illius ultimæ, ait, neque angelos, neque Filium hominis illam scire. Nam si dixisset, se quidem nosse, patefacere autem nolle, tristitia eos affecisset. Nunc sapienter agit, et eos ab ista sciendi cupiditate, et a molestia sibi exhibenda plane revocat, dum nec angelos, nec se scire confirmat. Ex parabola porro rem faxo intelligas. Sæpenumero pueruli patres suos quidpiam manibus tenere vident, quod concupiscunt. Illi dare abnuunt: pueruli frustrati plorant. Tandem abscondunt quod tenebant, illisque manus vacuas ostentant, atque ita fletum eorum compescunt. Perinde Dominus apostolos tractat, et diem illum occultat. Nam si dixisset, Scio equidem, non tamen vobis dico, constristati fuissent ea de causa, quia id ab eo non didicissent. Non ignorare autem Dominum, ex eo manifestum est, quod ipse fecit sæcula. Qui ergo fecit, quomodo ignorat?*

Digitized by Google

totam septimam præterire oportere : deinde finem, et judicium futurum, ut secundum Salomonem [67] demus partes septem, nec non et octo vitæ utriusque. Tempus sive sæculum septimum istuc, operum est : octavum, quod exspectatur, contra præmiorum est. Horum sententia omnium aliorum maxime præponderat. Alii scriptam auctoritatem ex Apocalypsi Joannis Theologi afferunt [68]. Agnum quippe Dominum, et purum Agnum adoratum iri narrat mille annis, Satanam autem apostatam, bestiam pessimam vinctum, postea solutum iri, ut quidam Hebræorum aliorumque seducantur. Rursus post crucem et Passionem Salvatoris, descensumque ad inferos bestiam vinctum iri, Agnumque pulcherrimum denuo in veneratione futurum. Et hinc ratiocinantes mille annos colligunt. Sed nec isti per omnia probabiliter loquuntur. Etenim millenarium viri docti pro numero ac tempore indefinito accipiunt. Puto namque a Christo in præsens tempus annos evolutos mille centum quinque, sicut accurate rationem putando inveni. Quod si ab ejus acerbissima nece et sepultura numeres, mille septuaginta duos conficies, et hinc exactius tempus deprehendes. Ex quo enim sol lumen maximum est fabricatum usque ad descensum de cœlo Verbi et Salvatoris, abierunt nimirum millenarii annorum quinque, et insuper centuriæ quinque, ut ratio subducitur. Tum Verbum, ad nostram sese miseriam demittens, caro factum est. Post illud sexcenti quinque et quingenti ad præsentem usque indictionem, secundum quam duodecima lunæ, solis autem vicesima quinta periodus necessario circumdata est *.

Itaque a passione Domini annos omnes fluxisse collige mille septuaginta duos, eosque plenos. Optimus autem Alexius decimum sextum in imperio nunc agit. Hæc igitur super consummatione sæculi dicta sint, nec ea exquisite, verum ex quibusdam signis, super quibus neutiquam plura disserenda sunt : sed tacendum, cum non possit plane verum dici, ex iis quæ quidam horum indagatores dixerunt. Consummationem porro totius mundi, ut ante diximus, quam adhuc investigando reperire nullus potuit, quo pacto ego possem exacte nosse? Quod si quis necessaria argumentatione hic concludit aliquid, Gregorius sapientissimus, Theologus magnus, concludit, dum ait : Jubet Dominus, et nemo contradicit, superiorem mundum instaurari et impleri : implebitur autem, salvatis omnibus, quicunque secundum virtutem, et Deum vitam traducunt, quorum sors regnum cœlorum, nunquam ab eis auferendum. Vacuitatem illius ordinis complent a quo primus apostata defecit, et catervas simul deficientium, et sub ipso limites stationemque deserentium secum traxit **.

Quando igitur plenitudinem hic locus acceperit, præsentis quoque sæculi ac vitæ plenitudinem exspecta. Unde autem Antichristus, et quomodo venturus sit, deinceps pro facultate tibi conabor exponere. Tu mihi animum attende.

CAPUT IX.

De præcursoribus secundi adventus Christi. De prænuntiis, mirandis operibus, et ortu Antichristi.

Primo adventui Verbi ac Domini lucerna, præco Præcursor, lumen præcurrens, Joannes fuit. Secundum adventum ejusdem Elias Thesbites præcurret, cui cognomentum Zelotes a *zelo*, quo supra Phinees excelluit : id quod propheta Malachias prænuntiat [69], et cum ipso, ac post ipsum os theologicum, in Apocalypsi sua [70], Eliam hunc secundum adventum Domini præcursurum tradit, et cum eo unum de primævis Patribus, admirabilem Enoch scilicet, duos hosce coopertos sacco omnibus palam testificaturos, Antichristum ad seductionem et perniciem mortalium venturum. Hi prævenient adventum Verbi diebus mille ducentis sexaginta. Idem perspicue Daniel prædicit [71], aliis verbis, loquens de hebdomadibus annorum, et iis abbreviandis. Hinc gloria latriæ sacrificii sublata, Elias ille mirabilis, et Enoch patriarcha passim ad omnes homines officio præcursorum fungentur. Annis tribus et dimidio seductorem adfore prophetabunt : et post hæc Antichristus exitiabilis aderit, et rerum potens scelera evomet, Christique servos tormentis subjiciet. Falsos prophetas habebit præcursores, qui tyrannum illum, impostorem, et orbis corruptorem prædicabunt ac promulgabunt. Sic autem adveniens variis ostentis et prodigiis sese commendabit, ut multi electorum, si fieri possit, in errorem inducantur [72]. Verum inconcussos ac stabiles incidens seductor frustra laborabit. Radicem unde prodeat, amaram, radicem pestiferam (ut organum tanto perditore dignum et conveniens) invenict. Virgo, ut putabitur, sed impura meretrix erit, unde nascetur flagitiosus ex flagitiosa : videbiturque imitari Dominum, ita simulabit sanctimoniam et fraudulenter, ac secundum imagina-

[67] Eccle. xi, 2. [68] Apoc. xx, 4. [69] Malach. iv, 1 seqq. [70] Apoc. xi, 3. [71] Dan. ix, 1 seqq. [72] Marc. xiii, 20.

Scholia.

* *Quod hunc in modum colliges : Ab orbe condito usque ad Christum natum numerat auctor* 5500; *post Christum natum usque ad sua tempora (hoc est Alexii Comneni decimum sextum)* 1105, *qui superioribus additi efficiunt* 6605 *annos. Quos si per* 19 *partiaris, periodi aurei numeri trecenta quadraginta septem exsistent, et quadragesimæ octavæ annus duodecimus agetur, quem auctor duodecimum cyclum lunæ, sive anni lunaris appellavit. Cycli vero solaris vicesimus quintus numerus prodibit. Si eosdem annos* 6605 *per* 28 *dividas, cujus integri orbes sunt ducenti triginta quinque, vicesimi sexti vicesimus quintus est reliquus.*

** *Nam quod ceciderunt angeli, non naturæ ipsorum, sed arbitrii fuit : nec enim natura ad malum sunt immobiles; alioqui nec Satanas cecidisset, ut in quem ex natura ipsius hujusmodi casus non conveniret. Verum ad malum natura difficiles sunt, ut ait Gregorius Theologus.*

Digitized by Google

tionem non reipsa perpetrabit miracula et portenta. Eum Hebræorum natio suspiciet et complectetur.

CAPUT X.

Vaticinium patriarchæ Jacob de Antichristo explicatum ; ejusdem mores, ultimorumque temporum illorum calamitates ac miseriæ.

ANIMA. Ex qua porro tribu, seu ex quo genere, et ex qua patria, fucatus et exsecrandus ille planus est proditurus? Narra etiam mihi, si quis propheta aut Patrum aliquid de eo prædixerit.

CARO. Priscum quoddam vaticinium tibi dicam, ut vis. Patriarcha Jacob morti concessurus, cum duodecim filiis bene precaretur, de genere Antichristi aperte in Spiritu prophetavit. Oraculum id potissimum ad Dan filium pertinet, et est omni ex parte improbi illius moribus aptissimum. Nam Dan ex Bala Rachelis ancilla natus est. « Dan, inquit, judicabit populum suum [73]. » Est siquidem illa una tribus ex duodecim. Sed quemadmodum Christus cum ex familia David efflоruisset, hominem ut fabricator et Dominus salvavit, sic ex Dan serpens mortiferus, Antichristus exitialis ac perniciosus, velut cerastes orietur. Hoc enim est, quod scriptum leginus : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retro. Salutare tuum exspectabo, Domine [74]. » Draconi natura doloso et callido, quique multis undique utitur fraudibus, et vitæ hujus iter peragentibus mortem afferenti, eum comparat. Plane ut serpens horribilis, qui in via in insidiis latens, clandestinis morsibus eam ambulantes interficit. Sed equum, opinor, inde cadens corpus appellavit. Cecidisse autem, et jacere supinum, ipse habitus et forma mortui, ut arbitror, ostendit. Rationem jam, et seductionem, pro seductoris intellige : ungulæ enim explicatio, corruptorem insinuat. Alios quidem insidiose lædet, alios in omnium asperrima, et labores laboriosissimos inducet. Casum igitur demonstrat, ex eo quod equum dixit, quo gravissime morso, celeriterque corrupto, interitus, et mortis consumptio eos sequitur, a quibus cœleste præmium et corona speratur. Fructus enim spei apud prudentes, est ipsa salus, quam desiderant. Itaque nascetur ex muliere libidinosa, opinione quidem incarnatus, sed non etiam re ipsa (15), mendacissimus, furacissimus, dolosus, vafer, specie duntaxat justus, quietus, veræ gloriæ amicus, falsæ inimicus, pauperum, fratrum amans, misericors, pius, benignitatem simulans, gravitatem ostentans, Hebræos, et genus Hebræorum omnibus præferens, mores minime avaros, a facultatibus habendis alienos exhibens. Jucundum et lepidum se faciet, morositatem fugiet. Pacem videbitur colere et amare, perturbator omnium maximus. Apparebit ovis, cum sit plane lupus, et in summa, nihil præter figmentum, ludificatio et techna, donec videlicet omnes ad se attrahat et subigat. Hebræorum autem improborum genus pessimum, affectibus ratione carentibus cedens, et cum clamore accurrens, Amon, et Moab, et Edom, et hujusmodi idololatrarum filii procidentes, eum ut regem et amicum adorabunt, quorum (ut sibi præ omnibus acceptissimorum) rex erit, ficteque, et ad opinionem tantum providentiam loci ostentabit, quasi templum ipsis reædificaturus. Seductor igitur, præstigiatorque et impostor, arrepto imperio, dæmonas utique se prædicatum, et commendatum per orbem terrarum mittet. Surrexit, dicent, magnus rex Hierosolymis, humanus, amans pauperum, omnes ad eum accedite. Eo jam omnem potestatem nacto, abominatio desolationis a Daniele prædicta consequetur * : de qua et Paulus, in templo Dei sessuram. Et cum personam omnem cœperit deponere, latentemque intus hypocrisin paulatim aperire, primum quidem Enoch, et Eliam, ut immanis carnifex trucidabit : et fraudulentiam exuens, furorem autem et iram assumens, crudelis, inexorabilis, arrogans, pestilens, impudens, furiosus, audax, nec pilum boni viri habens, omnis nequitiæ diversorium, terriculamentis, spectris, imposturis, ut magnus quispiam se ostentans, ut tyrannus, ut invasor, ut visorum inanium, commentorum, et mutationum mirabilium artifex. Quin et figurarum, et colorum conversionibus omnino instar Protei alius ex alio. In sublime volans ut angelus (imo ut dæmon), et terrores ac prodigia ad deceptionem effingens, ut inconsideratis mentibus montes transferre videatur. Curatores, mandatorios, et curiales faciet, agoranomos (hoc est fori rerum venalium præpositos) constituet, caupones, panivendos, ut cum quis rebus ad vitam necessariis, et cibo potuque eguerit, sigillum seu characterem seductoris in fronte, et in manu dextera accipiat ; ut omnino crucis forma ad salutem

[73] Gen. XLIX, 36. [74] Gen. XVII, 18.

Jacobi Gretseri notæ.

(15) Insinuat *Dioptræ* auctor illam sententiam, quæ dicit Antichristum non fore verum hominem, sed dæmonem sub simulata hominis imagine, ut sensit Hippolytus lib. *De consummatione sæculi.* Quæ opinio communi theologorum consensu refellitur, ut et illa quæ vult Antichristum fore dæmonem, sed simul hominem, incarnatum scilicet dæmonem in vera humanitate. Vide Suarez tom. II, disp. 54, sect. 1, et Gregorium de Valentia tom. IV, disp. 11, q. 2, p. 2, licet ipsa etiam *Dioptra* sequenti cap. 11, non obscure veram sententiam de Antichristo indicet, fore scilicet hominem verum, etsi eximium diaboli instrumentum et domicilium.

Scholia.

* *Abominatio desolationis vocata est et statua, quam Adrianus imperator in templo Hierosolymitano, quod tunc erat, constituit.*

Digitized by Google

signari nequeat. Cum enim non ignoret quantam vim habeat divina hæc armatura, quam sit inexpugnabilis et invicta in omnibus, et quam ejus saltem expressa figura dæmones debilitet, hac ipsa Christiani populi etiam frontes penitus spoliare machinabitur. Tunc mare perculsum refugiet, terra exarescet, nullus desuper cadet humor, non ros, non pluvia : herba viridis et arborum folia morientur; omnes, alius in aliam regionem aufugient. Europei in Orientem se conferent, inde in Occidentem, et ad Septentrionem ex Libya current. Totus orbis in angustias redigetur : gentes timore corripientur. Fames, pestis, terræmotus, quassationes, tremores in urbibus, in oppidis, in continente et in mari, et confusio, et tribulatio, et afflictio in mundo sentientur. Esurient simul omnes, et dives et pauper. Sitient, nudi erunt, egestate cruciabuntur, et omne aliud nocumentum, acerbitatemque patientur. Nocentes etiam bestiæ hominibus ad multitudinem, amplificationem et incrementum calamitatis immittentur. Extra et intus, undique tremor, et gemitus, et ploratus, et lamentatio per humanum genus. Pater et mater lugebunt super filiis, filii super parentibus ejulabunt, matres super infantibus adhuc lactentibus, cognati super cognatis, super amicis amici. Mutuo super se corruentes, miserabiliter exspirabunt. Magna tribulatio erit, et talis tribulatio, qualis prorsus nunquam fuit; ex quo mundus e nihilo ab universorum Deo conditus et constitutus est. Pulcherrima et maxima luminaria atque fuces illæ cœlestes lumen nullum fundent, nec micabunt astra reliqua. Frater fratrem, et filii parentes, et hi vicissim filios ad necem tradent, natura et sanguis plane confundetur, et tenebræ, et mortes quotidianæ, et cædes miscebuntur. Nemo tunc opem feret; non erit qui sepeliat; stirpes et bruta animantia simul corrumpentur. Vivi, beatos prædicabunt olim mortuos, et cum morientium putoribus computrescent : qui in biviis videlicet temere jacentes, aerem graveolentia summopere inficient. Die incipiente clamabunt cum gemitu : Quando veniet vespera? forsitan nos hoc dolore expediet. Rursus cum nox aderit, diem optabunt, ut inde in aliam quampiam regionem fugiant. Nulla omnino invenietur remissio : nullo loco tutamen, aut præsidium. Pecuniæ amor, divitiarumque desiderium evanescet : aurum, margaritæ, et lapis pretiosus abjicientur : purpura, byssus, argentum spernentur ab omnibus; coccus augustus, hyacinthus et alia sumptuosa negligentur. Ut paucis dicam, quidquid in terrenis rebus pretiosum, ut inutile, ut profanum, ut ignominiosum despicietur. Nemo nummis lætabitur, nec vitæ cupidus reperietur : sed ut pulvis, palam omnia reputabuntur. Qui igitur adversante ratione Belial capita submiserint, atheique illius characterem acceperint, concursantes contra eum murmurabunt. Hem, quid fecimus? inquient : fame enecamur; vivere nequimus amplius : prorsus deficimus. Aufer, si potes, dracones hominum. Ille perditor haud potis, nec habens quid faciat boni (siquidem boni nihil didicit facere) cum audacia crudelem sui defensionem afferet. Nulla cadit pluvia; humus non irrigatur imbribus; squalida tellus alimenta non suppeditat. Quid igitur possum facere? quid mihi frustra molesti estis? Unde præbebo escas? unde vestræ inopiæ succurram? Tunc continens et mare sine lingua lamentabuntur, et aliæ creaturæ, ut dictum est. Omnia tremor, etiam montes, et colles occupabit. Sol, et luna, et stellarum agmina mœsto vultu aspicient seductionem tantam, qua genus humanum a suo Creatore ad seductorem se applicuit, et signum ejus suscepit : quod utinam nunquam suscepissent, et tulissent. Viæ Sion tunc lugebunt, ait propheta [75], quia seductor abstulit festa Domini. A Christo cognominatus populus in mœrore magno versabitur; non enim erit oblatio, non sacerdos, non sacrificium. Deficit et thymiama, et locus holocaustorum, et omnes hymni psalmique, et omne genus divini cultus, dominante nobis dæmone per annos duos cum dimidio. Nisi enim providentia Opificis, Salvatoris, ac Domini « breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. Sed propter electos breviabuntur dies illi [76], » ut ipsemet affirmavit, fictor meus, et Dominus, et misericors Dominus, qui supra vires tentari sinit neminem. Expletis temporibus illis, ubi Satanas et scandala quieverint, repente immensa lux longe lateque coruscabit. Tum maximus ille, et pulcherrimus, et immortalis Sponsus ad totum orbem, ut novit, judicandum veniet, in multitudine, et virtute, et gloria, quam nullius mens informare queat. Sonante tuba, sepulcra aperientur, et mortui reviviscent universi, et quotquot post homines natos interierunt, excitabuntur [77]. Viventes immutabuntur, scribit Paulus [78]. Qui in occursum Christi rapientur, in nubibus, in aera magno numero, justi erunt. Peccatores autem, ut ego, et quotquot improbissimi, in terra relinquentur, frustra lamentantes *.

Tyrannus cum omni potentia sua condemnatus et ligatus, et quicunque characterem ejus habuerunt, ante Verbum sistentur. Tunc Rex omnium et Dominus potentissimus sententiam contra illos proferet, universique in gehennam præparatam discedent. In istis tunc implebitur illa prædictio,

[75] Thren. I, 4, 5. [76] Matth. XXIV, 22. [77] Luc. XXI, 27; Matth. XXIV, 29 seqq. [78] I Cor. XV, 59 seqq.

Scholia.

* Chrysostomus : *Etenim rege appropinquante et adveniente, qui in honore sunt, occurrunt; damnati, quique offenderunt, domi manent. Super aere feremur ut vehiculo. Nam et Christus in nubibus elevatus est, et nos in nubibus rapiemur; et, quod omnium est beatissimum, cum ipso erimus semper.*

Digitized by Google

quæ adfuturos ultimos dies cecinit, quibus Dominus inducet gladium sanctum, et magnum, et fortem super magnum draconem, serpentem, maleficum, quem plane interficiet acie hujus gladii. Draconem intellige Antichristum [*].

A

CAPUT XI.

Adhuc de sceleribus Antichristi, et cur Deus eum vivere ac sævire patietur.

Anima. Quænam porro utilitas in adventu Antichristi ? quod lucrum apportabit, cum venerit, ut venturum dicis ? Quis illius vivendi modus : et cur eum Deus nasci patietur ?

Caro. Ne te rei novitas perturbet : nihil enim sine ratione fit eorum quæ fiunt [79], et sine ratione conveniente : sed in pondere, numero et mensura. Paulus porro in altera Epistola ad Thessalonicenses cap. II, ad id quod quæris respondet. Eorum enim dominabitur Antichristus, qui gratia Dei sunt destituti, qui teterrima, et teterrimis tetriora patientur : Hebræorum nempe gens, Christi interfectrix. Quoniam enim charitatem non receperunt (charitatem intelligit Deum, vocatur enim charitas) ad utilitatem et fructum, ad salutem suam, Deus illis operationem erroris mittet, ut deinceps sequitur, ad confirmationem fidei. Antichristum « operationem erroris » appellavit. Si igitur audacissima illa bestia minime veniret, nunquam suam perversitatem agnovissent. Itaque ad Hebræos redarguendos veniet, ut ne figmentum quidem prætexentes dicere queant : Quoniam audivimus Christum semet Filium Dei nominantem, et Dei viventis progeniem ab aliis, nullo modo nos ei subjicere voluimus. Talia loquentibus Antichristus ex iis quæ ipse dixerit, effinxeritque os obturabit : nihil enim ad veritatem, sed mera mendacia semper loquetur et faciet, sicut pater mendacii. Et cum sit Dei adversarius, Deum tamen sese non timide (o importunam audaciam !) appellaverit, etiam hinc ingratissimis silentium imponet. Si enim non audivissent Christum Verbum, Deum et hominem, tanto magis illi credere non deberent. Christus enim in humilitate docebat, dicens se missum a Patre : nihil sine illo, et consilio Paterno habere a semetipso quid faceret. Antichristus autem contraria et dicet, et faciet. Quis alius Deus ? dicet, ego solus sum Deus ; præter me non est alius. Et quis similis mei ? ego cœlum et terram, et omnia procreavi. Hujusmodi ille audaciæ plenissima effundet, nugabiturque. Quorum Dominus Judæos admonens, aiebat : Me qui veni in nomine Patris mei, et voluntate paterna, non suscepistis : « Alius in nomine suo veniet, hunc suscipietis [80]. »

B

C

D

Anima. Quomodo autem Satanas corpus gestabit ? quæso ; et quomodo carne continebitur ? et quomodo animam mentemque, ut apparet, et alia habere videbitur ? et quomodo secundum substantiam ipse quoque mortalis erit ?

Caro. Ita noli cogitare, nec sentire, nec proloqui. Ex genere quidem Dan, et Galilæus erit. Virguncula falso credita, et impudicissima meretricula ex cubili inconcesso nefandum illum hominem pariet. In quo non obscure diabolus inhabitabit, et omnia ad voluntatem diaboli faciet, et tanquam dæmoni initiatus et loquetur, et aget : tractus, raptus in spiritu maligno, sic procedet, nesciens quid faciat [**].

En exposui, quas ob causas sceleratissimus Antichristus venire permittatur : Partim ut amputet excusationes Hebræorum, partim ut fideles fideliumque certamina appareant, quæ adversus et contra ipsum tunc suscipientur, et alii aliis semper exemplo sint, et sic præmia, quibus ob zelum istum omnes digni sunt, adipiscantur. Nec enim ad universorum exitium, aut citra rationem probabilem convenientemque, sed ad maximam utilitatem, ut supra docuimus, venturus est. Nam et carnes serpentum a medicis præstantissimis ad medicinam, et vires hominum instaurandas assumuntur, ut alia inutilia, et quæ putantur noxia : tametsi Antichristus neutiquam est medicina, sed pernicies potius.

CAPUT XII.

Ad perpetuam considerationem mortis incitatio. S. Trinitatis laus et admiratio.

Ne igitur investiga res hujus, nec interroga : nihil quippe ista scientia lucri acquires. Mortem autem et finem in horas exspecta : necesse est enim naturam dissolvi. Meditare hanc semper : « Memorare constanter novissima tua, et nunquam peccabis, » ut ait Scriptura [81]. Admiror etiam Græcos, qui sapienter scripserunt, philosophiam esse meditationem mortis. Sicut enim panis præ omnibus escis est necessarius, et est firmamentum ac stabilimentum cordis, sic et meminisse mortis, omnium est optimum. Esurientem enim panis non

[79] Sap. xi, 26. [80] Joan, v, 43. [81] Eccli. vii, 40.

Scholia.

[*] *Sicut enim antea destructa et eversa sunt imperia, et monarchiæ, ut Medorum a Babyloniis, Babyloniorum a Persis, Persarum et Macedonum a Romanis, sic et hoc, Romanum, inquam, destruetur ab Antichristo, et ille a Christo, nec amplius occupabit.*

[**] *Qui ab immundo spiritu est obsessus, ut mente alienatus vaticinatur, et a dæmone trahitur, nesciens quid dicat. Hoc enim vaticinantium est proprium, in mentis potestate non esse, vim pati, impelli, trahi, raptari, furiosorum instar, et nescire quid loquantur.*

Chrysost. : *Non ut prophetæ loquentur, sed quales fatidici erant. Ibi enim cum dæmon animam occuparit, mentem debilitat, et rationem obscurat et ita loquitur ipse omnia eorum ratione et mente totum ignorantibus, sed ut tibia inanima sonantibus. Sicut qui canunt oracula, et vates, qui cum multa dicant, nihil eorum sciunt, quæ dicunt, ita et ille a Satana mente emotus, loquetur, et aget quæ dæmoni collibuerint.*

Digitized by Google

recordari, est impossibile : et volenti salvari, non esse memorem sui finis. Mors tibi melior fuerit ad salutem : vivere autem occasio peccandi, et morte pejus. Animam non mors, nec mortis ipsa perpessio exstinguet : sed mores mali, et vita perdita. Etsi enim a principio immortalis, ut intelligentiæ particeps, creata es, tamen fuga virtutis mortem tibi affert. Tuam igitur emigrationem exspecta, et ante oculos pone, nec solum quotidie, sed quandiu spiras cogita. Ante omnia supplica, et precare Dominum, ut in hora mortis fidelem tibi angelum mittat, qui te custodiat, qui te in prælio adjuvet, qui te liberet, qui tui curam gerat, ut custodiam et carcerem principis illius tenebrarum, et potestates tenebrarum, et formas, visu horrendas, et impetum dæmonum effugias, sursumque ad lumen gloriæ Domini pervenias, et plenitudinem appetibilium, ut vis, attingas : quod est in uno, et communi principatu uniforme et splendet in omnibus ætatibus sæculorum : ad gaudium ineffabile supernæ habitationis, ad illustrem panegyrim supernorum ministeriorum. Etiam pater omnipotens superum et inferum. O splendor Patris, Virtus, et Verbum, per quod ex nihilo produxit omnino omnia. O Spiritus Paraclete, per quem continet omnia, et construit, et perficit, et complet, et portat ! O Trinitas et unitas, natura et personis ! O lumen triplicis substantiæ, Pater, Verbum, Spiritus ! Inspira mihi gratiam sapientiæ tuæ, et omnibus æternam dona lætitiam, quo ex omnibus rebus nihil est melius, nihil præstantius. Sancta Trinitas, tibi gloria, unum omnis imperii principium, et origo. Fides mea, odoratio mea, lumen et spiratio mea, gloriatio, fulcimentum et salvatio mea, in generationes generationum, in sæcula sæculorum.

DIOPTRÆ LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Quamobrem Deus cœlestes et intelligentes substantias prius et semel universas procreaverit : inferiores autem similiter intelligendi vi præditas (animas hominum puta) adhuc singulas producat. Animæ cum beatis mentibus, eumque ipso Deo affinitas et immortalitas.

Anima. Quid ita tandem virtutes administratorias, et mentium illas legiones suas omnipotens Dominus et conditor ante condidit, quæ ut conditæ sunt, ita permanent; animas autem, ipsas æque rationis beneficio cumulatas semper producit, procreat, et fabricatur ?

Caro. Summus opifex idcirco angelicas potestates principio produxit, ut ne humanum genus plus justo eas admirans, et carere initio existimans, ex eo quod innumerabiles nullo essent ortu generatæ, multos esse deos opinaretur, et hinc loco unius Dei, penes quem solum est omnium rerum principatus, confusum multorum dominatum, et omnino quemdam populum deorum introduceret : quandoquidem et creaturas nimiopere suspicientes, et in iis hærentes, nec ultra progredientes, mundum nunquam exsistere cœpisse, ut principii expertem, crediderunt, erroremque pestiferum erraverunt. Quare et animas istas in quibus inest ratio, semper procreat, simul sapientiam et potentiam suam infinitam demonstrans : simul docens, simul et semel omnia, quæque ad animas, quæque ad angelos attinent, a se facta esse, habereque unum principium, et subesse uni Domino, quidquid vel sensibus utitur, vel intelligentia sola constat, vel ratione præditum est, vel ab his aliud est. Creatos vero angelos hinc item patet, si quis humanam naturam, quod ad animam pertinet, angelorum naturæ per cuncta similem effectam consideret. Nostram enim procreationem ex alio semper atque alio sursum versus intuens mentemque tam ad primam mentem referens, unum animarum, angelorumque dominum cognosces, qui verbo angelos prius condidit, postea hominem fecit, et usque nunc facit. Nihil supervacuum, nec otiosum, aut inane divina virtus et sola operans omnia ullo modo agit : nec est quando Dominus agere cesset ac desinat, aut ab operibus aliquantum requiescat. Animam porro neutiquam de essentia sua condidit, sed eam (ut divinis Litteris est proditum) imagine sua honoravit, tametsi eam, ut substantiam sempiternam, et intelligentem, et a materia sejugatam cum Deo solemus comparare *.

Nunquam enim interit, seipsam semper movens. In quod autem cadit interitus, id immortali natura non simile, sed ex diametro contrarium est. Talis anima jam olim et ab initio producta est, substantia quædam intelligentiam et liberam voluntatem, et vitam in se habens, quam et corpori, quo utitur ut instrumento, cui copulata et implicata est, dare atque impertiri potest. Cujus naturam, viam ac facultatem si e rebus externis et plurimis et diversis perspicias, merito ipsam admireris. Nam seu

Scholia.

* Psellus : *Cujus nulla origo est, id nimirum etiam æternum est : nec tamen si quid æternum est, id etiam ab aliquo principio ortum non est. Anima enim, mens, et angelus æterna quidem sunt : sed principio et causa non carent : omnia siquidem a prima illa causa ut exsisterent acceperunt.*

Digitized by Google

artem, seu scientiam, seu actionem, seu operationem, seu contemplationem spectes, ex omnibus ejus immortalitatem colliges, et qualis quantaque sit intelliges ; quemadmodum in secunda disputatione supra docuimus. Qui enim ab initio animabus ut essent præbuit, ille idem æternitate ipsas muneratus est : quod quidem munus cum eis in naturam versum sit, eo privari uunquam possunt. Quot autem numero sint animæ, quamque magna eorum multitudo, hominum nemini cognitum est : cognitum autem et perspectum Creatori, cui soli nota sunt omnia. Qualis præterea quamque nobilis sit cum angelorum, tum animarum natura, etiam hoc ille idem novit : quis enim nosset alius?

CAPUT II.

Animas vacare prorsus corporeis accidentibus, et secundum substantiam nullo discrimine variari. In resurrectione non beatorum corporum, nec animarum, sed gloriæ præmiorumque differentiam fore (16).

Anima. Aliud quæro, idque difficile, quod tamen pernosse volo, concupisco et desidero. Et Scripturis docta sum perspicue esse animas, ut dixisti, a materia segregatas, et ratione præditas. Quæ etiam essentia ipsa cum angelis conveniunt, suntque tripartitæ, ut disputatione secunda ostensum est. Habent enim iram, cupiditatem, et in primis rationem, quæ item permanet : insuper facultatem interiorem, quintuplicem, mentem, ratiocinationem, phantasiam, discretionem, quæ facultates quoque rationales appellantur ; etiam memoriam, quod maximum est. Æqualiter nempe hæc omnibus animabus contigerunt : non ut alia plus, alia minus obtineat : nec ut aliter illa, aliter ista se in his habeat, et alia cæteris in iisdem superior conditione sit, alia majorem puritatem, et præstantius quiddam, ac potius ad res divinas contemplandas et agendas sortita sit. Itaque de his et illis sciscitor, num omnes inter se simili sint facie atque visu, an in hoc varietatibus discrepent. Si tamen aspectum, et formam eis tribuere fas est.

Caro. Hæc de corporibus nostris, deque omnibus quæ sensum tangunt, dicuntur, in quibus naturaliter quædam facies, conformatio, et species, aspectus, aduncitas, et similitas quædam, album, fuscum, nigrum, parvum, magnum, tenue, crassum reperitur. Et est corpus aliud pusionis, infantis, modo geniti, et aliud senescens. Sunt demum qualia et quanta corpora, ut reliqua accidentia prætermittam. Verumtamen post resurrectionem e sepulcris etiam ista, perinde ut corpora ipsa immutabuntur, ad unam eamdemque speciem redacta, et ad eamdem ætatem, ut scriptum est : gloria tantum non eadem A singulis, sed pro rebus in hac vita peractis tribuetur ; et aliis alia bravia, seu præmia cum mensura conferentur. In corporibus nulla prorsus differentia cernetur. In animabus autem similis in præsens natura et est, et fuit, jam inde ab exortu humani generis, ut e sacra Scriptura liquet, corporibusque implicitæ sunt, et unum animal videntur. Nulla igitur est inter eas secundum naturam dissimilitudo : nec alia alius species : sed communi omnibus ratione, essentia, et forma, et natura omnibus eadem : si tamen ita de spiritibus loqui fas est. Substantia enim non corporata quamnam crassitudinem, et latitudinem et distantiam, aut profunditatem aliquam, aut figuram, aut pondus varietatis, instar molis habeat? longitudo etiam, et magnitudo iis inhærent, quæ sub sensum veniunt. Hæc omnia longe ab animabus absunt. Illud, et quidem solum, plane sciendum, unamquamque congruenter operibus et moribus suis præmium, mercedemque relaturam, quemadmodum sermone superiore dilucide explicatum est. Nam quæ bona fuerit, gloriam immensam consequetur : quæ mala et atra, tenebras sortietur. Quælibet juxta scopum propositumque suum, sicut operata est, ita vel gaudium, et honorem, vel dolorem, et ignominiam inveniet. Anima quippe libera est, et quod libet, hoc facit. Corporibus autem perinde ut animabus accidit. Verumenimvero naturam animæ nemo unquam vidit præter Dominum, qui eam condidit, ut ipse novit.

CAPUT III.

Mirifica et multiplex inter homines tum ab anima et moribus, tum a corpore et sensibus discrepantia. Corpus singulorum ex quatuor elementis a qualiter constare.

Anima. Si igitur, ut docuisti, animæ secundum naturam, nihil inter se differunt, quæque a principio habent, et facultates recensitas pariter æqualiterque habent, etiam in omnibus aliis sibi respondere homines oportebat, qua prudentia, qua cognitione, qua sapientia, qua scientia, qua pulchritudine, qua statura. Anima siquidem vivificat, et restaurat, et sustentat, et alit, et firmat, et continet corpus ; illique obtutum nunc hilarem et jucundum, nunc tristem morosumque affert, et omnia hæc pro arbitratu mutat. Quod maximum atque pulcherrimum est, loquendi facultatem dat, et ambulandi et agendi, quamcumque actionem nominaveris, et unde, et quomodo, et quando, et ubi, omnia ista in potestate mentis sunt, mens autem animæ idem est, quod oculos corpori. Absque his corpus iners et mortuum quoque est. Ego porro discrimen nimis magnum observavi. Nam

Jacobi Gretseri notæ.

(16) Docet auctor in corporibus resurgentium nullam prorsus fore differentiam. Sed verior et communior est contraria theologorum sententia ; nempe unumquemque resurrecturum in vigore juvenilis ætatis, quem circa tricesimum a nativitate annum, vel habuit, vel habiturus fuisset, si eo usque vixisset : itemque in ea corporis statura, quam juxta proprium temperamentum et facultatem naturalem adipisci potuerit, si nullum impedimentum obstitisset. Vide Gregorium de Valentia tom. IV, disp. 11, q. 3, p. 3, et Suarez tom II, p. 50, sect. 3.

Digitized by Google

hic quidem homo est prudens et honestus, ille ingenium in promptu habet, alius est sapientissimus, alius delirus, alius furiosus, alius attonitus, alius perspicax et solers, alius torpidus et ingenio tardissimus. Rursum in sensibus vidi dissimilitudinem haud mediocrem. Nam hi acutum cernunt, alii obtusam habent aciem. Et quis satis tot discrimina eloquetur? Mitto gustatum, tactionem, in quibus quanta reperiatur varietas quis explicabit? In illis, oro, mihi differentiam multiplicem intuere. Nam unus quidem, quanquam naturæ consors, mutus est, alius vocalissimus. Alius genitus est cum voce rauca et malesona, alius balbus, alius impeditiore lingua, alius tardiloquus, alius exili voce. Rursum, alius prompte ac facile loquitur, alius est instar tintinnabuli garrulus. Alius minime probatur, alius laudatur ab omnibus. De staturis autem quid dicemus? Hic brevi, ille longa, alius media seu justa. Alius pronus, alius erectus, alius gibbosus. Alius facie candida, alius nigra, alius media. Alius comatus, alius crispus, alius depilis. Alius imberbis totus, alius promissa et densa barba. Quidam pediculosissimi sunt, quidam habent paucissimos *.

Alios cerno iracundos, biliosos, et cholericos; alios mansuetos ac lenes animo et moribus. Alios imbelles, degeneres, timidos; contra alios generosos, fortes, et magnanimos. Sed finem faciamus enumerandi tot discrimina et discrepantias. Quis enim eas recensuerit omnes, cum sint innumerabiles? Ne ultra quam decet sermo extendatur. Tu me verum doce in his omnibus. Nam cum ostenderis animas hominum esse æquales, tamen earum efficientiam diversam confiteris. Nam æqualitas in corporibus aperta est, utpote quæ ex ipsis quatuor primis corporibus et elementis, ex quibus penitus omnia, concreta et coagmentata sunt, ex calida, frigida, sicca, humida substantia, quibus respondent ignis, aqua, aer, terra. Et hinc bilis atra, bilis flava, sanguis, phlegma illis cognata, et æqualibus æqualia.

CAPUT IV.

Duplex mundus, superior et inferior. Hominem utriusque participem esse. Cujusque elementi, binæ qualitates. Ex quatuor humoribus quinam cui elemento propter similes qualitates respondeant : quo pacto cum iisdem elementis et quatuor humoribus totidem anni tempora consentiunt. Qua ratione causa superius explicatæ varietatis, qualitatum et humorum temperationi in corpore humano debeatur. Rei illustrandæ paradigmata.

Caro. Etiam in his deinceps te erudiam. Duos mundos ab initio, et utrumque simplici substantia Conditor produxit : superiorem, quem cogitatione percipimus; inferiorem, qui in sensus incurrit. A Quæcunque autem in hoc gemino mundo sunt, superiora et inferiora, inquam, hæc quidem ex ipsis corporibus, illa incorporea condidit, incorporeas supernas legiones intellige, naturam materia vacantem, sub oculos non cadentem et simplicem. Ast, inferiora fecit corpora, materia videlicet constantia. Nec supra sunt corporea, nec infra materiæ expertia. Homo autem, o mira res, ex his ambobus concretus est, ex supernorum, inquam, intellectuali, et principe natura, et ex luto ac pulvere, unde inferiora exstiterunt. Animal quoddam, corpore quidem inferum, anima vero superum. In hoc igitur mundo quem sentimus, etiam elementa perfecta, quatuor, et prima corpora e nihilo producta sunt, ignis, aer, aqua, terra. Ignis calidus est et siccus, B aer calidus et humidus, terra frigida et sicca, aqua frigida et humida. Atram bilem terra generat et alit: est siquidem sicca et frigida, quemadmodum ejus mater terra. Phlegma debetur aquæ : nam frigidum est, et humidum, ut illa. Ab aere procedit sanguis, similiter ut ille calidus et humidus. Ignis generat flavam bilem, ambo enim sicca et calida sunt. Ex hisce quatuor hominum corpora commista ac temperata sunt, ex utraque scilicet bile, flava et atra, ex sanguine, et phlegmate. Ex elementis fructus, nutrimentorumque vis : corpora autem animalium ex humoribus quatuor. Auctoritas enim quatuor elementis, ut quibusdam aurigis aut ducibus magnis data est, quæ Deus omnium artifex C præesse corporibus, eaque regere voluit. Quadripartitas temporum commutationes annus affert, nempe ver, æstatem, autumnum, hiemem. Verna tempestas humida est et calida; æstiva calida et sicca; autumnalis sicca et frigida; hiberna frigida et humida. Horum qualitatum temperamentum edisseram. Verumtamen disseram, et admodum perspicue in sequentibus. Nunc quæstionem abs te propositam expediamus, Deoque adjuvante feliciter rem absolvamus. Quatuor anni vicissitudinibus constitutio quoque corporum est consentanea necessario. Vere augetur sanguis, quia humidus et calidus; flava bilis æstate, quoniam sicca est et calida; atra autumno, nam sicca est et frigida; hieme autem phlegma, quod frigidum est et humidum. D Cum quatuor itaque anni temporibus, ut dixi, etiam elementorum natura conspirat. Si ergo unum horum quæ nominavi modum excesserit, quando post commistionem humanorum corporum fit conceptio, hujusmodi etiam crasis in anima sequitur. Nam si uterque qualitatum binarius, calor et frigus, humor et siccitas probe conflatus et coessentiatus fuerit, quod generatur optimum temperamentum habebit. Quod si calidius elementum superaverit, certum est, quod gignitur, pulchrum et fortissimum

Scholia.

* Chrysostom. : *Seu qui senex, seu juvenis fuerit, seu voce absona, seu alterius cujuspiam concinnitatis expers, nullum est crimen. Quod enim hic requiritur, est anima sobria, mens vigil, cor contritum, animus constans, conscientia pura. Hæc si quis habuerit, Deo placere potuerit. Tantum mens generosa esto, et ab hisce corporeis defectibus nullum erit impedimentum.*

Digitized by Google

fore. Si frigidum, frigidius et pigrum. Si siccum, acerbius, et submorosum. Si humidum, ventri deditum, et mobile. Clarissime igitur demonstravimus Creatorem ac Dominum per res a se effectas potentiam suam proportione quadam ostendisse, in cœlo et astris, sole et luna, in his quæ spiritu et vita fruuntur, in aquis, et omnino in cæteris universis. In omnibus enim partem aliquam Conditor videtur. Tale est etiam anima, hoc, inquam, quod est secundum imaginem Dei, inaspectabile, et visum adhuc nemini, quod per corpus, in quo habitat, et instrumenta corporis suas actiones exerens, inde cognoscitur. Animum quippe, cui tributus est principatus, cerebrum incolentem quasi decenter saginans, cum triplici ejus facultate, memoria, phantasia, et cogitatione, corpus ad voluntatem apte moderatur, quemadmodum universam creaturam mens illa omnia operans, administrat. Rationi pro sede cor tribuitur : jecinori agnata est cupiditas, risui splenem servire constat, spiritum pulmones uti folles excipiunt et reddunt; urina genitalis renibus innascitur; fervor iræ, et ardor e sanguine circa cor bulliente exsistit : noscendi vis oculis est insita; lingua loquendi facultatem possidet. Ut paucis complectar, per membra partesque corporis uti per instrumenta suas actiones omnes exhibet. Etenim secundum quam mistionem naturam adeptum est corpus (eadem enim hæc iterabo) ad eamdem animæ vis et opus sese accommodant. Perspicuitatis causa exemplum affero. Deus e superis locis pluvia demissa, totam terram aqua natura simplici irrigat, aqua autem varie in omnibus arboribus, et herbis humo prodeuntibus transmutatur, quorum unumquodque hanc cœlestem aquam cum susceperit, gustatu et per se plane simplicem, immutat, et coactam transformat, et figuram quamdam, et magnitudinem, et colorem accommodat atque admiscet, unde mille qualitates. In rosa quidem odor suavis, in ruta teter, in allio, cepis et reliquis acerrimus. In lilio color candidissimus, in viola purpureo similis, in rosa subrubeus, et coccineus et albus. In aliis hyacinthinus, cæruleus, varius. Oliva profert oleum, in vite pendet vinum, in omnibus omnia ex sola aqua nascuntur, non se mutante, nec per semet aliam formam induente, neque in aliam substantiam migrante cum de cœlo in terras præcipitat : sed juxta qualitates, et mutationes eorum, a quibus recipitur ipsa quoque alterata et immutata, pro cujusque natura commoda et utilis evadit; et quamvis arborem seu fructiferam, seu sterilem nutrit, et omnem herbam agri, segetem et gramen, seu utile, seu inutile educat, et producit. Nec enim quisquam dixerit, quoniam aqua unum quiddam est, etiam qualitates, et fructus omnium in uno gustu et forma convenire oportere, minimeque in tantam multitudinem atque varietatem discerni, ut alius esset sapore jucundo, alius amaro, alius astrictorio, alius dulci; sed quemadmodum aqua una est, sic et ista sub unum redigi. Si quis sic ratiocinetur, eum ego nugari, menteque ac sensu destitutum puto : talem nimirum existimare animarum naturam parem. Inseruntur corporibus, et coalescentes ea et alunt, et sustentant, et fovent omnimodis. Qualitas autem temperamenti, qualiscunque tandem ipsis ex elementis, et humoribus contigit, immutabilis est, sive quis calidam, sive frigidam, sive siccam, sive humidam naturam obtinuit : et sive quæpiam femina bene, sive male oleat : sive candida, sive fusca sit : sive deformissima sive formosissima. Non enim animarum, sed elementorum juxta divinam plane providentiam est ista coagmentatio. Si igitur corpus bonam ex elementis temperationem habuerit, et quæ isti porportione respondet, ex sanguine, phlegmate, ex utraque bile commistio æqua fuerit qualitateque et quantitate consenserint, et concordarint, tum pugna et seditio elementis nulla intercedit, nec ob aliquam exsuperantiam aut nimietatem in se mutuo insurgunt; sed pacem, et ordinem, et fœdera conservant, corroboranturque et florent, et corpus sensus suos bene firmos ac sanos possidet : insuper et cerebrum, unde vita perspicue pendet, bene habet * : nec quidquam morbi, aut obstaculi, aut nocumenti sentitur : sed maxima in tranquillitate corpus versatur, simulque et una cum ipsis viscerum primaria, cor, jecur, stomachus, lien. Et tunc anima facile corpus istuc tolerat, functionesque suas citra impedimentum, optime aliis ista sequentibus repræsentat. Nam respiratio valet, et præcordia sunt incolumia, moresque ad bonam habitudinem, et elegantiam enitescunt : quanquam ex anima, qua parte cum brutis nobis communis est, procedant. Quod si corpus quocunque modo ægrum fuerit, non poterit illud anima restituere. Rei declarandæ paradigma in medium adducam. Sol est pulcher, et lucet velut sponsus, velut gigas speciosus [61]. Ejus functio duplex est, lucere et calefacere. Sunt etiam in terris diversa, campi, valles, scopuli, colles, silvæ, pagi, quæ omnia radiis suis ferit ac perfundit. Sed ubi serenus ac purus est aer, in his nullo impedimento lumen radiorum jacit. Ubi vero nebulæ, et aereæ caligines se diffuderunt, densiorque nubes se interponit, non lucet purum sol, neque calefacit, sed tenuissime, et opaco lumine. Non tamen tunc culpandus est sol, quoniam non ipse, sed nubes, et aerea crassities quæ prohibent, in causa sunt. Corpus existima esse mundum : vicos, et urbes esse sensus, et membra, et

[61] Psal. XVIII, 6.

Scholia.

Isidorus.: *Ab immodico intemperies fit. Quando enim elementa terminos suos egrediuntur, tunc morbi, et diræ mortes eveniunt.*

Digitized by Google

partes corporis, et viscera : nebulam symptomata corporum intellige, lucidissimum solem facultates animæ, in his namque paradigma solis accipiendum est. Si qua enim serena sanitas e corporibus elucet, et membrum aliquod externum, aut pars interior ab aliquo symptomate neutiquam læditur, inde corpus bellissime sese habet. In quibus secus fit, ibi etiam animæ facultates feriantur. Atque hinc est, quod homines tantum invicem discrepant. Alius intelligentia iners est, alius perspicax et solers. Alius bene moratus, alius improbus, alius superbus. Alius fidelis, alius malevolus. Horum causam esse Deum cave putes, quod quibusdam scilicet optime velit, et optima illis donet, omnique bonitate et gratia eos cumulet : quibusdam vero velit pessime, eosque contrario modo tractet. Quomodo enim et ista judicii Providentiæque divinæ sunt? a qua si potissimum suspensa essent, non æqua, sed iniqua manifeste foret. Sed hæc blasphemia etiam verbis tenus absit. Sicut enim soli dedit quæcunque dedit, celeritatem, magnitudinem, pulchritudinem, splendorem ; et terræ similiter fecunditatem, arboribus ferre fructus, frumento et aliis unicuique functionem propriam et naturam, sic istis quatuor elementis auctoritatem et imperium corporis universe, ejusque incrementum, immutationem, finem ac dissolutionem commisit, judicio et ratione quam ipse probe novit. Nihil enim rerum omnium Domino non ante intellectum et provisum est : qui creaturarum parens et gubernator est, et omnibus ex omni parte adest, et omnia permeat quæcunque fecit, et facere, et conservare, et administrare, et portare non cessat. Si igitur bonus, et sapiens est, ut est : qua bonus, omnia producit ut bonum sese diffundat, notumque et manifestum fiat; qua sapiens, providentiam et curam operum suorum ostendit, Nam si nihil provideret, quo modo sapiens esset? Nec bonus, nec sapiens, si non prævideret rebusque consuleret. Igitur apud omnes, et præ omnibus certum est Opificem rerum omnibus quæ fabricatus est prospicere, et providere. Cognitio autem futurorum in nobis non est, qui vix sola quæ ante pedes sunt, videre possumus, et vix memoriam et judicium præteritorum habemus. Conditor autem, ut Deus, et illa præcognoscit, et justus judex, et arbiter rectus est, et si « judicia divina abyssus multa [88]. » Quomodo igitur se, quoad temperamentum attinet, corpus humanum habeat, et quomodo effector summus elementis regnum impertiverit, et quinam secundum qualitatem, et temperamentum tale, quali corpora constituta et coagmentata sunt, ut diximus, etiam animæ facultas et actio patescat, quomodo propter hæc symptomata eveniant, et e contrario corpora bene valeant, et in melius proficiant, satis nostra disputatione ostensum est. Nihilominus paradigmate utar, quo dicta plus lucis accipiant. Terram aiunt cuniculosam et cavatam, et habere quasdam venas, per quas ab imo, et occulte rivos aquarum emittat, ex quibus et fontes terram irrigent. Per hos meatus aqua marina colatur, et cursu peregrino dulcescit, et in qualitatem naturamque metallorum, et fontanam, ac putealem aquam mutatur. Quod si terra, ex qua puteus scaturiendo erumpit, amara, aut dulcis fuerit, aqua marina illam ipsam qualitatem, si ita contigerit, seu acerbitatem, aut amaritiem videlicet, seu dulcedinem in se capessit. Si autem meatus sit angustus, dum ipso fluxu luctatur, vehementius calescit, et ut est consentaneum, fervescit. Et in his jam dictis rursum perspecta est illa novitas, quomodo cum una quidem sit aquarum natura, in aliis tamen aliud fiat, naturamque mutet, in qualitatem, in metallum, et habitum singulorum. Perinde corpora se habent. Animarum vero natura non est alia atque alia, sed æqualis omnium. Ast in corporibus minime invenitur identitas secundum habitum, sed alia alii crasis, ut ostensum est : siquidem nec in omnibus æqualiter elementa mista et temperata sunt, sed unumquodque ut sortitum est suam crasin, ita ad se animam quoque inflectit. Itaque sive quis graviter irasci solet, et est superbus, sive mansuetus, sive tranquillus, sive moderatus, sive scortator, sive lascivus, sive castus et probus, sive magnanimus natura, sive contra sordidus, aut potator, aut ebriosus, aut sobrius, et aquæ potor, aut vigilans, aut celeripes, aut tardigradus, aut docilis, aut indocilis, aut rudis, non est culpanda anima, quemadmodum oratio nostra sigillatim per omnia disseruit : sed potius corpus, et temperamentum, quod illi contigit; propter quod non solent sibi similari corpora, inquam, nec esse affinia in quacunque re. ad scientiam aut sapientiam, ad habitum aut naturam, ad aspectum, aut figuram, ad venustatem formæ. Cum enim ex elementis varia temperatio exsistat, necesse est, et corpora in his varie se habere, et animam ad se violenter trahere. Satis, ut arbitror, res probata est, et pluribus nihil est opus. Illud dictu valde est necessarium. Si unus quidam character in omnibus hominibus esset, multa in genere humano sequeretur confusio, et caligo et nox vitam occupatam teneret. Quibus enim indiciis, aut qualibus e signis peregrinus ab amico et familiari internosceretur? inimicissimum, ab optimo quæ notæ discernerent? Non filii parentes, nec contra parentes filios, deficientibus hujusmodi symbolis agnoscerent. Cæterum sapiens Architectus, et largitor sapientiæ, plasmati ad notitiam mutuam consuluit, dum diversa indicia hominibus et ex forma sive lineamentis, et non minus ex voce quasi infudit. Præterea divinam Providentiam in tanta facierum diversitate admirari dignissimum est. Hinc namque animus occasionem indagandæ veritatis, errorisque vitandi inveniet. Quod si hæc tibi non satis

[88] Psal. xxxv, 7.

Digitized by Google

persuadentur, fidelem, et a Deo afflatum testem dabo, nomine Anastasium, cognomento Sinaiten, docentem et scribentem clare super his, quæ interrogatus fuerat. Sed audi verba.

Interrogatio. Unde ab ipso ortu et teneris annis quidam inveniuntur natura mites, alii iracundi, alii injuriosi, alii voluptati obscenæ dediti, alii osores mulierum et continentes? Rursum quidam natura facile sua communicant, alii sunt inhumani, nihil aliis de suo impertientes. Et quidam cernuntur ingeniosissimi, et ad excogitandum felicissimi, alii tardi et stupidi.

Responsio. Non est Deus, qui hunc quidem pudicum, alium Veneris satellitem, istum iracundum, hunc lenem facit: sed genera quædam sunt, et temperamenta regionum, locorum, elementorum, aerisque et temporum mutationes, ac vicissitudines. Deinde et naturales causæ, elementorum in corpore temperationem comitantes. Per quas causas, et mutationes, et tempora et temperamenta, si qua hora infans concipitur, calidum elementum exsuperaverit, quod generatur, calidæ constitutionis, ad vim et injuriam propensum erit, et libenter sua communicabit. Sin frigidum elementum redundaverit, quod nascitur, ex frigidiore constitutione ad castitatem cernetur propensius. Idem de aliis duobus elementis dicendum. Secundum siccum namque solitarii, morosi, sobrii, et acres: secundum humidum pigri et caduci, atque gulæ dediti, et immundi fiunt. Nam si dixerimus divino jussu ac voluntate generari hunc quidem improbum, illum probum, non recte dicemus, vel potius Deum maledicto incessemus. Nec istuc solum, sed etiam homo castus non invenietur dignus mercede; Deus enim castum fecit. Nec libidinosus, et iracundus merebuntur pœnam, a Deo scilicet tales facti. Itaque hæc ex natura emanant, prudentia, temperantia, et reliqua, quæ a sanctis Patribus non virtutes, sed naturales eminentiæ et excellentiæ nominantur, quæ Græcorum astrologi stulte sapientes secundum motionem, cursumque siderum hominibus contingere fabulati sunt. Fidei faciendæ satis esto Sinaita: an adhuc præstantiorem desideras?

Anima. Sufficit, et recipio, et eo sum contenta, et eum veneror. Non opus mihi est longiore oratione, nec pluribus testimoniis, cum hæc dicat testeturque multis æquiparandus, pluribus anteferendus Athanasius. Nec illi quisquam criminator hunc honorem invidebit.

CAPUT V.

In voce humana summa varietas ac dissimilitudo, comparatione quadam lyræ, seu instrumenti musici ante oculos ponitur.

De cætero, age de natura vocis, et quomodo nec ipsa æqualiter hominibus, sed aliis alia data sit, multimoda et varia: et ad varium usum, ad loquendum, ad cantandum, ad intendendum, et remittendum.

Caro. In hoc quoque morem geram tibi. Si organon seu instrumentum musicum bene aptum, et ligno pulcherrimo, quod putrescere nequit, nec marcidum quid, nec aliud vitium habente, ab aliquo excellentissimo artifice fabrefieri contigerit, et glutinatum, et compactum, et undique perfectum absolutumque fuerit, et æquales chordas, nec asperas, ut Eumolpi, et has congruenti proportione, secundum intensionem, et remissionem temperatas, et in nervis æqualibus momentum, et tractum, et alia habuerit, tunc melos musicum, beneque numerosum, et melos plane harmonicum artificii musici reddit. Si autem chordæ æquales illi non contigerint; sed alia tenuis, alia gracilis, alia crassior sit, et alia ordinem non habeat, similiterque nec ratione intendatur aut remittatur, et lignum etiam sit semiputridum, musicus quamvis plurimum excellat, egregium melos, et omnimodis concinnum formare non potest. Nam si desit cithara, et lignum, et illius apta compositio, et ars conveniens, artificem peritiam suam ostendere impossibile est penitus. Non enim bonum et suavem sonum lyra remittet. Et quamvis digitorum artificiosa mobilitate valeat, qua chordas vel momento percurrat, non tamen numerosissimum melos edet, lyra non bene, ut dicebamus, concinnata. Eadem prorsus de voce cogites velim. Os istuc tuum organum, seu instrumentum arbitrare, et dici patiare. Nervi et chordæ tibi sint quæ vocem quasi rotundam, et tornatilem efficiunt, dentes, labia, fauces, collum, lingua, unde sonus melicus exsistit. Ad hæc pectus, pulmo, musculi. Ista namque instrumentorum instar sermoni subserviunt. Insuper aspera arteria maxima: in quibus omnibus differentiam videbis summam. Quidam est lingua versatili ac subtenui: alius tarda et carnosa. Alius dentes majores, alius minores gerit. Alius est dentatus, alius edentulus. Huic sunt interiores, illi foras prominent. Alius lato collo, alius angusto. Jam gurgulionis, faucium, labiorum constitutionem variam ac dissimilem quis consequatur? Nec vero in ipso ore æqualitatem cernas. Ex omnium igitur horum diversitate, veluti fidium pulsum et sonum, vocem quoque inæqualem reddi, aliamque ab alia permultum distare contingit. Nec vero ista ab anima, tanquam a causa: sed a tabernaculo isto, ejusque membris et partibus pendent. Os, lyram dico, chordas iterum appello guttur, fauces, collum, linguam, dentes, labra; hæc enim cum ad alia, tum ad vocem, captum, et sermonem efficiendum requiruntur. Anima vero, et in ea animus ipse, est artifex. Ego porro etiam nares vocem adjuvare video, sine quibus nemo β. et μ litteras pronuntiare potest. Quanquam omnia lyræ et chordis, uti vocem et vocis sonum perficientibus attribuimus, cum tamen non totum penes illa sit. Etenim alia lyra ex ligno salicis conficitur, alia e ficulneo, alia querno si voles, et alia instrumenta musica forte ex aliis tum ex astringentibus, et duris, tum ex marcidis et laxis. Et quomodo quis

Digitized by Google

tandem ex tot, et natura diversis lignis concordem modulationem eliciet? Nam etsi omnes chordas inter se æquales faciam, tamen earum contentio et temperatio melos et sonum variant. Idem de ore isto ad eamdem rationem cogita. Aliud alterius positionis, et figuræ, et mensuræ est, et hinc anima, ut deberet, similem per id sonum exprimere, et aptare nequit. Nec ideo accusandæ sunt animæ, sed ora potius, et omnia organa, per quæ sonitus venit. Quod si etiam hæc subdividamus, et quale quali in his ad sonum vocis, et sonum melicum impedimento sit ostendamus, et cur hic quidem blæsus, ille balbus sit doceamus, ad alias demum et naturales, et artificiosas demonstrationes ex libris Galenicis petitas, devolvemur, et in longitudinem immensam excrescet oratio, si omnia exacte, et minutim velimus pertractare. Plura igitur præteriens, hoc solum dicam. Sapiens occasionem nactus, sapientior evadet [84]; et sola interrogatio sapientis stultum erudit.

CAPUT VI.

Tametsi homo propter temperamentum ad vitia feratur, posse tamen sese corrigere, si velit, Deo opitulante. Supra naturæ cursum et ordinem divina quædam opera. Dei beneficia desiderantibus quid præstandum sit.

Anima. Intellexi probe, quæ disseruisti. Quam enim mistionem corpora habuerint ex elementis, juxta illam animam quoque gubernari atque regi. Itaque non aliam affectionem et motionem corporibus a Conditore inditam concedemus, quam quæ ex eorum temperamento promanat, naturamque per se sua ad istam elementorum coagmentationem dirigere, et accommodare, a qua omnia deducuntur, et prudentia et oratio, et seu quis natura valde iracundus, seu stolidus, seu ineffabilis, seu invidus, seu libidinosus, seu scelestissimus, seu impudens instar canis, in venerem pronus, fatuus, attonitus, delirus, immitis, durus, subamarus animi sit. Rursum istorum contraria naturæ, et temperamento elementorum ascribemus. Improbos autem et consceleratos an ab improba et stolida mente tales esse asseremus: nec in his quæ diximus, providentiæ judicium, nec elementorum mistionem accusabimus? Num igitur hi qui ad deteriora feruntur, pejora melioribus mutare possunt?

Caro. Etiam possunt, et mutant: verum si mens secundum rationem judicet, secum agitando, ferventerque cupiendo meliora et omnia demum, in quibus natura versatur optime. Si mens, et illa alia hæc judicaverit, ut dixi, adjuvante desuper divino auxilio, deteriora in meliora, et facillime convertentur. Ex his quæ præstantiora, et divina, et superna, et quæ a dæmonibus sint, ut illa quidem recipiantur, hæc contra rejiciantur, et quæ conscientiæ, quæ simplicis cogitationis perfectorum est, mihi crede, ut oportet, discernere ac dijudicare, et prudentia valentium in omnibus, ut judicent rectissime, penitusque omnia perspiciant.* Quæ autem admirationem superant, jam dicenda sunt: in quibus natura, et elementorum mistio est ineffica, Conditor autem naturæ rationibus agit, quibus novit, utpote solus et Dominus et omnipotens, et omnium causa, et omnium administrator. Supergreditur enim naturæ ordinem et terminos ejus, æquus et benignus quibus illi placuerit; et solus prævalet, et omnia omnino potest, et omnia convertit, et affectus turbulentos coercet, et omnem habitum vitiosum dissolvit, facitque mirabilia, naturas permutat, omnia apud omnes solo verbo conficit in generationibus generationum usque ad consummationem sæculi. Ad hæc igitur mirabilia aperienda, et edisserenda accedo, quibus natura ipsa cum ordine ac modo suo victa succubuit. Mulier tandiu concipit, quandiu menses sanguinum consuetos patitur. Qui ubi desierint, fetu amplius non gravidatur. Verumtamen, Deo jubente, plurimæ etiam præter naturam gerunt uterum et pariunt, anus, et steriles, ut Sara Isaac, et Anna Deiparam, ævi matura Elisabeth, cui a gratia nomen, Joannem præcursorem. Hujusmodi alias non paucas omni sæculo quispiam invenerit. Generationem Verbi ex intacta puella libens silebo, cum sit inexplicabilis. Silebo etiam prodigia, miraculorumque copiam, quæ supra naturæ vires in mutis, et cæcis, et aliis calamitosis Dominus ipse miraculorum, viis et modis sibi notis perpetrare consuevit. Samsonem quoque generosum ac fortem reddidit. Joseph ea formæ præstantia, qua olim Adamum, illustravit. Salomoni sapientiæ fastigium et amplitudinem donavit. Græcos ad rerum pulcherrimarum cognitionem erudivit, ut libros ceu instrumenta conscriberent, artis ac sapientiæ plenos, grammaticæ, rhetoricæ, medicinæ, et aliarum facultatum, et augustæ philosophiæ, omniumque principis. Sed quid ego moror tibi insigniora et meliora referre? In tertium cœlum, o rem admirandam! Paulum rapuit [86]. Philippum improviso Gaza abreptum, in Azotum dicto citius abduxit [86]. Habacuc sublimem per aera Babylonem portavit, et messoribus postea eodem die restituit [87]; Enochum [88], et Zelotem Thesbitem [89] de terra in cœlum subvectos, et viventes prætermitto. In quibus nec natura, elementorum mistio, nec aliud simile quidpiam valuit: quis enim id dicere audeat? Sed Verbum, quod omnia facit, et immutat.*

Ut inde discamus, et cognoscamus imperium et

[84] Prov. IX, 9. [85] II Cor. XII, 2. [86] Act. VIII, 39. [87] Dan. XIV, 32. [88] Gen. V, 24. [89] IV Reg. II, 11.

Scholia.

* Basilius: *Non potest homo a semetipso accipere quidquam, nisi ei datum fuerit desuper.* « *Quid enim habes quod non accepisti* (I Cor. IV, 7)? » *et,* « *Dei donum est, non ex operibus nostris, ne quis glorietur.* »

Digitized by Google

magnitudinem potestatis ejus in omnibus? ne quis dicat fictori suo, Quare me sic fingis? Figulus lutea utens substantia, per figlinam de ea fingit quod jibet, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam [90]. Verumtamen ad demonstrandam, sapientiam et artem omnia *.

Eloquar quod est mirabilius, ut amplius obstupescas. Venerandum animal, et præstantissimum homo est, ut docuimus; a Christo enim nomen duximus, et ad regnum cœlorum vocati sumus. Quin etiam donum aliud majus accepimus. Nam si peccata animo et corpore admissa absterserit, et pro eo ac decet sordes suas eluerit, in laboribus, in religiosis exercitationibus, in lacrymis, in gemitibus, iterum divinarum illustrationum diversorium evadit. Spiritus docet omnia. Si illitteratos acceperit, sapientes efficit; si pastores, prophetas, psaltes ac reges reddit; ad perfectionem actionis et contemplationis evehit. Quod si rursum homines, ut dixit ipse, inhabitarit, gratiamque ac lumen suum iis impertiverit, cœlesti et divina extasi alterantur, ut scribit Climacus, spiritualium divinarumque rerum sapientissimus. Nam si cuipiam divina Spiritus gratia, quantumcunque gratiæ, ut ipsa volet, aspiraverit, in eo stupenda et opinionem superantia fiunt, in quibus Verbum, et redemptio, et liberatio patent. Spirat etenim quibus, et quando, et ubi vult [91]; id quod secunda disputatione, ut puto, percepisti. Hinc passiones omnes quæ in corde locum alienum temere occuparunt, exterminantur **.

Mens autem purgatione elevata, ad Deum currit. Non tamen puritatem istam, et beneficia Deus omnibus perinde largitur, quibus largitur. Cuique enim proportione gratiam præbet, pro mensura purgationis, et fructu, seu probitate operum, secundum plus et minus, secundum partem et totum, secundum captum, et mundiliam vasis et domus ***.

Quo res intelligatur clarius, similitudinem subjiciam. Quemadmodum enim uter aqua, aut vas musto ad summum marginem repletum, non potest quidpiam extrinsecum, præterquam spiritum sive aerem recipere: ubi autem aliquid de ista plenitudine defuderis, seu multum, seu modicum, quatenus depletur, eatenus aer ad locum vacuum æquabiliter replendum se infert, prorsus iisdem dimensionibus, ut inane in rebus ne detur. Sic ista, de quibus est sermo, animo concipe. Utrem homines interpretare; aquam perturbationum fluxum, in cordibus humanis, inquam, fluentes affectus. Quantum igitur de isto fluxu per lacrymas, per luctus, per studiosas actiones exhauserimus, tantum vicissim gratiæ influxum recipiemus. Quod si nos intus denuo non purgaverimus, non poterit in nos gratia derivari, quod ex argumentis allatis fit perspicuum. Quod enim unguentum putrido receptaculo credatur? Paulus, os Domini, rursum scripsit, aliis aliud charisma, et donum a Deo contigisse. In unumquemque pro fide et moribus, cum mensura et ratione charisma effunditur. In hunc gratia sermonum, in alium prophetiæ, in alium potestas signorum, in alium gratia curationum. Unus quidem Spiritus est, non autem pares gratiæ, nec paria dona [92] ****: sed minora et majora. Nam si forte receptacula adfuerint inæqualia, quomodo divina munera paria et æqualia esse poterunt? Ad mensuram igitur fidei, et præsertim ad utilitatem, etiam Spiritus efficientia manifestatur, et bona suppeditat, et mala removet, quantumque vult, super iis requiescit, supra naturæ leges, et omnes elementorum crases. Qui enim per opera ex virtute profecta purgati nondum sunt, his ad meliora pro deteriorum defluxu inserenda elementaria temperatio non sufficerit. Atque hæc, ut existimo, tibi, quantum satis est, declaravimus. Nobis autem ab initio divina ratione præditis, etiam illud aguatum, et natura datum est, dominos esse eorum quæ in actione versantur, ut libera voluntate præditis, intelligentiaque et facultate actionis pulcherrime ornatis. Quod si improbi simus, etiam hoc nostræ voluntatis est. Nam et voluntate et consilio, non a natura, quod absit, vitium procedit, cave secus cogites. Non est scelerum quasi lena, et causa natura: sed ea affectio, et habitus voluntatis pariunt. Habitus

[90] Isa. xlv, 9; Rom. ix, 20, 21. [91] Joan. iii, 8. [92] I Cor. xii, 7, seqq.

Scholia.

* Chrysost.: *Ne propter fabricationis rationem, neve propter necessitatem voluntatis, sed propter libertatem et differentiam œconomiæ isthæc dicta arbitrere.*

** Basilius: *Non sunt tacenda Dei beneficia, sed ob ea gratiæ agendæ semper: quod cupiditatem debilitat, iram in mansuetudinem vertit, mentem tanquam alis subvehit, unde et ad Deum ab his rebus abit: nec jam talis secundum, sed supra naturam operatur. Quem enim Dei Verbum per purgationem inhabitat, in eo puritatem consummat, mortemque, id est, affectiones vitiosas, tandem occidit.*

*** Isidorus: *Quanquam enim gratia est, nec tamen simpliciter inest, sed mensuram ab adipiscentibus eam accipit. Tantum influit, quantum sibi vas fidei exhibitum invenerit. Nam si non prius officium nostrum requireretur, tota supervolaret. Quia vero voluntatem explorat, adeo quoque abundat, ut etiam de strenuo milite Paulo dicat eum vas electionis fore,* (Act. ix, 15.) *Et in alios quidem venit, ac manet; ab aliis discedit: in quosdam prorsus non dimittitur. Quare etiam quod in nobis est, conferre debemus, alioquin eam non adipiscemur.*

**** Basilius: *Spiritus quidem unus est, charismata autem ideo paria non sunt, quia nec receptacula Spiritus æqualia sunt: sed secundum proportionem fidei in unumquemque a Deo dona, ad ejus utilitatem conferuntur, sive in hunc plura, sive in illum pauciora. Quilibet siquidem juxta proportionem fidei in ipso apparentis operationem et efficientiam Spiritus sortitur. Quocirca unusquisque gratiæ suæ dispensator est, quando in ipso affectio, quæ ad bona suscipienda requiritur, est posita: nec unquam prudens aliquis proximo ob id insigni et spectato invidebit.*

Digitized by Google

autem doceri potest, naturæ neutiquam insitus *. A Sed habet causam consentaneam Spiritus, quomodo operetur, et virtutem tribuat aliquando etiam istis ut persequantur dæmonas, et spiritus nequam ut e corporibus expellant.

Id manifestum est ex iis quæ diximus, et dicemus. Habitus enim non est æqualis, idemque in omnibus; sed alius in aliis: etenim sub disciplinam cadit. Quæ autem natura omnibus sunt communia, ea æqualiter hominibus adsunt. Cum simus igitur voluntate liberi et rationis compotes, ad quæ ferimur et inclinamur, illa sunt habitus noster, sive opera lucis, sive tenebrarum sint: seu cum veritate nobis commercium est, seu cum mendacio, seu cum fallacia, seu prudentes, seu stulti, et moribus protervi simus. Quare si quis præstantius deteriori prætulerit, Deus adoptione, et filius Domini fiet: sin pessimum elegerit, filius diaboli. Testis locuples horum Maria Ægyptia, quæ cum Satanæ domicilium prius esset, postremo Dei habitaculum facta est. Audivi etiam Pelagiam, vitam Mariæ magna cum sua gloria imitatam esse. En omni ex parte gratiæ vim, quomodo operetur, et luceat docuimus. Quæ pœnitentiam adhibentibus pravas affectiones exscindit, et contra divinarum rerum pulcherrimas aliis inserit. Audis porro verba Verbi dicentis: « Mala arbor non potest bonos fructus facere [93]. » Bonos autem faciet, si fuerit in bonam inserta. Rursum Paulus ad Corinthios scribit: « Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei [94]. » Sin autem mores mutaverit, et percipiet, et amabit. Non enim dixit: « Non percipiet, » sed potius, « Non percipit; » hoc enim præsentis est temporis, illud futuri. Quemadmodum si quis ferrum ignitum intuens, affirmaverit. Hoc non est frigidum, fiet autem, sicut natura est, frigidum. Hæc mihi, et de quibus dixi considera. Gratia enim sæpe in malis quoque apparet, et facultatem prophetandi etiam his inserit, dispensans videlicet, prout conducere novit. Nam et Saul inter prophetas, et Balaam, et Caiphas, vel inviti testimonium ferunt, et Nabuchodonosor, tametsi erant homines profani nulliusque pretii **.

B

C

CAPUT VII.

Recensentur varia corporis humani incommoda et miseriæ. Origo ex constitutione inquiritur, propter quam de quatuor humoribus, de principio generationis, de quatuor ætatibus, et temporibus anni copiose prius disputatur.

Anima. Probo responsum: satis meo quidem animo abs te dictum super his, quæ hoc loco ipsa ad disputationem proposuisti. Quorsum autem, et unde symptomata, et affectus amentibus? Aut enim hæc spiritibus eorum ascribemus, aut a providentia pendent, aut potius ab elementis. Scripturam certe dicentem audio, absque Deo nihil vel factum, vel futurum esse. Ad hoc mihi respondeas velim, sicuti ad cætera respondisti.

Caro. Percipe igitur quomodo se res ista habeat, et disce veritatem, quam Deus nobis suppeditavit, et quomodo alius sit stolidus, alius minime: alius subaridus, fluidus, aut membris dissolutus. Et quomodo alius ebriosus, alius natura sobrius. Hic quidem mentis compos, hic impos nascitur. Alius inde a majoribus cæcus est, alius perspicax, alius incurvus, alius gibbosus, alius claudus. Hujus generis permulta, et varia hominibus eveniunt. Annum igitur scito quadripartitam commutationem habere; ver et æstatem concurrentes; similiterque autumnum et hiemem. Ver humidum et calidum est: humidum quidem ab hieme, cui proxime succedit (hiemis quippe extremum, seu finis est) calidum ab æstate, cui propinquat. Horum copulationem perpende, et effectorem admirare. Ab aere illico exsistit sanguis. A terra, quæ natura sicca est, atra bilis seu melancholia. Ab igne flava bilis, sive cholera, quæ cum æstate augetur. Phlegma humidæ aquarum substantiæ partus est. His

[93] Matth. VII, 18. [94] I Cor. II, 14.

Scholia.

* Isidorus: *Si namque possumus mala et vitia discere, utique etiam dediscere possumus, cum voluerimus; quandoquidem haud naturalia, sed voluntaria sunt. Natura quippe humana nec vitia et peccata non suscipit, nec ea ex se continet: verum libere illa admittens, bonis, quibus frui poterat, sese privat.*

Gregorius Theologus: *Virtutum aliæ naturales sunt, aliæ morales, aliæ quæ doceri possunt. Naturales, ut illæ, quæ ex temperatione, sive crasi nobis insunt. Verbi gratia, miles cum sit constitutione calidus, per eam in pugna viriliter se gerit: forsitan autem libidinosus idem et lascivus est. Contra, constitutione frigidus, temperans et castus est, in acie autem imbellis et inaudax reperitur. Morales virtutes sunt, cum dominus quispiam mancipium ad vitam temperantiæ et justitiæ deditam assuefecerit, non ita ut ei doctrinam quamdam temperantiæ aut justitiæ tradat, sed si ita simpliciter vivere illud docuerit. Ipsæ autem naturales ac morales virtutes non solent esse simul; sunt enim distinctæ inter se. Quæ doceri* D *possunt, quoniam cum ratione eas exercemus, semper junctæ reperiuntur. Sunt præterea virtutes* παρατατικαὶ, *quando quis non sponte et ultro, sed malo coactus ad bonum se applicat, sicut Paulus, et latro, et Manasses. Virtutum igitur quædam sunt naturales, quædam morales, quædam sub doctrinam cadunt, quædam ad casus pertinent.*

** *Num et Saul inter prophetas? usque hodie proverbio circumfertur, quando iratus regiam stolam abjecit, et manibus plaudens saltavit, ac Davidi quoque regnum est vaticinatus.*

Prophetia Balaam: « *Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel.* » (*Num.* XXIV, 17.)

Caiphæ: « *Expedit, ut unus homo moriatur pro populo, et non tota gens pereat* » (*Joan* XVIII. 14.)

« *Nabuchodonosor vidit lapidem abscissum de monte sine manibus, qui percussit statuam quam erexerat, et comminuit eam.* » (*Dan.* II, 45.) *Erat autem lapis hic quem vidit, Christus ipse; quemadmodum Daniel censet, et interpretatur.*

Digitized by Google

etiam quatuor hominis ætates assimilantur, principium, progressus, vigor et languor, puerorum videlicet, juvenum, virorum, senescentium, et decrepitorum : qui gradus etiam quatuor anni temporibus respondent. Sed si placet, ista clarius pertractemus. Phlegma ex aqua oritur, cum elemento illi societas est ; atra bilis ex sicca terra provenit ; flava ex igne, cum ipsa quoque ad ignis naturam accedat. Per phlegma hibernam tempestatem intellige, quæ humida et frigida, et instar cujusdam senii est. Sanguis ipsum ver refert : est enim humidus, et calidus, quemadmodum puerorum bona temperies. Flava æstati comparatur. Æstatem quippe calidam et siccam experimur : sicuti virorum ætas est robusta. Atra bilis autumnum imitatur : est enim ille siccus et frigidus, quomodo ætas juvenilis [a].

Spatia autem cujusque ætatis, universasque cujuslibet proprietates et discrimina, supervacaneum puto percensere. Dicendum tamen adhuc de ipsis, si videtur. Ac in primis quidem et ante omnia omnium artifex Verbum divinum, thesaurus scientiæ, et abyssus sapientiæ cogitanda est. Inde ad causas miseriarum, de quibus supra, veniendum. Generatur infans : principium ejus generationis mihi considera. Non ut e lucta gymnastica, sudore undique manans ; sed in utero et in ventre, non humectus, sed humor. Lebes ab initio aquam frigidam capiens, continet eam, quandiu frigida fuerit. Cum autem ferbuerit, et ob ignem adjacentem bullierit, tum mihi duorum contrariorum quasi certamen, et victoriam insignem, et ex certamine imperium vide, quomodo deterius meliori sensim cedens, quanquam volens, sine tuba reddat sonitum : strepitum bullitionis videlicet, qui huic victoriæ pro tuba est. Semen aqua esto, lebetem puta materni uteri sinus, copulationem caloremque corporum, ignem interpretare. Lebetis igitur exemplo infantium gradum ostendimus. Inde ad virilem transeamus, et in hac novam mutationem videamus ; mutationem, de qua tanto ante magnus David, quæ est plane dexteræ Excelsi : « Memor fui, inquit, operum Domini [94]. » Quid igitur huic proprium ? quod ejus temperamentum ? primum est calor quidam, deinde siccitas. Accipit enim initium ex puerorum ætate, cui cognatio cum vere est, quæ terminus est hiemis, cujus finis est humidus, ut principium frigidum. Verum ego ista quoque paradigmate quodam declarabo. Quatuor tempestates esse dicimus, et totidem elementa, ætates quatuor, totidem videlicet communione quadam illis respondentia. Sed quaternio est alius in parte patris. Unumquodque enim tempus, æstas, autumnus, ver, hiems omnino pars est anni. Cum igitur tempora ista partes sint anni, ut diximus, an non tibi pars partis videtur tempus diei atque noctis horarum 24. Dupliciter enim tempus dicitur, et in parte, et in toto. Noctem autem, etiam æstatis, hiemem puta. Tota enim humida, et frigida est natura sua, propter exspirationem nocturnam, et rorem matutinum, cujus imaginem gerit senectus. Ubi igitur sol exoriens caput protulerit, mediumque orbem inferiorem lustrare cœperit ut sponsus e thalamo, incomparabili specie, et ut infans ex utero materno prospexerit, et ridentibus oculis terram despexerit, per omnia radios lucifluos diffundens, repente exspiratio humida rore manente, cessat. Rori porro admistus est et calor. Annon hæc aperte juvenum ætas ? Postquam in medium cœlum, tanquam in prytaneum venit, in alto jam collocatus, hominem laboriosum, et durum repræsentat, et ut proceri corporis gigas aliquis laborare non cessat, nec admirabiliter invehi desinit : sed indefesso continentique cursu volvitur. Ros quidem per calorem ablatus est. Et hinc æstas, ac virilis ætas insinuatur. Rursus, quando devexus ad occidentem tendit, calorem relinquens, et siccitatem retinens, et partem frigoris habens, eamque a nocte, quæ, ut dictum est, naturaliter frigida, humida est, annon ut senex quispiam aridus, laboreque languidus atque fractus, deorsum videtur præceps currere ? Nonne videtur istuc autumno esse simile, indeque notari senum ætatem exsuccam esse et frigidam.

CAPUT VIII.

Explicaturus causam vitiorum corporis, alio abripitur, et cur Deus hominem non simplicem, ut angelos creaverit, docet. Deinde deliramento Manichæorum insectatur.

Quoniam autem quasi quinquertionem absolvi, id est, tempora omnia, et temperamenta adduxi, etiam reliqua, ut tibi promisi, apponam. Scopus vero et propositum, est dicere, unde ab ipso statim utero infantibus hujusmodi casus ; et rursum unde, temporis progressu, postquam in lucem sunt editi ; dicere autem propitio numine, prout vires, et verba ipsum suppeditaverint. Et quomodo tandem hujus generis incommoda alia ab ipso matris alvo usque, alia post ortum eveniunt ? Et quænam perrennant, quæ curationem, ac cito quidem admittunt ? et quo pacto quædam cum tempore augentur, quædam quasi retrocedunt, et omnino retrograda evanescunt ? Et quid est, quod quidam puniuntur, quidam coronantur ? Et quomodo quibusdam conducit servitutem timere, quibusdam in libertate vivere ? Alii capiuntur, alii in honore et gloria sunt, cum aliis aliter se res habet. Infinita cernuntur discrimina in rebus humanis, varieque commiscentur. In Deo est potestas, et summa qui-

[94] Esther XIII, 9. [94] Psal. LXXVI, 12.

Scholia.

[a] *Communicet igitur sanguis cum flava bile in calore, flava bilis cum atra in siccitate, atra bilis cum phlegmate in frigore, phlegma cum sanguine in humore. Rursus unusquisque humor propriam suam qualitatem habet, sanguis calorem, bilis utraque siccitatem, plegma frigus.*

Digitized by Google

dem atque omnipotens. Potuit ille animam condere simplicem et subsistentem, sicut angelos fecit incorporeos. Idem quippe animarum angelorumque fabricator est : et condere omni turbida motione liberam, perinde ut cœlestes illos animos. Hujusmodi namque motiones corporatorum, non corpore vacantium sunt : nisi quis intentionem ad aliquid talem motum vocet, ut in angelis recens productis contigit : quorum alii ordinem suum dignitatemque retinuerunt, cum qua procreati erant ; alii superbia inflati, ea deciderunt. Etenim cum sic essent producti, ut ad bonum moveri facillime possent, ipsi ad pessimum incitati sunt, et contra Deum se efferentes, majus quiddam quam pro natura sua conceperunt. Non ergo creati sunt mali, sed mali postmodum apparuerunt. Cum igitur animas tanquam mentes separatas procreare posset, natura simplices, ratione ornatas, nullis perturbationibus obnoxias, non sic eas, sed alio et miro quodam modo procreavit, hominemque mistum quiddam et coagmentatum effecit, corpore nimirum ex inferiorum ac terrestrium, anima ex superiorum ac cœlestium ordine, mentis et consilii compotem, et hoc, *secundum imaginem*, ut potentiam ac sapientiam suam tanto evidentius ostenderet, qua aliam adhuc, et novam creaturam creare potest. Nam si et hunc, hominem puta, simplicem procreasset, angelorum tantum procreator visus fuisset. Etenim quidam prave opinantium, alium bonorum, alium malorum esse auctorem conditoremque arbitrantur. Nec putant, ut homines stolidi, peccatum non esse substantiam, nec extrinsecam nec intrinsecam : sed melioris privationem, sicut tenebræ ex fuga lucis exsistunt, et nox post occasum Hesperi emergit, et vicissim Lucifero resplendente, ipsa repellitur et fugit. Ut igitur bonorum omnium origo et cognitor, radicitus exstirpavit germen nequitiæ, quam aperte appellavit Dominus domum, quam venti simul flantes auris divinis, et torrentes circumflui ex fonte a Deo scatente improviso irruentes, ad terram detraxerunt [97]. Sed quos finxerit improbissimus seductor, edite. Amentes, deliri et moribus vitiosissimi. Cur tantas nugas ausi estis nugari? Ad finem geminum, et contrarium omnem creaturam respicere asseritis. O inconsideratum errorem, adversantem verbis Domini, qui neminem posse duobus dominis servire testatus est [98] ! Si enim aliquando duobus concordibus dominis servire nemo potest, diis sententia et voluntate pugnantibus quis servierit? « Aut enim unum odio habebit ; alium vero diliget ; aut hunc quidem sustinebit, illum contemnet. » Hæc affirmatio est Domini, impuram et fraudulentam Manichæorum opinionem funditus evellentis. Unus est verus Deus, unus inspector, unus rerum parens, in tribus hypostasibus, haud diversis voluntatibus. Tribus enim una voluntas, una potentia, unum imperium. Tres hypostases, deitatem unam veneramur. Non tres deos, sed tres hypostases prædicamus : Deum unum, qui cœlum in orbem versat, et terram verbo fundavit, jumentisque et animalibus universis spiritum inspiravit, et alia ex aere, alia ex aqua, alia e terra, omnia ad generationem et interitum finxit, et hucusque tantum. Atque hinc Dominus animalium item apparet. In quæ enim quis dominatur, in iis pro auctoritate agit.

CAPUT IX.

De providentia Dei in opificio mundi, et cur hominem immutabilem immortalemque non fecerit.

Sed admirabilitatem rationum, quibus mundus est factus, perpende. Primum constituit cœlum et terram, et quæ eorum ambitu continentur. Elementa simul omnino, nulla ex materia condidit. Angelos cogitatione, ut exsisterent, fecit. Quantæ istuc potentiæ! Thronum præparavit : etenim throni Dominus est, non penitus honore æquali, sed tantummodo adorandum, ut honoratum, ut gloriosum, propter insidentem, et in eo requiescentem, quem omnia timent ac tremunt. Creaturæ primæ sunt istæ, quas aliæ consequuntur. Στοιχεῖα vero elementa dicuntur, ratione ordinis, secundum quem universitas ordinatim est composita, nutu Conditoris. Quid enim citra providentiam illius factum, quæso? Etenim ut quispiam mercator oneraria compacta, et cæteris armis ejus una adornatis, gubernaculis, rudentibus, velis, antennis, funibus, quibus malus in prora firmatur, remis, anchoris, et pice circumlita, et minio depicta, si postea illam deduxerit, et pelago secando dimiserit, ipse vero relicto navigio domi sedeat, nonne plurimis fluctibus, et sub unda latentibus saxis, scopulis, charybdibus et scyllis, et prominentibus petris, et ventis, et procellis immanibus objecta, et impacta frangatur, et in profundum hauriatur? Si ergo absque gubernatore naves contineri et servari nequeunt, hoc mundi universi navigium servari posse existimas, si gubernatore careat? Quatuor elementa mihi ut onerariam intuere, per quæ alia quidem portantur et navigant, alia portabuntur et navigabunt. Sicut itaque pelagus, aut etiam fretum aliquod citra navim trajicere nullus potest, ita nec sine elementis quisquam hanc vitam transmittit. Sic censuit, sic statuit Verbum universorum artifex. Quare ut navis rectore destituta non abest a discrimine : sic, mihi crede, deserta a Providentia creatura proxima est periculo. Hoc loco subit me dubitatio perplexior. Hominem volens producere Conditor, sicut produxit, unum animal ex duobus, quomodo non potius natura simplicem produxit, ut duraret semper, nec aliquando interiret? Ex quo enim effectum est ignis elementum, neutiquam vel lumen ejus est

[97] Matth. VII, 25-27. [98] Matth. VI, 22-24.

Digitized by Google

obscuratum, vel ardor exstinctus. Sic item terræ, A aliæque creaturæ in statu suo perseverant. Homo autem ita creatus est, ut sit natura caducus, brevis ævi, sui dissimilis, et levissimo momento mutabilis. Rursum aliud audivi quærentes, quamobrem Deus hominem non creaverat a senectute immunem, ut vitam quam longissimam, ac sine extremo propagaret? Quanquam autem rationis est compos, in eoque differt ac præstat omnibus, non tamen inde annos suos longius extenderit. In brutis animantibus celeritate antecedit pardalis, malignus est camelus, ursus avidus, lupus rapax et ferus, equus iracundus, pavo superbus, columba lasciva. Aliis alia natura, habitus et affectio inest. A mortuis autem ad judicium, ad ultionem, et pœnas peccatorum sustinendas animalia in vitam non B redeunt. Sed homines peccatis obnoxii sunt, pœnasque et supplicia ante et post obitum subire habent, si scelera sua per pœnitentiam non deleverint. Naturæ autem conduceret, si resurrectio nulla esset. Nunc ad judicium resurgimus quotquot sumus improbi. Verum istanc dubitationem dissolvit vir quidam secundum utrumque, et præ omnibus probandus, qui apertissime velut e sublimi, et medio suggestu docet, clamat, prædicat, vitam hanc stadium, aut quinquertium ducendam. Stadiodromos videri homines virtutis studiosos. Quid enim nobilius morum sanctimonia? qua præditi, Dei et divinæ gloriæ hæredes erunt. Voluptates autem esse flagella duellatoris Satanæ. Hic autem (Deus) velut e pugna redeuntem filium longe C strenuissimum excipiens, lætatur et gaudet cum his verbis: O fili charissime, venisti cursu tuo consummato. Membris tuis Patrem legitime glorificasti: accipe pro scopo et consilio tuo laborum præmia, qualia diligentibus me præparavi. Tu autem volebas certamen constitui sempiternum? Quis, obsecro, certationem sustinere potuisset, tametsi esset adamantinus, et invulnerabilis, si insuper hisce vinculis corporis levari non posset? Et quis vinctus adeo infelix, ut tenebras et carcerem nolit effugere? Sin minus, at certe pro viribus hanc sibi miseriam ita imminuere vult, ut propter exiguitatem ab ea nullo negotio liberetur. Cupis autem perturbationibus inquinari ac pollui pulchritudinem a Deo datam, et illam magnam imaginem, si D resurrectionem pro remuneratione laborum non vis. Et quomodo homines quotidie in flagitia non prolabentur, si nullam superesse resurrectionem judiciumque crediderint? Quomodo porro non est absurdum, rationis munere decoratum, divinoque spiraculo prælatum omnibus, vitam in spe repositam nolle vivere? Ego vero etiam ipsam mortem haud mortem, sed felicissimum transitum ad vitam senio carentem, et quæ ad tempus pertulimus, eorum remunerationem, et solutionem quamdam a carcere opinor. Mors Domini verbis meis astipulatur. Divinum quippe corpus ante necem haud erat alienum ab interitu, redivivum, plane immortale, et a corruptione liberum evasit, typum et formam præferens regenerationis, quæ omnibus Domino adveniente continget. Carnalis enim generatio symptomatum plena est, quorum plura sunt genera, quam arbores in silvis. Quæ de anni temporibus, de elementis, de ætatibus, de humoribus, simplicibus et coagmentatis sive concretis disseruimus, ejusmodi sunt. Deinceps de symptomatis agendum est.

CAPUT X.

Tandem partuum monstrosorum, et aliqua fœditate insignium causam incontinentiæ parentum ascribit. In his ipsis partubus utilitatem ad mores hominum corrigendos inesse demonstrat.

Quædam enim ab ipso conceptu, quædam post partum naturæ humanæ indita atque inserta visuntur. Etsi enim hæc ut portenta quædam per hominum vitam proterviant, nihilominus a rationibus divinæ Providentiæ pendent, quæ ex comparatione deterioris, quod melius est, magis declarat. Ut illud quidem metu periculi declinemus, ad bonum autem præmiorum desiderio acceleremus. Mox enim a complexu, corporum si crasis, et alia congruentia fuerint, et humor cum calore bene temperatus, secundum utrumque qui nascentur filii, habebunt optime. Sin calor humorem exsuperaverit, prudentia in sobole elucebit. E contrario, si humor vicerit calorem, mens prudentia non multum, et corpus viribus parum valebit, membrorumque tremor sequetur. Cum enim natura typum et formam haud satis sese accommodaverit, conceptus ipse et crasi, et formatione immutatur, gestaturque in utero opprobrium, prodigium, morbus, dissolutum, fœdum, et prorsus malæ habitudinis, vel in membris omnibus, vel certe in aliquibus: strabum puta, acuto capite, epilepticum, mutilum. Et talia sane vel ob excessum, vel ob defectum solent fieri. Qui moderate amoribus utuntur, opportune conjunctionem illam dispensant. Qui impotenter in venerem ruunt, et intempestive voluptatibus illis commiscendorum corporum fruuntur, iis abusio detrimentosa est, et labuntur in ignominiam, et se deridendos propinant omnibus. Hinc et hominibus istiusmodi calamitates inde usque ex utero matris eveniunt, et præcipue vecordibus. Ebrietas quoque propter nimiam intemperiem detrimentosa est, genituramque non fecundam, sed inutilem ac sterilem reddit. Hinc reprehendenda quorumdam libido, qui secreta illa conjugalia imprudentius miscent. Cæterum totum crimen penes patres residet, qui mulieres ex mensibus immundas contrectare non parcunt, unde postmodum fœtus abominandi effunduntur *.

Scholia.

* *Aiunt enim quidam ex hujuscemodi commercio et probrosum quiddam, et lepram generari, propter redundantiam scilicet. Ac si quidem sana fuerint corpora, etiam sana erunt quæ generantur. Si cor-*

Digitized by Google

In aliis autem incontinentibus, dum se cognoscunt, merito etiam infantes fiunt sicciores, semine scilicet fervore voluptuario arefacto. Hæc intemperantiæ patrum clara sunt indicia. Simia generat simiam, ut Æthiops Æthiopem, calvus calvos, morbosi morbosos. Culpam potissimum patres sustinent. Et horum tamen utilitas aliqua in vita cernitur. Erudiuntur enim homines, ne præcipites abeant in obscenam voluptatem, neve proles in dedecus familiæ propagent, aliorum delictis ipsi cautiores, fiuntque tales magistri rei optimæ cæteris, et a priore stultitia ad vitam temperantem melioremque se convertunt, ac laudabili sunt exemplo. Dominus enim qui nutu et verbo sustinet omnia, multo ante prospiciens, quid ex re cujusque sit, hæc passus est accidere inter homines ut non omnes impure ac fœde generentur, sed aliis quidem symptoma fructui sit, alicubi ad fugienda vitia, quibus irretirentur conducat. Non tamen parentes vacant crimine, etiamsi liberi a casibus quos percensuimus, miserante Dec, præserventur. Alia incommoda ab utero usque accipiuntur [a]. Et lex præclara Lacedæmoniis fuit, quæ muliebre genus certaminibus exerceri ludicris jubebat, quo robustos liberos generarent. Alia vero post ortum accidunt utiliter. Quidam aspectu usurus erat male, oculis orbatus est. Alius addictus est servituti, quod illi prodest. Alius est natus pauper, quem divitias habere non convenit; iis enim ad perniciem suam abuteretur. Alteri lingua est impedita, qui garrulitati serviisset. Cuidam exaruit manus, quam perverse extensurus erat. Et his casus isti boni sunt [b].

Verum animadverte quanta sit Domini benignitas. Misertus enim humaniter sui plasmatis, etiam ista ad utilitatem ejus direxit convertitque. Quin et mors munus quoddam illius benignitatis est. Rationes autem abortuum, et quomodo quædam in conceptione, alia post conceptionem, alia post formationem intus pereant, hæc, inquam, divino judicio et sapientissimis dispicienda relinquamus.

CAPUT XI.

Quomodo diabolus superseminet in animis nostris zizania, et quibus armis ei resistatur. Quare zizania hinc evelli Deus non sinat.

Anima. Satanas porro, quinam instar furis in corda penetrat, et hominibus dormientibus (ut sacra Scriptura loquitur) impura et pessima ad fallaciam et deceptionem omnium zizania seminat [c]? Et quonam modo improbissimus a nobis repellatur? Quod si hoc facile non est, quo pacto tamen dæmonum impetus, et divinas incitationes quispiam cognoscat, ex quo mens bona et mala deprehendat, atque internoscat? ut proinde se procul removeat, et omni contentione tela Belial avertat, reddatque Domino hospitium mundissimum, purgans se totum ab inquinamentis interioribus, ut inhabitet gratia in corde ejus, et apud ipsum Pater cum Verbo mansionem faciat [d]. Et quid ita Deus dæmonibus ad oppugnandum genus humanum permittere aditum voluit?

Caro. Plastes ille, cum effinxisset olim hominem, ut nosti, animam et alia ei inspiravit atque immisit, creaturarumque terrestrium dominum constituit. Cæterum invidiæ parens, et primus apostata, iniquis oculis magnitudinem ejus intuitus, invidit, et tantam ejus gloriam ægre tulit, et quod fecit, invidia erga hominem fecit. Procreator autem et Dominus, quod futurum erat prospiciens, ut optimus quispiam medicus pharmacis comparatis, virtutem armatam homini ad pugnam, et propulsationem petitionum Satanæ inseruit: ne

[c] Matth. XIII, 25. [d] Joan. XIV, 23.

Scholia.

rupta et vitiosa parentum corpora, filii imitabuntur. Præcipit igitur lex, ut ne quis ad mulierem dum est in purgatione immunditiæ suæ ingrediatur (Levit. XV, 19). *Contingit namque corpus viri impuro sanguine mulieris commistum, corpus generare minime purum, nec bene temperatum; sed variis affectibus obnoxium. Hæc mala legislator ante volens cohibere, natos ex tali concubitu ejecit, et sacris septis, conventibusque exclusit, ut horum parentes non audeant de cætero tale quid committere. Et quanquam nuptiæ honorabiles sunt, et cubile legitimum* (Hebr. XIII, 4), *non tamen semper id ascendendum: sed aliquo tempore vacandum, et naturæ concedendum, donec purgatum, liberis suscipiendis fiat idoneum.*

[a] *Qua de causa legislator leprosos, aliisque morbis affectos sacris septis prohibuit? ut parentum incontinentiam reprimeret, et voluptatibus frenum injiceret, conjunctionemque illam corporum terminis quibusdam circumscriberet: quandoquidem multi, quando haud fas, feminis miscentur, et ex intempestivo congressu impura corpora progignunt. Hoc igitur ne fiat divinum numen providet. Nam cum parentes vident, tales sacris conventibus arceri, et causam hujus rei incontinentiam suam esse cogitant, perenni dolore cruciantur.*

[b] Interrogatio. *Quid ita tandem multi, priusquam ætatem eam attingant, qua internoscere bonum a malo queant, quasi magis impliciti scelcribus, pœnas luunt?* Resp. *Hujus rei non una sed complures et diversæ sunt causæ. Nempe et propter parentum immodicam libidinem, et propter educatorum desidiam, et propter cæli inæqualitatem, et propter alia multa, hujusmodi calamitates possunt evenire. Præterea, multos illorum novit Deus fore improbos. Eam ob rem suppliciis istiusmodi veluti compedibus eos coercet.*

[c] Anastasius. *Nescit igitur diabolus, utrum sit intus in cordibus nostris Christus, necne: sed cum te viderit irascentem, aut jurantem, aut turpia loquentem, aut maledicentem, aut de aliis detrahentem, aut alios temere judicantem, aut odio prosequentem, aut invidentem, aut injurias irrogantem, aut superbientem aut immodice ridentem, aut supra alios se efferentem, aut non assidue precantem, mortisque immemorem, tum Deum custodem atque curatorem tuum in anima tua haud inesse intelligit, atque ita de cætero, tanquam fur ingressus ille malignus, ut divina lucerna in corde tuo non lucente, animæ tuæ donum deprædatur. Etenim dæmones rerum nostrarum ignaros, nos gnaros culpa nostra efficimus.*

Digitized by Google

imparatum atque inermem inveniens, telis et vulneribus eum nullo negotio prosterneret atque conficeret. Duplicibus porro et firmissimis armis eum communivit. Ea sunt cupiditas et iræ vis. Quæ quanquam in ea parte animæ versantur, quæ consilii expers est, quod nemo negaverit, nihilominus rationi ad auxilium et robur quoddam, ad seductorem lacessendum, persequendum, atque ad sacrarum actionum rectam functionem, quibus divinum numen hominibus, quorum mores et studia ad sanctitatem feruntur, conciliari solet, data et concessa sunt. Hæc duo ecquid animadvertis, tanquam matres virtutum et vitiorum esse? verumtamen non omnium prorsus, sed quæ ex ipsis progigni consueverunt, quæ oratio nostra clarius demonstrabit. Tu animum fac attendas, et rem omnem cognosces. Cupiditatis germen est charitas, per quam in cœlum ascendimus. Sed enim libet accuratius super hoc disputare. Cogita iram, et cupiditatem triticum esse bonum, et tritici semen, quod ipse agricola et plantator bonorum Dominus cultura intrinseca, gratia manifesta superseminavit. Primus igitur homo conversus est in soporem, ut docet Scriptura [a]. Sed soporem hunc intelliges tres hasce passiones, oblivionem, ignorantiam et stuporem [*].

Inimicus ergo dormientibus protoplastis clam ad perniciem tritici zizania seminat. Zizania autem sunt affectuum agitatio, et judicii depravatio. Inde cum se homo contra rationem voluptatibus submisisset, quod præstantius est, deteriori servitutem servire cœpit; quo nihil pejus; hoc est, spiritus prudentiæ carnis, et comedit quod comedit de ligno: quodcunque tandem illud erat, idque actum invidia diaboli et Evæ simplicitate. Hinc mortalitatem invenit, et creatura corrupta est simul; simul quoque corrupta prima quatuor corpora. Non enim oportebat, nec decebat, homine lapso, mundum manere incorruptibilem, cujus ille erat dominus: sed potius cum domino diffluere ac dilabi, ut cum habitatore habitaculum congrueret. Inde imaginis pulchritudo obfuscata est, inde cordis regio fruticibus luxurians, unde germen impurum germinavit. Inutiles herbæ coorientes, commodas et utiles suffocarunt. Et celeriter ad vitam bestiarum devolutus est: quæque præter naturam erant, inde secundum naturam evaserunt, procedentique et proficiunt ad finem usque hujus vitæ ambo hæc, et bona et mala, seminis, inquam, et invidiæ. Cum autem messis tempus advenerit, colligentur omnia. Inimicus enim, ut dictum est, deteriora superseminavit. Agricola sinit ea cum tritico excrescere, non ut meliora semina suffocarent: sed ut et hæc simul in arvis manerent, id est, in cordibus, sic enim tropice vocavit: ut ex virtute intus insita (ea est virtus et potestas mentis et consilii, citra controversiam) malum germen exaresceret, bonum augesceret ac solidesceret. Sin minus, at certe dum area purgaretur, qua purgatione vitiosum a probo secerneretur [**].

[a] Gen. II, 21.

CAPUT XII.

De quatuor virtutibus cardinalibus, eorumque vitiis oppositis. Multa item de animi perturbationibus, quæ et a quibus virtutibus edomentur.

Mens igitur, illud rationis particeps, vel potius illud « secundum imaginem, » ut princeps optimus, aliis, cupiditati nempe, et iræ quæ arma appellavi, præsidet. A mente igitur prudentia et justitia efflorescunt, duæ plane virtutes, per quas omnia bona, non bona rectissime judicat et discernit. Judicii enim medulla est discretio, sine qua propemodum omnis actio inanis est. Peccata igitur rationis, cujus est principatus, legibus puniuntur, et quidem gravius: iræ autem et cupiditatis minus, ex qua elegantia temperantiæ profluit: sicut ex ira fortitudo: ex his tribus quatuor, et primæ virtutes generales, sic enim dicuntur. Quatuor autem his bis quatuor vitia opponuntur, quando unaquæque duo habet adversaria, quorum unum in excessu, alterum in defectu positum est. Ne longe abeam, prudentia hinc quidem simplicitatem, inde astutiam, sive calliditatem: justitia utrinque plus minus habet: sunt enim et hæc vitia. Fortitudini similiter duo repugnant, quorum alterum audacia dicitur, alterum timiditas. Quæ reliqua est, temperantiæ, inquam, petulantia et fatuitas adversantur [***].

Quotcunque autem aliæ motiones, intus in medio cordis, seu pravæ, seu commendabiles concitantur, cogitationis, atque rationis fetus sunt. Ratiocinatur enim, et judicat, tametsi nonnunquam fallitur [****].

Scholia.

[*] Isidorus. *Unde, inquis, cogitationes malæ de corde exeunt, et hominem impelluni? Ex eo quod dormiunt agricolæ, quos vigilare oportebat, et excubare, et efficere ut ex bono semine bonus fructus prodiret. Nisi enim satietate et sopore custodiam nostri prodidissemus, divinam imaginem fœdantes, hoc est, divinum semen adulterantes, zizaniorum sator introitum non invenisset, nec digna flammis in nobis operatus esset: « Vis, imus, colligimus ea (Matth. XIII. 28)? » inquiunt virtutes angelicæ. Sed facere istuc prohibentur, ne cum eis una triticum eradicetur: ne forte una rapiatur peccator, de emendatione cogitans: ne cum parentibus improbis simul exscindantur, et damnentur liberi, adhuc sæpe in lumbis paternis, Deo autem jam exsistentes, qui videt abscondita, quique Esau post peccatum non demessuit, ne simul Job ex illo genus ducturum exscinderet.*

[**] Isidorus. *Prudentia media est inter simplicitatem et versutiam. Liberalitas inter profusionem et tenacitatem. Magnanimitas inter arrogantiam et abjectionem animi. Fortitudo inter audaciam et timiditatem. Pietas inter superstitionem et impietatem. Extrema igitur fugienda, media autem persequenda et eligenda sunt.*

[***] Basilius. *Perturbationes importunæ ac violentæ sunt, si cesset ratio, qua valemus. Ea imperante et instante, facile in obsequium rediguntur.*

[****] Maximus. *Horum alia bona, alia mala ab hominibus existimantur. Atqui cum per se nihil sit malum, propter usum proprie sive malum sive bonum invenitur.*

Digitized by Google

Sunt autem timiditas, confidentia, timor, invidia, ægritudo, ira, concupiscentia omnium jucundorum. Etenim omnis ad aliquid concitatio ex corde est, ad eligendum maxime et discernendum. Utitur enim utrovis, et vult, et cupit melius stultius, præstantius deterius. Nec vero quispiam ob hæc vel laudatur, vel reprehenditur, quæ sua natura neque mala sunt. Voluntas bene, aut secus iis utentium spectari solet *.

Si igitur de his præjudicium in partem deteriorem vergat, tum affectio illa mala et est, et dicitur. Si contra præjudicium ad partem meliorem inclinaverit, probanda magis et meliora inde procedunt, et vitiosa longissime exterminantur, ut secunda disputatione explicatum est. Quemadmodum enim ferrum ab arte ad quodvis opus artifici propositum conformatur, ac pro voluntate et usu tractatum vel in hastam cedit, vel in gladium, vel in machæram, vel in falcem ad messem, vel in asciam, vel in terebram, vel in serram, vel in scalprum, simili modo mens ad quæ vult, cogitationes convertit, quod in primis clare in iis apparet, qui in asceticis illustres fuerunt, et solitariam vitæ genus probe excoluerunt. Carnem enim, ut decuit, spiritui subjugarunt, et tripartitæ animæ motus, ad mores virtute plenos, præclarasque actiones transtulerunt. Quod si tu enucleatius de his me disserere vis, disseram. A ratione hæc vitia manant, ut dixi : vana gloria, diffidentia animi, insipientia, ignorantia, indiscretio, blasphemia, cogitationum lucta, quorum videlicet et medicinæ multæ, et tales. Fides in Dominum, germana gloria, dogmatum recta tractatio in sermonum veritate, meditatio verborum spiritus, precatio vehemens, mores Deo placiti gratæ voluntatis. Hæc sunt cupiditatis. Iræ autem primus partus odium, alter animus immisericors, invidia, malevolentia, ira diuturna. Etiam hæc contrariis medicamentis sanabilia sunt, juxta proverbium, contraria contrariis curantur, si modo in omnibus auxilium Dei adsit. *

Medicamenta illa sunt, amor erga fratres, dilectio, compassio, longanimitas, tolerantia, benignitas, amicitia. Quodnam autem horum cui adversetur, invenies plane, si vigiles prudenter, et ad ea incumbas. Rursus ex cupiditate nascuntur ventris ingluvies, lascivia, fornicatio, voluptatum incontinentia, cinædica, spurcitia, affectus vanæ gloriæ, et ardens avaritia. Sed hæc quoque his contrariis tollentur, quæ sigillatim enumerabo. Jejunium, continentia, humiliatio carnis, vita facultatum inops, et quod est præcipuum, pauperum propter Deum miseratio, vivere ad remunerationem in futura vita, et tandem ad assequendam adoptionem filiorum Dei. Quod vero ex his cui ex superioribus opponatur, haud est obscurum. Rursum cupiditatis et iræ manifeste plura vitia cordi sunt ingenita. Primum omnium ingluvies, et clam vorare. Alterum dæmon fornicationis, inde enim nascitur. Tertium avaritia, et servitus idolorum. Quartum est iracundia, unde mala exsistunt plurima. Quintum scito esse ægritudinem. Sextum accidiam. Septimum vanam gloriam, quod est pessimum *.

Tristitiam autem ex his ambobus, cupiditate et ira nimirum, secundum idem provenire, et rursum utrique suam et maximam esse proprietatem scias. Ira enim cum vicissim contristare contristantem non potest, mœstum ac demissum vultum subito parit. Quod si desideratis prorsus exciderit, ex ista passione iterum tristitia progignitur. Tristatur enim qui quod amat, eo frustratur. Iterum duæ istæ perturbationes alio modo, si videlicet contra tibi eveniat, voluptatem concilíant ; nempe si fine suo potiantur ; sicut mœstitiam, ut dictum est, si non potiantur. Opinio boni cupiditatem generat. Quod bonum si præsens adfuerit, expletur animus voluptate. Contra, opinio mali timorem injicit, cujus præsentia ægritudinem creat. Qua de causa quidam perturbationem in quatuor hæc genera distribuerunt, in cupiditatem, voluptatem, metum, ægritudinem. Cæterum ambobus hisce vitiis deterius et majus arbitror superbiam, et inanis gloriæ appetitum ; siquidem a ratione oriuntur. Per quæ nonnulli, cum angelorum essent similes, tantum decus amiserunt. In angelis enim nec ira, nec cupido reperítur : quæ quidem ad animum ratione carentem spectant : et horum vitiorum, vanæ gloriæ, inquam, et superbiæ duplicem originem video : nam ex ratione et cupiditate erumpunt. Ex istis octo igitur enumeratis omnis peccati species, et affectus vitiosi pullulant. Sunt autem horum quoque, ut illorum, virtutes adversariæ, a quibus ceu glacies a calore dissolvantur. A jejunio, enim et a continentia magnæ belluæ gulæ et libidinis expugnantur. Ex amore autem, ferventique desiderio erga Dominum et futuram felicitatem, horroreque tormentorum, statione per totam noctem, et acri jejunio, incendium et spiritus fornicationis exstinguitur. Misericordia, compassio et hospitalitas, fides (quod melius, et præcipuum caput diligendorum omnium) avaritiam, fetum infidelitatis profligat. Bonitas et mansuetudo charitatis iram frangit. Quin etiam bonorum, et misericordiæ

Scholia.

* Maximus. *Affectus ejus partis, in qua irarum ardores exsistunt longe difficilius, quam cupiditatis incitationes expugnantur. Quocirca etiam mandatum dedilectione, ut majus remedium, adversus illos datum est.*

** Isidorus. *Videntur unum et idem esse* θυμὸς *et* ὀργή ; *sed fortassis illud celerem et repentinam concitationem significat, quæ cogitationes subripit, et rationem præcurrit. Hoc nempe* ὀργή, *longiorem in ea perturbatione moram. Idcirco* θυμὸς *dictus est quasi* ἀναθυμίασις *vapor, exhalatio ;* ὀργὴ *ab* ὀργᾶν *turgere, et* ἀμύνης ἐρᾶν *vindictæ cupidum esse. Ac* θυμὸ ; *quidem* ὀργὴν *generat, ex* ὀργῇ *clamor nascitur, ex clamore maledicentia sive contumelia.*

Digitized by Google

amor, propter gaudium spiritus, ægritudo in rebus præsentibus, et mundanarum contemptio. Vitium autem acediæ in gratiarum actione, et præclara patientia, ad Deum ducente, ab operibus demum virtutis occulte patratis, oratione, humiliatione superatur. Quin et vanæ gloriæ cupidus liberaberis, si minime contra proximum stulte cleveris, sicut olim jactabundus contra publicanum Pharisæus : te vero omnium ultimum et profiteberis, et reputabis, et Deo omnia recte facta tua in acceptis referes. Nam superbus quodammodo negat Deum. Si ergo adversus recensita pugnare vis, eaque prosternere maxime et potenter fugare, tela his contraria, quæ exposuimus, adhibe ; alia enim via hæc in fugam vertere non datur. Sed enim qui tres compresserit (id est, gastrimargiam, avaritiam, vanam gloriam, primum scilicet, tertium, et septimum) etiam quinque alia comprimet; per quæ tria insatiabilis, et nihil non audens dæmon emersit, insiluit, Dominum tentavit : quibus dediti, longe principes sunt vitiosorum omnium, mortales pessimi. Comprimet, inquam, cæterorum audaciam et impudentiam, itemque philautiam turpiorem illis, cujus etiam mater est cupiditas, ut quidam sapiens senex, et in actione versatus dixit. Est autem philautia corporis amor irrationabilis. Tria prima horum octo : (Gula, libido, avaritia, ira, tristitia, acedia, vana gloria, superbia), mundo subjectorum sunt : quietam vitam sectantibus quinque bellum faciunt. Qui tria neglexit, nec aliud reliquorum vincet. Vanæ autem et plurimæ horum octo malorum, pessimæ proles sunt numerum ferme stellarum, super guttas pluviarum, et arenam maris. Procreant fetus, et hi alios et illi rursum alios, zizania pessima, et præter naturam, quæ inimicus dormientibus hominibus superseminavit. Et triticum quidem virtutum germina statuimus, quæ secundum naturam in interioribus in parte animæ intelligentis, irascentis sentiuntur : sicut singula jam et particulatim divisimus, et a ratione prudentiam et justitiam, a cupiditate temperantiam, ab ira fortitudinem, quatuor ista prodire diximus, ex satu tritici videlicet. Cogitationes autem turbulentæ et improbæ tripliciter intus bellum aperte irritant. Aut enim ipsum appetitum cordis movent ; aut animum ad iram et bilem accendunt; aut denique rationi tenebras offundunt. Ex quibus contingit, mentem intimam obscuratam producere in longum sacras preces non posse, intelligentemque et divinam partem ad lumen divinum hebetari. Τὸ λογικὸν autem omnibus intus præsidens, etiam his ducbus summe imperat, eaque continet, agitque et fert undecunque quo vult. Sed virtutum tanquam princeps est ratio, perturbationum non princeps, sed imperatrix potius; τὸ λογικὸν autem est ipsissimus θεῖος νοῦς (divina mens) quæ passiones non simul et prorsus tollit ; sed ut fortissimus reluctator et adversarius generosus, et passionum et morum turbas sternit, æstrorum inflammationes reprimit, et motiones cohibet, et tela amorum ignitorum exstinguit, et impetus cogitationum luctasque avertit. Non tamen in omnibus æqualiter virtutem ostendit; sed quibus inest mens sana et optime sentiens, et timor divinus, et novissimorum, in istis citra perturbationum molestias animus tenet principatum : sicut quidam spiritualis et experientia doctus censet. Non possunt omnes, inquit, per virtutis semitam incedere : sed ii tantum, qui continentius vivunt. Virtutum autem et præstantior, et melior est prudentia, quæ cogitatione et ratione universe plurimum adjuvant. Si enim ratio, ut bonus auriga, partes quæ quidem naturæ, ut dixi, irrationalis sunt, freno autem rationis bene regentis feruntur et parent facile, in quibus volucrit, bene rexerit, ea materia laudis fit sanctioris vitæ studiosis. Quæ sunt secundum naturam, fiunt; quæ contra sunt, fugiuntur, sicut in præcedentibus docuimus. Si autem ratio princeps non bene regat, quia deficit, cujus est quid deceat judicare, de cætero omne detrimentum in se vertit *. Res sursum ac deorsum eunt; illico enim veritas putatur mendacium, et quod dulce est, amarum, et amarum dulce. Lumen fit tenebræ et tenebræ lumen; mala natura, videntur optima, et optima fugienda. Si quis instiusmodi falsa judicia faciat, vitium et peccati contagio abesse non potest. Et tunc zizania cum germine excrescunt, stirpesque inutiles in agris spiritualibus se profundunt, utileque triticum, et alimento idoneum discoloria, et a natura abhorrentia suffocant **. Nam ut terrima præterque naturam, et adulterina semina cum naturalibus comprehendant, et proveniant, fieri nequit. Voluntas corporis, prudentia carnis, voluptatum impostura præter naturam propagines sunt. Quas si sanctis laboribus oppresserimus, spiritualia crescunt. Triticum est secundum naturam. Etenim virtutis igniculi a natura nobis sunt insiti; motus autem turbidi, præter naturam sunt, ut dixi ***.

Si enim improbitas esset aliqua, ut ita dicam,

Scholia.

* Gregorius Nyssenus. *Deceptum intellectus judicium, ipsa res sequitur. Cum enim imperita ratio non invenerit ubi utiliter armis utatur, in se ipsam ferrum auxiliatorum convertit, ei qui male usus est, perniciosum.*

** Maximus. *Res ipsæ quidem extra animum sunt, earum vero cogitationes ac sensus intra animum consistunt. Penes ipsum igitur est, hisce aut bene aut secus uti : nec aliud quidquam est malum, quam operationis facultatum naturæ ad finem propositum insitarum defectio, sive bonæ omnium rerum causæ ignorantia : quæ cum mentem humanam debilitaverit, ipsam a divina cognitione penitus peregrinam reddit, et aliud prorsus nihil.*

*** *Improbitas, aut illaudata affectio, naturaliter in natura non cohærent ac subsistunt ; Deus enim turbulentarum motionum non est conditor.*

Digitized by Google

substantiatio aut natura, nec sectatoribus ejus supplicium, nec virtutum cultoribus præmium esset propositum. Si quis ergo consuetudine mala, et vita male feriata affectiones a natura alienas in habitum converterit, is rursum consuetudine bona vim illam vitii in virtutis vim remigrare cogat *. Postquam enim fines suos egressa fuerit, denuo in seipsam celeriter redire compellatur. Et idcirco magnus ille agricola præcepit, relinquenda zizania, ut crescant cum tritico, ut plastes providens nobis ne re natura pulcherrima orbaremur, ne cupiditas cum germine improbitatis simul exscinderetur. Nam si una cum iis quæ præter naturam sunt, ea quæ secundum naturam sunt omnia extraherentur, natura humana ad auxilium suum aliter, et bene iis uti non posset. Charitate enim, quæ pulcherrima cupiditatis proles est, e nobis simul excisa, quod tandem pharmacum utiliter adhibebimus? Ista autem simul diffluente, quæ arma quis ad defensionem sui contra hostes occulte nos oppugnantes habeat? Armorum quippe loco hominibus sunt appetitus et ira. Quod si hæc radicitus evulseris, quomodo nudus spiritus ad pugnam et luctam contra dæmones, atque ad aciem contra principes tenebrarum instruendam aggrediatur **?

Qui enim secundum spiritum, non secundum animam tantum, sive secundum carnem hanc vivere consueverunt, eos certum est a non bono propter bonum pungi ac stimulari. Qui vero vivunt in carne carnalia sapiunt. « Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus [2], » Paulus velut ex alto pronuntiat; non enim est spiritus, qui secundum carnem vivit, cujus prudentia est mors periculum magnum, et pugna et distantia a divinis penitus; divinis enim legibus omnimodis adversatur. Prudentia autem spiritus, pacem vivam scaturit [3]. Qui carnale semen seminat, de carne metet, metet autem mortem. Qui autem in spiritu seminat, spiritualia metet, et messem corruptionis [4].

CAPUT XIII.

Quisnam carnalis, quis animalis, quis spiritualis appellandus sit. Solum id bonum quod ex libera voluntate præcedit, laudem et præmium mereri.

Anima. Sed age, differentiam personarum, et quis carnalis, quis spiritualis, quis demum animalis sit, mihi declara; nec enim noscere queo.

Caro. Primus horum corpori obsequitur, et corporis voluptatibus servit, vitamque tantum sensibus subjectam in rebus caducis exigit, in quo et deterius a præstantiore subactum est. Animalis solutus et laxus est ad habitus revera non bonos, animumque nondum illustratum habet; sed vivit ad appetitum, qui videtur optimus, motibus, desideriis, et naturæ blandimentis indulget. Spiritualem vocamus amantem rerum cœlestium; qui internis oculis divina respicit, et tantummodo vitam sempiternam diligit, omnia voluptuaria conculcat, sanctis exercitationibus se dedit, et spiritui carnem subjicit. Quod si placet tibi, rem alio modo explanabo. Unusquisque secundum naturam et carnem viventium, plane vocatur animalis, ut qui mente nondum profecerit ***.

Viventes intra spiritum, carnales appellamus Qui autem naturam ad spiritum attemperarunt, spirituales audiunt, ut qui virtutem exerceant. Adhuc tertiam explicationem afferam : Mutuo adversantur caro et spiritus. In quo caro superaverit, is dicitur carnalis. In quo spiritus vicerit, ille est spiritualis, et jure fructus spiritus dicendus ****.

Quod si inter ambo pax inutilis fuerit, erit is homo animalis, qui vere cognitionem habet, et vitam animæ insitam et concessam vivit. Nec enim seminavit in carne, ut corruptionem metat : nec rursus in spiritu, ut vitam æternam metat; atque hinc ut medium quiddam, et animalis est *****.

Qualis sit carnalis homo, qualis spiritualis, et quo pacto se uterque habeat, perfectissime Paulus novit. Sed tamen eos inter se comparans, utrumque per se plurimum valere contra alterum affirmat. Medium tenent locum, quibus non ab exercitatione

[2] I Cor. II, 14. [3] Rom. VIII, 6 seqq. [4] Galat. VI, 8.

Scholia.

* Isidorus. *Multi mortales peccata et vitia quamvis non didicerint, tamen perpetrant; bona autem quamvis ea docti, non intelligunt : sed suppliciis gravida per se amare et concupiscere non desinunt : coronas autem conciliantia, ut exsequantur adduci neutiquam possunt.*

Nilus. *Per conatum studiose amandi Deum, negligentiæ vim debellare et frangere velis. Consuetudo enim consuetudine mutatur : tantum ne tyrannidem obtendas.*

** *Cupiditatis stirpes sunt charitas, et temperantia; ad hæc intemperantia et libido. Ex ira fortitudo emicat, insuper audacia, et timiditas præter naturam. Ex anima quæ est rationis particeps, prudentia et justitia, præter naturam vero stultitia, avaritia, inæqualitas et injustitia. Quod si, quæ præter naturam sunt, evellenda essent, simul omnia quæ secundum naturam sunt evellerentur.*

Basilius. *Quid lucri est, in multis vacare omni perturbatione, si ab una corpus corrumpatur? Nam Petrus post tot egregia facta, et prædicationes tot, audivit : « Nisi lavero te, non habebis partem mecum* (Joan. XIII, 8).

*** Cyrillus. *Animalis est, qui secundum carnem vivens, animo per spiritum nondum illustratus est; sed intelligentiam tantummodo humanam ingenitam habet, quam omnium animabus Opifex inserit.*

**** *Quemadmodum rebus fluxis immista anima evadit carnalis, ita corpus per incorruptionem animæ semini Dominico unitum spirituale redditur.*

***** *Scio enim, ut discordiam quamdam optimam, sic etiam concordiam quamdam nocentissimam esse. Melius est enim laudabile bellum, quam pax a Deo separans.*

Digitized by Google

contigit, sed absque laboribus innata est castimonia, et honor nullus habetur, nec coronas merentur, qui statum castitatis sine certamine sunt adepti. Etenim ex utero matris eunuchi nati, nec molestias sentiunt fœdi amoris, nec rerum cum perturbationibus conjunctarum. Nec proinde dignandi sunt gloria, aut gratia, quandoquidem labores non toleraverunt. Bonum quippe naturale approbationem et laudem non meretur *.

Sin ex animo et voluntate præstetur, juste coronam sortitur. Prærogativa enim, et adjumentum, quod cujuspiam naturæ adest, non est causa laudis in his quibus adest; sed id potius divino beneficio attribuendum est. Non habetur gratia igni urenti et illuminanti : sed magis ei qui ignem struxit. Minime gratiæ aguntur nivi, quod frigefaciat. Sol clarissime lucet, lucet, inquam, nec vult lucere. Solum velle quæ præstantissima sunt, gratiam promeretur. Quod si modum exquiras, quamvis carne constes, superior amore corporis apparebis, et seminabis in spiritu evacuata carne. Ego et tu spiritui serviamus, corpori nullo modo. Paulus hæc loquitur ad Romanos scribens : « Si enim spiritus Christi est, etiam in nobis sit, » ut dixit [6]. Si autem quis non fuerit particeps hujus charismatum, non est hic Christi, sed Antichristi potius : « Quemadmodum igitur portavimus imaginem terreni (et factus est in animam viventem, ut ait Scriptura [7]) portemus et imaginem cœlestis [8], » si volumus, et quidem magis, est enim secundus Adam in quo est vivere in spiritu, et vivere in incorruptione **.

« Quicunque enim ipsum receperunt, dedit eis, inquit, filios Dei (per gratiam) fieri [9]; » deos, non filios, quod longe majus atque præstantius est. Quæ sequuntur, admodum, ut reor, intellexisti.

CAPUT XIV.

Quemadmodum Deus hominem cum creaturis omnibus communicantem finxerit. Quomodo idem Trinitatis imaginem contineat.

Sed unde cœpit, eodem revertetur oratio, dicemusque, ut possumus, de procreatione propter hæc ista, superiora repetentes summatim, et tibi in memoriam dicta revocantes. Dominus igitur, qui hosce duos mundos condidit, superiorem nempe et priorem, posteriorem et inferiorem, intelligentiam et sensum, et hæc omnia, hic unum animal hominem facere voluit, quod ex ambobus jam dictis mistionem et temperamentum haberet. Et factum et conditum est voluntate Creatoris, qui sua manu et sapientia hominem finxit ***.

Considera mysterium, quod intelligentiam vincit. Universam naturam superum et inferum, et rationes omnis naturæ in unum frequentes conducens, et ex omnibus, ut collectam, quod esset præstantius secernens, a terra frigus et siccitatem simul, et cum ipsis atram bilem sumit. Phlegma, humorem, frigus ab aqua. Cœva autem aeris binarium humoris et caloris necnon sanguinem ab eodem. Calorem, similiterque siccitatem ab igne, unde certum est flavam bilem exsistere. A stirpibus vim alendi et augendi, hæc duo, inquam. Sensum a rationis expertibus, eumque admirabilem. A lapidibus et lignis non sentientibus densitatem, et cohærentiam in nervis, in ossibus. Rationem et mentem divinum quiddam utique ab angelorum natura, ad quorum similitudinem per hæc accedimus. Animam autem a semetipso contulit, inspirans spiraculum vitæ. Animam seipsam moventem, et moveri nunquam desinentem, animam simplicem, immortalem, nunquam senescentem, nihil habentem crassitudinis, nec materiæ corporatæ, naturam sui juris et arbitrii, honoratam ratione conditamque maxime ad imaginem divinam, non tamen ex divina substantia, quod fuge vel cogitare, vel dicere : sed ex virtute omnipotenti, qua creavit omnia ****.

Substantiam individuam, in qua inest intelligentia, et mens omnino, et verbum mente conceptum; nam sermo qui est in lingua, proferri et edi foras ad audientes potest. Mens, ratio, anima, hæc tria sunt una natura, una essentia congenita, stabilitatem habens, separationis et sectionis, et divisionis prorsus expers : quin contra potius, ut inseparabilis Pater et Verbum et Spiritus, natura et virtute; est enim μονὰς τριάς, quasi dicas unitas Trinitas, essentia uniformis, et dominatus unus *****.

[6] Rom. VIII, 9. [7] Gen. II, 7. [8] I Cor. XV, 49. [9] Joan. I, 12.

Scholia.

* *Equidem multos habeo proferre, qui natura ab ineunda muliere abhorreant. An igitur hosce castos appellabimus, aut præmio afficiemus? nullo modo. Castitatis enim est continere sese, et pugnando per labores sudoresque, perturbationes et cupiditatem subigere.*

** Maximus. *Imago terreni hominis præcipua vitia sunt, amentia, intemperantia, injustitia. Imago autem cœlestis cardinales virtutes, ut prudentia, fortitudo, justitia, temperantia.*

*** *Quintuplex est natura rerum conditarum omnium. Intelligens, ut angelorum. Rationis compos, ut hominum. Sentiens, ut bestiarum. Vim alendi, et augendi habens, ut plantarum. Inanima, ut lapidum: hæc omnia rursum aut cum materia conjuncta, aut ab ea segregata sunt. Prioris generis sunt, terra, aer, ignis, aqua, et ex his concreta. Posterioris angelus, et anima rationis compos. Facultatum porro ad animam pertinentium alia est nutritionis, alia accretionis, ut in stirpibus videlicet. Alia imaginatrix et appetens, ut in brutis animantibus. Alia ratiocinatrix, et cogitativa, ut in hominibus. Et quidem facultates superiorum generum pereunt, tertii generis est sempiterna. Opifex autem horum universorum Deus naturam omnem essentiamque excedit.*

**** Theodoretus. *Habet enim ipsa (anima) rationem et liberam sui potestatem. Et generat quidem mens rationem, cum qua procedit spiritus, qui non generatur, ut ratio; sed eam semper comitatur, et cum generata procedit. Quam ob causam et ratio subsistit, et spiritus.*

***** *Deus compositionem non admittit, omneque quod immateriale est, et omnem simplicitatem superat.*

Digitized by Google

Ut autem et hoc dicamus, illud, « secundum imaginem, » id est, anima, mens et ratio, consequens est, ut inseparabilia sint; nam imago, et prototypon eodem fere modo se habent. Quod si nihil discrepuerint, est identitas: neque ejusmodi res imago, nec simulacrum vocanda est. Illud enim increatum, imago creata est. Et hoc est rationale, regnum animæ et pars, et mentis quidam partus, et divinum propugnaculum, et animæ peculium, et simul prosus cum ea natum. Ita porro, et cupiditas ab anima bruta admistæ sunt animæ humanæ, et cum eadem quasi in una statione collocatæ, ut una usque ad extremum cohabitent atque permaneant. Quod quidem quando venturum sit soli Deo cognitum est. Et quia simul exstiterunt, partes quidem sunt animæ, non tamen naturaliter ipsa anima, siquidem anima non est ira, et cupiditas, sicut ratio, mens et spiritus cognata ejusdemque generis sunt. Neque vero ista duo ab anima abesse nequeunt: est enim, cum illi adsunt, est cum non adsunt. Quippe donec anima in corpore perstiterit, hæc quoque ut inseparabilia quædam propugnacula ei adhærescunt, per quæ adversariis, oppugnantibus resistit, et adversum eos his indiget, sicut carne ad operimentum et tegumentum opus habet, quandiu in hac vita versatur. Ubi e corpore isto discesserit, iis de cætero non indigebit; sicut nec corpus exanimo tegumentis eget. Nam cum tandem judicii illius tempus aderit, duæ partes istæ auferentur. Causa hujus rei, supra libro secundo explicata est, ibique testis gravissimus adductus Gregorius Nyssenus. Sed unde digressi sumus, eo redeamus. Duplex dicitur anima, geminis e partibus conjuncta, quarum alia ratione constat, alia non constat. Est insuper triplex seu tripartita, et merito propter ternionem partium, quæ sunt ratio, ira et cupiditas: cum substantia una sit et simplex. Nihil enim, naturæ corporeæ habet, non figuram, non colorem, non profundum, non intervallum, non longum, non latum. Nulla in ea magnitudo, nulla durities. Quod rationis est compos, in eo angelos æquat. Reliquis duobus ad naturam animantium rationis expertium accedit, ira, et cupiditate nimirum, quæ in bestiis etiam reperiuntur: ex corpore siquidem, et anima, commistione temperationeque admirabili Deus hominem effinxit *.

CAPUT XV.

Cur anima, cum sit incorporea, rebus tamen corporeis ac perituris adhærescat. Unde bellum intra ipsam. Quis pacificator. Quatuor virtutum cardinalium officia. Gratia Spiritus sancti quando hominibus auxilietur.

Anima. Admirationem et stuporem commovet mihi, quomodo anima, cum sit gemina beatis illis mentibus (vacat enim omni concretione corporea), tamen adeo rebus inanibus quæ sensu percipiuntur, implicetur, illarum appetitu ferveat, illis dedita et affixa sit, et ab istis inferioribus se abripi patiatur. Non enim oportebat a materia liberam quidquam cum iis habere commune, quo materia continentur; nec corruptioni obnoxia consectari, adeoque corrumpi a corruptione alienam et divinam; cujus proprium est respicere, et intendere illuc omne desiderium, unde originem ducit.

Caro. Quoniam creatura, et mutabilis est, etiam spiritum mutat. Quidquid enim conditum et compositum est, mutationi subjectum est. Immutabilitas autem ejus naturæ est, quæ sola naturam omnem supergreditur. Animam porro simplicem, incorpoream substantiam procreavit, eique usum liberum rationis concessit, et agere ad quod ferri incitarique sentit. Quamobrem ut quiddam sui juris ac potestatis, etiam spiritum mutat. Constat autem, ut dicebamus, duabus et tribus partibus, seu bipartita et tripartita est. Pars quippe illius altera cum intelligentia conjuncta est, altera eadem caret, ut supra docuimus. Ad substantiam vero et naturam quod attinet, simplex est. Atque hinc divisio, in qua tertia pars reperitur: præter iram nimirum et cupiditatem ratio, partium præstantissima, confusa, et similitudine substantiæ devincta cum sempiternis, quatenus angelorum naturæ respondet: sicut reliquæ duæ partes cum natura belluarum communicant. Paria enim paribus gaudent, et cum iis congregantur **.

Quod mentis et consilii est, substantiam ejusmodi concupiscit, immortalemque angelorum alimoniam esurit. Quod ratione caret, infra positum humi nascentem, corruptibilem et fluxum plane cibum appetit. Quoniam igitur hæ partes, licet simul sint, inter se discordant, et cominus congrediuntur, et bellum quoddam conflatur, anima et corpore decertantibus vicissimque se acriter prementibus et seditiose exagitantibus dum illa pars superna desiderat, eaque intuetur: ista hæc inferiora propensissime appetit, et corpus pondere suo terreno ad infima declinat, spiritus violenter ac per tyrannidem deorsum trahitur, et ad improbos affectus impellitur, usque prolabitur ***.

Mens autem ut imperatrix quædam, et domina etiam perturbationum, et ut supra tetigimus, divinus animæ oculus, et ornamentum et instrumentum, ex altera parte tutamen rationis objicit, et tota cogitationis vi intervenit, et momenta duelli hujus

Scholia.

Est enim quiddam simplex, et omnimodis sincerum, non mistum; non compositum, nec figuram aliquam recipere potens.

* *Anima hic duplex et triplex dicitur: post resurrectionem vero nec duplex nec triplex, sed tantum simplex sive intelligens futura est.*

** *Omne animal diligit sibi simile, et homo hominem, si modo omnis humanitatis expers non est.*

*** *Paulus corpus carnem vocare consuevit, non quidem naturam ipsam corporis hac voce intelligens, sed perversam voluntatem. Ut cum dicit: « Vos non estis in carne, sed in spiritu (Rom. VIII, 9). » Et ite-*

Digitized by Google

inspicit : arbitriumque, ut judex et disceptator æquus ac sapiens pronuntians, cogitationes meliores a deterioribus dirimit, et illas admittens, has foras ejicit ; atque ut inspector indicans, sententiam fert, seu quid natura justum, seu præter naturam fuerit. Menti, τῷ νῷ, quatuor facultates annexæ sunt : intelligentia, ingenii acrimonia, comprehensio, solertia. Hæc quatuor, inquam, inde tanquam a matre prodierunt, et velut a stirpe pullularunt. Ast animæ tripartitæ germina rursum hæc sunt. Τοῦ λόγου, rationis prudentia, et justitia, ut sapientissimus magister Joannes Damascenus ait. Cupiditatis pulcherrima soboles est temperantia. E calicibus iræ fortitudo prorumpit. Prudentia, quæ prima, et pulcherrima est, peculiare munus habet scrutari, et pernoscere profunda spiritus. Justitia æqualitatem servare, et amicitiam, bene judicare, bene rationes subducere, convenientia utiliaque dispensare. Æqualitas enim ad jus pertinet, quo enim alio pertineret ? Temperantis, proprium est castimoniæ splendor, et gaudium spiritus, et alia quæcunque de ea scribuntur. Generosæ fortitudinis bellum contra vitia, quod gladio instans, eorum impetus et incursus prætruncat. Perspicuitatis ergo exemplum, brevissimamque notionem ad dilucidiorem notitiam ejus quod diximus subjungemus. Est animæ conscientia, sive lex quædam, cum legibus præceptisque divinis conspirans, optimorum operum cooperatrix et administra ; et ista conscientia est lex spiritus. Contra lex peccati, sive lex carnis seductrix, ex impressione dæmonum inhærens membris nostris, et ut ignis inflammans, et æstuantium cupiditatum dulcitudine demulcens, paribus armis legi conscientiæ adversatur, volentemque parere legibus domini, lacessit, indeque spiritum quanquam peccati fraudulentiam indignantem, velut captivum abducit. Ut inimicissima autem blandimento voluptatis pugnat, atque ita peccati, quod servile est, servum facit. Sed divinus Paracletus miserans hoc incommodum, adversus spuriam et fallacem carnis legem robur desuper præstantiori legi subministrat. Lex autem carnis est cupiditas, irrationalis animæ pars.

ANIMA. Et quomodo, et quando gratia nobis opitulatur ?

CARO. Cum quis amorem et timorem Domini acquisierit et perpetuo novissimorum, ut supra monuimus, memor fuerit. Cum res adversas gratias agens toleraverit ; cum semper oraverit, et divinitus inspiratas Scripturas assiduo secum pertractaverit.

CAPUT XVI.

Prima origo belli inter corpus et animam. Diaboli oppugnationes nobis accidere salutares. Anima quorum extra corpus recordetur. Quomodo absque corpore Deum laudet. Quo pacto afficiantur spiritus beati, exuti corporibus, et sensus sine sensibus habeant. De incremento felicitatis animarum in secundo Christi adventu.

ANIMA. A principio corpus et anima in summa tranquillitate vivebant, conveniebatque illis naturaliter, et vigebat inter ea nulla offensione intercedente concordia. Unde ergo, et quinam in tantas dimicationes inciderunt ? et quæ utrinque pugnarum istarum causæ ?

CARO. Ex quo transgressio hominum generi evenit, ex quo, inquam, Adamus lapsus est, bellum inter hæc geritur, et ex eo, abrupto fœdere intra nos, misere et a Deo et ab Edem exturbatos, natum est, de quo satis multa in præcedentibus disseruimus. Restat proinde diabolus, de quo etiam dicendum, quomodo tandem hostis hominibus relictus est, permissu Creatoris, quo judicio ipse novit. Et quomodo non perierit omnino, quo nihil est exitiosius. Sed age, hujus causam, seu rationem nunc accipe. Vita ista stadium et certamen quoddam et lucta est. Si hostis defuerit, quo pacto laudem assequemur ? Si certamen nullum sit, qua ratione dux quispiam regi charus fortiter se geret ? Si absint certamina, quomodo præmia certaminum, et honores, et dona his qui legitime certaverint, tribuentur ? Si scandala non veniant, quomodo firmus quispiam et constans apparebit ? Si quem nulla incessat tribulatio, quomodo gaudium nanciscetur ? Si frigida hiems non præcedat, quando æstas effulgebit ? Itaque et dæmon ad bellum contra nos exardescat, ut dum tyranno resistimus, adversario percusso victoriam referamus (mirum cum sit incorporeus eum vinci ab hominibus) victoresque, ut strenui bellatores, honorentur, et coronam accipiant immarcessibilem, quemque ille ante casum suum tenuit, statum conditionemque adipiscantur. O abyssum benignitatis, o divitias misericordiæ, odium, studium perdendi, petitiones seductoris ad utilitatem et gloriam suorum amicorum convertit, qui omnia in melius mutat ! Et fit quiddam tale, quale si medicus quispiam viperis aut aliis quibusdam tetris et nocentibus alioqui medicamentis ad ægrotorum curationem uteretur ; quemadmodum et fraternum odium Josepho utilitatem maximam apportavit, et singularis cujusdam œconomiæ materia fuit, qua Deus etiam vendi permisit juvenem pulcherrimum, ut eum Ægypti principem constitueret.

Scholia.

rum, « Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt (Ibid. 8). » Nam ipse ille, qui hæc dicit, annon carnem indutus erat ? Non ergo hæc sibi adversari ait ; sed de improbarum bonarumque cogitationum certamine loquitur. Etenim velle et nolle, penes animam sunt. Atque idcirco ait, « Hæc autem sibi invicem adversantur (Galat. v, 17). » Et ut animæ, in pravis cupiditatibus suis procedere ne permitteret, tanquam pædagogus et magister in viam meliorem nos ducens, hæc prolocutus est.

Digitized by Google

Similiter et Satanam certaminis nostri præses nos oppugnare non vetat, ut tropæa de inimicis statuentibus coronas gloriæ nectat. Quanto difficiliora certamina, tanto illustriora decora ; quo graviores afflictiones, eo splendidiores coronæ. Proportione enim merces labori persolvitur ; id quod jam ante perspicue docuimus. Sed pelagus clementiæ et bonitatis perpende. Labores ac tribulationes una cum hac vita finiri, absolvique vult, quæ angustis terminis circumscribitur, et in qua cum perpetua sint quæ affligunt, perpauca sunt quæ animos recreant. Quia nimirum quidquid est hujus generis, futuro sæculo reservat, per cujus spatia nullo unquam fine claudenda felicitas extendetur.

Anima. Ego porro illud etiam atque etiam, vehementerque admiror, quomodo anima divinarum mentium similis, hostium intelligentia præditorum, atque ideo natura parium insultus prævidere nequeat. Sed in causa est carnis crassities, quæ prohibet. Itaque ubi corpore soluta fuerit, tum denique prævidebit.

Caro. Significatum est præcedentibus disputationibus, tres in cerebro facultates inesse, reminiscentem, imaginantem, cogitantem videlicet, per quas meminit, cogitat et videt. Sed si forte lædatur aliquo modo vis cerebri, ictu teli aut gladii mortifero, hæc tria a me dicta simul amittit ; otiosa est enim memoria, et phantasia tota, otiosa item cogitatio, prudentia, cognitio, actio, motio, et operatio. Num igitur dicemus animam, cum expedita corpore ad Christum, Ecclesiæ caput, ut scriptum est [10], excesserit talem excessuram? Recordari tum poterit notorum et cognatorum, et amicorum et fratrum suorum, et liberorum, et parentum, ac pro iis simpliciter orare Dominum, sicut tertia disputatione confirmavimus, idque nec cerebrum, nec cor, nec aliud membrum corporis habens, in quibus mens, ut in sedibus suis manere, et requiescere creditur, nec organum aliquod vocis, non linguam, non labra denique.

Anima. Exoritur mihi scrupulus. Quo pacto dixisti ante, memoriam tunc amicorum nulla oblivione deletam iri, et tamen eam citra corpus nihil posse ?

Caro. Et hoc exemplo quodam brevi declarabo. Etiam psaltes citharœdus arte musica temperare melos citra instrumentum non potest, nec tibicen, si tibias fractas habuerit. Corpus esse puta organum, seu instrumentum, artificem ipsam animam.

Anima. Ne cuncteris, neve tardes dubitationem solvere.

Caro. Apparet te valde obliviosam et immemorem esse eorum quæ tertia disputatione disserui et memoravi. Mens enim quamvis penitissime sola longe plurima et bona et mala operatur, et Deum, si modo pura sit, et si voluerit, vocibus cordis intrinsecis celebrat, nec alicunde prohibetur, quantumvis anima adhuc corpori colligata. A quo exempta, id magis etiam magisque facit : quando Deo præsens, sublato jam speculo clarius ipsum manifestiusque contemplatur, et pro amicis sine voce precatur, ut quæ a semetipsa semper moveatur et incitetur. Laudes enim divinas indefesse cum angelis celebrare non dormientis, sed vigilantis est. Quod eam præstare SS. Patrum cœtus docet. Lingua, et sermone huic vitæ, et hominibus hic viventibus imprimis opus est, quod quidquam vel audire, vel efferre, vel sensa aliorum quæstiones, placita nisi per sermonem ore et lingua prolatum, et cogitata per aerem medium indicantem intelligere nequeunt. Nec potest anima quandiu in tabernaculo suo habitat, sine instrumentis et voce sententiam suam enuntiare, et agere quæ vult, et agi est opus ; nec motu externo ad opera moveri, per quæ qualis sit agnoscatur. Tunc abjecta carnis mole, cum ad mundum supramundanum pervenerit, ad mundum intelligentem, immortalem, omnis materiæ expertem ac divinum, ut materia vacans, ut ratione utens, et substantiæ socia non eget horum aliquo quæcunque corporata sunt : non cerebro ad memoriam, non corde, et visceribus. Præstantiorem vero aspectum consequitur mens (quæ cum anima nata et cum ea unum et divinum est) sermonis autem vocalis tunc nullus erit usus*.

Ast interioris, qui in affectu et motu rationali est, ut partus, et notio, et munimen rationis, sive animæ et mentis divini aspectus, hujus, inquam, usus erit. Non est autem aliud ab alio, sed idem natura, supernis et a Deo donatis splendoribus excitatum, citra vocem, et sermones qui sentiuntur. Sermo autem iste noster per enuntiationem, nec aliter profertur, ut a circumstantibus percipiatur. Paradigma vero prius de cithara, non usquequaque cum anima, qua rationem obtinet congruit. Anima enim sejuncta est a materia qua cithara constat. Incorporeum porro et corporeum inter se diversa sunt, et nimium quantum alterum ab altero distat, et utrumque comparationem propriam ex eodem, et ad idem, secundum naturam sortitur. Cum sensu enim sensus, et intellectio cum intellectione, ut simile cum simili comparatur. Ne putes autem spiritus perinde affici, cum hinc evolarint, ut hic afficiebantur. Alio modo se habet utique. Illic enim divinis fulgoribus illustrantur, et a Patre luminum luminibus replentur, prout quisque ad fruendum lumen est idoneus. Sicut enim ignis ferrum penetrat, et quanquam

[10] Ephes. I, 22.

Scholia.

* Basilius. *Visus corporis est ab oculo, visus animæ a mente sibi ingenitæ videlicet ; non ita tamen, ut alterum alterius naturæ sit : sed idem est mens et anima. Est siquidem naturalis quædam facultas partis animæ rationalis, et non adventitia. Et oculus quidem animæ est mens, oculus autem mentis cognitio.*

Digitized by Google

densum, tamen facile penetrat, naturamque ferri ignitam, et ignem efficit : quod cum alioqui nigrum sit, rubescit, et obscurum fulget, et frigidum calescit et incenditur, et urit? quod tangi poterat, propter susceptum ignem sit intractabile ; ita tu de anima, et de ejus splendore velim ratiocineris, a quo ex Divinitatis contemplatione clarescit, potestque intellectuali modo videre, loqui, et audire, et sentire lumen, et cum angelis exsultare gaudio, et eadem cum illis contemplatione perfrui, et contubernalis, et cohabitatrix justorum appellari : non tamen secundum sensum corporis, sed intelligentiam solam. Sunt enim hæc ejusmodi natura sua, ut tantum intelligant et intelligantur, et illos quinque corporis sensus omnes effugiant. Mente sola utitur, ea videt, et prævidet, visu acutissimo, angelorum proprio, divinasque et nunquam visas pulchritudines contemplatur. Quod si quæ dico tibi paradoxa videntur, ad fidem confirmandam paradigma adhibebo *.

Si noctu per quietem videres juvenem aliquem statura eximia formaque pulcherrimum, arte insuperabilem, opere inimitabilem, specie maxime invidenda, procul a patria sua, externis internisque claritatibus conspicuum, incredibili candoris nitore ornatum, capillorum, auro magis radiantium varietate distinctum, undique circumfusorum luminum flammis coruscantem ; plausus et carmina a ministrorum turbis ferentem, et ministerium perpetuum, longeque jucundissimum. Incidisti tum quoque in amicum valde clarum quem vidisti nunquam, quærebas autem reperire, et videre etiam oculis, sicut cogitationibus vidisti. Absentem enim ex fama tantum dilexeras, ut amicum laude dignum, et in numero ponendum. Si tibi contigerit hæc in somnis videre, an potes dicere, quomodo tum ad locum accesseris, et quomodo in lectulo jacens, et manens, et dormiens, et interno motu immobili commotus ad res illas, ut putabas, adieris, quibus tandem pedibus, qua carne totum cursum repente celeriterque peregeris? Quibus oculis intuitus sis faciem, quibus auribus audieris, quæ te audisse putas? quibus porro labiis amicum osculatus? quo ore, qua lingua cum allocutus? Vere mihi respondebis : Non vidi faciem oculis corporis ; quomodo enim consopitus viderem? sed mentis et animæ pupillis, hoc certum est. Si hæc mihi respondeas, id dicis, quod amantem veritatis decet, et ego testimonium tibi feram, et assentiar. Tale quid de spiritibus et animabus concipe : has, cum hinc emigraverint, sensus assumere ad loquendum, et vivendum, et cæteros omnes. Sed assumere ratione quadam non corporea, dum natura quæ est supra naturam operatur in omnibus et sit omnia omnibus supra quam comprehendi potest. Non enim divinum numen eget ore, non corpore, non lingua, non aliquo alio ad communicandum spiritibus, et animæ cuilibet, quæ voluerit. Sed quemadmodum virtutibus administratoriis, ita his eadem largitur. Sententia enim cum sentientibus et intelligentia cum intelligentibus, ut similia cum similibus conferre justum est. Intelligentia autem cum sentientibus e diverso comparare nefas, propter naturarum discrimen scilicet : sed incorporea cum incorporeis, et corpora vicissim cum corporibus componere oportet **.

Quæ autem superis ac cœlestibus cum his infimis terrenisque comparatio, aut convenientia? aut quæ communio menti cum his quæ apparent, aut corpori cum his quæ corpus non sunt? Quod si quis tota cum totis contulerit, non jam paradigma, sed aut ita dicam, identitas erit. Cum itaque in materia vacantibus comparationem non inveniam, paradigmatis materialibus necessario utor. Quare ne reprehende, ne indigneris, causam enim ignorantiæ meæ prius enuntiavi. Mens intrinsecus quæ concepit, seu cogitata sua profert apud se, id que semper, nec patiatur ; quæ quidem foras ad alios depromi, et ab iis cognosci non possunt. Nec enim potest etiam lingua, et ad audientes notionum et intelligentiarum suarum fetum proferre. Verumtamen quomodo non possit, dicere non habeo prorsus. Partus enim mentis, tametsi sermone sint explicabiles, tamen aliquando eos sermo exprimere nequit. Si enim posses edere, et in lucem efferre, tunc etiam donum aliquantum majoris cognitionis, et ab universorum Deo charisma qualecunque haberet ***.

Paradigma breve in hanc rem afferemus. Ut si quis ad homines diversæ linguæ venerit, et tempore quantum placuerit apud eos consumpto, voces quidem ipsas intelligat, eas tamen ore pronuntiare nequeat, nec ullo modo dialectum, seu peculiarem genti linguam sua lingua versare. Tale igitur et mihi usu venit. Sensum ac mentem scriptorum optime percipio ; sed quæ percepi, non etiam lingua depromere possum. Sed unde defleximus, eo rursus redeundum, et probatio major

Scholia.

* *Sciendum, aliud esse paradigma, aliud parabolam. Paradigma quidem est, si simile simili conferam, et componam : ut rationale cum rationali, et rationis expers cum rationis experte. Parabola, cum inæquale, seu dissimile cum dissimili, ut hominem cum leone, aut planta, aut alio hujusmodi.*

** *Comparationes enim in his quæ ejusdem sunt generis, adhiberi consueverunt : ex similibus quippe similia discuntur. Ne igitur omnia in paradigmate respondere postules, aut in typo, aut in imagine. Nec enim jam paradigma, aut typus, aut imago esset, si haberet omnia absolute, quæ in ipsa re vere insunt, sed idem prorsus.*

*** Gennadius. *Est enim cognitio, quæ sermone explicari potest absque sermone : et est cognitio cum sermone. Sunt enim multi, cognitionem quidem habentes, sermonem nequaquam ; ut idiotæ, et qui non possunt significare ac docere perspicue, quæ in mente habent, et proferre, donec Deus his sermonem invertiverit.*

Digitized by Google

ponenda in eorum gratiam, qui res animæ e testimoniis Scripturarum, et doctrina sacra perdiscere cupiunt. Per quæ quantum animæ valeant perspicias. Verum age, quæ hic scripta sunt audi.

Ex Cyrillo patriarcha Alexandrino.

Rationis capax, et intelligens anima, post discessum ex hoc corpore et vivit, et permanet, et loquitur congruenter, et operatur similiter, non sub imagine, sed vere et substantialiter, erga Deum habens fiduciam, quo jubente mittitur in hanc vitam, propter aliorum multorum commoditatem. Etenim cum semper moveatur, nunquam non agit. Deus utique non est mortuorum, sed vivorum, omnes enim illi vivunt. Quod si non operantur animæ (ut multis placet), neque etiam vivunt. Nam non operari, corporum est mortuorum, et immobilium. Deus spirituum, et omnis carnis. Deus spirituum, videlicet animarum. Aiunt itaque tres pueri: « Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino[11-12]. » Quod laudant et benedicunt justorum animæ, non est dormientium, nec otiosorum. Et qui videt animas sanctorum, animas sanctorum videt. Et qui videt angelorum visionem, angelos videt. Et ordo in ordinem non convertetur, et quæ sequuntur (*a*).

Anima. Si igitur verissimum est, ut est plane, animas bonorum in cœlum subvehi, in quibus locis Dei Filius, super throno, ad dexteram Dei Patris residet, ut scriptum est [13], et ministratoriæ virtutes cum timore circumastant, ut jam antea secundo libro docuisti, evehuntur autem, ut præmia coronarum accipiant, quando Judex omnium ad judicium exercendum venerit, num tanta gloria poterit contingere quidpiam jucundius? Et quænam omnino gloria hac præstantior contingat: aut quomodo glorificetur penes quod est omnis gloria, et gloriam omnem sermonemque superans? Apud quem sunt omnes divinæ gloriæ thesauri. Nam quod plenum est, externa accessione haud indiget. Animabus autem tantum impertitur gloriæ et claritatis, habita ratione cujusque meritorum, ut multum etiam supersit. Idem angelis fit *.

Caro. Nunc pars modica gloriæ illius universæ, aut pignus potius quoddam conceditur, unde tanquam ex ungue leonem conjicias, gloriæ, inquam, A quam justi sunt adepturi, quando, ut docuimus, in gloria judicatum venerit, et corpora redivivæ prodibunt, ut simul gloria afficiantur et majore, et insigniore, et gaudium ex gaudio, gloriam ex gloria percipiant, præsente jam fine sæculi cum Dominus ad finem rebus inducendum venerit, ut dixi **.

Quando igitur Salvator exsurgens e sepulcro, primum ad discipulos intus congregatos accessit, et pacem dedit [13*], ut princeps pacis [14] munus maximum divinum spiritum eis donavit.

Anima. Num perfecte et integre spiritum acceperunt, aut quid tandem?

Caro. Ne istud cogites, neve dicas, non totum, unum autem tunc charisma, solvendi ligandique hominibus peccata acceperunt. Cum advenisset B autem destinatus dies, discipuli gratiam totam spiritus acceperunt. Simile de animabus cogita, cum judicium venerit, et judex sederit, ut in III lib. dictum est. Nunc etiam super hoc paradigma ponendum. Et plurimi et optimi viri in regali palatio degunt, et tempore aliquanto regi serviunt, eum intuentur quotidie et amant: non tamen statim honorum præmia consequuntur, sed post, ut merentur, ita eis gratia refertur, et conditione, et nomine, et ordine, et omni dignitatum splendore cohonestantur. Non admodum dissimilis est animarum ratio. In cœlis quidem perfecte habitant, Creatorique assistentes, eum contemplantur et gaudent, Sed cum tandem corpus quoque in resurrectione C illa omnium communi receperint, tunc etiam gratiæ gloriam et laborum præmia plenissima, coronasque adipiscentur.

CAPUT XVII.

Christum cum latrone in paradisum illum terrestrem non introiisse, nec ullam animarum sanctorum post ejus resurrectionem eo introire.

Christo crucifixo, et in vitam reverso, nunc jam nobis fidelibus post præsentem vitam terrestri, et sub sensum cadente paradiso non est opus, ingressu in cœlum omnibus patefacto, exsultantibus semper apud ipsum, ut et nos simus, ubi ipse est. Ait enim, « ut ubi ego sum, et vos sitis [15]. Quod porro Damascenus ait, in sepulcro corpore, apud inferos anima, ut Deus in paradiso cum latrone (17),

[11-12] Dan. III, 86. [13] Coloss. III, 1. [13*] Joan. XX, 21. [14] Isa. IX, 6. [15] Joan. XIV, 3.

Jacobi Gretseri notæ.

(17) Docet auctor latronem in paradisum terrestrem inductum ex illo promisso Christi: *Hodie mecum eris in paradiso.* Sed communis et vera expositio est Christum latroni illis verbis promisisse visionem beatificam, eamque *paradisi* nomine designasse. Vide Franciscum Suarez, tom. II 3-3 p. S. Thomæ ad art. II, q. 46. In cæteris plane non favet *Dioptra* errori recentiorum Græcorum, asserentium, animam justorum ante diem judicii beatitudine non perfrui. Imo adversus hunc errorem omnia verba *Dioptræ* hoc eodem capite pugnare videntur. De quo multa etiam Gennadius adversus populares suos Græcos in *Defensione pro concilio Florentino.*

Scholia.

* Dionysius. *Etenim ita intelligentes angelorum naturas novimus adhuc assumere, semperque a gloria in gloriam, et a cognitione in cognitionem, et a charitate in charitatem proficere.*

** *Pars quædam doni est arrhabo, et parva gutta de gratia illa. Tunc universa gratia doni Christi dabitur hominibus, et tristitia quam habent animæ peccatorum, infernalis suvolicii pars est. Si sola anima*

(*a*) Locus longior est fortassis, in libris contra Julianum: et ipsa scripta B. Cyrilli exstant, unde sibi reliqua petere quis poterit. Pontanus.

Digitized by Google

et quæ sequuntur, ad opinionem confirmandam mihi valet. Etenim in his omnibus Christum esse dicit, sed deitate sola, qua implet omnia. Nostræ autem carnis massa plene subsistens, in cœlum ascendit, et viam nobis eodem aperuit denuo, ut secundum divinum promissum, ubi Christus ipse est et nos simus. Ait enim : « Quo ego vado vos scitis, et viam scitis, ut ubi ego sum, et vos sitis. » In hunc enim raptus Paulus, et ingressus, audivit arcana verba. In paradisum, quem tu juxta affirmationem divinarum Litterarum cognitione non assequeris. Sed Paulum mihi de hoc ad Corinthios ita disserentem considera : « Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba[16]. » Hunc paradisum et magnum Basilium adeptum scito, super cœlum cœlorum, ubi sedet Filius Patris. De hoc autem, et non de terrestri paradiso, verba fieri confirmat ipse Paulus, per ea quæ subjiciuntur. Postquam enim dixit : « Scio hominem usque ad tertium cœlum raptum, » adjungit hæc : « Et scio hujusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum. » Quin etiam significat, se tertio cœlo penetrato adhuc in magnam sublimitatem raptum esse, in qua est ipse Deus. Hic est paradisus, in quem raptus est Paulus, in quem Gregorius, et magnus cum aliis ingressus est Basilius, in infinita, et divina, et æterna bona illa, quæ oculus affectionum malarum cœno turbidus non vidit, auris incredulitate obdurata non audivit, et in cor sordidum, quodque ex parte terrena ista degustavit, non ascenderunt. Totam tractationem disserendo absolvi, ac pro eo ut mihi quoque scientiam dedit, qui scientiam docet, quæstiones proposui, propositasque absolvi.

CAPUT XVIII.

Rerum quarto libro pertractatarum anacephalæosis.

Docui quarto libro, quomodo semel quidem Deus mentes in cœlo produxerit, et quomodo infra omni hoc tempore operetur. Quomodo omnium hominum animæ æquales sint inter se, ejusdemque substantiæ. Conditorem non formasse ab initio hunc quidem sapientem, illum insipientem, nec alium pudicum, alium scortatorem. Hominibus diversas esse voces ac pronuntiationem. Quibus Deus bene velit, eorum voluntates ad bonas partes a deterioribus converti; præsertim ubi illorum quoque stadium accesserit. Quomodo et unde vitia corporum exsistant, cum quibus nascuntur, et quænam rei causa. Quomodo inexplebili præditus invidia Satan cogitationes malas in corde seminet; qua ratione nos eas, si velimus, radicitus exstirpemus. Quomodo homines Deo connivente oppugnet. Quando animæ post hanc vitam amicorum, propinquorumque reminiscantur, ac demum pro ipsis precentur, quanquam solæ, et a corporibus separatæ. Quomodo spiritus omnino vacui non sint, sed operentur potius, ut demonstravimus; etsi hoc solo præmio careant (beatitudine corporis) præclarorum laborum suorum, licet modo cum Christo vivant

CAPUT XIX.

Non sua, sed aliena voluntate et auctoritate ad scribendum se accessisse. Omnes actiones nostras a Deo pendere. Libri utriusque Testamenti. Diversa scripta SS. Patrum. Quomodo scriptoribus divino auxilio sit opus. Unde profecerit. Nonnullorum ex medicis sumptorum summa.

Cæterum, Patres in Christo, fratres et amici, nemo eorum qui librum hunc evolverint, me ostentationis causa hæc scripsisse putet, ut inanis gloriæ cupidum, et sua opinione sapientem, et arrogantia, morbo pessimo, laborantem, et propterea frustra hunc librum confecisse. Non sponte mea huc prosilui, sed a spirituali viro Callinico nomine, in montibus Moglenorum habitante, mihi commissum munus suscepi. Patrum igitur hortationibus et præceptis cedens, opus hoc pro viribus composui, nihil fere e cerebro meo, verum quæ hinc inde collegi et corrogavi, hoc volumine sum complexus, figura orationis in metri faciem commutata, quod a doctis politicum vocatur, tametsi simplex, barbarum et solœcum insuper, ut ab indocto et plane imperito sermone artificioso, sed non scientia, compositum *.

Nemo igitur me irrideat, neve naso suspendat. Nam cum obtemperare et cedere statuissem esse optimum, venerabilium virorum auctoritati me submisi, sciens penitus damnari inobedientiam. Obedientia vita, inobedientia mors est. Quod si quis mordax et conviciator incessere me vult, et probrum mihi inurere, ut fastuosus, ut arrogans, et dicax, dicat et faciat quod libet **.

Ego sane, ut volui, pro ea qua sum eruditionis mediocritate, et in primis, Deo adjuvante, hoc opus absolvi. Sapientiæ enim suppeditator, et insipientum emendator, qui docet hominem prudentiam et scientiam [17]; qui dat virtutem sermonis in aper-

[16] II Cor. XII, 40. [17] Sap. VIII, 7.

Scholia.

recte fecisset, solam quoque coronari oportebat. Quia autem cum corpore bona egit, cum ipso debet præmia accipere, et gloriam in futuro.

* Isidorus. *Veritas sapiens quiddam est, maxime si simplex et brevis est : contra stultum est, quod varietate distinctum est, quamvis dicendi vi et elegantia ornatum videatur.*

** Chrysost. *Quid enim nocumenti sermonis imperitia afferat ? Quid contra utilitatis verborum festivitas, si sententia ipsa divinis sensibus careat ? Ut gladius enim, si ansam habeat argenteam, ferrum autem ipsum plumbo flexibilius, nihil prodest. Nam orationis compositio et distinctio a studiosis elegantiarum, et plausuum captatoribus, ornamentis istis veluti transformata, quodammodo corrumpit, quod propositum est ad considerandum, latenter notitiam suffurans, et in rei subjectæ intelligentia lectoribus obstans.*

Digitized by Google

tione oris [18]; et verbum præbet prædicantibus in virtute, ut liber Psalmorum in spiritu docet, ipse etiam hoc seu abjectum, seu magnum inspiravit *.

Nisi enim donum desursum descenderet, sine plaste, quid plasma faceret? Quam enim quis intelligentiam, ut donum a Conditore habuit, illa ipsa vicissim ab eo tandem repetetur. Ligo enim, falx, rastrum, serra, dolabra, terebra, gladius, hasta, et quidquid vitæ humanæ inservit, unumquodque horum omnium ad opus est inventum, non tamen ullum prorsus per se motum habet : sed alius aliud invenit, ut per id posset quod liberet efficere. Velle autem, et posse a Deo accepit, extra quem nemo quidquam potest, non agere, non velle, non parvum, non magnum denique : sicut nullum istorum instrumentorum quidpiam ipsum a se, et per se motum, facere nec sponte ad opus cieri potest, si artifex, et manus artificis, quæ motu ad operis alicujus usum utatur, non adfuerit. Nec ullo modo absque divina ope quispiam vel agat, vel cogitet, vel loquatur. Deus enim condidit, Deus enim vitam largitur. Ab illo posse, et spirare, et velle sumitur. Et quomodo citra potentiam sustinentis omnia, et scientiam, et manus mihi et pedes impertientis, ipse per me quidquam intelligere et agere divina desuper potestate adversante possem? Exemplo res clarior fiet. Ferrarii, quorum opus in ferro est, ferrum tractant atque ad largitorem ferri, et opificem omnium respiciunt. In massam autem primum coactum ferrum, ad varios usus potest accommodari. Emit enim hujuscemodi massas faber ferrarius, aut serarius, et quicunque mechanicus voluerit, eoque ad suum opus et negotium utitur. Fabricant enim ascias, falces, scalpra, rhomphæas, pugiones, gladios, machæras, armorum omne genus, quibus ad vitæ usum et commoditatem omnes egemus. Sed alius ut probatus ferrum emollit ac domat, ac fabricam suam artificiose exercet, et quidquid operis efficitur, id omnes spectantibus admirationem movet, ut elegans, utile et laudabile videlicet. Qui autem artis est rudis, aut eam male didicit, non solum secundum artem fabricare, et opera de industria, et ut ratio postulat conficere nequit : sed ferrum quoque frustra consumit. Jam de Scriptura, et arte Scripturæ similia cogita. Spiritus sanctus prophetas purgavit, erudivit, gratia et cognitione implevit. Etiam illitteratos sapientiam docuit. Ita per gratiam docefacti et purgati, et spiritu corroborati, sermones divinos ediderunt, et libros omnes, numero sexaginta composuerunt : sex et quadraginta Testamenti Veteris, septem et viginti Testamenti Novi et Recentioris : eosque per orbem terrarum late disseminarunt, quem etiam gratiam Dei publicando peragrarunt. Postea vero Patres complures, humana ac divina sapientia instructi, et sacrarum rerum scientissimi, libris hisce velut fundamentis quibusdam nixi, cum martyribus superædificarunt, et primævæ doctrinæ ex omni parte adhærentes, scriptis suis Ecclesiam mirum in modum exornarunt. Alius enim odas composuit; alius, cantica quos εἱρμοὺς vocant; alius, versus; alius, lepida στιχηρὰ triodia, troparia, προσόμοια, canonas, ἀναβαθμούς, καθίσματα, contacia; alius, spiritualium modulos Psalmorum; alii, profunda spiritus et Ecclesiæ dogmata tractaverunt; alii de incarnatione Verbi disputantes, omnium blasphemorum perverseque opinantium ora obstruxerunt; alius eloquentia excellentissimus; alius disputator acerrimus; alius commentarios reliquit de anima et ejus tabernaculo, de pulchritudine virtutis et de turpitudine vitiorum, ad commodum et utilitatem litteras consectantium. Cui igitur, ut dicebam, facultas orationis concessa est, hic etiam ex arte libros potest componere : quod idem imperitus et barbarus barbare præstabit. Sed quemadmodum faber ferrarius massas ferri tractat, materiam informem paratam, futurisque laboribus ferrariis obviam habens, laborat autem in ea ut vult, et adhibito igne, in formam quam voluntas fert redigit (nec enim citra ignem fabricabit, licet arte malleatoribus universis antecellat), ita divinam Scripturam se penitus habere existima. Apostoli prædicant, prophetæ prænuntiant. Scriptor eorum dictis et locis utens, si non etiam Dei gratiam se adjuvantem habeat, nihil recte intelligere, nec recte disserere poterit. Fabro auxilium ignis, scriptori gratia divina præstat. Citra hæc auxilia quæ in manibus sunt, opera conficere neuter potest. Si enim alter alterum horum non assumpserit, ejus opus injucundum, mutile, vitiosum evadet, incautisque et simplicibus plurimum incommodabitur. Quocirca monui, et rursum nunc moneo, me in hunc librum nihil a Scriptura alienum inseruisse, sed alia ex Veteri, alia ex Novo Testamento, alia ex utroque hausisse, alia e magistris et doctoribus sacris excerpsisse, quæcunque nimirum ad institutam scriptionem profutura censui. Plura autem et meliora e Gregorio Nysseno. Qui ergo hunc commentarium perlecturus est, si quid in eo novum invenerit, id gratiæ Dei ascribat. Si enim est industrius ad discendum, aliquid novi, et unde hoc, et e qua scriptura sumptum, cognoscet. Quod si quis rudis et iners fuerit, ne unquam impossibilia tentare velit. Ex alienis item a fide Christiana, et veteribus illis sapientibus Galeno et Hippocrate physica nonnulla opportune mutuati sumus, ubi potissimum de ma-

[18] Ephes. VI, 19.

Scholia.

* Psellus. *Splendens enim pulchritudo verborum, ut tuba insonans auribus easque concutiens, et iis oberrans, non fluens autem in animam, neque cor deliniens. Qualis mentibus Dei amantibus in atticismo utilitas? Divinæ quidem sapientiæ dictio humilis, sententia sublimis ac cœlestis. Externorum nitet quidem elocutio, sententia ipsa humi repit.*

Digitized by Google

teria, et de elementis, simplicibus quatuor et primis corporibus disserunt, et quomodo ex his quatuor humorum genera, sanguis, phlegma, atra et flava bilis generentur, ex quibus humana corpora coagmentata sunt, et de quatuor ætatibus totidemque anni temporibus, quæ sunt ver, autumnus, æstas, hiems. De utero quoque et crasibus infantium in eo fieri solitis egimus. Insuper unde symptomata, et pathemata illa probrosa exsisterent, causam physicam accurate indagavimus, ac de temperationibus qualitatum, earumque rationibus, morum ac temporum vicissitudinibus, et qualis causa unumquodque antecederet, hæc omnia, inquam, libro quarto exposuimus. Quod si in quibusdam a decoro aberravi, id imperitiæ et inscitiæ meæ tribuatur. Et omnes oratos volo, ut mihi ignoscant, et peccata in hac scriptione commissa condonent : attendentes ad scopum mihi propositum præcipue, non ad ea quæ vel risum mereantur, si modo animarum suarum fructum concupiscant.

CAPUT XX.

Flebilis lamentatio et querimonia adversus animam. Multa de mundi vanitatibus. De extremo judicio et ultima vitæ hora. De cœlesti paradiso et inferis considerationes tropicæ.

Quid ita sedes? quid omni cura vacas? quid temet ita negligis, anima mea? quomodo eorum quæ insipienter egisti, cogitationem omnem abjecisti? quomodo amabilis pœnitentiæ rationem nullam habuisti? Quomodo non properas quantum potes, quandiu in hac vita manes, ad Patres spirituales et divinos magistros ; eosque oras, obsecras, obtestaris assidue, et cum gemitibus atque lacrymis percunctaris, quo pacto delictorum remissionem possis invenire, et qua ratione tot tantasque sordes eluas? Quomodo horæ ultimæ tibi in mentem non venit, et quemadmodum Judici omnium respondeas? Quomodo oblita es studiose meminisse novissimorum tuorum, et quo pacto tandem ex hoc tabernaculo abeundum sit? Multa, et nimium multa habes, quæ in te observes, et inspicias. Polluisti, contaminasti, et inutilem vitam tuam reddidisti. Si igitur Creatoris jussu venerint angeli, ut te ab hisce perituris educant et corpore exsolvant, heu! væ tibi infelix, si tum talis reperiare, qualis nunc es, adeo nihil sollicita, adeo vitiis dedita, adeo piaculis obruta! Gravis est abruptio animæ, gravis tunc sentietur tumultus : multo gravius erit audire acerbos illos gemitus, quando lectulum tuum circumstantes omnes tui fratres, cognati, patres, contribules, flebunt, ejulabunt, lugebunt, lamentabuntur, cernentes hinc nulla spe reditus discedendum esse. Et omnia hæc videbis quidem, et ploratus audies, oculis corporis, et cordis fortasse. Non tamen lingua arefacta loqui, nec familiarium, et necessariorum luctum consolari poteris : sed obtutum in solis angelis defixum habebis, et apud animum tuum plorabis, et suppliciter eos orabis, in hæc verba : Date mihi spatium ad pœnitendum, et ad lamentandas atque abluendas peccatorum meorum maculas. Concedite mihi, obsecro, vel tantillum tempus, ut ego vitam in Christo vivere queam, et miserias nostras miserantem magis miserantem efficiam. Et tunc me ab his caducis auferte, atque abducite. Illi dure quidem, juste tamen respondebunt : Tempus vitæ tuæ consummatum est; egredere, Judex decrevit, finis finem habet. Necesse est te transire : ne cuncteris, ne pigreris. Ætatem tuam in omni remissione socordiaque contrivisti. Vitam prodegisti, annos tuos frustra absumpsisti. Non es recordata finis tui, non horæ ultimæ. Et nunc, ut ais, te horum, et vix etiam, pœnitet. Annon quotidie patres clamantes audiebas, qualia et quanta post mortem evenirent? Nou videbas, quotidie hinc emigrantes, adultos, adolescentes, a tate florentes, omnes denique? Et quomodo mentem non mutasti? quomodo recordata non es? Vadamus, cursim abeamus, nulla datur procrastinatio. Cito sequere, perge ad Creatorem.

Tum cornis hujus, et membrorum et venarum, omniumque compagum nexibus violenter exsolveris, ac summo cum horrore abduceris. Quis tunc erit sensus tuus? quæ cogitatio? Non tunc uxoris, non filiorum ulla subibit memoria, cum pericrint, ut dicit Scriptura [19], et cogitationes totæ. Judicium solum horrendum, judicium tremendum, quod contra te a Judice proferetur. Ubinam tunc possessiones, ubi pecuniæ et divitiæ, ubi genus, ubi fratres, ubi filii et patres? Nemo tunc patronus, prorsus nemo liberator apparebit. Non illic escarum potionumque varietas : non exquisita condimenta, non coci, mensarumque luxus, non voluptates, non vita mollis et soluta, otiosa et delicata ; non elaboratiores cantus, et choros decentium plausus, per quæ omnia mundi hujus vanitates exercemus. Omnia mera sunt ludibria, et ut somnium evanescunt, atque instar pulveris a turbine repente dissipantur. Quid tum profuerit tibi corpus? quid amor et cura carnis? Quam etsi studio singulari confoveris, nihilominus in sepulcro putrescet et corrumpetur, et in pulverem nihil sentientem redigetur, te vero dolor non deseret. Impudice aspexisti, coloris suavitate captus es. Lingua et os tuum contumeliis vacarunt; aurium fenestræ impuris auditionibus patuerunt. Manus tuæ ad vim et rapinam, ad proximumque sine causa pulsandum extentæ fuerunt. Pedes tui ad opera nefaria, ad inhonesta spectacula, ad pugnas et nequitias concurrerunt. Nunc te quidem premit lacrymarum plena necessitas, et corpus putrefactum vermibus scatet.

Quis vel sermo exprimet, vel intellectus tandem capiet, quam calamitatem necessario subiturus es, quando instabit a corpore separatio? Dæmones male feriati cum tumultu advenient, chirographa et

[19] Psal. CXLV, 4.

Digitized by Google

peccatorum acervos apportantes. Angeli humaniter ea per trutinam examinabunt, quibus dæmones graviora tua crimina adjicient. Si jurasti, si furtum fecisti, si calumniam struxisti, si scortationes et adulteria perpetrasti, si aversus impudicus fuisti, si te supra fratres extulisti, si contra amicos mentitus es. Totum denique et simpliciter peccatorum tuorum catalogum seu sciens seu nesciens, seu sentiens seu non sentiens illa commiseris. In humeris gestabunt, et apportabunt omnia malefice, festinabuntque, ut hominum exitio lætantes, et num peccatorum lanx deorsum vergat, observabunt. Boni vero angeli in alteram lancem decenti specie bonas actiones imponent. Nempe si misericors fuisti ; si fratribus pepercisti ; si cibo esurientem refecisti ; si sitienti potum præbuisti; si nudum quibus potuisti tegumentis operuisti ; si carceri mandatos et ægrotos invisisti; si peregrinos et hospitio carentes in ædes tuas induxisti; si pauperibus et egentibus opem attulisti; si aliud humanitatis officium humaniter cuipiam præstitisti. Hæc te in hora extrema tuebuntur. Quando igitur actiones tuas in medium protulerint profanas quidem dæmones, angeli autem bonas, lucidi lucidas, tenebrosi tenebrarum, et iis lances oneraverint, utrorum pars præponderaverit, illos voluptas et gaudium incesset, tanquam victores scilicet, et victi contristabuntur vehementissime, ut testantur Gregorius Romanus in Dialogis, magnusque et omnimodis magnus, et divinus Antonius, magistrorum reverendissimus et sanctorum decus.

Si igitur benignus et misericors Deus tunc, o anima, humilitatem tuam viderit, vincentur dæmones, erubescent, abscedent, angelique victores libentissime te accipient, et gaudentes, pro more in sedes æthereas inferent. Invenies et principes publicanorum in medio, tentantes, retrahentes, acerbe exigentes, manifestorum, occultorumque et omnium ultores. Hi sunt superbi mores, odium, invidia. Rationem reposcent miseri, et ad calculos vocabunt omnia, idque donec ad portas cœli perveneris. Postquam turbam horum adversariorum effugeris, et ad incorruptum Judicem Dominumque tuum accesseris, procidens, legitime illum adorabis. Inde divino accedente mandato, postquam et voluptatem, et cruciatus cognoveris, acceptam te adducent, et videbis quæ videbis, locum splendidissimum, ordines sanctorum, Abraham, Isaac et Jacob, sedentes in gloria omnes, Patres, et ante legem et post legem, et quotquot prophetæ Salvatorem prænuntiarunt, incarnationem videlicet ejus, mortem et cruciatus, et quæcunque plasmatis sui salvandi causa sustinuit. Verbi spectatores, agmina Patrum, ob certamina coronatorum, venerabilium, justorum et sanctorum. Ante omnes Genitricem Verbi θεανθρώπου, gaudium illud ineffabile et inexplicabile quantum sit, nec dici, nec intellectu vel humano vel angelico comprehendi potest. Post-

A quam mansiones illas omnes pertransiveris, exsultabis, voluptatem justorum intuens, et eorum contubernalis appellari desiderabis, precaberisque duces angelos, omnia tibi commonstrantes, et per loca lucida, et viridantia, et felicitatibus scatentia circumducentes, et timore lætitiæ misto dices : Sinite me, domini, cum his manere, sinite, quæso, et gratiam pro gratia debebo. Ast illi juxta mandatum Verbi, et Salvatoris, si idonea, et pura, et digna fueris, consortem et contubernalem te justorum facient, et quod tibi confirmare possum, cum illis deges et lætaberis. Et hæc quidem si meliora pondere vicerint. Si autem gravitas delictorum lancem deorsum traxerit, tum principes tenebrarum, et bonis invidentes impudenter te B abripient, et audacter ad inferos abstrahent. Ac primum quidem tormentorum loca, tenebras exteriores, et pejores omnibus tenebris, vermem irrequietum, dolorem nunquam finiendum, fluvium igneum, supplicium gehennæ, strepitum stridoremque dentium ostendent. Omnia plena ululatus, plena cruciatus.

Quæ oratio, quæ dicendi facultas declarare poterit, quæ ad supplicia peccatorum pertinent, quæque ad pœnas et afflictiones eorum parata sunt? Ibi ploratus sempiternus, ibi ingens lamentatio. Lamentabuntur incassum, vociferabuntur inutiliter. Pereat dies, clamabunt [20], qua in vitam frustra ingressi sumus. Pœnitudine capieris tu quoque, et C acerbe clamabis, Heu heu ! misera et infelix anima mea !

Ubi felicitatem et cruciamenta suppliciorum, et omnia quæ sunt luminis, et quæ tenebrarum videris, tandem in loco a justo Judice tibi definito te constituent, in quo ultimum omnium examen, et communem omnium resurrectionem, vitamque et judicium exspectabis. Tunc tuba clarissime canet, ut exaudiatur ab omnibus, tuba insonabit, et omnes veluti concussi simul resurgent. Reddent terra et mare quidquid habent [21], quotquot jam inde ab orbe condito homines acceperunt, seu leo illos devoravit, seu pardalis, seu cetus, seu draco, seu lupus, seu canis, seu aliud marinum terrestreve animal. Quivis homo reviviscet, domini et famuli, nobiles, D honorati, omnes dynastæ et principes, toparchæ et phylarchæ, monachi et justi, convenæ et peccatores.

Quis verbis consequatur, quæ tunc erit omnium rerum turbatio? Quæ oratio, quæ cogitatio, quæ lingua, quæ mens? non fundet lumen sol, non lucebit luna, stellæ de cœlo cadent. Terra et cœlum in melius mutabuntur. Magniloquus Isaias [22], instaurationem creaturæ prævidens in posterum, novum cœlum, et terram novam, omnem decorem, qualis omnium primus erat, restitutum iri vaticinatur, abjectis purgatisque sordibus et maculis universis : et omnia quæ intra polum et terræ centrum sunt,

[20] Job. III, 3. [21] Apoc. XX, 13. [22] Isa. LXV, 17.

Digitized by Google

nutu et voluntate Domini novitatem induent. Sceptrum regium, nempe crux, postea ut in pompa triumphabit, ostentata in sublimi, ut Matthæus scribit [23], intellectualibus ordinibus Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Potestatum, Virtutum, Dominationum, Thronorum, Cherubinorum, Seraphinorum conspicue præcedentibus : et venientem in gloria Christum præcurrentibus in locum, in quo ad judicium exercendum consedere statuerit. Positis itaque thronis, et paratis libris, Judex et Dominus gloriæ sedebit juste judicaturus simul vivos et mortuos. Reges adducentur, dynastæ congregabuntur. Pauperes et divites cum tremore astabunt, agentibus rapientibusque angelis, ut rationem factorum reddant, et operibus pretium condignum accipiant. Libri aperientur, et exhibebuntur omnia [24]. Ibi tum consistentium hominum separatio inducetur, cum oves, ut fructiferæ, a dextris, hœdi autem, et omnes infrugiferi et inutiles servi atque creaturæ, ut ego, ad sinistram collocabuntur. Nudi porro et manifesti palam statuentur, lamentantes, sed inaniter, clamantes, sed frustra. Audient oves vocem benedictam : « Venite, amici, accipite regnum, quod vobis paratum est ante constitutionem mundi [25]. » Esurientem enim ac sitientem me, nudum, ægrum, sedentem in carcere, advenam, et hospitem hospitio, cibo et tegumento diguati estis. Et hæc quidem oves. Ast hœdis, quam sæva, et dura, et intoleranda omnimodis dicentur ! « Abite a me procul, longe, maledicti, in ignem exteriorem, qui præparatus est diabolo et angelis ejus [26], » et omnibus qui servierunt operibus infructuosis, et post voluntates suas ambulaverunt, qui male a Deo aversi sunt, et sermones meos, ut mandata mea aspernarentur, et omnia baptismi fœdera dissolverent; omnia promittentibus et mihi tamen mentientibus. Satan autem malevolo, et quæ sunt Satanæ adhærentibus. Ite igitur ad patrem vestrum. Quod si possint emori, rursumque resurgere, tam horribili verbo exspirarent omnes, tam acerbum arbitrium non sustinentes.

Anima mea atra, miserrima, stulta, væ tibi propter damnationem, væ propter judicium. Convertes te crebrius, huc illuc respiciens ; sed propugnatorem et defensorem nullum propter opera, cogitationes et conscientiam invenies, quæ tunc aderunt, et testimonium contra te ferent, et recta in ignem et flammam te deducent, ubi cruciatus inenarrabilis, afflictio immensa, pœna intoleranda, negotium omni patientia majus. Tempus animadversionis finem nullum habet. Avellentur ab amicis et familiaribus, a filiis, et uxoribus, a cognatis amantissimis. Episcopi secernentur a coepiscopis. Sacrifici et presbyteri a dignitatis suæ sociis. Et hæc quidem intolerabilia in sinistra parte fient.

Qui autem cum ovibus a dextris stabunt, lætantes ad sortem suam abibunt. Locus hic est gaudii, et viriditas, Edem. Non tamen locus Edem, in quo Adam est formatus. Sed paradisus ipsissimus, in quem raptus est Paulus, et in hunc multitudines justorum recipientur, Adam, Abel, Seth, Enoch, qui prius Domino ex operibus placuerunt. Abraham hospitalis, Lot, reliqui, Moyses, Aaron, cœtus prophetarum, et magis qui sub gratia fuerunt, et spectatores verbi apostoli, catervæ et legiones Patrum ac martyrum, Dei Genitrix Maria, qui a gratia appellatur, Joannes Præcursor. Omnes viritim, et secundum faciem inter se noscent, habitabuntque cum Conditore omnium. Quotquot autem fuerint partis hœdorum, præter carcerem illum tartareum quem sustinebunt, etiam non videbunt, nec agnoscent mutuum. Ubi enim tenebræ sunt, illic oculi officio suo non funguntur. Quomodo igitur inter se videre et agnoscere queant? Commune autem malum erit, carcere conclusum teneri, lamentari propter cruciatus, lugere et ingemiscere. Non enim datur superas evadere ad auras, nec ullum tantorum malorum effugium patet.

Resipisce, resurge ; qui ita perpetuo dormis? Evigila, cogitationem seriam suscipe, rem aggredere, ignaviam abjice, expergiscere et festina, somnum excute, pigritiam depone, quæ fecisti, ab initio usque ad finem confitere, pectus percute, plora, ex imo pectore clamorem tolle, eleemosynam pauperibus distribue, disperti, ale illos. Nuntium mitte peccatis, operare bona, exitum vitæ semper exspecta. Mors supervenit sicut leo rapax, insperata, improvisa, non exspectata, ut fur, et timendum ne te comprehensum subito auferat. Dimitte debitoribus tuis debitum. Proximo ignosce, ut lex charitatis requirit. Prosterne te Deiparæ, supplica quantum potest. Ut Mater, plurimum potest, si velit. Ora et martyres, ora sanctos, ut apud Dominum causam tuam agant. Si hæc te agente mors venerit, noli timere. Mors, si mens pura fuerit, requies erit, et servanti sermones ejus, vere non mors, non pœna contingit, ut Judæos docuit ipse Dominus [27]; sed est potius quidam transitus ad vitam cœlestem, cujus finis nullus erit, et gloria non intercidet. Vita est Christus, et ipsemet vitæ suppeditator [28], En, omnia tibi proposui, omnia edisserui, et insuper conscripsi, sicut potui, et bonorum malorumque te admonui, ut te quod ad salutem attinet, nullo prætextu excusare possis.

Vos autem omnes in Christo Patres et amici, qui hoc opusculum lecturi estis, flete et plorate mecum, secundum mandatum Creatoris ; charitas enim manifesta est, flere cum flentibus, et gaudere, ut scriptum est [29], cum gaudentibus. Etiam rogo, mecum flete, et pro me ac peccatis meis Conditori preces fundite. Inde enim veniam mihi et remissionem conciliabitis ab eo qui lapsis perfecte ignoscit. Et manum mihi et auxilium præbete. Plasten exacerbavi, Creatorem irritavi, verbis, cogitatis, actio-

[23] Matth. xxiv, 29 seqq. [24] Apoc. xx, 12. [25] Matth. xxv, 34. [26] Ibid. 41. [27] Joan. viii, 51 seqq. [28] Joan. xiv, 6. [29] Rom. xii, 15.

Digitized by Google

nibus et factis. Affectibus servivi et submisi me penitus. Indutus sum viles pannos ad dedecus meum tantum. Voluptatibus affixus sum, in immunditiis hæreo, pœnitentiam non habeo, mortem non tremo, stupor me oppressit, cæcus sum animo, horæ ultimæ non memini. Imparatus sum. Segnities me obsidet. Exscindi metuo, maledictum, et minas ignis, et ultionem in inferno consternatus formido.

Sed, Pater miserationum, solus misericors, qui nunquam vis mortem peccatoris, sed ut pœnitentiam agat, et vivat, et salvetur [30], atque istud in longanimitate exspectas, gemitum boni publicani mihi dona. Lacrymas Petri, et meretricis ad purganda et eluenda plurima inquinamenta mea mihi largire. Dixisti enim, non sanos, sed ægros indigere medicina [31]. Ut igitur corpore et anima ægrotum, visita me, Domine, obsecro, et rore misericordiæ tuæ me asperge. Sane qui solus facile reconciliaris, et solus es misericors, per misericordiam tuam dignare me misericordia. Ego sum illa ovis quæ a divino ovili longe aberravit. Quære et salva. Seu velim, salva, seu non velim, ut cum magnitudinem beneficentiæ tuæ videro, os meum ad gratiarum actionem aperiam. Quid autem retribuat quis Conditori pro omnibus quæ retribuit nobis [32]? David magnus ait. Sed Deus meus es tu, Domine, glorificabo te vehementer [33], et nomen sanctum tuum cum Propheta laudabo? Mirabilia enim et plurima in me es operatus.

[30] Ezech. xviii, 21 seqq. [31] Matth. ix, 12. [32] Psal. cxv, 12. [33] Ibid. 13.

Fragmentum sequens, quod frustra quæras in versione Jac. Pontani, edidit Jean. Bapt. Cotelerius in notis ad Constitutiones apostolicas, lib. viii, cap. 73; sed ad quem locum *Dioptræ* spectet, dicere omisit.

Περὶ τοῦ πῶς ἐπιτελοῦμεν τρίτα, ἔννατα, καὶ τεσσαρακοστά.

Χρὴ καὶ τοῦτο γινώσκειν, ὅτι τὰς τεσσαράκοντα ἡμέρας τοῦ παλαιοῦ πένθους τριχῇ διελόντες οἱ ἀπόστολοι, εἰς τρίτα, καὶ ἔννατα, καὶ τεσσαρακοστά. Οὕτω γὰρ καὶ αὐτὸς ὁ Κύριος μετὰ τὴν τριήμερον ἔγερσιν ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν τοῖς μαθηταῖς, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, καὶ ἐνεφύσησεν αὐτοῖς λέγων· *Λάβετε Πνεῦμα ἅγιον.* Καὶ μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ, πάλιν ἰδοὺ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐντὸς τῶν ὀκτὼ ἡμερῶν, δεύτερον ἐφάνη αὐτοῖς. Εἰπὼν οὖν ὁ εὐαγγελιστὴς, *Μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ*, τὴν ἀναστάσιμον ἡμέραν οὐ συνηρίθμησε. Μετ' ἐκείνης γοῦν ἐννέα καταριθμοῦνται. Κατὰ γοῦν τὸν τύπον τοῦτον, ἡμεῖς ἀπὸ τῆς ταφῆς ἕως τῶν ἐννάτων δεύτερον τὰς μνείας τῶν ὁσίως κεκοιμημένων ἐπιτελοῦμεν. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ τεσσαρακοστὰ, ἐπειδὴ τῇ τεσσαρακοστῇ ἡμέρᾳ ἀνελήφθη ὁ Κύριος.

De modo quo celebramus dies tertium, nonum, et quadragesimum.

Et hoc sciendum est, quod quadraginta dies veteris luctus in tria diviserint apostoli; in tertium diem, et nonum, et quadragesimum. Ita enim ipse Dominus post resurrectionem tertia die factam, seipsum ostendit discipulis, januis clausis, et insufflavit eis dicens: *Accipite Spiritum sanctum.* Et post dies octo, iterum ecce post resurrectionem intra octo dies, secundo ipsis apparuit. Itaque evangelista dicens, *Post dies octo*, diem resurrectionis non numeravit cum aliis diebus. Quare cum illo novem numerantur. Ad hanc ergo formam, nos a sepultura ad nonum diem secundo memorias eorum celebramus qui sancte obdormierunt. Et vero pari ratione quadragesimum peragimus, quia die quadragesimo assumptus est Dominus.

MONITUM.

Quod sub nomine Philippi Solitarii, auctoritatem secuti Andreæ Gallandii, qui eo nomine in suis adversariis opusculum præscripserat, edimus, ἀνονύμως Græce et Latine extulerat prius Combefisius in *Novo Auctario*, tom. II, pag. 261. Sed vir eruditus in notis ex ms. codice Palatino Demetrio Cyziceno restituit, et sub eo item nomine habetur in Scorialensi bibliotheca, teste Possevino in *Apparatu*, p. 100; quibus succenturiatur etiam Caveus, *Dissert.* p. 170. Unde hauserit Gallandius, scriptum illud ad Philippum Solitarium pertinere, non constat. Confer de Demetrio Fabricium, *Biblioth. Gr.* tom. VI, pag. 388. Videtur auctor, quisquis ille fuerit, vixisse sub Armeniorum rege Paneratune Sympatho, et Catholico Isaac a Bazacastro. Hos quippe ultimo loco commemorat in fine libelli sui, regni et archiepiscopatus annis silentio prætermissis. — *Biblioth. Galland.*, tom. XIV.

Digitized by Google

PHILIPPI SOLITARII

TRACTATUS

DE REBUS ARMENIÆ.

De Jacobitarum hæresi et Chatzitzariorum.

I. Hic Jacobus, a quo isti appellationem sortiti sunt, Syrus quidam monachus, ignobilis valde atque obscurus fuit, cognomine Tzantzalus, ob summam, puto, ejus vilitatem. Hic ergo Eutychetis amplexus doctrinam, apud Syros eam prædicavit. Fuit vero Eutyches temporibus Theodosii Junioris, monachus exsistens ac archimandrita Constantinopoli. Ac quidem orthodoxa ac catholica Ecclesia, Dominum nostrum Jesum Christum, personam unam ex duabus naturis, divina et humana, compositam sentiens, ambas inconfuse, immutabiliter, nulla alteratione servare credit. Duplicem enim ipsum confitemur, hoc est, Deum pariter ac hominem, duplici natura ac voluntate prædituin : duplicesque habentem operationes, divinas scilicet et humanas; non nuda opinione ac apparentia, sed veritate. At vero Eutyches, ante quidem unionem, id est Christi incarnationem, duas et ipse naturas, quæ unione coiverint, dicebat; nimirum deitatem ac humanitatem : post autem unionem, naturas ambas in unam commixtas esse docebat, ac si quis vinum cum aqua miscuerit; ut inde mistio quædam ac confusio immutatioque ambarum naturarum effecta sit. Quippe perspicuum est, siquidem duas naturas, juxta eam impii Eutychetis sententiam, in unam contemperatas fuisse dederimus, periisse utramque, ac earum proprietates, quemadmodum perit vinum, cum admiscetur aquæ. Eorum demum sententia, Christus neque ut Deus divina operabatur, atque ut homo humana; neque erat Deus impassibilis, ac passibilis homo : sed deitas pariter cum carne patiebatur, a qua etiam hæresi, qui ita docent, Theopaschitæ appellantur a Patribus.

II. Hoc porro Eutychetis profanum dogma confirmavit Dioscorus patriarcha Alexandrinus, quem Marciano imperatore synodus Chalcedonensis sexcentorum sanctorum Patrum deposuit. Idipsum quoque impius Severus docuit, ex quibus orti, quos dicunt Monothelitas, Cyrus Alexandrinus, Sergius Constantinopolitanus, ac reliqui, suam constituerunt hæresim, quos sexta synodus Constantinopolitana devovit.

(1) Ex regio cod. 1820.
(2) Forte, παρά.

Περὶ αἱρέσεως τῶν Ἰακωβιτῶν καὶ Τζιτζαρίων.

Α'. Ὁ Ἰάκωβος οὗτος, ἀφ' οὗ καὶ οὗτοι καλοῦνται, μοναχός τις γέγονε Σύρος, ἄδοξος πάνυ καὶ ἀφανής, Τζάντζαλος ἐπονομαζόμενος, διὰ τὴν ἄγαν αὐτοῦ, ὡς οἶμαι, εὐτέλειαν. Οὗτος οὖν, τὸ τοῦ Εὐτυχοῦς ἀναδεξάμενος δόγμα, περὶ (2) τοῖς Συρίοις τοῦτο ἐκήρυττεν. Ὁ δὲ Εὐτυχὴς ἐπὶ τῶν χρόνων ἦν τῆς βασιλείας Θεοδοσίου τοῦ Μικροῦ, μοναχὸς καὶ ἀρχιμανδρίτης ὑπάρχων ἐν Κωνσταντινουπόλει. Καὶ ἡ μὲν ὀρθόδοξος καὶ καθολικὴ Ἐκκλησία δοξάζει τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, μίαν ὑπόστασιν εἶναι σύνθετον, ἐκ δύο φύσεων, θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος· καὶ ταύτας τὰς δύο φύσεις φυλάττειν ἀσυγχύτους, ἀτρέπτους, ἀναλλοιώτους. Διπλοῦν γὰρ τοῦτον ὁμολογοῦμεν, ἤγουν Θεόν τε καὶ ἄνθρωπον, ἐν δύο φύσεσι καὶ θελήσεσι· δύο τε ἐνεργείας αὐτὸν ἔχειν, θεϊκὰς ὁμοῦ καὶ ἀνθρωπικάς· οὐ κατὰ φαντασίαν καὶ δόκησιν, ἀλλὰ κατὰ ἀλήθειαν. Ὁ δὲ Εὐτυχὴς οὗτος, πρὸ μὲν ἑνώσεως, ἤτοι τῆς ἐνανθρωπήσεως τοῦ Χριστοῦ, δύο φύσεις εἶναι τὰς ἑνωθείσας, καὶ αὐτὸς ἔλεγε, θεότητά τε καὶ ἀνθρωπότητα· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, τὰς δύο φύσεις κραθῆναι εἰς μίαν ἀσεβῶς ἐδογμάτισεν· ὡς ἂν εἴ τις μίξειεν οἶνον ὕδατι, ὡς ἐκ τούτου γενέσθαι φυρμὸν καὶ σύγχυσιν καὶ ἀλλοίωσιν τῶν δύο φύσεων. Πρόδηλον γὰρ, ὅτι εἰ αἱ δύο φύσεις κατὰ τὸν ὅρον τοῦτον Εὐτυχῆ συνεκράθησαν εἰς μίαν, ἀπώλεσεν ἑκάτερα τὰ ἰδιώματα αὐτῆς· ὥσπερ καὶ ὁ οἶνος μιγνύμενος ὕδατι. Καὶ λοιπὸν κατ' αὐτοὺς ὁ Χριστὸς (3) ἐνήργει ὡς Θεὸς τὰ θεῖα, καὶ ὡς ἄνθρωπος τὰ ἀνθρώπινα· οὐδὲ ἦν καὶ Θεὸς ἀπαθὴς, καὶ ἄνθρωπος παθητὸς, ἀλλὰ συνέπασχε τῇ σαρκὶ ἡ θεότης, ἐξ οὗ καὶ Θεοπασχίτας τοὺς ταῦτα δογματίζοντας οἱ Πατέρες καλοῦσιν.

Β'. Τοῦτο δὲ τὸ μιαρὸν δόγμα τοῦ Εὐτυχοῦς ἐκύρωσε Διόσκορος ὁ πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, ὃν καθεῖλεν ἐπὶ Μαρκιανοῦ βασιλέως ἡ ἐν Χαλκηδόνι σύνοδος τῶν χλ' ἁγίων Πατέρων. Τὸ αὐτὸ δὲ καὶ ὁ δυσσεβὴς ἐδογμάτισε Σεβῆρος, ἀφ' ὧν καὶ οἱ λεγόμενοι Μονοθελῆται, Κῦρος Ἀλεξανδρείας, Σέργιός τε Κωνσταντινουπόλεως, καὶ οἱ λοιποὶ, τὴν αὐτῶν αἵρεσιν συνεστήσαντο, οὓς ἡ ἐν Κωνσταντινουπόλει ἕκτη σύνοδος ἀνεθεμάτισε.

(3) Deest οὐδέ.

Digitized by Google

Γ'. Τοῦ τοίνυν δηλωθέντος Ἰακώβου τὸ τοῦ Εὐτυχοῦς δόγμα πεπαῤῥησιασμένως κηρύττοντος, σχίσμα γέγονεν ὕστερον ἐν τοῖς Σύροις, καὶ οἱ μὲν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει, τῇ συνόδῳ τε, καὶ τῷ βασιλεῖ Μαρκιανῷ ἀκολουθήσαντες, ἐκλήθησαν Μελχῖται, ἤγουν βασιλικοί. *Μελχὶ* γὰρ καθ' Ἑβραίους καὶ Σύρους ὁ βασιλεὺς λέγεται. Οἱ δὲ, Ἀποσχισταὶ, οἱ καὶ Μονοθελῆται κληθέντες. Οἱ τῷ μοναχῷ Ἰακώβῳ τῷ Σύρῳ πεισθέντες, ὠνομάσθησαν Ἰακωβῖται, καὶ ἐκ τούτου μέχρι τοῦ νῦν, οὕτως ἀπ' ἐκείνου καλοῦνται. Οἱ καὶ πιστεύοντες μὲν εἰς Πατέρα καὶ Υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα δοκοῦσιν εἶναι ὀρθόδοξοι, καὶ δὴ, διὰ τοῦτο πλανῶσι τοὺς ἐντυγχάνοντας· καθὸ δὲ ἐπὶ τῆς ἐνσάρκου οἰκονομίας, πρὸ μὲν τῆς ἑνώσεως, ἤτοι τῆς ἀνανθρωπήσεως, προείρηται, ὅτι δύο φύσεις ὁμολογοῦσιν· μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν, οὐ δύο φύσεις, ἀλλὰ μίαν καὶ ἐντεῦθεν σύγχυσιν καὶ φυρμὸν τῶν δύο φύσεων εἰσάγουσιν. Ἀναθεματίζονται ὡς Μονοφυσῖται καὶ Θεοπασχῖται· μόνας δὲ τὰς προτέρας τρεῖς συνόδους δέχονται, ἤγουν τὴν ἐν Νικαίᾳ, τὴν ἐν Κωνσταντινουπόλει, καὶ τὴν ἐν Ἐφέσῳ· τὴν δὲ ἐν Χαλκηδόνι, καὶ τὰς μετ' αὐτὴν, ἀθετοῦσιν καὶ τοὺς τούτων Πατέρας τῷ ἀναθέματι καθυπάγουσιν· καὶ τὸ δὴ χαλεπώτερον, καὶ πάθος προσάπτουσι τῇ θεότητι, παθεῖν καὶ αὐτὴν μετὰ τῆς σαρκὸς ἐν τῷ τοῦ πάθους καιρῷ δογματίζοντες. Καὶ αὕτη μὲν ἡ ἀρχὴ τῆς αἱρέσεως τῶν ἀθέων Ἰακωβιτῶν.

III. Præfato itaque Jacobo Eutychetis doctrinam libere prædicante, factum est postea schisma apud Syros. Atque alii quidem, qui nempe rectam fidem synodumque, ac Marcianum imperatorem secuti essent, appellati sunt Melchitæ, id est, Regii seu Imperialistæ. *Melchi* enim Hebræorum ac Syrorum lingua, dicitur *rex*. Alii autem Scissi, aut etiam Monothelitæ appellati sunt, qui nimirum Jacobo Syro monacho fidem præbentes, Jacobitarum nomen obtinuerunt; sicque hactenus ab eo appellantur. Ac quidem, quod in Patrem et Filium et Spiritum sanctum credant, orthodoxi videntur, eaque ratione eos decipiunt, qui cum eis congrediuntur. Verum quod spectat ad Christi in carne dispensationem, ante quidem unionem, id est, priusquam ille homo fieret, jam dictum est fateri eos duas naturas: post vero eam, non duas naturas, sed unam agnoscunt, indeque confusionem ac commixtionem invehunt duarum naturarum. Devoventur ut assertores unius naturæ, et ut Theopaschitæ. Tantum vero admittunt tres priores synodos, nempe, Nicænam, Constantinopolitanam et Ephesinam. Chalcedonensem autem, ac ea posteriores irritas decernunt, ac earum devovent Patres: quodque gravius est, etiam passionem Deitati affingunt, docentque ipsam quoque passam una cum carne tempore passionis. Atque his initiis, impiorum Jacobitarum cœpit hæresis.

A loco sui beatum Mastintzen, custodem ipsius throni. Defuncto autem Isaac ac Mastintze, statuerunt in sacerdotali throno Citum, oriundum oppido Atmezu, seditque ann. XVII. Eo pontifice jussit rex Persarum, ut in Armenia Catholicos ac episcopos ordinarent, usque in præsentem diem.

Εἶτα Ἰωάννης ὁ Μαρτακουνῆς, ἔτη ς'.
Ἀπουϊπκένης ὁ ἀπὸ τῆς Μισοῦ τῆς κώμης, ἔτη ε'.
Ὁ Σαμουὴλ ὁ ἀπὸ Ἀρτασαὶ τῆς κώμης, ἔτη ιβ'.
Ὁ Μουσέλης ὁ ἀπὸ τῆς κώμης Ἀρπηρεῖς, ἔτη ν'.
Ὁ Ἰσαὰκ ἀπὸ τοῦ Ἀρκὰν, ἔτη ζ'.
Ὁ Χριστοφόρος ὁ ἀπὸ τοῦ Κουβαρίτζη, ἔτη ς'.
Ὁ Λεόντιος ἀπὸ τοῦ Ἀρὲτ, ἔτη γ'.
Ὁ Νορσέσης ἀπὸ τοῦ Ἀσπαράξ, ἔτη θ'.

Ad hæc Joannes Martacunes, ann. VI.
Apuipcenes de oppido Misi, ann. V.
Samuel de oppido Artazæ, ann. XII.
Muselas de oppido Arperes, ann. L.
Isaac de Arcan, ann. VII.
Christophorus de Cubaritze, ann. VI.
Leontius de Aret, ann. III.
B Norsceses de Asparax, ann. IX.

Ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ ἐγένετο ἡ σύνοδος εἰς πόλιν Τιβὴν, ἀπὸ τοῦ Ἀπτισῶ Σύρου Ἰακωβίτου, μέν τοι γε εἰ καὶ τὰς παραδόσεις τοῦ ἁγίου Γρηγορίου, καὶ τῶν ἄλλων Πατέρων ἐξέκλιναν· ἀλλ' οὖν περὶ τὴν πίστιν, καὶ τὴν σύνοδον τὴν ἐν Χαλκηδόνι, καὶ περὶ τὰς δύο φύσεις τὰς ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, οὐδεμίαν ἀμφιβολίαν εἶχον, ἕως ἐτῶν ργ', ἀπὸ τῆς συνόδου τῆς ἐν Χαλκηδόνι, ἕως τῆς συνόδου Τιβήν. Καὶ λοιπὸν ἐξ ἐκείνου ἀπέστησαν ἀπὸ τῆς κοινωνίας τῶν Ῥωμαίων, καὶ τὴν Ἱερουσαλὴμ ἀνεθεμάτισαν, καὶ τὴν σύνοδον Χαλκηδόνος, ὁμολογήσαντες μίαν φύσιν τοῦ Χριστοῦ, τῆς θεότητος, καὶ τῆς ἀνθρωπότητος· προσέθεντο τὸ, *ὁ σταυρωθεὶς, εἰς τρισάγιον* ὕμνον, πρὸς *Ἅγιος ὁ Θεός*. Μετὰ ὅρκου καὶ ἀναθεματισμοῦ, καὶ μετὰ ἀλλήλων ἐγγράφως ἰδιοχερσὶ διέθεντο, μὴ χωρίζεσθαι τῆς τοιαύτης ὁμολογίας εἰς τὸν αἰῶνα. Τὸν δὲ Εὐτυχέα τὸν Ἰακωβίτην, καὶ β' ἄλλους ἑταίρους αὐτοῦ· ὁ μὲν εἷς Ἰουλιανίτης, ὁ δὲ ἕτερος, ἄλλης αἱρέσεως τυγχάνων, ἐπισκόπους χειροτονήσαντες, εἰς Μεσωποταμίαν ἀπέστειλαν.

Ejus tempore celebrata est synodus in urbe Tiben ab Aptiso Syro Jacobita. Tametsi autem, a sancti Gregorii ac aliorum Patrum traditionibus deflexerant, nihil quidquam tamen de fide ac synodo Chalcedonensi, duplicique in Christo Deo nostro natura dubitaverant, ad usque annum CIII a celebrata synodo Chalcedonensi, usque ad synodum Tiben. Deinceps autem recesserunt a Romanorum communione, ac Jerusalem anathematizantes, sanctamque synodum Chalcedonensem, confessi sunt naturam unam Christi, deitatis ac humanitatis : atque ad hymnum *Tersanctus*, ad illud, *Sanctus Deus*, vocem illam, *qui crucifixus est*, addiderunt : jurejurando invicem devoventes, obsignata, C scripto propriæ manus promissione, nunquam se in perpetuum recessuros ab illa confessione. Porro Eutychetem Jacobitam, ejusque alios duos socios, quorum unus Julianita, alter hæresis alterius erat, episcopos ordinantes, miserunt in Mesopotamiam.

Μετὰ τοῦτο ὁ Εὐανέσης ὁ ἀπὸ Καπελεηνῆς, ἔτη ιζ'.
Ὁ Μωϋσῆς ἀπὸ τοῦ Ἐλιβάρετ, ἔτη λ'.
Ὁ Ἀβραὰμ ἀπὸ Ἀραστουνῆς, ἔτη κγ'.
Ὁ Ἰωάννης ἀπὸ τοῦ Πακρανᾶ, ἔτη κς'.
Κωμητὰς ὁ καὶ τῆς κώμης Ἐλτζησαρακιτζοῦ, ἔτη η'.

Postea Evaneses a Capelene, ann. XVII.
Moses ab Elibaret, ann. XXX.
Abraham ab Arastune, ann. XXIII.
Joannes a Pacrana, ann. XXVI.
Cometas de pago Eltzesaracitze, ann. VIII.

Ὁ Χριστοφόρος ὁ Ἀβραμίτης, ἔτη γ'.
Ὁ Ἐσδρὰς ὁ ἀπὸ τοῦ Νικᾶ, ἔτη ι'.
Ὁ Νορσέσης ὁ ἀπὸ τοῦ Ἰσχνᾶ, ἔτη κ'.
Ὁ Ἀναστάσιος ὁ ἀπὸ τοῦ Κορᾶ, ἔτη ς'.
Ὁ Ἰσραὴλ ὁ ἀπὸ Τμησοῦ τῆς κώμης, ἔτη ι'.
Ὁ Ἰσαὰκ ἀπὸ τοῦ Βαζακαστρίου.

Christophorus Abrahamites, ann. III.
D Esdras a Nica, ann. X.
Norseses ab Ischna, ann. XX.
Anastasius a Cora, ann. VI.
Israel ab oppido Tmesu, ann. X.
Isaac a Bazacastrio.

Βασιλεῖς Ἀρμενίων, ἀπὸ τοῦ Βαλαρέως ἕως Τασὴν, καὶ μετὰ τοὺς ἡγεμόνας.

Armeniorum reges a Balare usque ad Tasen, ac post duces.

Κοινουνὴς ὁ Πρίτης, ἔτη δ'.
Ὁ Δαβὶδ ὁ Σαρωνῆς, ἔτη γ'.
Τοτρούσης ὁ Ῥουστανῆς, ἔτη ι'.
Ὁ Ἀμαζάπης ὁ Κουροπάλατος, ἔτη δ'.
Γρηγόριος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, ἔτη κδ'.
Σώτης Πακρατουνῆς, ἔτη γ'.
Ὁ Νερσέχης Καμψαρακὰν, ἔτη γ'.
Ὁ Πακρατουνῆς Συμπάτιος.

Cœnnnes Pritensis, ann. IV.
David Saronensis, ann. III.
Totruses Rustanensis, ann. X.
Amazapes Curopalata, ann. IV.
Gregorius ejus frater, ann. XXIV.
Sotes Pancratunensis, ann. III.
Nerseches Campsaracan, ann. III.
Pancratunes Sympatius.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCXV

JOB MONACHUS

In codice Nanianо LXXI, p. 245 (apud Aloysium Mingarelli, *Cod. Nanian.*) legitur, Ἀκολουθία, εἰς τὴν ὁσίαν μητέρα ἡμῶν Θεοδώραν τὴν θαυματουργὸν, βασίλισσαν τῇ ἐν τῇ ἀρτ. πονηθεῖσα παρ' ἐμοῦ Ἰὼβ μοναχοῦ. Deinde sequitur Officium S. Theodoræ reginæ (1). Quoniam vero ignota plerisque est sancta hæc mulier, nonnulla exscribemus ex pagina 253, ubi post odas, canones, etc., hæc leguntur :

Veneranda ac beata regina Theodora, in Orienti Joanne et Helena parentibus nata, hujuscemodi fato usa est. Cum Alexius e gente Comnena Romanis imperaret, Michael Comnenus, qui genere ab ipso rege et regibus angeli alicujus denominatione insignitis differebat, Peloponnesi regnum est sortitus, quo tempore Senacherim in Ætoliam ac Nicopolim mittitur. Duabus illi e sanguine regio sororibus matrimonio juncti erant. Joannes quidem beatæ Theodoræ pater, cognomento Petraliphes, nobili atque illustri genere satus, ex optimatum qui Constantinopoli florebant, prosapia, uxorem duxit. Rex dein Romanorum constitutus, rebus in Thessalia ac Macedonia compositis, Latini, proh dolor ! Constantini urbem vi capiunt, et, Deo ita placuit, Alexium cum multis aliis in captivitatem redigunt. Filius ejus Lascaris in Oriente a Michaele Palæologo, qui tunc regnum occupabat, oculis privatur. Sic igitur rebus omnibus ubique perturbatis, Senacherim, cui et ipsi a Nicopolitanis insidiæ struebantur, Michaelem Comnenum in auxilium vocavit. Qui cum moraretur, et Senacherim dolo interfectus fuisset, Michael postea vindictam ab occisoribus sumpsit, et, cum suam morte fatali perdidisset, illius uxorem matrimonio duxit Melissenam, opibus Senacherim omnibus cum regno potitus. Idem, postquam Latinorum classis relicta Constantinopoli ad Salazorum portum ita dictum appulisset, Alexium imperatorem, ipsi ignotum, grandi pecunia ab illis ut servum redemit ac postea manumisit. Ab hoc porro imperatore Michaeli et ejus filiis summa imperii concessa est. Ex Melissena quatuor suscepit filios, Michaelem Ducam, Theodorum, Manuelem et Constantinum. Ex quibus maximus natu Michael rerum summa potitus est, vir ad res excogitandas et peragendas pariter idoneus. Albam Græcam, Janinam ac Bonditzam fundavit; Coriphi insulam, Dyrrachium, Achrida et omnem Blachiam Græciamque subegit, imperiique fines protulit. Sed paulo post et ipse gladio interemptus est, fratre Theodoro Duca in imperio relicto. Theodorus, contempto a

Ἡ ἀοίδιμος αὕτη καὶ μακαρία βασιλὶς Θεοδώρα, τὸ μὲν γένος εἵλκεν ἐξ ἡλίου ἀνατολῶν· γεννήτορες δὲ αὐτῆς, Ἰωάννης καὶ Ἑλένη. Τὰ δὲ κατ' αὐτὴν ἔσχεν οὕτως· Ἀλεξίου τοῦ ἐκ φυλῆς τῶν Κομνηνῶν κατηγμένου Ῥωμαίων βασιλεύοντος. Μιχαὴλ μὲν ὁ Κομνηνὸς ὁ καὶ πρὸς γένους αὐτῷ τε τῷ βασιλεῖ καὶ τοῖς ἀγγελωνύμοις βασιλεῦσι διαφέρων, τὴν ἀρχὴν τῆς Πελοποννήσου πιστεύεται· Σεναχερεὶμ δὲ, πρὸς Αἰτωλίαν καὶ Νικόπολιν ἀποστέλλεται· δυεῖ πρότερον οὗτοι πρωτεξαδέλφαις συζευχθέντες, ταῖς καθ' αἷμα γνησίαις τῷ βασιλεῖ. Ἰωάννης δὲ, ὁ τῆς μακαρίας Θεοδώρας πατὴρ, ᾧ Πετραλίφης τὸ ἐπώνυμον, γένους ὢν περιφανοῦς καὶ λαμπροῦ, γυναικὶ μὲν καὶ αὐτὸς παρὰ βασιλέως συζεύγνυται, τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει τὰ πρῶτα φερόντων ἐκ γένους οὖσῃ· σεβαστοκράτωρ δὲ Ῥωμαίων τιμηθεὶς, τῆς Μακεδονίας καὶ Θεσσαλίας κατάρχην (sic) ἀποκαθίσταται· ἀλλὰ τῇ τοῦ Θεοῦ παραχωρήσει Λατίνων φεῦ! τῆς Κωνσταντίνου κρατησάντων, ἠχμαλώτευται μὲν παρ' ἐκείνων σὺν ἄλλοις πολλοῖς· καὶ ὁ βασιλεὺς Ἀλέξιος. Ἐκτυφλοῦται δὲ Λάσκαρις ὁ παῖς ἐν τῇ Ἀνατολῇ, παρὰ Μιχαὴλ τοῦ Παλαιολόγου, τοῦ τὴν βασιλείαν τότε δραξαμένου· καὶ λοιπὸν ἐπλήσθη τὰ πάντα ταραχῆς καὶ συγχύσεως. Σεναχηρεὶμ οὖν καὶ αὐτοὺς ἐπιβουλευθεὶς παρὰ τῶν Νικοπολιτῶν, τὸν Κομνηνὸν Μιχαὴλ εἰς βοήθειαν προσεκαλέσατο· μήπω δ' ἐκείνου φθάσαντος, δολοφονεῖται Σεναχηρεὶμ. Μιχαὴλ μέντοι παραγενόμενος, τοὺς φονεῖς κτείνει πάντας· λαμβάνει δὲ σὴν ἐκείνου γυναῖκα Μελισσηνήν· ἔφθασε καὶ γὰρ τὴν ἰδίαν γυναῖκα, νόμῳ θανάτου ἀποβαλέσθαι· καὶ λοιπὸν πᾶσαν τὴν περιουσίαν Σεναχηρεὶμ σὺν τῇ ἀρχῇ, ἑαυτῷ περιποιεῖται· ὃς δὴ Κομνηνὸς ἐκ τῆς Κωνσταντινουπόλεως τοῦ στόλου τῶν Λατίνων κατερχομένου, καὶ τῷ τῆς Σαλαγορᾶς λιμένι οὐτωσὶ ἐπικληθέντι προσορμίσαντος, τὸν βασιλέα Ἀλέξιον μὴ γνωριζόμενον ὡς ἀνδράποδον παρ' ἐκείνων εἰς χάριν ἔλαβε καὶ ἀπέλυσε, πολλαῖς πρότερον αὐτοὺς δεξιωσαμέναις δωρεαῖς· ἐξ οὗ βασιλέως εἰς κλῆρον ἐδόθη αὐτῷ τε τῷ Μιχαὴλ καὶ τοῖς ἐξ αὐτοῦ, ἡ λαχοῦσα τότε τῆς ἡγεμονίας ἀρχή. Γεννῶνται τοίνυν αὐτῷ ἐκ τῆς Μελισσηνῆς, υἱοὶ τέσσαρες· Μιχαὴλ ὁ Δούκας, Θεόδωρος, Μανουὴλ, καὶ Κων-

(1) Theodora parentes habuit Joannem et Hele..am. Vide Du Cange, *Familiæ Byzantinæ*. EDIT. PATR.

Digitized by Google

σταντῖνος. Μιχαὴλ δὲ ὁ τῶν υἱῶν πρῶτος μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν, πᾶσαν τὴν ἐκείνου ἀρχὴν διεζώσατο· ἀνὴρ δραστήριος, καὶ ὀξὺς νοῆσαι, καὶ πραγμάτων ἐμπειρότατος οἰκονόμος· ὃς δὴ Βελλάγραδά τε καὶ Ἰωάννινα καὶ τὴν Βόνδιτζαν ἕκτησε· τὴν νῆσόν τε Κορυφὼ καὶ Δυρράχιον καὶ Ἀχρίδα, καὶ πᾶσαν τὴν Βλαχίαν καὶ τὴν Ἑλλάδα περιεποιήσατο, καὶ εἰς πολὺ πλάτος ἐπέτεινε τὴν ἀρχήν. Ἀλλὰ ταχέως καὶ οὗτος ἔργον ῥομφαίας γενόμενος, ἐξ ἀνθρώπων ἐγένετο· τὸν ἴδιον αὐτάδελφον Θεόδωρον τὸν Δούκαν, διάδοχον ἑαυτοῦ καταλιπών· ὃς δὴ Θεόδωρος βρεφύλλιον τὸ ἐκ τοῦ ἰδίου ἀδελφοῦ Μιχαὴλ τὴν ἀρχὴν δὲ πᾶσαν δραξάμενος, καὶ ἐπὶ εὐτυχίᾳ πραγμάτων ἀρθείς, δόλον κατὰ τοῦ παιδὸς ἐμελέτησεν· ὅπερ ἡ μήτηρ αἰσθομένη, προέλαβε διαπεράσασα μετὰ τοῦ νηπίου, ἐν τῇ νήσῳ τοῦ Πέλοπος.

A Michaele fratre relicto puerulo et summa rerum potitus, quia fortuna ipsi favebat, altos spiritus sumere et puero ad successionem nato insidiari cœpit. Quod ubi sensisset mater, ut illius insidiis illuderet, cum filio Peloponnesum petiit.

Θεόδωρος δὲ δοκιμώτατος ἐν μάχαις φανείς, καὶ τὴν Θεσσαλονίκην ἐλευθερώσας τῆς Λατινικῆς τυραννίδος, βασιλεὺς ἀνηγόρευται· καὶ πάντων τῶν Δυτικῶν ἔως αὐτῆς ἐκράτησε Χριστουπόλεως. Ὁ μέντοι σεβαστοκράτωρ Πετραλίφης, υἱοὺς γεννήσας ἐν Θετταλίᾳ, καὶ τὴν ἀείμνηστον ἀπέτεκε Θεοδώραν· καὶ τὸν βίον ἐν Χριστῷ καταλύσας, τὴν ἰδίαν ἀρχὴν τοῖς υἱέσι κατέλιπεν· οἳ καὶ τῷ βασιλεῖ Θεοδώρῳ ἐξιῶς τελοῦντες, τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν νηπιάζουσαν, ὡς κόρην ἐφύλαττον ὀφθαλμοῦ. Τί τὸ μετὰ ταῦτα; Τῇ Ζαγορᾷ Θεόδωρος ἐπιστρατεύσας ὁ βασιλεὺς, πόλεμον ἐποίει μετὰ Ἀσάν, τοῦ βασιλέως Βουλγάρων, καὶ νικηθεὶς, παρ' ἐκείνου χειροῦται, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς στερεῖται· Μιχαὴλ δὲ εἰς νεανίας ἤδη τελῶν, τῆς ἐξορίας ἀνακαλεῖται, καὶ τὴν πατρικὴν πᾶσαν παραλαβὼν ἀρχὴν, τῇ Βλαχίᾳ ἐπιδημεῖ· καὶ περὶ τὸ κάστρον Σερβίον γενόμενος, τὴν καλὴν βλέπει νεάνιδα Θεοδώραν, ἣς ἄκρως ἀλοὺς, τοῖς ἀδελφοῖς συμφωνεῖ Πετραλίφαις, καὶ ταύτην νομίμῳ γάμῳ λαβὼν, εἰς Ἀχαρνανίαν ἀτείχιστον τότε οὖσαν, σὺν αὐτῇ λαμπρῶς ἐπανέζευξεν. Ἀλλ' ὁ μὲν, τῆς ἰδίας ἦν φροντίζων ἀρχῆς, Θεοδώρα δὲ, οὐ παρεσύρη τῇ δόξῃ, οὐχ ἁλὼ τῇ νεότητι, οὔτε μὴν πρὸς τρυφὰς οἶδε κατασπαταλᾷν. Ἀλλ' οὐδὲ τῷ τῆς ἀρχῆς ὄγκῳ ἐπήρθη· τῷ Θεῷ δὲ μᾶλλον ἔγνω προκεῖσθαι, καὶ ἀρετῆς ἐπιμελεῖσθαι, σωφρόνως ζῶσαι· ταπεινοφροσύνην ἀσπαζομένη, ἀοργησίαν, ἀγάπην, πραότητα, συμπάθειάν τε καὶ ἐλεημοσύνην, ὡς ἄλλος οὐδεὶς κατορθοῦσα, καὶ τὸν Θεὸν ἀλοφύχως διαπαντὸς θεραπεύουσα. Οὐκ ἔφερε δὲ πάντως ὀργὴν ταῦτα, ὁ τῶν δικαίων ἐχθρὸς, οὐδὲ τὴν καλὴν ταύτην τῆς νεάνιδος ὁδὸν βλέπειν ἠνέσχετο· ἀλλ' ὅλος ὑπλίζεται κατ' αὐτῆς, καὶ θηλυμανίαις τὸν ἄνδρα καταμαλάξας, πειρασμὸν τῇ μακαρίᾳ ἐγείρει, τῶν πώποτε μνημονευσομένων δεινότατον· γυναικί γάρ τινι ἐξ εὐγενῶν Γαγγρηνῇ τὸ ἐπώνυμον, πορνικῶς ὁ Μιχαὴλ ἐπιμανείς, καὶ τὸ τῆς αἰσθήσεως ὑγιὲς μαγίαις ὑπ' ἐκείνης ὑποκλαπείς, μῖσος ἄσπονδον κατὰ τῆς ἰδίας ἐκτήσατο γυναικός· καὶ ταύτην ἀπωσάμενος, τὴν μαινάδα φρενοβλαβῶς συνηγάγετο· τοῖς ὑπηκόοις ὄρον θέμενος· μὴ προσκεῖσθαι τῇ Θεοδώρᾳ· μὴ θεραπείαν· ἀξιοῦν ταύτην τινός· μήτε μὴν ἐπὶ γλώσσης αὐτῆς φέρειν τὸ ὄνομα. Τούτοις γενναίοις τοῖς δεινοῖς ἐμπεσοῦσα, οὐκ ἐσαλεύθη ὅλως τὸν λογισμὸν, οὐδὲ παρετράπη τῆς ἀγαθῆς πολιτείας, ἀλλ' ὅλη ὡς ἀδάμας ἦν καρτεροῦσα, καὶ τὸν Θεὸν ὁμοίως θεραπεύουσα· ξενιτευομένη δακρύει καὶ καύσωνι, αἴθριος ταλαιπωροῦσα· λιμῷ τε καὶ δίψῃ καὶ τῇ λοιπῇ κα-

Theodorus militarem adeptus gloriam, postquam Thessalonicen a Latinorum impotenti dominatione liberasset, imperator est proclamatus : jam enim toto Occidente atque Christopoli ipsa potitus erat. Joannes porro Petraliphes, præter filios quos in Thessalia genuerat, Theodoram quoque virtutibus egregiam suscepit, et vita in Christo functus regnum filiis reliquit ; qui Theodoro imp. rite satisfacientes, sororem suam teneram summo amore prosequebantur. Interjecto deinde tempore Theodorus apud Zagoram cum Asan, rege Bulgarorum, bellum gessit ; a quo pugna victus captusque oculorum lumine privatus est. Michael jam adultus ab exsilio revocatus regno paterno recuperato in Blachiam se obtinuisset, in urbe Acharnarum tum temporis cessit. Cum postea in castro Servii Theodoræ adolescentulæ amore captus ejusdem fratrum consensum nondum munita, nuptias splendidas complevit. Sed dum ipse regno firmando intentus esset, Theodora, gloriæ minime avida, nec rerum novarum cupida, nedum luxuriæ amans aut regali spiritu afflata, Dei potius partes amplexa, virtutis sectatrix, humilitatem, charitatem, modestiam atque pia opera exercere totamque se Deo dedere satius habuit. Hoc vero minime justorum inimico placuit, qui Theodoram per virtutis semitas incedere ægre tulit. Inde summo eam odio persecutus, marito quidem libidinum retibus constricto uxori beatæ insidias inextricabiles struxit. Feminæ namque cui Gangrænæ nomen, illecebris magicisque artibus adeo est captus, ut letali in legitimam uxorem odio sæviret, eaque crudeliter dimissa bacchantem illam amens introduceret. Huc accedit quod quemquam illi honorem aliquem afferre aut honoris causa ejus nomen pronuntiare noluerit. Sed nec his omnibus tribulationibus mulier nobilis a morum integritate ac perseverantia potuit avocari ; imo, sicut adamas, inconcussa Deum eodem fervore colere nunquam destitit. In servitutem, ut ita dicam, redacta, caloris æstu, fame, sitii et quibuscumque vitæ miseriis circumventa, sine domicilio, per quinque annos pessima quæque experta, nihil quod ipsa indignum esset, pronuntiavit ; imo sine querela virtutem etiam ferventius amplexa patientiæ et magnanimitatis specimina quotidie edebat, puerum quem, in exsilium acta, in utero gestabat, educando. Die quadam sacerdos ejus regionis, Prenestes nomine, olera in agris colligentem, comitante puero, invenit. A qua

Digitized by Google

cum nomen inquirendo didicisset domum secum abductam abdidit, omni eam cura prosequendo. Ubi postea principes in regno viri ac Michaelis Ducæ ministri malas feminæ artes detexissent et tormentis adhibitis id quod erat verum didicissent, Michael ad meliorem animum reversus mulierem vere sanctam iterum uxoris loco recepit, cum immenso omnium gaudio. Ambo deinde vitam in pace et charitate transigentes salutis suæ curam habuerunt. Ad altissimum namque dominationis fastigium evecti liberos genuerunt ac pulcherrimum virtutis certamen certarunt. Veneranda Theodora cum herum ac maritum duo insignia monasteria omnipotentis et sanctissimæ Virginis nomini dedicata construxisse vidisset, ipsa quoque Georgio martyri cœnobium monialium exstruxit. Michaele Deinceps pie defuncto et ad cœlestes mansiones translato, monasticum et ipsa habitum sumpsit, ædemque sacram, usquedum vixit, donis votivis, vasis vestimentisque sacris ornavit. Non enim solum corpus laborando exercebat, sed et virtutis eximie colendæ studiosa, noctes integras stando hymnosque et psalmos cantando agebat. Nihil ipsi antiquius quam corpus jejuniis macerare, consortibus officia præstare, injuria afflictos adjuvare, orphanorum ac viduarum partes agere, pauperibus opem ferre, mœstos consolari, ut brevi dicam omnibus omnia fieri in cordis humilitate. Cum postremam ipsius quoque horam prope esse cerneret, lacrymabunda a sanctissima Deipara et Georgio martyre petiit, ut, ipsis intercedentibus, Deus semestre sibi tempus ad templum terminandum concederet. Hoc ubi datum supplicantibus esset, sorores convocatas de officiis religiose præstandis admonuit. Postremo salutem iisdem augurata læto spiritum animo reddidit. Sepulta est in monasterio ab ipsa ædificato. Deus porro egregiis hanc sanctam mulierem miraculis et ægrorum sanationibus insignem reddidit. Sic etiam morbum quem cancri vocant medicorum filii, præter multos alios sanare sategit, et ad hanc usque diem sanat. Non enim iis tantum opitulatur qui sepulcrum ejus adeunt, sed navigantibus quoque in alto mari præsto est, nec insulanis deest imploranti bus. Quare nos quoque Deum supplices adeamus, ut æterna salute digni æstimemur, etc.

A κουχία πιεζομένη, καὶ ὑπὸ στέγην εἰσελθεῖν ἐπιθυμοῦσα. Ἐπὶ πέντε οὖν ἔτεσι τοῖς ἀπείροις δεινοῖς προσπαλαίσασα, οὐδὲν ἐφθέγξατο ἀγεννὲς, οὔτε μὴν κατωλιγώρησε, ῥῆμά τι πρὸς κύριον εἰπεῖν, ἀλλ' ἔτι μᾶλλον πρὸς ἀρετὴν ἐπετείνετο, καὶ πρὸς αὐτὸν ὑψοῦτο καθ' ἑκάστην ἑαυτὴν, δι' ὑπομονῆς ἀνάγουσα· φέρουσα καὶ βρέφος ἐν ταῖς χερσὶν ὅπερ ἐκβληθεῖσα εἶχεν ἐγγάστριον. Ἱερεύς δέ τις ἐκ χωρίου Πρενίστης, λαχανευομένην ἐν ἀγρῷ ταύτην εὑρὼν, καὶ τὸ βρέφος βαστάζουσαν, ὄρκοις ἐπύθετο τὸ ἑαυτῆς εἰπεῖν ὄνομα· καὶ γνοὺς ἥτις ἦν, ταύτην οἴκαδε φέρων κατέκρυψε, πάσης ἐπιμελείας ἀξιώσας. Τῶν οὖν μεγιστάνων καὶ τὰ πρῶτα παρὰ Μιχαὴλ τῷ Δούκᾳ φερόντων, αἴφνης ἁρπασάντων τὴν κακόσχολον ἐκείνην γυναῖκα, καὶ ἀπαιωρισάντων, ἡ πονηρὰ πᾶσα εἰς
B φῶς ἦχθη πρᾶξις· καὶ ἐν νῷ γενόμενος ἐνσεῖσθεν (*sic*) ὁ Μιχαὴλ, τὴν μακαρίαν αὖθις ἠγάγετο· καὶ λοιπὸν ἐπλήσθη χαρᾶς τὰ πάντα, καὶ ἀγαλλιάσεως. Διῆγον οὖν ἄμφω τὸν βίον, ἐν εἰρήνῃ καὶ ἀγάπῃ τῇ κατὰ Θεὸν, τῆς ἑαυτῶν ἐπιμελούμενοι σωτηρίας· ἀξιώματι δεσποτῶν τιμηθέντες, καὶ παῖδας τεκόντες, καὶ πρὸς ὕψος μεγίστης εὐκλείας ὑπεραρθέντες καὶ τὴν πρὸς ἀρετὴν ἀμιλλώμενοι καλὴν ἀμφότεροι ἄμιλλαν. Τὸν μέντοι δεσπότην καὶ σύνευνον ἡ ἀοίδιμος Θεοδώρα τὰς περικαλλεῖς καὶ εὐαγεῖς ἰδοῦσα συστησάμενον δύο μονὰς, τὴν τῆς Παντανάσσης φημὶ
C καὶ τῆς Παναγίας ἐπικεκλημένας, τῷ μεγαλομάρτυρι καὶ αὐτὴ Γεωργίῳ θεῖον ἀνήγειρε σεμνεῖον, καὶ εἰς γυναικεῖον τοῦτο συνεστήσατο. Τοῦ συνεύνου δὲ καὶ δεσπότου Μιχαὴλ καλῶς καὶ θεοφιλῶς βιώσαντος, καὶ πρὸς μονὰς μεταστάντος τὰς οὐρανίους, τὸ τῶν μοναχῶν καὶ αὐτὴ εὐθὺς περιβάλλεται σχῆμα· καὶ χρόνους ἐπιβιοῦσα, τὸν ναὸν ἣν παντοίως κατεκόσμει καὶ ἀναθήμασι καὶ σκεύεσι καὶ πέπλοις κατεκάλλυνε· προσετίθει δὲ καὶ τῷ βίῳ, τοῖς πόνοις ἑαυτὴν ἐγγυμνάζουσα, καὶ τὸν τῶν ἀρετῶν καρπὸν ἐπαύξουσα· ἀγρυπνίαις καὶ στάσεσι παννύχοις σχολάζουσα, ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις προσομιλοῦσα· τὸ σῶμα νηστείαις κατατήκουσα· καὶ πάσαις ταῖς ἀδελφαῖς ἀῤῥαθύμως δουλεύουσα, ἀδικουμένων προϊσταμένη· ὀρφανῶν καὶ χηρῶν ἀντιλαμβανομένη· πτωχοῖς ἐπικουροῦσα· θλιβομένοις παραμυθουμένη· καὶ
D πᾶσι γενομένη τὰ πάντα, ἐν ταπεινώσει καρδίας. Ἐπεὶ δὲ καὶ τὴν αὐτῆς προέγνω τελευτὴν, δάκρυσιν ἱκέτευσε τῇ Πανάγνῳ Θεομήτορι, καὶ τῷ πανενδόξῳ μάρτυρι Γεωργίῳ, ἐξαμηναῖον αὐτῇ πρὸς Θεὸν διαπρεσβεύσασθαι χρόνον πρὸς τὴν τοῦ ναοῦ τελείαν ἀπάρτησιν· ὃ καὶ γέγονε. Καὶ τοῦ καιροῦ φθάσαντος, τὰς ἀδελφὰς προσεκαλέσατο· καὶ περὶ ὧν ἔδει καλῶς ἐντειλαμένη, καὶ ταύταις ἐπευξαμένη σωτηρίαν, χαίρουσα τὸ πνεῦμα εἰς χεῖρας Θεοῦ παρέθετο· καὶ κατετέθη ἐν αὐτῇ τῇ παρ' αὐτῆς ἀνεγερθείσῃ μονῇ. Τοῦ Θεοῦ δὲ ταύτην δοξάσαντος ὕστερον, πολλῶν καὶ μεγίστων θαυμάτων ὤφθη αὐτουργὸς, ἀσθενείας καὶ νόσους τῶν προσερχομένων αὐτῇ ἰατρεύουσα, καὶ δαίμονας ἐξ ἀνθρώπων ἐλαύνουσα· καὶ ποικίλα πάθη ἀνίατα καθεκάστην θεραπεύουσα. Ἐθεράπευσε δὲ καὶ καρκίνου πάθος, καὶ ἕτερα τεράστια φρικτὰ πεποίηκε, καὶ εἰς ἔτι φαίνεται ποιοῦσα, ὧν οὐκ ἔστιν ἀριθμός. Οὐ μόνον γὰρ τοῖς ἐν τῷ σεπτῷ αὐτῆς τάφῳ προσπίπτουσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐγγὺς καὶ τοῖς μακρὰν καὶ ἐν θαλάσσῃ· καὶ ἐν νήσοις, φθάνει ἐπικληθεῖσα, καὶ τοῖς πέρασι θερμῶς βοηθοῦσα. Ἧς ταῖς πρὸς τὸν Θεὸν ἁγίαις εὐχαῖς ἀξιωθείημεν καὶ ἡμεῖς σωτηρίας τυχεῖν· καὶ τῆς...

Reliqua desunt in codice, pauca tamen, ut perspicuum est.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCXVII

PETRUS CHRYSOLANUS

MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA IN PETRUM CHRYSOLANUM

(FABRIC. *Biblioth. med. et inf. Lat.* I, 436).

Crisolanus Trithemio cap. 397 De S. E. (Baronio Cangioque *Chrysolanus*), Ughello tomo III, pag. 126, et Allatio *Petrus Grosolanus*, aliis *Arisolanus*, *Grysolanus*, vel *Proculanus* etiam : ex Savonensi episcopo archiepiscopus Mediolanensis ab anno 1102, sed ob simoniæ objectum crimen depositus A. 1112. Exsulem Paschalis II papa misit Cpolin ad Alexium Comnenum, ut Græcos ad Romana sacra amplectenda reduceret, ubi scripsit *De Spiritus sancti processione* ad Alexium imperatorem ; et cum respondissent illi e Græcis Joannes Phurnus, Montis Gani primarius, Nicolaus Methonensis et Eustratius metropolita Nicænus, idem Joanni Phurno opposuit *disputationem de eodem argumento*. Incertum est Græce ipse scripserit an Latine potius, sed Græce exstant e Latinis ut videtur versa mss. in bibliotheca regis Christianissimi. Vide Allatium De consensu utriusque Ecclesiæ, II, 10 pag. 626 seqq , et Baronium ad annum 1116, num. 7 seqq., ubi Disputationem ad Alexium imperatorem, sive compendium illius atque argumentum refert ex Latina versione Federici Metii, episcopi Thermularum. Trithemius hunc Chrysolanum quoque *librum De S. Trinitate*, et *Epistolas* ac *Sermones* et alios diversos tractatus, sed non visos a se scripsisse adnotat. Diem obiit Chrysolanus Romæ A. 1117.

Digitized by Google

PETRI CHRYSOLANI

MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI

ORATIO DE SPIRITU SANCTO

AD IMPERATOREM ALEXIUM COMNENUM

(Edidit Græce ex mss. et Latine ex interpretatione Federici Metii, Thermularum episcopi, Leo ALLATIUS *Græciæ orthodoxæ* tom. I, pag. 379.)

Πέτρου ἐπισκόπου Μεδιολάνων, πρὸς τὸν βασιλέα κύριον Ἀλέξιον τὸν Κόμνηνον λόγος συνιστῶν τὸ ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς, ὁμοίως καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ.

α'. Ἄκουσον καὶ νόησον ἃ ἐγὼ πρὸς σὲ φθέγγομαι, τοῦ Θεοῦ ἐπιπνέοντος, φρονιμώτατε καὶ ἀνεξίκακε, δυνατὲ καὶ πρᾶε βασιλεῦ Ἀλέξιε, καὶ μὴ βλέπῃς εἰς ἐμὲ τὸν ὄντα πάντων τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ ἔσχατον, ἀλλ' ἀπόβλεψον πρὸς ἐκεῖνον αὐτὸν, οὗ τὸ προκείμενον πρᾶγμά ἐστιν, τὸν Κύριον, φημὶ, Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ὄντα βασιλέων Βασιλέα, καὶ πάντων τῶν βασιλευόντων μείζονα· δι' οὗ οἱ βασιλεῖς βασιλεύουσι καὶ οἱ ποιηταὶ τῶν νόμων τὸ δίκαιον κρίνουσιν. Ὑπὲρ οὗ καὶ περὶ οὗ κἀγὼ ὁ δοῦλος αὐτοῦ, εἰ καὶ ἀνάξιος καὶ ἄχρηστος, ὁμιλῶ πρὸς σέ, ὅπως μὴ ἀνέχῃ γίνεσθαι αὐτῷ ὕβριν ἐν τῇ βασιλείᾳ σου· μή πως αὐτὸς βαρεῖαν, καὶ βασιλικὴν τὴν ἐκδίκησιν δέξηται παρὰ σοῦ ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. Οὐχὶ ἄρα ὕβριν ἐμποιεῖ τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ, ὁ λέγων· Οὐκ ἔστιν ὁ Υἱὸς ἴσος τῷ Πατρί; περὶ αὐτοῦ γὰρ λέγει ὁ Ἀπόστολος· ε Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. » Ἰδοὺ ὁ Υἱὸς λογίζεται ἴσος τῷ Πατρί. Ἀλλ' ἐκεῖνος ὅστις λέγει τὸ Πνεῦμα μὴ ἐκπορεύεσθαι ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, οὐχ ὑπολαμβάνει τὸν Υἱὸν ἴσον τῷ Πατρί. Καὶ γὰρ πῶς ἔσται Υἱὸς ἴσος τῷ Πατρὶ, ἐὰν μὴ ἐπίσης ἔχῃ τὴν δόξαν μετὰ τοῦ Πατρός; Καὶ γὰρ δόξα τοῦ Πατρός ἐστιν, ἵνα τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς καὶ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύηται, ἥτις ἐὰν οὐκ ἔστιν ἐν τῷ Υἱῷ, ὅπως τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ἐκπορευθῇ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, φανερόν ἐστιν ὡς μείζων ὑπάρχει ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς ἢ ἡ δόξα τοῦ Υἱοῦ. Εἰ τοίνυν ἐκείνη μείζων ἐστὶν, καὶ αὕτη ἐλάττων, φανερόν ἐστιν ὡς οὐκ ἔστιν ἴση ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ. Ἐὰν δὲ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ οὐκ ἔστιν ἴση ἡ δόξα, οὐδὲ ἡ ἐξουσία ἴση, οὐδὲ ἡ θεότης μία, οὐδὲ ἡ μεγαλειότης.

β'. Ἀλλὰ τίνος ἕνεκεν οὐ δίδοται τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ, ὅπως τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ ἐκπορευθῇ ἐξ αὐτοῦ, ἐν τῷ ὁμολογεῖσθαι τὸ Πνεῦμα παρ' αὐτοῦ στέλλεσθαι καὶ δίδοσθαι; Τὸ Πνεῦμα τοίνυν τὸ ἅγιον, Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ ἐστι, καὶ ἀποστολὴ τοῦ Υἱοῦ, καὶ χάρισμα τοῦ Υἱοῦ, καθάπερ ἐστὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς καὶ ἀποστολὴ τοῦ Πατρὸς, καὶ χάρισμα τοῦ Πατρός. Πρὸς τελειότητα γοῦν τῆς πίστεως ἐνδέχεται, ἵνα ὅστις πιστεύει ὅτι τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐξ ἀμφοτέρων ἐπίσης στέλλεται καὶ

A *Petri episcopi Mediolanensis ad imperatorem dominum Alexium Comnenum, oratio probans Spiritum sanctum ex Patre et ex Filio procedere*

1. Audi et intellige quæ tibi dico, Deo inspirante, sapientissime et clementissime, potens pariter, et mitissime imperator Alexi: neque respicias me, licet sim omnium servorum Dei postremus, sed potius ad illum respice, cujus res agitur, Dominum videlicet Jesum Christum, qui est Imperator imperatorum, et omnibus imperatoribus major, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Pro ipso itaque et de ipso ego illius servus, licet indignus et inutilis, tecum verba facio, ne ullo pacto sinas in regno tuo aliquam ipsi fieri contumeliam, ne etiam et ipse graves, et quas decet imperatores, a te exigat pœnas in regno suo. Et quomodo contumeliam Filio Dei ille non infert, qui dixerit, quod Christus Dominus non sit æqualis Patri? Dum Apostolus de ipso affirmat: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo* (*Phil.* II). Ecce quomodo Filius arbitratur seipsum Deo Patri æqualem. Sed quicunque dicit Spiritum sanctum non procedere a Filio, opinatur Filium non esse æqualem Patri. Quomodo enim Filius Patri erit æqualis, nisi æqualem cum Patre gloriam obtineat? Gloria enim Patris est, ut Spiritus Patris a Patre, et a Filio procedat, quæ si non reperiatur itidem in Filio, ut Spiritus Patris a Filio etiam procedat, aperte patet quod Patris gloria longe est major quam gloria Filii. Si igitur Patris gloria est major, et Filii gloria minor, utique patet quod non sit æqualis gloria Patris et Filii. Si vero Patris et Filii non est æqualis gloria, non erit æqualis potestas, nec una deitas, nec una majestas.

2. Sed quanam de causa non datur Filio Dei ut suus Spiritus ab ipso procedat, dum confitemur Spiritum sanctum ab ipso mitti, et ab ipso dari? Spiritus itaque sanctus, Spiritus Filii existit, et Filii missio, et donum Filii, quemadmodum idem Spiritus est Patris missio, et donum Patris. Ad perfectionem itaque fidei pertinet ut quicunque crediderit quod Spiritus sanctus a Patre et Filio, ex utroque æqualiter mittitur et datur, idem ipse credat Spiri-

Digitized by Google

δίδοται, ὁ αὐτὸς πιστεύσῃ ὅτι τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐξ ἀμφοτέρων ἐπίσης ἐκπορεύεται. Ὅστις δὲ πιστεύει ἐκεῖνο, καὶ οὐ πιστεύει τοῦτο, ἐπ' ἔλαττον πιστός ἐστιν.

γ'. Ἀλλ' ἴσως ὁ τοιοῦτος μέλλει εἰπεῖν· Εὐλαβοῦμαι μή πως ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἐλάττωσιν δέξηται, ἐὰν τὸ Πνεῦμα τὸ παράκλητον, οὕτως ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, καθάπερ ἀπὸ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι δειχθείη. Μὴ γένοιτο. Ἡ δόξα γὰρ τοῦ Υἱοῦ δόξα τοῦ Πατρός ἐστιν, καθάπερ ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς δόξα τοῦ Υἱοῦ ἐστιν. Οὐδεμίαν γάρ ποτε ἰδιοκτὴν δόξαν ζητεῖ ὁ Πατὴρ ἄνευ τοῦ Υἱοῦ, οὔτε ὁ Υἱος ἄνευ τοῦ Πατρός. εἰ μὴ ἐκείνην, δι' ἧς ἐκεῖνος Πατὴρ ἐστιν, οὗτος δὲ Υἱός· εἰ τάχα γὰρ κοινή ἐστιν, ἀλλ' οὐ μία. Ἰδιοκτὴ οὖν δόξα τοῦ Πατρὸς, δι' ἧς Πατὴρ ἐστιν· μᾶλλον δὲ κἀκείνη τρόπῳ τινὶ δόξα τοῦ Υἱοῦ ἐστιν, ἐπεὶ ὁ Πατὴρ μᾶλλον ἐν τούτῳ δοξάζεται, ὅτι ἐκεῖνος Υἱὸς αὐτοῦ ἐστιν. Ὅπερ δὲ λέγομεν περὶ τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, τὸ αὐτὸ πιστῶς νοοῦμεν καὶ περὶ τῆς δόξης τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἡ γὰρ δόξα τοῦ Πνεύματος δόξα τοῦ Υἱοῦ ἐστιν· οὐ γὰρ ἔχουσι πρὸς ἄλληλα μεσάζουσάν τινα ἰδιοκτὴν δόξαν, εἰ μὴ ὅτι ἐκεῖνος τοιοῦτός ἐστιν, ἀφ' οὗ τὸ Πνεῦμα ἐκπορευθείη, καὶ αὐτὸ τοιοῦτόν ἐστι, τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ Υἱοῦ. Ὁμοίως δὲ λέγομεν καὶ νοοῦμεν περὶ τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἡ δόξα γὰρ τοῦ Πατρὸς, δόξα τοῦ Πνεύματός ἐστιν, καὶ ἡ δόξα τοῦ Πνεύματος, δόξα τοῦ Πατρός ἐστιν. Ὅμως ταύτην τὴν μονομέρειαν ἔχουσι πρὸς ἄλληλα, ὅτι ὁ Πατὴρ τοιοῦτός ἐστιν, ἀφ' οὗ ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα, καὶ τὸ Πνεῦμα τοιοῦτόν ἐστιν, ὃ ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ Πατρός.

δ'. Ὅπως δὲ πληρεστάτως θεαθείη πρός τι ταῦτα λέγομεν, οὕτως ἐπισυνάπτομεν, καὶ ζητήσομεν διὰ βραχέος τὰ ἀνωτέρω ῥηθέντα. Ἀπεδείχθη οὖν ἄνωθεν, ὅτι ὁ Πατὴρ δύο ἔχει, ὡς εἰπεῖν, δόξας ἰδικάς, μίαν μὲν πρὸς τὸν Υἱόν, καὶ μίαν πρὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ ὁ Υἱὸς δύο, μίαν εἰς τὸν Πατέρα, καὶ μίαν εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Καὶ τὸ Πνεῦμα ὁμοίως δύο ἔχει, μίαν πρὸς τὸν Πατέρα, καὶ μίαν πρὸς τὸν Υἱόν. Ὅστις ἄρα εἶπε· Τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, καὶ οὐκ ἐκπορεύεται καὶ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, δύο μὲν δόξας καταλιμπάνει τῷ Πατρὶ, ἀλλὰ μίαν ἀφαιρεῖ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, καὶ μίαν ἀπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος· πρὸς ὃν ἡ καθολικὴ πίστις ἀνθίσταται καὶ ἀντιμάχεται ὁμολογουμένως, ἥτις τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος τὴν δόξαν ἐπίσης εἶναι βεβαίοι. Ἴση γὰρ δόξα ἐστὶ τῇ Τριάδι ἐν τῇ τριάδι καὶ τῇ μονάδι, καὶ τῇ Τριάδι ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασι, σώας κατὰ πάντα φυλαττομένης τῆς ἰδιότητος τοῦ Πατρὸς ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ τῆς ἰδιότητος τοῦ Υἱοῦ ἐν τῷ Υἱῷ, καὶ τῆς ἰδιότητος τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐν τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ. Οὐ γὰρ οὐδεὶς ὑννηθείη εἰπεῖν τι περὶ τοῦ Πατρὸς, δι' οὗ φανείη εἶναι γεννητὸς, ἢ ἐκπορευτὸς, οὔτε περὶ τοῦ Υἱοῦ, δι' οὗ φανείη εἶναι ἐκπορευτὸς ἢ γεννήτωρ, οὔτε περὶ ἁγίου Πνεύματος, δι' οὗ φανείη εἶναι γεννήτωρ ἢ γεννητός.

A tum sanctum Patris et Filii ex utroque æqualiter procedere. Quicunque vero illud crediderit, et hoc non credit, non est perfecte fidelis.

3. Sed fortasse dicet ille : Caveo equidem ne quo pacto Patris gloria et Spiritus sancti, aliquod detrimentum et imminutionem patiatur, si Spiritus sanctus ita a Filio, quemadmodum a Patre procedere ostendatur. Absit hoc! Gloria enim Filii, gloria Patris existit, sicut econtra Patris gloria est gloria Filii. Nullam enim unquam singularem gloriam quærit Pater a Filio segregatam, neque Filius sibi gloriam quærit segregatam a Patre, præter illam solam qua ipse Pater est et qua ipse Filius est; secus enim communis est et non singularis. Singu-
B laris igitur gloria Patris ea est, qua Pater existit; sed potius etiam illa quodammodo gloria Filii est, quoniam Pater hac in re magis glorificatur : Filius enim ille ipsius Patris existit. Quod vero dicimus de gloria Patris et Filii, hoc etiam fideliter sentimus et de gloria Filii et Spiritus sancti. Spiritus enim sancti gloria Filii etiam gloria existit; neque enim habent inter se aliquam singularem gloriam et privatam, nisi quod ille talis est, a quo Spiritus sanctus procedat, et iste talis, qui a Filio procedat. Similiter dicimus et sentimus de gloria Patris et Spiritus sancti. Gloria enim Patris Spiritus sancti est gloria, et Spiritus sancti gloria est Patris gloria Tamen hanc singularitatem et distinctionem habent
C inter se, quod Pater talis est, a quo Spiritus sanctus procedat, et Spiritus sanctus talis est, qui a Patre procedat.

4. Ut vero apertissime appareat quorsum hæc nos dicamus, ita brevius quæ superius dicta sunt, colligamus et perpendamus. Ostendimus igitur supra quod sicut Pater duas habet, ut ita dicamus, singulares glorias, alteram quidem quoad Filium, alteram quoad Spiritum sanctum, ita etiam Filius duas habet glorias, alteram quoad Patrem, alteram quoad Spiritum sanctum. Spiritus quoque sanctus similiter duas habet glorias, alteram quoad Patrem, alteram quoad Filium. Quicunque igitur dixerit Spiritum sanctum procedere a Patre et non a Filio, duas quidem glorias relinquit ipsi Patri, sed unam
D aufert Filio, sicut et Spiritui sancto; quibus refragatur catholica fides, et repugnat communis omnium consensus. Fides enim catholica, Patris et Filii, et Spiritus sancti gloriam æqualem esse confirmat. Æqualis enim est gloria Trinitati in trinitate et unitate, et Trinitati in omnibus aliis, juxta omnia integra permanente proprietate Patris in Patre, et proprietate Filii in Filio, et proprietate Spiritus sancti in Spiritu sancto, ita ut nullus affirmare posset aliquid de Patre, per quod Pater vel genitus, vel procedens esse cognosceretur, neque quidquam de Filio, per quod Filius vel procedens, vel genitor ostenderetur; neque de Spiritu sancto, propter quod Spiritus sanctus, vel genitus, vel genitor appareret.

Digitized by Google

ε'. Ἰδοὺ τοίνυν, φρονιμώτατέ καὶ πρακτικώτατε βασιλεῦ, διὰ τῶν ἀνωτέρω γεγραμμένων νεύσει Θεοῦ ἀπεδείξαμεν, ὅτι ὡς ἔστι δόξα ἐστὶν ἐν τοῖς τρισὶ, καὶ ἑνικὴ ἐν ἑκάστοις ὕνευ συγχύσεως τῆς γεννήσεως καὶ τῆς ἐκπορεύσεως. Ἀπεδείξαμεν δὲ μᾶλλον, ὡς ὁ λέγων τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, οὐδεμίαν ἐλάττωσιν ποιεῖ τῆς τοῦ Πνεύματος δόξης. ἀλλ' ἐκεῖνος, ὅστις λέγει τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ μὴ ἐκπορεύεσθαι, ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματός τι ἀφαιρεῖ, καὶ ἁμαρτάνει οὗτος εἰς τὸν Υἱὸν, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ ἐν τῷ παρόντι αἰῶνι, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, εἰ μὴ μεταγνοὺς πιστεύσει, καὶ ὁμολογήσει τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. Τοῦτο γὰρ γνωστόν ἐστιν ὅτι καθάπερ ἐν ταύτῃ τῇ Τριάδι οὐδὲν μεῖζον ἢ ἔλαττόν ἐστιν, οὕτως ἐν αὐτῇ οὐδὲν πρότερον ἢ ὕστερον νοητέον, ἐπεὶ πᾶσα ἡ Τριὰς ἰσότιμός ἐστι καὶ συναιώνιος. Οὔτε γὰρ ὁ Πατὴρ ἦν πρὸ τοῦ Υἱοῦ, οὔτε ὁ Πατὴρ, ἢ ὁ Υἱὸς πρὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ὁμοίως οὔτε ὁ Πατὴρ μείζων τοῦ Υἱοῦ, οὔτε ὁ Πατὴρ, ἢ ὁ Υἱὸς μείζων τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ὅτι ἐν τῇ Τριάδι ὁ Πατὴρ παντοίως ἴσης δόξης ἐστὶ μετὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ παντοίως ἴσης δόξης εἰσὶ μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τὸ Πνεῦμα καὶ ὁ Υἱός. Ὥστε ἄλλως νοεῖσθαι ἀδύνατόν ἐστιν, εἰ μὴ νοηθῇ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι ἅμα καὶ τοῦ Υἱοῦ.

5. Ecce igitur, sapientissime et clementissime imperator, quomodo iis quæ supra diximus, divina favente ope, ostendimus æqualem gloriam in tribus esse divinis personis, et singularem in singulis absque ulla confusione generationis et processionis. Ostendimus præterea quicunque dixerit Spiritum sanctum a Filio procedere, nullum detrimentum inferre Spiritus sancti gloriæ, sed ille potius qui dixerit Spiritum sanctum non procedere a Filio, Filii et Spiritus sancti gloriæ aliquid ipse subtrahit, et in Filium, et in Spiritum sanctum pariter delinquit, nec illi remittetur, nec in præsenti, nec in futuro sæculo (*Matth.* XII), nisi pœnitentia ductus crediderit et confiteatur, Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere. Hoc enim tibi pateat manifestum quod sicut in hac Trinitate nihil majus aut minus existit : ita in eadem nihil prius aut posterius intelligi debet. Tota enim Trinitas æquali honore est veneranda, et coæterna existit, neque enim Pater præcessit Filium, neque Pater, aut Filius Spiritum sanctum. Similiter neque Pater major est Filio, neque Pater, aut Filius Spiritu sancto major est, quoniam in Trinitate Pater omnino æqualis est gloriæ cum Filio, et Spiritu sancto, et omnino sunt æqualis gloria cum Patre, et Spiritus sanctus, et Filius. Quapropter aliter intelligi omnino nequeunt, nisi intelligatur Spiritus sanctus a Patre procedere simul et a Filio.

ς'. Ἀλλά λέγει τις· Ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ εὑρίσκεται τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ οὐχ εὑρίσκεται καὶ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ. Τοῦτον τὸν τρόπον οὐ βούλομαι ἐγὼ σιωπῶν παρελθεῖν, ἀλλ' ἐπιμελῶς ὡς μαθησόμενος ζητῆσαι, μή πως, τοῦ Θεοῦ διδάσκοντος, δυνήσομαι ἀναμφισβητήτως εὑρεῖν τί πιστὸς ἄνθρωπος ὀφείλει περὶ τούτου νοεῖν. Ἡ Ἀλήθεια λέγει, Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἀλλ' ὁ Γραικὸς προστίθησι καὶ λέγει, Τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ πατρὸς μόνου. Ὁ δὲ Λατῖνος προστίθησι καὶ λέγει, Τὸ πνεῦμα ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ. Προστίθησι τοίνυν ὁ Γραικὸς, προστίθησι καὶ ὁ Λατῖνος, ὅτι ἐν τοῖς προῤῥηθεῖσι ῥήμασι τοῦ Εὐαγγελίου οὐχ εὑρίσκεται τὸ « μόνου, » οὔτε τὸ, « ἐκ τοῦ Υἱοῦ. » Εἰ οὖν ἀλήθειά ἐστιν ὃ λέγει ὁ Γραικὸς, ψεῦδος ἂν εἴη ὃ λέγει ὁ Λατῖνος. Ἀπὸ τῶν ῥημάτων τῶν ὄντων ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ οὔτε ὁ Γραικὸς διαφωνεῖ, οὔτε ὁ Λατῖνος, ἀλλ' ἀπ' ἐκείνης τῆς προσθήκης, ἣν προστίθησιν ὁ Λατῖνος, διαφωνεῖ ὁ Γραικὸς. Σὺ τοίνυν, φρονιμώτατε ἄναξ, ἀνάβηθι πράως εἰς τὸ βῆμα τῆς καρδίας σου, καὶ καθίσας ὡς κριτὴς ἐν τῷ θρόνῳ τῆς διανοίας σου κρῖνον κρίσιν δικαίαν, καὶ μὴ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, περιθάλπῃς τὸν Γραικὸν, ὡς πεκούλιόν σου. Ἡ γὰρ οἰκειότης συχνοτέρως ποιεῖ τοὺς κριτὰς κάμπτειν ἀπὸ τῆς ἀληθείας. Θοῦ τοίνυν τῶν ἀμφοτέρων τοὺς λόγους, καὶ μὴ ᾖ παρὰ σοὶ στάθμιον καὶ στάθμιον, ἢ μέτρον καὶ μέτρον. Ἀμφότερα γὰρ βδελυκτὰ εἰσι παρὰ τῷ Θεῷ. Ἄκουσον οὖν ἐλευθέρᾳ καρδίᾳ σου, διὰν αἰτίαν προστίθησιν ὁ Γραικὸς τὸ « μόνου, » καὶ διὰ ποίαν αἰτίαν προστίθησιν ὁ Λατῖνος « καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ· » καὶ ἔνθα ἴδῃς μετὰ λόγου τὴν προσθήκην, τῷ λόγῳ ἀναπαύθητι, καὶ ἐκείνῃ τῇ προσθήκῃ ἑνωσον σαυτὸν, ἔνθα δὲ ἴδῃς τὴν προσθήκην μὴ μετέχουσαν

6. Sed inquit aliquis : In Evangelio reperitur Spiritum sanctum a Patre procedere (*Joan.* XV), non tamen legitur et a Filio. Sed hoc quidem nolo silentio præterire, sed potius diligenter quærere, ut ipse discam, si quo pacto, Deo docente, valeam invenire absque ulla dubitatione quid fidelis homo de hac re sentire debeat. Veritas itaque dicit Spiritum sanctum a Patre procedere. Sed Græcus addit præterea, et dicit Spiritum sanctum procedere a Patre solo. Latinus addit etiam ipse et dicit Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio. Addit igitur Græcus, addit et Latinus, quoniam in prædictis Evangelii verbis non invenitur, neque ex solo Patre, neque ex Filio. Si igitur vera sunt quæ dicit Græcus, mendacia essent procul dubio quæ dicit Latinus. Sed a verbis quæ habentur in Evangelio, neque Græcus dissentit, neque Latinus, sed ab ea additione quam addit Latinus, dissentit Græcus. Tu igitur, sapientissime rex, ascende benigne ad tribunal cordis tui, et sedens quasi judex in solio mentis tuæ, judica judicium justum (*Joan.* VII), neque, ut fieri solet, Græcos, quasi peculium tuum, foveas. Familiaritas enim plerumque a veritate declinare facit judices. Pone igitur utrorumque rationes, et non sit apud te pondus et pondus, vel mensura et mensura : utraque enim abominatur Deus (*Deut.* XXV). Audi igitur ingenuo corde tuo quanam de causa addat Græcus illud, *a solo*, et qua iterum de causa addat Latinus *et a Filio*, Spiritum scilicet sanctum procedere, et ubi videris cum ratione additionem appositam, ibi mente acquiescas tua, et illi

Digitized by Google

λογου. σὺ μὲν τῷ λόγῳ ἀκολούθησον, ἀπ' ἐκείνης δὲ τῆς προσθήκης χώρισον σεαυτόν. Βούλομαι θεῖναι τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Γραικοῦ, καὶ τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Λατίνου, ἵνα θεαθεισῶν ἀμφοτέρων τῶν ὑποθέσεων παρὰ σοῦ τὸ ἀληθὲς δυνηθῇ κριθῆναι ἐπ' ἀμφοτέραις ταῖς προσθήκαις.

additioni teipsum adjungas. Ubi vero videris additionem a ratione alienam, tu quidem rationi adhærens, ab ea additione teipsum segrega. Volo equidem argumentum Græci et Latini in medium afferre, ut utroque argumento per te perpenso, veritas a te dignosci valeat circa utramque additionem.

ζ'. Ὁ Γραικὸς λέγει, « Ἐγὼ ὀρθῶς πιστεύω τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ οὐκ ἀπ' ἄλλου· καὶ ἐπεὶ ἐκεῖσε οὐ προσετέθη ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, ἢ ἀφ' ἑτέρου, τούτου ἕνεκα οὐ βούλομαι ἀφ' ἑτέρου προσθῆναι, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Πατρὸς μόνου νοεῖν. Ἐπεὶ ἐὰν ἡ Ἀλήθεια ἀφ' ἑτέρου ἐνόησεν, ἀφ' ἑτέρου πάντως εἶναι εἶπε. » Πρὸς ταῦτα ἐγὼ ὑπὲρ τοῦ Λατίνου ἀπολογούμενος, οὐκ ἀναγκαῖον ἔχω ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ τούτου ἕνεκα νοεῖν ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς, ὅτι μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς ἐκεῖσε τίθεται· ὅτε ἐν πολλαῖς τῆς θείας Γραφῆς γνώμαις, καὶ ἀποφάσεσι μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, ὅμως οὐχ οὕτως μόνως ὁ Πατὴρ νοεῖται, ἵνα μὴ μᾶλλον καὶ ὁ Υἱὸς ἁρμοζόντως ἐκεῖσε νοηθείη, καθὼς ἐκεῖνο τὸ τοῦ Εὐαγγελίου ῥητόν· « Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ὑμῶν. » Ἰδοὺ ἡ Ἀλήθεια, μόνου τοῦ ὀνόματος τοῦ Πατρὸς τεθέντος, φησὶ ταῦτα τὰ δύο, τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, καὶ, τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. Ὀφείλομεν τοίνυν οὕτως νοεῖν, τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ὑμῶν, καὶ οὐ τοῦ Υἱοῦ, καθὼς ὁ Γραικὸς νοεῖ, τὸ Πνεῦμα λέγων ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ; Ἐὰν δὲ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς οὐκ ἔστι πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ, τί ἐστιν ὃ λέγει ὁ Ἀπόστολος· « Ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν· » καὶ πάλιν, « Ἐάν τις τὸ Πνεῦμα τοῦ Χριστοῦ οὐκ ἔχῃ, αὐτὸς οὐκ ἔστιν αὐτοῦ; » Μήτιγε ἡ Ἀλήθεια λέγει Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς, καὶ οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ὁ ἀπόστολος τῆς Ἀληθείας λέγει, Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ, καὶ Πνεῦμα τοῦ Χριστοῦ; Ἐὰν δὲ ἄμφω ἀληθῆ εἰσιν ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ, καὶ ὁ ἡ Ἀλήθεια λέγει Πνεῦμα Πατρὸς, καὶ ὁ ἡ Ἀλήθεια σιωπᾷ Πνεῦμα Υἱοῦ, τίνος ἕνεκεν οὐχ ὁμοίως ἀμφότερα ἀληθῆ εἰσιν ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ μᾶλλον, ὅπου ἡ Ἀλήθεια λέγει, τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι ἀπὸ τοῦ Πατρός; Τίθημι δύο ἕτερα παραδείγματα ἐκ τοῦ Εὐαγγελίου, ἐν οἷς μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, ὅμως μόνος ὁ Πατὴρ ἄνευ τοῦ Υἱοῦ οὐ νοεῖται. Ἵνα δὲ ἐν στόματι δύο, ἢ τριῶν μαρτύρων σταθῇ πᾶν ῥῆμα, ὁ Κύριος Ἰησοῦς εἶπεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· « Ἐὰν ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἁμαρτήματα αὐτῶν, ἀφήσει ὑμῖν ὁ Πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τὰ παραπτώματα ὑμῶν. » Ἐν ἑτέρῳ πάλιν τόπῳ λέγει· « Ὅστις ἂν ποιήσει τὸ θέλημα τοῦ Πατρός μου, τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ἐκεῖνος ἀδελφός μου ἐστίν. » Ἰδοὺ ἐν τούτοις τοῖς δυσὶ τόποις μόνου τοῦ Πατρὸς τὸ ὄνομα τίθεται. Ὅμως ἡ καθολικὴ πίστις οὐκ ἀνέχεται ἵνα μόνος ὁ Πατὴρ, ἄνευ τοῦ Υἱοῦ νοῆται ἐν αὐτοῖς, ὅτι ἐν τῷ θελήματι μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, ἀλλὰ μόνος ὁ Πατὴρ οὐ νοεῖται ποτε. Τὸ θέλημα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐστι, καὶ ἡ ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν, ἥτις ἀπὸ τοῦ Πατρός ἐστι, ἡ αὐτὴ καὶ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ ἐστιν. Ὁμοίως ὅταν λέγηται τὸ Πνεῦμα ἀπὸ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, εἰ τάχα μόνου τοῦ Πατρὸς τὸ ὄνομα τίθεται, ὅμως ἡ πίστις τῶν Χριστιανῶν οὐκ ἀνι-

7. Græcus inquit: « Ego recte credo Spiritum sanctum a Patre procedere, et non ab alio; et quoniam inibi, in Evangelio scilicet, non est additum a Filio, vel ab alio, hac de causa nolo dicere ab alio, sed a Patre solo intelligere. Si enim Veritas ab alio etiam procedere intellexisset, utique ab alio esse omnino dixisset. » Ad hæc ego respondeo. Latinos tutatus: « Non est necesse hoc in loco hac de causa intelligere a solo Patre Spiritum sanctum procedere, quoniam solum Patris nomen in Evangelio ponitur; multis enim in locis et sententiis sacræ Scripturæ solum Patris nomen ponitur, nihilominus non hac de causa solus Pater intelligitur, ut non magis Filius etiam congrue ibidem intelligatur, quemadmodum in illis Evangelii verbis: ***Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*** (*Matth.* x). Ecce enim Veritas, solo Patris nomine posito, dicit hæc duo, Spiritus videlicet sanctus a Patre procedit, et Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis [cum tamen eadem veritas Filius dicat iisdem discipulis: ***Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere adversarii vestri*** (*Luc.* xxi). Per os et sapientiam, nihil nisi Spiritum, quem accepturi essent credentes, intellexisse, palam facit idem Evangelista in Actis apostolicis, dum ait Stephano: ***Non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui, qui loquebatur*** (*Act.* vi). Idem ergo Spiritus Patris et Filii a Patre dari dicitur, et a Filio, et non a Patre solo, licet dixerit, *Spiritus Patris vestri*.] Debemusne igitur ita intelligere Spiritum sanctum Patris vestri, et non Filii, quemadmodum Græcus intelligit, Spiritum, inquiens, a Patre procedere, et non a Filio? Si vero Spiritus Patris non est Spiritus Filii, quid est igitur? quod inquit Apostolus, ***Misit Deus Spiritum Filii sui in cordibus nostris*** (*Gal.* iv); et iterum: ***Nisi quis Spiritum Christi habuerit, hic illius non erit?*** (*Rom.* viii.) Num Veritas dicit, Spiritus Patris, et non erit veritas quod dicit Veritatis Apostolus, Spiritum sanctum Filii esse Spiritum et Christi? Si vero utraque vera sunt hoc in loco, et quod Veritas dicit, Spiritum Patris, et quod Veritas tacet, Spiritum Filii: quanam de causa non similiter utraque vera sunt, illa in illo loco magis, ubi Veritas dicit Spiritum sanctum a Patre procedere? Porro iterum alia duo exempla ex Evangelio proferam, in quibus solum Patris nomen ponitur, solus tamen Pater absque Filio non intelligitur. Ut vero in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum (*Deut* xix), Dominus Jesus dixit discipulis suis in Evangelio: ***Si remiseritis hominibus peccata ipsorum, remittet vobis Pater cælestis delicta vestra*** (*Matth.* vi).

Digitized by Google

χεται, καὶ πάσχει ἵνα μόνος ὁ Πατὴρ ἄνευ τοῦ Υἱοῦ A Alio etiam in loco dixit : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille est frater meus* (*Matth.* XII). Ecce in his duobus locis solius Patris nomen ponitur. Catholica tamen fides non patitur ut solus Pater absque Filio in illis intelligatur, quoniam in voluntate solius Patris nomen ponitur, sed solus Pater nunquam intelligitur, et voluntas Patris est Filii voluntas, et peccatorum remissio, quæ est a Patre, eadem est et a Filio. Similiter quando dicitur Spiritum sanctum a Patre procedere, si fortasse solius Patris nomen ponatur, Christianorum tamen fides non tolerat, neque patitur ut solus Pater absque Filio intelligatur.

νοῆται.

η'. Τοῦτο δὲ νοητέον ἐστίν, ὡς ποτὲ μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, καὶ μόνος ὁ Πατὴρ νοεῖται, ὡς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· « Ἡ φωνὴ τοῦ Πατρὸς ἠκούσθη, οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου. » Ἰδοὺ ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ δύναται ὁ Γραικὸς φωνὴν τοῦ Πατρὸς εἰπεῖν, ἀλλ' οὐχὶ καὶ τοῦ B Υἱοῦ· φωνὴ γὰρ ἠκούσθη ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, οὐ μὴν ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ. Ὅμως οὐκ ἐξ ἑαυτοῦ δύναται λέγειν τοῦτο, ὅτι μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς ἐκεῖνο τίθεται· ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ, ἐπεὶ τοιαύτη φωνὴ ἐστιν ἐκείνη, ἥτις εἰς μόνον τὸν Πατέρα ἀνήκει· « Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου. » Ἐπιμελῶς τοίνυν ἐν πάσῃ προτάσει, καὶ σημειώματι, ἐν ᾧ μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, σκεπτέον ὁποῖόν ἐστι τὸ προτιθέμενον. Εἰ μὲν γὰρ τοιοῦτόν ἐστιν, ἵνα εἰς μόνον τὸν Πατέρα ἀνήκῃ, καὶ ὁ Γραικὸς, καὶ ὁ Λατῖνος, καὶ πᾶς Χριστιανὸς ὀφείλει ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς νοεῖν. Εἰ δέ γε τοιοῦτόν ἐστιν τὸ προτιθέμενον, ἵνα καὶ εἰς τὸν Πατέρα, καὶ εἰς τὸν Υἱὸν ἅμα ἀνήκῃ, οὐκ ὀφείλει ἐκεῖ Χριστιανὸς ἄνθρωπος τὸν Πατέρα ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, ἢ τὸν Υἱὸν ἀπὸ τοῦ Πατρὸς χωρίσαι, ἀλλὰ νοεῖν ἅμα τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱόν. Ἐι ταύτῃ δὲ τῇ προτάσει καὶ σημασίᾳ τῇ λεγούσῃ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πα- C τρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ τῷ Γραικῷ καὶ τῷ Λατίνῳ σκοπτέον ἐστὶν πότερον ἡ ἐκπόρευσις τοῦ Πνεύματος τῷ Πατρὶ μόνῳ, ἢ ἅμα τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ ἀνήκει. Ἐξ αὐτῆς τοίνυν τῆς ἁπλῆς σημασίας οὐδεὶς ἀναμφιτβητήτως δύναται συλλαβεῖν, κἂν ἀπὸ μόνου τοῦ Πατρὸς, κἂν ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ Πνεύματος νοεῖν ὀφείλῃ. Εἰ οὖν ὁ Γραικὸς βούλεται, ὅπως ἡμεῖς ἐκεῖσε ἀπὸ μόνου τοῦ Πατρὸς νοήσωμεν, ἀναγκαῖόν ἐστιν, ἵνα τινὰ αὐθεντίαν εἰς τὸ μέσον θήσῃ, ἢ τινὰ ἐνδεχόμενον λόγον ἀποδείξῃ, δι' οὗ ὀφείλομεν τοῦτο πιστεύειν. Ἐὰν δὲ οὐδεμίαν αὐθεντίαν, ἢ μαρτυρίαν περὶ τούτου δυνήσεται ἀποδεῖξαι, ὁμολογούμενόν ἐστιν, ὡς οὐκ ὀφείλει ἐκεῖσε ἀπὸ μόνου τοῦ Πατρὸς νοεῖν. Λοιπὸν οὖν οὐκ εὔλογος αἰτία ἐστὶν αὕτη, ἣν ἄνω ὑπὲρ τοῦ Γραικοῦ εἴπομεν, εἰ μὴ ἑτέρα ἴσως λ:χθείη. D

8. Hoc autem intelligendum : aliquando solum nomen Patris ponitur, et solus Pater intelligitur, ut in Evangelio : *Vox Patris audita est : Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Ecce hoc in loco potest Græcus dicere vocem Patris intelligendam, non vocem Filii ; vox enim ex Patre audita est, non autem ex Filio. Nihilominus ex ipso hoc dicere non potest, quoniam solum nomen Patris illud loquitur, sed potius ab hoc ipso quod hæc vox ex est quæ ad solum Patrem refertur : *Hic est Filius meus.* Diligenter itaque est animadvertendum, in unaquaque propositione et significatione, in qua solum Patris nomen ponitur, qualenam sit illud quod proponitur. Si enim tale est, ut ad solum Patrem referatur, et Græcus, et Latinus, et Christianus omnis debet de solo Patre illud intelligere. Si vero tale exstiterit quod proponitur, ut ad Patrem et ad Filium simul referatur, non debet eo in loco Christianus homo, Patrem a Filio, et Filium a Patre segregare, sed simul intelligere et Patrem et Filium. In hac vero propositione et significatione qua dicitur Spiritum sanctum a Patre procedere, tum Græco, tum etiam Latino est considerandum utrum processio Spiritus sancti soli Patri, vel simul Patri et Filio tribuatur. Ex ipsa igitur simplici significatione nullus aperte potest intelligere an a Patre solo, vel a Patre et Filio Spiritus sancti processionem intelligere debeat. Si igitur Græcus voluerit ut nos eo in loco a solo Patre intelligamus, necesse est ut auctoritatem aliquam in medium afferat, vel rationem aliquam ostendat congruentem, per quam hoc credere debeamus. Si vero auctoritatem nullam, vel testimonium de hoc poterit demonstrare : aperte patet quod non debet in illo loco a solo Patre procedere Spiritum sanctum intelligere. Non igitur rationi congrua est illa causa quam superius diximus pro Græco, nisi alia fortasse congruenter afferatur.

Digitized by Google

ANNO DOMINI MCXVIII.

ALEXII COMNENI

IMPERATORIS.

NOVELLÆ CONSTITUTIONES

QUÆ AD RES ECCLESIASTICAS SPECTANT.

(Apud J. Leunclavium, *Jus Græco-Romanum*, et in præclara syllloge quam novissime sub eodem titulo Lipsiæ edidit clar. Zach. a Lingenthal)

I.

Imp. Alexii Comneni aurea bulla qua matri plenam imperii administrandi potestatem tribuit. (*Anno* 1081.)

(Exstat in *Alexiade* Annæ Comnenæ [lib. III], quam infra dabimus ad an. 1130.)

Β'.

Περὶ τῶν ἱερῶν σκευῶν καὶ τοῦ μὴ ἄλλοτέ ποτε ταῦτα κοινωθῆναι (1).

Οἱ πονήρως τοῦ σώματος ἔχοντες καὶ θεραπείας ἰασίμου δεόμενοι, αὐτὸ μὲν τοῦτο εἰδότες ὅτι κάμνουσι καὶ τῆς νόσου ἐπαισθανόμενοι, μᾶλλόν εἰσιν ἴασιμοι τοῖς θεραπευταῖς· οἱ δὲ πρὸς τὸ μέγεθος τῆς νόσου ἀναισθητοῦντες καὶ οὐδ' ὅτι νοσοῦσι γινώσκοντες, ἑαυτοῖς καὶ τοῖς ἰατροῖς παρέχουσι πράγματα. Αὐτὸ δὴ τοῦτο κἀν τοῖς ψυχικοῖς ἔστι κατιδεῖν ἀῤῥωστήμασι, καὶ τῶν ἁμαρτανόντων ἡμῶν οἱ μὲν εἰς βάθος κακῶν ἐμπεσόντες καταφρονοῦμεν καὶ τῷ μεγέθει τῶν ἀνομημάτων ὑπερνικώμενοι οὐδ' ὅτι ἁμαρτάνομεν αἰσθανόμεθα, εἰς φύσιν πολλάκις τῆς πονηρᾶς ἕξεως μεταπιπτούσης. Οἷς δέ τι Θεὸς ἐπιλάμπει σωτήριον φῶς καὶ μὴ πάντη τὸ διανοητικὸν τῇ κάτω ἰλύϊ συγκέχυται, μηδὲ τῇ πλινθείᾳ ὁ νοῦς καθάπαξ δουλεύειν βιάζεται, ἔστι τούτοις καὶ ἀνανεῦσαι τοῦ πτώματος, καὶ Θεοῦ πολλάκις κατὰ τὸ ἐκούσιον ὀλισθήσασιν ἐπαναδραμεῖν εἰς ἐκεῖνον ἐθελουσίῳ ἀναζητήσει τοῦ κρείττονος.

Ὅπερ δὴ κἀν τῇ βασιλείᾳ ἡμῶν συμβέβηκεν ἀτεχνῶς. Ἐπεὶ γὰρ αἱ ποικίλαι καὶ πολυμερεῖς τῶν πραγμάτων περιστάσεις, καὶ ἡ πανταχόθεν μὲν τῶν δημοσίων προσόδων ἐκκένωσις, ἁπανταχόθεν δὲ τῶν ἐξόδων ἡ ἀναστόμωσις, τοῦ κράτους ἡμῶν συνέσχον τὴν γαληνότητα, καὶ ἅμα τῷ τῆς βασιλείου ἐπιβῆναι ἀρχῆς κατόπιν εὐθὺς αἱ περιστάσεις ἐπηκουλούθησαν, κἀντεῦθεν ὑπ' ἀμηχανίας, καὶ τοῦ μὴ

A II.

De sacris vasibus et quod ea nullo deinceps tempore profanum in usum converti debeant.

(99) Hæc manu propria imperatricis in ms. descripta sunt rubris characteribus, ut moris erat Constantinopolitanis imperatoribus, et eorum uxoribus. In codice Regio post finem capitis præcedentis quod ad calcem fere paginæ desinit, sequitur Augustæ subscriptio magnis characteribus, quæ femineam manum redolet. Sed cum tota in hac pagina contineri nequeat, ad sequentem paginam absolvitur, quam fere mediam occupat. Dehinc duo capita quæ sequuntur, non modico elapso tempore, ut infra dicetur, diversa manu exarata sunt. Hoc non sine causa animadvertimus : nam hinc efficitur hunc codicem esse autographum; si enim transsumptum tantum esset, nulla esset ratio, cur ea quæ diversa manu et diverso tempore primum edita fuerant, diversa quoque manu transcriberentur. Cui sententiæ patrocinatur Augustæ subscriptio : ipsi enim soli licebat proprium nomen rubris characteribus scribere, ut dictum est.

(1) Hæc et sequentia præcedentibus, non modico elapso tempore, addita fuisse, hinc evincitur, quod præcedentia scripto tradita sint, Alexio imperatore, Andronico filio, et Eudocia filia adhuc viventibus; subsequentia vero iisdem fato functis. Andronicus primus obiit : quem non diu post secutus est pater Alexius; hujus morti aderat Eudocia filia, quæ ultima obiit.

Digitized by Google

ἐλπίζων μου, πρὸς τὰς αἰωνίους μετέβη σκηνάς, καὶ ἦν ἀναγκαῖον τὸ διορίσασθαι τὴν βασιλείαν μου καὶ ἐπὶ τούτοις τὸ δοκοῦν αὐτῇ· τοῦτο δὴ καὶ ποιῶ, καὶ διορίζομαι, ἵνα μετὰ τὴν ἐμὴν τοῦ τῇδε βίου μετάστασιν, κατέχῃ καὶ νέμηται ἡ ποθεινοτάτη μου πορφυρογέννητος καὶ Καισάρισσα κυρὰ Ἄννα ἄχρις ἂν ζῇ κατὰ τὸ ἀκώλυτον, οὐ μόνον τὰ πάντα κελλία αὐτῆς, ἐν οἷς καὶ ζώσης ἐμοῦ τὴν καταμονὴν ἐποιεῖτο, ἀλλὰ δὴ καὶ πάντα τὰ ἐν τῇ Κεχαριτωμένῃ οἰκήματα, ὅσα δηλονότι εἰς χρῆσιν ὑπῆρχον τῆς βασιλείας μου, καὶ τῶν παίδων καὶ τῶν ὑποχειρίων ἡμῶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν, σὺν τῇ ἔξω αὐλῇ, τῇ κατ' εὐθείαν κειμένῃ τῆς ἐντὸς αὐλῆς τῶν πολυτελεστέρων οἰκημάτων. Περὶ γὰρ τῆς ἄλλης αὐλῆς ἡ ἀμπελών ποτε χρηματίζουσα εἰς αὐλὴν μετημείφθη, κρατήσει ἡ περὶ αὐτῆς παρ' ἐμοῦ γενησομένη ὁτεδήποτε ἔγγραφος πρόσταξις. Ἔτι γε μὴν καὶ τὴν ἐκκλησίαν τοῦ ἁγίου Δημητρίου, σὺν τοῖς δυσὶ λουτροῖς, καὶ τῇ τρίτῃ μερίδι τοῦ εἰσαγομένου ἐν τοῖς τῆς μονῆς βρυτοῦ ὕδατος, καθὼς δηλονότι παρ' ἐμοῦ κατέχονται, ὀφείλουσα πᾶσαν ἔχειν ἄδειαν καὶ ἐκ καινῆς ἕτερα οἰκήματα ἀνεγείρειν, οἷα βούλεται, καὶ τὰ ὄντα τά τε δεσποτικὰ καὶ τὰ ἄλλα ἀλλοιοῦν ὡς ἂν αἱρῆται, καὶ μεταποιεῖν εἰς ὃ θέλει σχῆμα· τοῦτο μόνον παραφυλάττουσα, τὸ μήτε βάρος νέον οἱονδήποτε ἐπιθεῖναι τῷ διαιρέτῃ τοίχῳ ἀμφοτέρων τῶν μονῶν, τοῦ τε Φιλανθρώπου δηλαδή, καὶ τῆς Κεχαριτωμένης, μήτε μὴν κατοπτείαν ἔχειν κατ' αὐτῶν.

Μετὰ δὲ παρέλευσιν αὐτῆς, ἵνα ἔχῃ τὴν χρῆσιν καὶ κατοχὴν καὶ νομὴν τῶν ἀναγεγραμμένων πάντων ἀκινήτων καὶ λοιπῶν δικαίων, ἡ ποθεινοτάτη μου ἐγγόνη κυρὰ Εἰρήνη ἡ Δούκαινα, ἡ θυγάτηρ τῆς κυρᾶς Ἄννης, κατὰ τὸ ἀδιάστικτον καὶ ἀνυπεξαίρετον· μόνον καταλυθῆναι ὀφειλόντων μετὰ τὴν τοῦ τῇδε βίου μετάστασιν τῆς πορφυρογεννήτου κυρᾶς Ἄννης, τῶν ἀπηωρημένων οἰκημάτων ἔξωθεν τοῦ διαιρέτου τοίχου, καὶ ἀποβλεπόντων πρὸς τὸν κῆπον τῆς τοῦ Φιλανθρώπου μονῆς, ἐν οἷς δηλονότι σήμερον καταμένει ἡ δηλωθεῖσα πορφυρογέννητος, ὀφείλοντος τοῦ τοιούτου τοίχου ὑψωθῆναι καὶ ἕτι πήχεις δύο. Μετὰ δὲ τελευτὴν τῆς κυρᾶς Εἰρήνης, εἰ μὲν ἐπὶ διαθήκῃ τελευτᾷ ἡ μήτηρ αὐτῆς ἡ πορφυρογέννητος, ἵνα παραπέμπῃ ταῦτά τε τὰ δεσποτικὰ οἰκήματα, καὶ λοιπά, εἰς οἷον ἂν αἱροῖτο τῶν παίδων αὐτῆς, ἢ ἐγγόνων, ἢ προεγγόνων· εἴτε ἄρρενος, εἴτε θήλεος γένους ἐστίν. Εἰ δὲ πρὸ τῆς κυρᾶς Εἰρήνης ἡ μήτηρ αὐτῆς τὸν τῇδε καταλύσει βίον, ἢ καὶ ὕστερον μὲν ἐκείνης, μὴ διάθηται δὲ περὶ τούτου (ἀδιάφορον γάρ)· τότε τὸ δίκαιον τῆς κατοχῆς καὶ νομῆς τῶν ἀναγεγραμμένων οἰκημάτων καὶ λοιπῶν περιελεύσεται εἰς τὸν τῷ χρόνῳ προήκοντα, ἢ τὴν προήκουσαν τῶν παίδων, ἢ ἐγγόνων, ἢ προεγγόνων τῆς πορφυρογεννήτου κυρᾶς Ἄννης μετὰ διαστίξεως μέντοι τοιαύτης· ὥστε εἰ μὲν τὸ πρόσωπον, ᾧ τὸ τοιοῦτον ἁρμόσει δίκαιον ἐπὶ διαθήκῃ τοῦ βίου τούτου μεθίστασθαι, ἔχειν ἄδειαν παραπέμπειν ταῦτα εἰς οἷον ἂν βούλοιτο τῶν ἐξ αὐτοῦ καταγομένων παίδων, ἐγγόνων, καὶ ἐφεξῆς. Εἰ δὲ ἡ τοὺς καταγομένους ἐξ αὐτοῦ οὐκ ἔχοι, ἢ μὴ περὶ τούτου διάθηται, τηνι-

A sperabam rapta, ad æterna tabernacula transmigrarit, et necesse fuerit, ut imperium meum de illis quoque statueret, quod sibi visum esset : id efficio, et statuo ut post meum ex hac vita discessum, dilectissima mea porphyrogenita et Cæsarissa domna Anna, nullo obstante illa obtineat et possideat donec vixerit, non solum omnes cellas suas, in quibus, me quoque vivente, habitabat, sed etiam omnia quæ in Kecharitomene seu Gratia-plena exstant domicilia, quæcunque videlicet usui fuere majestati meæ, filiisque, et servis nostris, viris et mulieribus, cum exteriore aula, quæ sita est e regione interioris aulæ sumptuosiorum ædium. Nam quod ad aliam aulam, quæ cum olim vinea fuisset, in aulam mutata est, obtinebit quod quovis tem-
B pore scriptum circa illam decretum edam : nec non ecclesiam Sancti Demetrii, cum duobus balneis, et tertia parte scaturientis aquæ, quæ ad monasterium derivatur, quemadmodum scilicet a me occupantur ; et penes eam omnino erit alias de novo domos excitare, quaslibet voluerit, et eas quæ jam exstant cum despoticas, tum alias, immutare ut libuerit, et in quam voluerit formam traducere : id solum observans, ut novam quamcunque molem non imponat dirimenti muro amborum monasteriorum, nempe Philanthropi seu Salvatoris, et Kecharitomenes seu Gratia plenæ, neque locum habeat quo illa inspici queant.

Post obitum vero ejus, usum, possessionem et dispensationem descriptorum omnium immobilium,
C reliquorumque jurum obtineat dilectissima mea neptis, domna Irene Ducæna, filia domnæ Annæ, citra ullam distinctionem et exceptionem ; ea lege tamen, ut post translationem ex hac vita porphyrogenitæ domnæ Annæ, diruantur sublimes ædes extra murum dirimentem sitæ, et ad hortum monasterii Philanthropi respicientes, in quibus nimirum hodie habitat præfata porphyrogenita, qui murus duobus adhuc cubitis attolletur. Post obitum autem domnæ Irenes, si quidem testato mater ejus porphyrogenita mortem oblerit, transmittat ipsas despoticas domos et cætera ad quemcunque voluerit e filiis, nepotibus, aut pronepotibus suis, sive masculini sive feminini sexus. Si vero ante
D domnam Irenem mater ejus præsenti vita fungatur, vel post illam quidem, nihil tamen de illo testata (indifferens enim est), tunc jus possessionis et usus descriptarum ædium, et reliquorum, deveniet ad ætate grandiorem cujusvis sexus e filiis, nepotibus, aut pronepotibus porphyrogenitæ domnæ Annæ ; cum hujusmodi tamen distinctione, ut si quidem persona cui tale jus competet testato hac vita migrarit, penes eam sit illa transmittere ad quemcunque voluerit ex oriundis a se filiis, nepotibus et sequentibus. Si autem vel oriundis careat, vel de illo testata non fuerit, tunc memoratum jus recurret ad ætate grandiorem cujusvis sexus ex oriundis a porphyrogenita domna Anna. Et illa distinctio semper valeat, quandiu oriundorum e

Digitized by Google

linea præfatæ porphyrogenitæ quispiam superstes fuerit.

ἀπὸ τῆς πορφυρογεννήτου κυρᾶς Ἄννης· καὶ τὴν τοιαύτην διάστιξιν οὕτω μέχρι παντὸς προβαίνειν ἄχρις ἂν ἡ τῶν ἀπὸ τῆς σειρᾶς τῆς δηλωθείσης πορφυρογεννήτου διάρκεια περισώζηται.

Nec ad solos filios, aut nepotes, aut pronepotes suos tale jus per testamentum transmittet porphyrogenita, ut supra dictum est, sed et ad unam e nuribus suis, illorum cujuslibet uxorem, quamcunque voluerit; quæ illa simili modo possidebit, si quidem ad secundas nuptias non respexerit: si enim ad illas declinarit, hujusmodi jure statim excidet, et illud prorsus devolvetur ad porphyrogenitæ lineam: quod absque ullo discrimine servari quoque debet erga alias omnes nurus, quibus tale jus competet ex transmissione cujuspiam eorum qui illa possederint, ut supra dictum est. Non enim soli porphyrogenitæ, sed etiam oriundis ab ipsa licebit illud per testamentum transmittere, si voluerint, ad aliquam e nuribus suis, uxorem cujuslibet ab illa oriundi. Idque in confesso esse debet, quod tametsi de solo masculino genere speciatim mentionem facimus, una tamen femininum intelligendum est, et quasi expressum reputandum, quantum ad caput de illis ædibus.

Οὐκ εἰς μόνους δὲ τοὺς παῖδας, ἢ ἐγγόνους ἢ προεγγόνους αὐτῆς παραπέμψει ἀπὸ διαθήκης τὸ τοιοῦτον δίκαιον ἡ πορφυρογέννητος, ὡς ἄνωθεν εἴρηται, ἀλλὰ καὶ εἰς μίαν τῶν ἐπί τινι τούτων νυμφῶν αὐτῆς, ἣν ἂν βούλοιτο· καὶ καθέξει καὶ αὕτη ταῦτα ὡσαύτως, εἴπερ μὴ πρὸς ἕτερον γάμον ἀπίδοι· εἰ γὰρ πρὸς τοῦτον ἀποκλίνοι, εὐθὺς ἐκπεσεῖται τοῦ τοιούτου δικαίου, περιελευσομένου πάντως πρὸς τὴν ἐκ τῆς πορφυρογεννήτου σειρᾶν· ὥσπερ ὀφείλει γίνεσθαι ἀπαραλλάκτως καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων πασῶν νυμφῶν αἷς τὸ τοιοῦτον ἁρμόσει δίκαιον, ἀπὸ παραπομπῆς τινος τῶν τοῦτο κτησαμένων, ὡς ἄνωθεν εἴρηται. Οὐ γὰρ μόνῃ τῇ πορφυρογεννήτῳ, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἐξ αὐτῆς καταγομένοις ἐξέσται παραπέμπειν τοῦτο ἀπὸ διαθήκης, εἰ βούλοιντο, εἰς μίαν τῶν ἐπὶ τοῖς ἐξ αὐτῆς νυμφῶν αὐτῶν· ἐκείνου τῶν ὁμολογουμένων εἶναι ὀφείλοντος, ὡς εἰ καὶ ἰδικώτερον τοῦ ἄρρενος γένους μνημονεύομεν μόνου. Ἀλλὰ καὶ τὸ θῆλυ συννοεῖσθαι τούτῳ ὀφείλει, καὶ ὡς καὶ αὐτὸ ἐκφωνούμενον λογίζεσθαι, ὅσον ἐπὶ τῷ περὶ τῶν οἰκημάτων τούτων κεφαλαίῳ.

Si vero (quod absit) cognatio ita deficiat, ut nulla ex linea porphyrogenitæ domnæ Annæ superstes sit; sancio ut tum hæ domus in potestatem feminei hujusce monasterii redigantur, exteriorisque aulæ domus in conductitias mutentur, quarum proventu fruetur monasterium; interioris vero aulæ domus de medio tollantur, quarum materia utetur pro lubito: solum autem in septa et quæstuosos hortos convertet, quorum, nec non balneorum, reditibus omnibus monasterium fruetur.

Εἰ δ' (ὅπερ ἀπεύχομαι) ἡ συγγένεια ἐπιλείψει, ὡς μηδεμίαν ἐκ τῆς τοῦ γένους τῆς πορφυρογεννήτου κυρᾶς Ἄννης σειρᾶς περισώζεσθαι, τηνικαῦτα διορίζομαι τὰ τοιαῦτα οἰκήματα εἰς τὴν ἐξουσίαν τῆς γυναικείας ταύτης μονῆς ἀποκαθίστασθαι· καὶ τὰ μὲν τῆς ἔξω αὐλῆς οἰκήματα μετασχηματίζεσθαι εἰς ἐνοικικά, καὶ τὴν πρόσοδον τούτων καρποῦσθαι τὴν μονήν· τὰ δὲ τῆς ἔσω αὐλῆς περιελεῖν καὶ τῇ μὲν ὕλῃ χρήσασθαι, καθὼς αὐτῇ βουλητόν· τῷ δὲ ἐδάφει, εἰς περιβόλιά τε καὶ παραδείσους ἐπικερδεῖς, ὧν τὰς προσόδους ἁπάσας ἡ μονὴ καρπώσεται μετὰ καὶ τῶν λουτρῶν.

Qui igitur quolibet tempore habitationem et domicilium in præfatis domibus habebunt, religiose in ipsis degent, nullamque omnino jacturam monasterio Gratia-plenæ inferent. At penes illos erit ædificare ubi voluerint, intra ambitum concessarum sibi domorum, et sic attollere, ut nihil tamen videre queant intra monasterium virorum, vel mulierum. Sed neque per circuitum supra muros dirimentes, aut domicilia monasterii quamcunque domum reclinabunt; sed libera omnino erunt, ut a nobis exstructa sunt. A nulla vero personarum quibus præfatarum domorum possessio et habitatio assignata est, usus earum extraneis personis unquam concedetur, sive venditione, sive mercede, aut commutatione, aut dono, vel hypotheca, aut oppignoratione, seu alio quovis modo. Sed neque omnino permittetur, ut qui tale jus possidet, alium in ipsis habitaturum introducat, cum ipse forte

Οἱ μέντοι τὴν νομὴν τε καὶ οἴκησιν κατὰ καιροὺς ἔχειν ὀφείλοντες ἐν τοῖς δηλωθεῖσιν οἰκήμασιν, εὐλαβῶς ἐν αὐτοῖς διάξουσι, καὶ περικοπήν τινα τῇ μονῇ τῆς Κεχαριτωμένης τὸ σύνολον οὐκ ἐπάξουσιν. Ἔξουσι δὲ ἐπ' ἀδείας κτίζειν ἔνθα βούλονται ἐντὸς τῆς περιοχῆς τῶν ἐκχωρηθέντων αὐτοῖς οἰκημάτων· καὶ τοσοῦτον ὑψοῦν, ὥστε μὴ κατοπτεύειν τι τῶν ἐν τῇ ἀνδρῴᾳ μονῇ, εἴτε τῇ γυναικείᾳ. Ἀλλ' οὐδὲ γύροθεν τῶν ἀργῶν τοίχων (2) τῆς μονῆς, ἢ τῶν οἰκημάτων ἐπακουμβίσουσί τι οἴκημα· ἀλλ' ἐλεύθερα πάντη ἔσονται, καθὼς παρ' ἡμῶν γεγόνασι. Ξένοις δὲ προσώποις ἢ δι' ἀπεμπολήσεως, ἢ μισθώσεως, ἢ ἀνταλλαγῆς, ἢ δωρεᾶς, ἢ ὑποθήκης, ἢ ἐνεχύρου, ἢ ἑτέρου οἱουδήποτε τρόπου, παρ' οὐδενὸς τῶν προσώπων τῶν ὁρισθέντων ἔχειν τὴν τῶν μνημονευθέντων οἰκημάτων κατοχὴν, καὶ νομὴν, ἢ τούτων χρῆσις ὁπωσδήποτε ἐκχωρηθήσεται [ἐγχ.?]· ἀλλ' οὐδὲ ἁπλῶς ἐνοικίσαι τινὰ ἕτερον ἐν αὐτοῖς

Montfauconii notæ.

(2) Ἀργῶν τοίχων. Muros dirimendi solum causa exstructos vocat ἀργοὺς, seu otiosos, quod nullam ædificii molem ferant.

Digitized by Google

συγχωρηθήσεται ὁ τὸ τοιοῦτον κτησάμενος δίκαιον, ἔχων ἴσως ἀλλαχοῦ τὴν οἰκείαν ἀνάπαυσιν· ταῦτα γὰρ παντελῶς ἀπείργομεν.

Εἰ δέ ποτε (ὃ μὴ γένοιτο) τὸ πρόσωπον τὸ καθ' οἱονδήτινα καιρὸν τὴν χρῆσιν ἔχον τῶν οἰκημάτων τῆς μονῆς (ἐπαναληπτέον γὰρ καὶ αὖθις τὸν περὶ αὐτῶν λόγον), ἐνοχῇ τινι καθυποβληθῇ δημοσιακῇ, ἢ ἰδιωτικῇ, ἐξ οἱουδήτινος τρόπου, χρηματικῇ ἢ ἐγκληματικῇ, ἢ καὶ καθοσιώσει ὑποπεσεῖται, οὐ βούλεται ἡ βασιλεία μου ἐνοχυποιεῖσθαι τὰ τοιαῦτα οἰκήματα, ἢ τὴν αὐτῶν χρῆσιν, ἀλλὰ μένειν ἐλεύθερα πάσης ἐνοχῆς. Καὶ εἰ μὲν χρηματική τίς ἐστιν ἡ ἐνοχή, κατέχειν ταῦτα καὶ νέμεσθαι αὖθις αὐτὸ ἐκεῖνο τὸ πρόσωπον, τὸ τὴν χρῆσιν ἔχον τούτων· κἂν ἡ ἄλλη πᾶσα περιουσία τούτου τοῖς χρεώσταις ἴσως κατὰ νόμους ὑπόκειται. Αὕτη γὰρ ἡ χρῆσις καὶ κατοχὴ τῶν τοιούτων οἰκημάτων, καὶ τῶν ὑπ' αὐτὰ πάντων ὑπερτερεῖν ὀφείλουσι πάσης χρηματικῆς ἐνοχῆς, ὡς τοιουτοτρόπως παραπεμπούσης ταῦτα τῆς βασιλείας μου πρὸς τοὺς μέλλοντας ταῦτα κατέχειν. Εἰ δὲ ἐγκληματική ἐστιν ἡ εὐθύνη, ἢ καθοσίωσις, καὶ ἐκπίπτειν μέλλοι τῆς τοιαύτης χρήσεως, ἵνα ἐπανέρχηται αὕτη εἰς τὸ καλούμενον μετ' αὐτὸ πρόσωπον, κατὰ τὴν ἀνωτέρω διάστιξιν καὶ διαίρεσιν. Ἐπιλιπόντων δὲ τῶν προσώπων ἴσως, ἐπανελεύσονται πρὸς τὴν δεσπότιδα μονήν.

Κἂν ποτε ἴσως (ὅπερ ἀπίστω) πυρίκαυστα τὰ τοιαῦτα οἰκήματα γένωνται, ἐκ μέρους, ἢ ἐξ ὁλοκλήρου, οὐ βούλεται ἡ βασιλεία μου σχολάζειν τὴν χρῆσιν, ὡς τῶν οἰκημάτων, ἐν οἷς θεωρεῖται ἡ κατοίκησις, εἰς τὸ μὴ εἶναι χωρησάντων· ἀλλὰ τὸν τηνικαῦτα τὸ δίκαιον τῆς τοιαύτης χρήσεως ἔχοντα, κατὰ τὴν ἄνωθεν διατύπωσιν, ἔχειν καὶ πάλιν αὐτήν, καὶ κατέχειν τὰ τοιαῦτα δίκαια, ὡς ἄνωθεν εἴρηται, καὶ χρῆσθαι τούτοις, ἔχοντα ἄδειαν ἀνοικοδομεῖν οἰκήματα ἐν τοῖς τόποις τῶν καυθέντων, ὁποῖα δύνανται· τῶν διαστίξεων τῶν περὶ τοῦ παραπέμπεσθαι ταῦτα, καὶ περιέρχεσθαι, καθὼς ἄνωθεν σαφέστερον εἴρηται, σώζεσθαί καὶ οὕτως ὀφειλουσῶν, καὶ τὸ ἰσχυρὸν ἔχειν καὶ ἐνεργόν.

Πλὴν οὐκ ἐξέσται τινὶ τούτων ἐκδιδόναι τὸν τόπον πρός τινα κηπεύσεως χάριν, ἢ κτίσεως ἐνοικικῶν· ἀλλὰ πάλιν ἕτερα ἀντ' αὐταῖς [-τῶν ?] οἰκοδομῆσαι, οἷα δύναται, ἐπὶ τῷ καταμένειν ἐν αὐτοῖς. Τὸν δὲ τῷ τόπῳ χρησάμενον ἕτερος παρὰ τὸν παρόντα ἡμῶν ὁρισμὸν, ἐκπίπτειν τούτων διοριζόμεθα, καὶ περιέρχεσθαι ταῦτα πρὸς τὸ μετὰ τὸν ἐκπεσόντα, ἢ τὴν ἐκπεσοῦσαν, καλούμενον πρόσωπον, καθὼς ἀνωτέρω διείληπται.

Πάσας μέντοι τὰς διαλειφθείσας [*f.* διαληφθείσας] ταύτας διαταγάς τε καὶ διαστίξεις βούλομαι βεβαίας μένειν· μὴ ἔχοντος ἄδειαν τοῦ μέρους τῆς μονῆς καθ' οἱονδήτινα τρόπον ἀπεναντίας χωρεῖν τῶν παρὰ τῆς βασιλείας μου διορισθέντων ἐνταυθοῖ. Τὴν γὰρ προσκύρωσιν τῶν τοιούτων ἀκινήτων δικαίων πρὸς τὸ τῆς μονῆς μέρος, οὕτω καὶ μετὰ τοιούτων διαστίξεων ἐποιήσατο καὶ ποιεῖται ἡ βασιλεία μου· καὶ κατὰ τοὺς εἰρημένους τρόπους διατάττεται τὴν δεσποτείαν αὐτῶν προσκεκυρωμένην εἶναι

A alibi propriam recreationem habeat; hæc enim penitus prohibemus.

Si vero (quod absit) persona quæ quovis tempore domorum monasterii usu potietur (sermo enim de illis denuo resumendus est), obligationi cuipiam subjiciatur, publicæ aut privatæ, ex qualibet ratione, pecuniariæ, aut criminali, vel si etiam condemnatus fuerit: non vult imperium meum, ut hujusmodi domus aut earum usus obligationem contrahant; sed maneant omni obligatione liberæ. Et si quidem pecuniaria fuerit obligatio, persona quæ illarum usu potitur, ipsas rursus obtineat et possideat: licet residua ejus omnis substantia creditoribus secundum leges forte subjaceat. Usus B enim et possessio ejusmodi domorum, et omnium quæ ad ipsa spectant prævalere debet omni pecuniariæ obligationi; imperium quippe meum ea lege illas transmittit iis qui easdem possessuri sunt. Si autem criminalis sit accusatio, vel condemnatio, et hujusmodi usu excidere debeat, revertatur ipse usus ad personam, cui post illum is competit, juxta superiorem distinctionem et divisionem. Si forte deficiant personæ, ad dominum, nempe ad monasterium, revertentur.

Si vero domus illæ (quod absit) incendio unquam depereant ex parte vel ex toto, non vult imperatoria mea majestas, ut cesset ille usus, utpote domi- C bus in quibus habitatio esse posse cernitur, non amplius exstantibus: sed qui tunc temporis hujusmodi usus jure potitur juxta superiorem sanctionem, denuo illum obtineat, et hujusmodi jus conservet, ut supra dictum est, illoque fruatur; ac penes illum erit in locis combustarum novas domos ædificare, quales poterit. Eo pacto distinctiones de earum transmissione et devolutione, ut supra liquidius dictum est, servari debent, vimque et efficaciam habere.

Cæterum, non licebit cuiquam ex illis locum conducere alicui hortorum parandorum causa, vel ad exstruendas conductitias domos: sed rursus alias construat, quales poterit, ut in ipsis habitet. D Qui autem loco utetur, modo a præsenti nostra sanctione alieno, statuimus ut is illis excidat, et devolvantur ad personam cui post illum vel illam quæ iis excidit, id competit, ut superius dissertum est.

Omnes igitur explicatas sanctiones et distinctiones ratas manere volo, ut non possit monasterium quolibet modo adversari iis quæ hic a mea majestate statuta sunt. Addictionem enim immobilium illorum jurum monasterio, eo pacto, et cum hujusmodi distinctionibus effecit et efficit majestas mea; jubetque ut secundum præfatas rationes dominium earum addictum sit monasterio. Etsi forte monasterium jura quædam ex aliquibus scriptis documentis, aut aliunde obtineat in illas domos.

Digitized by Google

necnon in cætera, et in omnem earum ambitum ; non vult imperium meum quidpiam fieri præter ea quæ hic sancita sunt. Totum namque monasterium cum iis quæ ipsi subjacent et circa ipsum sunt, magnis suis sumptibus et expensis excitavit imperatoria mea majestas ; atque adeo licet omnino ipsi de immobilibus illis statuere ut libuerit, vultque sanctionem suam immutatam manere. Quod si forte moniales aliud quidpiam molitæ fuerint, in nullo tribunali admittentur : et quæ talis molimnis auctores aliis fuerint, e monasterio ejicientur. ἄλλο τι ἐπιχειρῆσαι, ἀπρόσδεκτοι ἔσονται παντὶ δικαστηρίῳ, καὶ τῆς μονῆς ἐκδιωχθήσονται αἱ πρωταίτιοι ταῖς ἄλλαις τῆς τοιαύτης ἐπιχειρήσεως.

A τῇ μονῇ. Κἂν ἴσως τὸ μέρος αὐτῆς δίκαιά τινα κέκτηται ἀπό τινων ἐγγράφων, ἢ ἀλλαχόθεν ἐπὶ τοῖς τοιούτοις οἰκήμασι, καὶ λοιποῖς, καὶ πάσῃ αὐτῶν τῇ περιοχῇ, οὐ βούλεται ἡ βασιλεία μου ἄλλο τι γενέσθαι ἐπ' αὐτοῖς παρὰ τὰ ἐνταυθοῖ διατεταγμένα. Τὴν γὰρ ὅλην μονὴν καὶ τὰ ὑπ' αὐτὴν καὶ περὶ αὐτὴν συστησαμένη ἡ βασιλεία μου ἐξ οἰκείων πολλῶν ἀναλωμάτων καὶ δαπανῶν, ἄδειαν ἔχει πάντως διορίσασθαι ἐπὶ τοῖς τοιούτοις ἀκινήτοις, τὸ δοκοῦν αὐτῇ· καὶ βούλεται τὸν αὐτῆς διορισμὸν μένειν ἀναλλοίωτον. Κἂν πειραθεῖεν ἴσως αἱ μονάζουσαι

CAPUT LXXX.

De iis quæ inspectionem monasterii habere debent.

Ut omnino necesse fuit quamdiu a me constitui quæ monasterio patrocinaretur, et curaret infracta in omnibus servari quæ in typico declarantur ; definierat imperium meum in capite de iis quæ monasterio patrocinari debent, ut dilecta filia mea, et porphyrogenita domna Eudocia ipsum administraret, et vindicaret ab illis qui forte conati fuerint ipsi damnum inferre : studeretque inviolata servari quæ in typico a me edito declarantur. Illa vero propter peccata mea, ut dictum est, ex hac vita migravit. Statuo ut post meum ex hac vita discessum, monasterii inspectionem habeat dilectissima mea porphyrogenita et Cæsarissa domna Anna ; post ejus vero obitum inspectionem ejusdem monasterii habeat, dilecta mea porphyrogenita et filia domna Maria una cum dilecta mea nepte domna Irene Ducæna, filia porphyrogenitæ domnæ Annæ. Illis vero ex hac vita translatis, ejusmodi inspectio devolvatur ad alteram filiam porphyrogenitæ domnæ Annæ, aut neptem seu proneptem, et sic consequenter. Vult enim imperium meum filias ejus, neptes, proneptes, et quæ sequentur, donec linea ejus feminini sexus perduraverit, monasterium gratia plenæ meæ Deiparæ observare ; eam nempe quæ ætate alias præcesserit.

B

ΚΕΦΑΛ. Π'.

Περὶ τῶν ὀφειλουσῶν ἔχειν τὴν ἐφορείαν· τῆς μονῆς.

Ἐπεὶ δὲ ἀπαραίτητον ἦν, καί τινα παρ' ἐμοῦ καταστῆναι, ὥστε ἀντιλαμβάνεσθαι τῆς μονῆς, καὶ σπουδάζειν ἐν ἅπασιν ἀπαράθραυστα τηρεῖσθαι τὰ ἐν τῷ τυπικῷ διηγορευμένα· καὶ μέντοι καὶ διωρίσατο ἡ βασιλεία μου ἐν τῷ περὶ τῶν ὀφειλόντων ἀντιλαμβάνεσθαι τῆς μονῆς, κεφαλαίῳ τὴν περιπόθητόν μου θυγατέρα καὶ πορφυρογέννητον κυρὰν Εὐδοκίαν περιέπειν αὐτὴν, καὶ διεκδικεῖν ἀπὸ τῶν πειρωμένων ἴσως αὐτῇ ἐπηρεάζειν, καὶ σπεύδειν τηρεῖσθαι τὰ ἐν τῷ ἐκτεθέντι παρ' ἐμοῦ τυπικῷ διηγορευμένα ἀπαράθραυστα. Ἡ δὲ διὰ τὰς ἁμαρτίας μου, ὡς εἴρηται, τοῦ τῇδε βίου ἐξεδήμησε. Διορίζομαι, ἵνα μετὰ τὴν ἐμὴν τοῦ τῇδε βίου μετάστασιν, ἔχῃ τὴν ἐφορείαν τῆς μονῆς ἡ ποθεινοτάτη μου προφυρογέννητος καὶ Καισάρισσα κυρὰ Ἄννα· μετὰ δὲ παρέλευσιν αὐτῆς, ἔχῃ τὴν ἐφορείαν τῆς τοιαύτης μονῆς, ἡ περιπόθητός μου πορφυρογέννητος καὶ θυγάτηρ κυρὰ Μαρία, ἅμα τῇ περιποθήτῳ μου ἐγγόνῃ κυρᾷ Εἰρήνῃ τῇ Δουκαίνᾳ, τῇ θυγατρὶ τῆς πορφυρογεννήτου κυρᾶς Ἄννης. Τούτων δὲ μεθισταμένων τοῦ τῇδε βίου, περιέρχεσθαι τὴν τοιαύτην ἐφορείαν εἰς τὴν ἑτέραν θυγατέρα τῆς πορφυρογεννήτου κυρᾶς Ἄννης, ἢ ἐγγόνην, ἢ προεγγόνην, καὶ ἐφεξῆς. Τὰς γὰρ ἐξ αὐτῆς θυγατέρας, καὶ ἐγγόνας καὶ προεγγόνας, καὶ ἐφεξῆς ἄχρις ἂν ἡ τοῦ θήλεος γένους αὐτῆς σειρὰ περισώζηται, ἐφορᾶν τὴν μονὴν τῆς κεχαριτωμένης μου Θεοτόκου ἡ βασιλεία μου βούλεται, τὴν τῷ χρόνῳ μέντοι πάντως τῶν ἄλλων προέχουσαν.

C

Linea vero feminini sexus a pluries laudata porphyrogenita domna Anna descendentis, deficiente, tunc monasterii hujusce patrocinium, ex præsenti majestatis meæ scripta definitione, devolvetur ad unam ex uxoribus alicujus a porphyrogenita originem ducentis, ad conjugem scilicet ætate præeuntis. Et id rursus observabitur, donec uxores eorumdem masculorum defecerint : ea lege, ut quæ monasterii inspectionem obtinere debet, post mortem conjugis sui ad secundas nuptias non convolet. Quod si obtigerit eam in observationem constitui, et dehinc ad secundas nuptias declinare ; inspectione statim excidet, quæ transibit ad illam cui post hanc observatio illa competit, et hæc distinctio erga cunctas servabitur. Postquam vero ipsæ eumes defecerint, ad eam quæ ex clarioribus nostri

D

Τῆς σειρᾶς δὲ τοῦ θήλεος γένους, τοῦ ἀπὸ τῆς πολλάκις ῥηθείσης πορφυρογεννήτου κυρᾶς Ἄννης καταγομένου, ἐπιλιπούσης, τότε ἡ τῆς μονῆς ταύτης ἀντίληψις περιελεύσεται ἀπὸ τοῦ παρόντος ἐγγράφου τῆς βασιλείας μου διορισμοῦ καὶ εἰς μίαν τῶν ἐπί τινι τῶν ἐκ τῆς πορφυρογεννήτου καταγομένων νυμφῶν, ἥτουν τὴν τοῦ χρόνῳ προήκοντος· καὶ αὖθις ἔσται τοῦτο συντηρούμενον, μέχρις ἂν καὶ αἱ ἐπὶ ἄρρεσι νύμφαι ἐκλίπωσι· τούτου φυλαττομένου, τοῦ μὴ τὴν μέλλουσαν τῆς μονῆς ἐφορᾶν, μετὰ θάνατον τοῦ οἰκείου συζύγου, περιελθεῖν εἰς δεύτερον γάμον. Κἂν φθάσῃ ἴσως καταστῆναι εἰς ἐφορείαν, εἶτα πρὸς δεύτερον ἀποκλίνῃ γάμον, εὐθὺς ἐκπεσεῖται, καὶ τῆς ἐφορείας, καὶ μεταδήσεται αὐτὴ εἰς τὴν μετ' ἐκείνην καλουμένην, τῆς διαστίξεως ταύτης ἐπὶ πάσαις φυλάττεσθαι ὀφειλούσης. Μετὰ μέν-

Digitized by Google

τοι καὶ ταύτας ἐκλιπεῖν πάσας, πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν ἐπιφανεστέρων τοῦ γένους ἡμῶν. Πλὴν οὐχὶ καὶ αὐτὴν τὴν τῷ χρόνῳ τῶν ἄλλων προήκουσαν· ἀλλὰ ἦν ἄρα κατὰ καιροὺς αἱρετίσονται αἱ τῇ τοιαύτῃ μονῇ ἐνασκούμεναι μονάζουσαι σὺν τῇ καθηγουμένῃ. Καὶ τοῦτο οὕτως συντηρηθήσεται μέχρι παντὸς, ἄχρις ἂν ὁ παρὼν διαρκοίη αἰών.

A generis erit, at non ætate aliis præeuntem, sed quam illis temporibus monachæ ascetice in hoc monasterio degentes, una cum præfecta eligent. Illudque semper servabitur, quamdiu præsens sæculum perduraverit.

Ἐν τῇ μονῇ δὲ ἡ τὸ τῆς ἐφορείας δίκαιον ἔχουσα οὐπώποτε ἄλλοτε εἰσελεύσεται, εἰ μὴ ὅτε ἡ ἀκολουθία τῆς ἐκκλησίας γίνεται· καὶ ταύτης συντελουμένης, εὐθὺς καὶ αὐτὴ ἐξελεύσεται· εἰ μή που ὁμιλία τις πρόκειται ἀναγκαία, καὶ εἰς σύστασιν τῆς μονῆς συντείνουσα· καὶ τότε μετὰ δύο ἢ καὶ τριῶν γυναικῶν. Εἰ δὲ καί τινα τῶν ἀρχοντισσῶν συγγενῶν ἡμῶν, ἢ καὶ ἑτέραν τύχοι εὑρεθῆναι μετ' αὐτῆς, συνεισελεύσεται καὶ αὐτὴ μόνη εἰς τὴν μονήν· ἀνὴρ δὲ οὐδὲ εἷς· ὅτι ἄβατον εἶναι τὸ μοναστήριον παντάπασιν ἀνδράσι, καὶ αὐτοῖς τοῖς εὐνούχοις, διορίζομεθα, καὶ κεκλεισμένον διηνεκῶς· εἰ δέ τινες τῶν ἀῤῥένων παίδων ἡμῶν, καὶ τῶν ἐπὶ θυγατράσι γαμβρῶν, ἢ καὶ ἐγγόνων, πόθῳ τῷ πρὸς ἡμᾶς, ἢ ὑποθέσεως ἕνεκεν τῇ μονῇ ἀναγκαίας, θελήσουσιν εἰς τὸ μοναστήριον εἰσελθεῖν, εἰσελεύσονται εἰς τὸ ἐξωάρθηκον ἀπὸ τοῦ μέρους τῆς τῆς μονῆς ἀντιλαμβανομένης, μετὰ καὶ αὐτῆς, αὐτοὶ μόνοι· καὶ στάντες ἄχρι συμπληρώσεως τῆς ἀκολουθίας, μετὰ συμπληρώσεως [ſ.-ρωσιν] ταύτης, ἀπελθουσῶν τῶν μοναζουσῶν εἰς τὸ κοιμητήριον αὐτῶν, εἰσελεύσονται εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καταλειφθείσης μόνης τῆς ἡγουμένης, μετὰ δύο ἢ καὶ τριῶν γηραλεωτέρων μοναζουσῶν εὐλαβῶν· καὶ ὁμιλήσαντες αὐταῖς τὰ προσήκοντα, καὶ τῇ κεχαριτωμένῃ Θεοτόκῳ προσκυνήσαντες, ἐξελεύσονται· καὶ τοῦτο δράσουσιν ἅπαξ, ἢ δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ κατὰ τὴν ἑορτὴν τῆς Θεοτόκου.

Quæ autem inspectionis jus habet, in monasterium nunquam alias ingredietur, præterquam tempore ecclesiastici officii, quo absoluto, statim ipsa egredietur, nisi necessario colloquio et ad monasterii constitutionem spectante detineatur : et tunc cum duabus vel tribus mulieribus. Si vero aliquam e primariis feminis affinibus nostris, seu aliam, cum illa adesse contigerit, una ingredietur ipsa sola in monasterium : vir vero nullus ; inaccessum B namque et perpetuo clausum esse omnibus viris, etiam eunuchis monasterium statuimus. Si autem quidam viri ex filiis, generis et nepotibus nostris, amore erga nos, seu aliqua de causa monasterio necessaria, voluerint in monasterium ingredi, introeant in exterius vestibulum ex parte patronæ monasterii, una cum illa, ipsi soli : et stantes usque ad finem officii, postquam ipso completo moniales ad dormitorium suum abierint, ingredientur ipsi in ecclesiam, sola præfecta cum duabus aut tribus e senioribus piis monialibus remanente ; et postquam eas convenienter allocuti fuerint, et gratia plenam Deiparam adoraverint, egredientur : et ita facient semel aut bis per annum, et in festo Deiparæ.

Αἱ μέντοι περιπόθητοί μου θυγατέρες, αἱ πορφυρογέννητοι, ἥ τε κυρὰ Ἄννα, καὶ ἡ κυρὰ Μαρία, καὶ ἡ ποθεινοτάτη μου ἐγγόνη κυρὰ Εἰρήνη ἡ Δούκαινα, ἔξουσιν ἄδειαν, ὁπότε καὶ βούλοιντο, ἐν πάσαις ταῖς θείαις συνάξεσι, καὶ ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἐστιάσεως συνεκκλησιάζεσθαι, καὶ συνεστιᾶσθαι ταῖς μοναζούσαις· πλὴν μετὰ δύο γυναικῶν αὐτῶν, ἢ τριῶν. Ἡ δὲ θύρα ἡ εἰσάγουσα εἰς τοιαύτην μονὴν, ἀπὸ τοῦ μέρους τῶν δεσποτικῶν οἰκημάτων, ἔσωθεν μὲν κλεισθήσεται παρὰ τῆς καθηγουμένης, ἔξωθεν δὲ παρὰ τῆς ἀντιλαμβανομένης τῆς μονῆς· πάντων τῶν ἄλλων τῶν διαλαμβανομένων ἐν τῷ τρίτῳ κεφαλαίῳ τῷ περὶ τῆς ἐφορείας ὀφειλόντων τηρεῖσθαι ἀναλλοιώτων ἐς ἀεί.

C Porro penes dilectas meas filias et porphyrogenitas domnam Annam, et domnam Mariam, necnon penes dilectissimam meam neptem domnam Irenem Ducænam erit, quandocunque voluerint, in omnibus divinis conventibus, et in tempore refectionis, ecclesiæ officio et comestioni una cum monialibus interesse, at cum duabus e suis vel tribus mulieribus. Janua vero quæ ducit in hoc monasterium ex parte despoticarum domorum, ab intus quidem claudetur a præfecta, aforis vero a patrona monasterii. Omnia quoque alia, enarrata capite tertio de inspectione, inmutata in perpetuum servabuntur.

Περὶ τοῦ περιορισμοῦ τῆς μονῆς.

Ὁ διαιρέτης τοῖχος τῆς γυναικείας μονῆς τῆς Κεχαριτωμένης, ἄρχεται ἀπὸ τοῦ εἰσοδικοῦ πυλῶνος τῆς μονῆς τοῦ κατέμπροσθεν κειμένου τῆς δημοσίας ὁδοῦ τῆς ἐρχομένης ἀπὸ τῆς ἁγίας Ἄννης τοῦ Δευτέρου (3), καὶ διέρχεται πρὸς ἀνατολὰς κρατῶν τὴν αὐτὴν δημοσίαν ὁδὸν, καὶ ἀπέρχεται ἄχρι τοῦ παραχελλίου (4) τοῦ νοσοκόμου τῆς μονῆς, τοῦ

De ambitu monasterii.

D Murus dirimens feminei monasterii Gratia-plenæ, initium ducit ab ostio monasterii, sito e regione publicæ viæ, qua venitur a sancta Anna Deuteri ; et transit ad orientem, obtinens eamdem publicam viam, et excurrit usque ad paracellium nosocomi seu infirmitorii monasterii, quod est e regione summi solarii domorum quercus monasterii ; habet

Montfauconii notæ.

(2) *Δευτέρου.* Locus et tractus Constantinopolis in quo erant ædes sacræ, Sanctæ Annæ, Sancti Georgii, Sancti Pauli et Sanctorum Notariorum, de quo necnon de hujus appellationis origine vide eruditissimum Cangium in *Constantinopoli Christiana.*

(4) *Παραχελλίου, Cellæ adjunctæ.* Παραχέλλια Græcis infimi ævi sunt latrinæ, quo sensu παραχέλλιον hic intelligi posse videtur.

Digitized by Google

longitudinem quadraginta et octo cubitorum, dirimens sinistra domicilia monasterii, dextra vero publicam viam. Flectitur parumper, obtinens rursus eamdem publicam viam, et pergit usque ad vicum qui est pone cellas patriarchalis feminei monasterii Sancti Nicolai; habet longitudine cubitos quinquaginta tres, dirimens sinistra domicilia monasterii, dextra vero publicam viam. Declinat ad aquilonem obtinens vicum, et dirimit dextra templum Sancti Nicolai, sinistra domos monasterii; habet longitudinem decem et octo cubitorum et dimidii. Declinat ad orientem, habet longitudinem trium cubitorum. Flectitur paululum ad aquilonem, habet longitudinem cubiti unius. Vergit iterum ad orientem, longitudine quinque cubitorum. Rursus flectitur ad orientem, habet longitudinem quatuor cubitorum et dimidii. Dehinc rursus declinat ad orientem, habet longitudinem quatuor cubitorum et dimidii. Iterum flectitur ad aquilonem dirimens dextera domos S. Nicolai, sinistra vero domicilia monasterii, et procedit usque ad murum domus superioris et inferioris vestiarii imperii mei, habet longitudinem duodecim cubitorum. Vergit parumper ad occidentem, habet duos cubitos longitudinis. Pertransit rursus ad aquilonem, dirimens sinistra vicum qui est e regione ergodosii seu cellæ operis monasterii, dextra vero domos majestatis meæ, cui muro impositus est omphaitus vestiarii imperii mei, et solarium caricæ ligno fabricatum, detecto solario situ æquale, habet longitudinem cubitorum viginti trium. Flectitur ad occidentem dirimens sinistra vicum, et ergodosium monasterii, dextra vero domicilia majestatis meæ, habet longitudinem cubitorum quindecim. Declinat ad aquilonem dirimens sinistra vacuum locum qui situs est pone presbyterium ecclesiæ monasterii, dextra vero domicilia majestatis meæ, habet longitudinem cubitorum sedecim. Rursus declinat ad occidentem, dirimens sinistra parapterum ecclesiæ monasterii; dextra vero tetracaricoxylum imperii mei, habet longitudinem cubitorum novem. Rursus flectitur ad septentrionem, dirimens sinistra iconostasium majestatis meæ, dextra vero tetracaricoxylum, habet longitudinem cubitorum duodecim; in quo est mono.....

A κατέναντι τοῦ ἄκρου τοῦ ἡλιακοῦ τῶν οἰκημάτων τοῦ δρυὸς, τῆς μονῆς, ἔχει μῆκος πήχεις τεσσαρακονταοκτώ· διαιρῶν ἀριστερὰ τὰ οἰκήματα τῆς μονῆς· δεξιὰ δὲ τὴν δημοσίαν ὁδόν· ἀπαγκαλίζει μικρὸν, κρατῶν πάλιν τὴν αὐτὴν δημοσίαν ὁδόν· καὶ ἀπέρχεται ἄχρι τῆς ῥυμίδος τῆς ὄπισθεν τῶν κελλίων τῆς πατριαρχικῆς γυναικείας μονῆς τοῦ ἁγίου Νικολάου, ἔχει μῆκος πήχεις πεντήκοντα τρεῖς· διαιρῶν ἀριστερὰ τὰ οἰκήματα τῆς μονῆς, δεξιὰ δὲ τὴν δημοσίαν ὁδόν. Κάμπτει πρὸς ἄρκτον κρατῶν τὴν ῥυμίδα· διαιρῶν δεξιὰ τὸν ναὸν τοῦ Ἁγίου Νικολάου, ἀριστερὰ δὲ τὰ οἰκήματα τῆς μονῆς ἔχει μῆκος πήχεις δεκαοκτὼ ἥμισυ. Κλίνει πρὸς ἀνατολὴν, ἔχει μῆκος πήχεις τρεῖς. Νεύει μικρὸν πρὸς ἄρκτον ἔχει μῆκος πῆχυν μίαν. Διέρχεται πάλιν B πρὸς ἀνατολὴν μῆκος πήχεις πέντε. Πάλιν κάμπτει πρὸς ἀνατολὴν, ἔχει μῆκος πήχεις τέσσαρας ἥμισυ. Εἶτα πάλιν κλίνει πρὸς ἀνατολὰς, ἔχει μῆκος πήχεις τέσσαρας ἥμισυ. Πάλιν κάμπτει πρὸς ἄρκτον διαιρῶν δεξιὰ τὰ οἰκήματα τοῦ Ἁγίου Νικολάου, ἀριστερὰ δὲ τὰ οἰκήματα τῆς μονῆς, καὶ ἀπέρχεται ἄχρι τοῦ τοίχου τοῦ ἀνωκάτω οἰκήματος τοῦ βεστιαρίου τῆς βασιλείας μου, ἔχει μῆκος πήχεις δώδεκα. Κλίνει μικρὸν πρὸς δύσιν ἔχει μῆκος πήχεις δύο. Διέρχεται πάλιν πρὸς ἄρκτον, διαιρῶν ἀριστερὰ τὴν ῥυμίδα τὴν ἔμπροσθεν τοῦ ἐργοδοσίου τῆς μονῆς· δεξιὰ δὲ τὰ οἰκήματα τῆς βασιλείας μου, εἰς ὃν τοῖχον ἐπίκειται ὁ ὀμφαλὸς τοῦ βεστιαρίου τῆς βασιλείας μου, καὶ ὁ διὰ καρικοξύλου ἡλιακὸς, ὁ κατ' ἴσον τοῦ ἀσκεποῦς ἡλιακοῦ· ἔχει μῆκος πήχεις εἰκοσιC τρεῖς. Κάμπτει πρὸς δύσιν, διαιρῶν ἀριστερὰ τὴν ῥυμίδα καὶ τὸ ἐργοδόσιον τῆς μονῆς· δεξιὰ δὲ τὰ οἰκήματα τῆς βασιλείας μου, ἔχει μῆκος πήχεις δεκαπέντε. Κλίνει πρὸς ἄρκτον, διαιρῶν ἀριστερὰ τὸν ἄνετον τόπον τὸν ὄπισθεν τοῦ βήματος τῆς ἐκκλησίας τῆς μονῆς· δεξιὰ δὲ τὰ οἰκήματα τῆς βασιλείας μου· ἔχει μῆκος πήχεις δεκαέξ. Πάλιν κάμπτει πρὸς δύσιν διαιρῶν ἀριστερὰ τὸ πταράπτερον [*Isc.* παράπτερον] (5) τῆς ἐκκλησίας τῆς μονῆς· δεξιὰ δὲ τὸ τετρακαρικόξυλον τῆς βασιλείας μου ἔχει μῆκος πήχεις ἐννέα. Πάλιν κάμπτει πρὸς ἄρκτον διαιρῶν ἀριστερὰ τὸ εἰκονοστάσιον (6) τῆς βασιλείας μου, δεξιὰ δὲ τὸ τετρακαρικόξυλον, ἔχει μῆκος πήχεις δώδεκα· ἐν ᾧ ἐστι καὶ μονό....

Montfauconii notæ.

(5) *Πταράπτερον.* Forte παράπτερον, ut doctiss. Cangius existimat; id est, pars ecclesiæ alæ adjacens.

(6) *Εἰκονοστάσιον.* Id est, capella, ex laudato viro, qui de hac voce fuse disputat in *Glossario Græco.*

ERUDITO LECTORI.

Sequentes tabellæ sæpius laudato codici regio insertæ in charta papyracea vulgari descriptæ erant, non eadem manu qua reliquum opus, sed longe recentiore et imperitiore; in quibus tabellis characteres sunt plurimi in editis nondum usitati, et ita perplexi, ut non parum in iis legendis desudarim: quos tibi, Lector benevole, edendos curavi, unde non modicam voluptatem, nec minorem fructum te percepturum spero. Ut autem tabellæ istæ ab imperita manu exaratæ, et lituris sæpe deformatæ sunt, nihil mirum si in supputationibus leves errores irrepserint.

Cæterum, modicam tantum monasterii redituum partem hic recenseri facile intelliget, quisquis animadvertet, omnes pecunias hic computatas vix centum nomismata excedere, e quibus tamen 42 solo vinitori in mercedem quotannis solvebantur.

Digitized by Google

† Τὰ ὑποτελῆ ἀμπέλια τῇ ἁγίᾳ μονῇ τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου τῆς Κεχαριτωμένης, περὶ τὸ ἐκτὸς μέρος διακείμενα τῆς ζωοδόχου πηγῆς.



† Βασίλειος ὁ Καλογερίτης;

† Χήρα ἡ Τζιμνογουλίνου

† Χήρα ἡ Πλυπερίνου

† Δημήτριος ὁ Κανώα

† Ἱερεὺς ὁ Κανώα ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ

† Ἀπὸ ξω ὁ Λιθογνώμων

† Γουνιος [Ἰούνιος] ὁ κένταρχος

† Ἰωάννης ὁ Τζιβίτζουλος

† Κώνστας ὁ Γαλώτης

† Μακάριος ὁ Κουρσάρης;

† Λαμπάδιος ὁ Πάνοπλος

† Θεόδωρος ὁ Κηπρός.

νομίσματα ἔχει ιε', κεράτια η' ἥμισυ

Vineæ vectigales monasterio sanctissimæ Deiparæ Kecharitomenes seu Gratia-plenæ, sitæ ad exteriorem partem fontis seu aquarii animalium.

Basilius Calogerites habet vineam		**modiorum trium, sexta minus modii parte**		
			pensitat	**ceratia 23**
Vidua Tzimnogulini	**mod. 3.**		**nomisma 1**	
Vidua Plyperini	**mod. 2.**	**et dimidii,**		**cerat. 20**
Demetrius Canoa	**mod. 5.**	**cum quinta modii parte**	**nom. 1**	**cerat. 18**
Sacerdos Canoa frater ejus	**mod. 3.**	**et dimidii**	**nom. 1**	**cerat. 3**
******Lithognomon**	**mod. 6.**	**cum decima parte**	**nom. 1**	**cerat. 12**
Gunius *vel* Junius Centarchus	**mod. 5.**		**nom. 1**	**cerat. 16**
Joannes Tzibitzulus	**mod. 3.**	**cum tertia parte et minutis 3.**	**nom. 1**	**cerat. 2 cum dimidio**
Constans Galotes	**mod. 2.**	**cum quarta modii parte**		**cerat. 18**
Macarius Cursares	**mod. 2.**	**cum octava parte**		**cerat. 17**
Lampadius Panoplus	**mod. 4.**	**cum decima parte**	**nom. 1**	**cerat. 9**
Theodorus Ceprus, seu Hortulanus	**mod. 6.**		**nom. 2**	

Tota summa habet nomismata 15, ceratia 8 cum dimidio.

Deficiente charta, notas litterulis respondentes ad paginam sequentem remittimus.

Digitized by Google

† *Ἡ χρυσοτελεία τῆς μονῆς ἡμῶν τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου τῆς Κεχαριτωμένης, τὰ εἰς τὴν αὐλὴν ἡμῶν*[b].

	νομίσματα		
† Ὀσπήτιον τοῦ Σοφιανοῦ μετὰ καὶ τῆς περιοχῆς αὐτῆς [αὐτοῦ]	ι ι	β′	
† Ὀσπήτιον τῆς Εὐφημίας πλησίον τοῦ Σοφιανοῦ		κς̅ς̅	ιε′
† Ὀσπήτιον τοῦ Βαρδαλῆ, εἴτε τῆς Κουραμένης		κς̅ς̅	ιε′
† Ὀσπήτιον τῆς Καπασοῦς	ι ι	α′	
† Ὀσπήτιον Ἀγγελίνης τῆς παπαδίας		κεράτια	ιβ′
† Ὀσπήτιον τῆς θυγατρὸς αὐτῆς	ι ι	α′	
† Ὀσπήτιον τῆς Σουρουμίνας		κεράτια	ιβ′
† Ὀσπήτιον τοῦ Γαρατζία		κεράτια	ιε′
† Ὀσπήτιον τοῦ Συρόπλου μετὰ τοῦ ἀμπέλου	ι ι	γ′	
† Ὀσπήτιον τοῦ Πελσηάνου	ι ι	α′	
† Ὀσπήτιον τοῦ Βουτζᾶ	ι ι	α′	
† Ὀσπήτιον Θεοδώρας Καθαρῆς τῆς γηροκομιτήσας[i]		κεράτια	ιβ′
† Ὀσπήτιον τοῦ Γερακάρη		κεράτια	ιβ′
† Ὀσπήτιον τῆς Ῥουδσάς	ι ι	α′ κεράτια	γ′
† Ὀσπήτιον Θωμαΐδος τῆς ἀνατροφῆς τῆς Τζουκένας		κεράτια	ιβ′
† Ὀσπήτιον τοῦ Τζουκί	ι ι	α′	
† Ὀσπήτιον τῆς Χανπουρνέας		κεράτια	ιβ′
† Ὀσπήτιον τοῦ Καταχαλοῦ τὸ ἔχει ὁ Μανιτζονίτης		κεράτια	ιη′
† Ὀσπήτιον ἕτερον πλησίον τούτου		κεράτια	κα′

νομίσματα ἔχει ιζ′, κεράτια ιγ′

Vectigalis pecunia quæ monasterio nostro sanctissimæ Deiparæ Kecharitomenes seu gratia-plenæ extrinsecus penditur, nempe in aula nostra.

Domus Sophiani cum ambitu ejus	nomismata 2	
Domus Euphemiæ prope Sophiani domum		cerat. 15
Domus Bardalæ, sive Curaamenes		cerat. 15
Domus Capasus	nomisma 1	
Domus Angelines Papadiæ		cerat. 12
Domus filiæ ejus	omisma 1	
Domus Suruminæ		cerat. 12
Domus Garatziæ		cerat. 15
Domus Syropli cum vinea	nomisma 3	
Domus Pelscani	nomisma 1	
Domus Butzæ	nomisma 1	
Domus Theodoræ Cathares Gerocomitissæ		cerat. 12
Domus Geracare		cerat. 12
Domus Rudsoæ	nomisma 1	cerat. 3
Domus Thomaïdis nutricis Tzucenæ		cerat. 12
Domus Tzuci	nomisma 1	
Domus Canpurneæ		cerat. 12
Domus Catacali quam occupat Manitzonites		cerat. 18
Domus alia prope illam		cerat. 21
	Tota summa habet nomismata 17, ceratia 13	
	juxta veram supputationem nomism. 17, *cerat.* 15	

Montfauconii notæ.

[a] Hæc figura indicat μοδίων in genitivo plurali; μόδιον autem sive μόδιος (utrumque enim dicitur) erat mensura quadraginta frumenti libras continens, quibus serebatur terræ spatium ducentarum ulnarum. Hinc profectum est, ut illud terræ spatium modius quoque vocaretur, et sic intelligitur hoc loco.

[b] *Κεράτια*, ceratia, sive siliquæ, erant vicesima quarta pars nomismatis sive solidi.

[c] Nomisma, genus monetæ, quod alii solidum, alii aureum vocant, de quo fusius infra suo loco.

[d] Hic δ primo positum fuerat cujus loco γ, altera manu scriptum est.

[e] Prima manu hic legebatur ι β. cerat. α. dehinc, deletis prioribus, hæc substituta sunt, ι α κέρατ. ιβ. Summa autem infra posita cum characteribus primo positis consentit, cum substitutis non item.

[f] Hæc minuta demenda, non addenda videntur, si proportio in tabella solita servetur.

[g] Hac nota ιε′, non vero ιβ′, indicatur, idque patet cum ex supputatione, tum quod littera ε eo fere modo in his tabellis scribi soleat.

[h] *Ἐκτὸς εἰς τὴν αὐλὴν ἡμῶν*. Capite 79 Typici jubetur, ut si despoticæ domus in potestatem monasterii Kecharitomenes, modo ibidem declarato, rediguntur, exterioris aulæ domus in conductitias mutentur. Id contigisse patet ex hac tabella; atque adeo hæ pensitationes conductarum domorum pretium erant. Hinc animadvertas quam amplæ erant hæ domus, quarum pars tot familiarum domicilium esset.

[i] *Παπαδία* est uxor papæ seu presbyteri.

[j] *Γηροκομιτήσας*. Legendum γηροκομίσσας, præpositæ gerocomii. Gerocomium autem est domus in qua pauperes senes aluntur.

Digitized by Google

† *Ἡ χρυσοτελεία τῆς μονῆς τῆς Θεοτόκου τῆς Κεχαριτωμένης τὰ ἐκτὸς, καὶ χρονικά.*

			λόγος	
νήκυν	† Τὸ μαγκήπιον	ι	κ'	α'
νήκυν	† Ὀσπίτιον ἐχὲ κολὰ τῆς Ἀποθύκης	ι	β'	ιβ'
νήκυν	† Ὀσπίτιον ποὺὲ τοῦ Σοφιανοῦ	ι	ε'	
	† Ὀσπίτιον τοῦ Τζηγούδη	ι		ιε'
	† Ὀσπίτιον ψαθὰ τοῦ Σουφιανοῦ	ι	α'	
	† Ὀσπίτιον τοῦ Λατούρου	ι	α'	
	† Ὀσπίτιον [ἐργαστήριον] τοῦ αὐτοῦ			
	† Ὀσπίτιον ἕτερον τοῦ Ταύρου [k] αὐτοῦ			ιβ'
νήκυν	† Ὀσπίτιον πλησίον αὐτοῦ	ι	β'	
	† Τῆς Ἀπηδοῦς ὀσπίτια δύο	ι	α'	ιβ'
	† Ὀσπίτιον τοῦ Μαυραγάνου			κα'
	† Ὀσπίτιον τοῦ Μαυριάνου			
	† Ἕτερον τοῦ αὐτοῦ ὁμοῦ	ι	α'	ιβ'
	† Ἡ ἀμπελικεία			
	† Ὀσπίτιον τοῦ παπὰ Ζαγάρα	ι	α'	θ'
	† Ὀσπίτιον τῆς Θωμ.τς [Θωμαΐδος]			κα'
	† Ὀσπίτιον Μιχαὴλ τοῦ Χαραστία	ι	α'	γ'
	† Ὀσπίτιον τοῦ Τριανταφύλλου [l]			ιβ'
	† Ὀσπίτιον τοῦ Μαύρου	ι	α'	
	† Ὀσπίτιον τῆς Μυλωνήσας	ι	α'	
	† Ὀσπίτιον τοῦ Χαρατζία			ιε'
	† Καὶ μοδοπουλίου ἀμπελῶν	ι	α'	ιβ'
	† Ἰωάννης ὁ Σέρβος μοδοπουλίου [m] ἀμπελῶν	ι	ς'	ιη'
		ι	ν'	θ'

νομίσματα ν', κεράτια θ'

Vectigalis pecunia quæ Monasterio Deiparæ Gratia-plenæ extrinsecus penditur, et annuæ expensæ.

			supputatio
defuncti	Mancipium seu Pistrinum	nom. 20	cerat. 1
defunctæ	Domus ... Apothyces	nom. 2	12
defuncti	Domus olim Sophiani	nom. 5	
	Domus Tzegude		18
	Domus psaia Sophiani	nom. 1	
	Domus Laturi		
	Domus sive officina ejusdem	nom. 1	
	Domus alia in Tauro ejusdem		12
defuncti	Domus prope illam	nom. 2	
	Duæ domus Apedus	nom. 1	12
	Domus Mauragani		21
	Domus Mauriani		
	Alia domus ejusdem quoque	nom. 1	12
	Vinea		
	Domus papæ seu presbyteri Zagaræ	nom. 1	9
	Domus Thomaidis		21
	Domus Michaelis Charatziæ	nom. 1	5
	Domus Trientaphyli		12
	Domus Mauri	nom. 1	
	Domus Milonissæ sive Molendinariæ	nom. 1	
	Domus Charatziæ		15
	Et vinea modopulii	nom. 1	12
	Joannes Servus vinea modopulii	nom. 6	18

Tota summa nomism. 50, cerat. 9.

Vera supputatio nomism. 51, *cerat.* 7.

Montfauconii notæ.

[k] *Τοῦ Ταύρου.* Id est, sita in foro quod vocabatur Tauri.

[l] *Τριανταφύλλον*, Græcis est rosa, quo nomine plures apud nos appellantur *la rose.*

[m] Quod hic vocatur μοδοπουλίου ἀμπελῶν, in præcedente Codicis pagina dicitur ἀμπελοπουλιον. Ubi hæc verba leguntur, Muris tamen deformata : Ἰωάννης ὁ Σέρβος διὰ τοῦ ἀμπελοπουλίου. Videntur duo hæc verba significare vineam recentem ; nam Græcis medii ævi πούλος est pullus, et metaphorice juvenis, recens, diminutive.

Digitized by Google

† Ὁ Παλαιόλογος ἐξ ἀγορασίας ἀπὸ τῆς Ἀπηδοῦς	ι ι	α'	ιβ
† Καὶ ἀπὸ τὸ τέλος τῆς πυγεῖς [πηγῆς]	ι ι	α'	ιβ'
† Καὶ ἀπὸ τὸ ἐργαστῦρυν [ἐργαστήριον]	ι ι	κ'	
† Καὶ ἀπὸ τὸν Γαλατᾶν	ι ι	γ'	

Quæ sequuntur, vocantur in titulo Χρονικά.

† Ἔχη [ἔχει] ὁ παπᾶς ῥῶγαν [ῥόγαν] τὸν χρόνον	ι ι	κ
† Ἔχη καὶ ὁ ἀμπελικὸς τὸν χρόνον	ι ι	μβ'
† Ἔχη καὶ ἡ ἐκκλησία ἔξοδον, κηρὸν, καὶ ἔλαιον	ι ι	ιβ'

Palæologus ex emptione ab Apedo	nom. 1	cerat. 12
Et ex vectigali fontis	nom. 10	cerat. 12
Et ex officina	nom. 20	
Et ex Galata	nom. 3	
Papas seu presbyter habet pro roga [n] quotannis	nom. 20	
Habet et vinitor quotannis	nom. 42	
Habet ecclesia pro expensa ceræ et olei	nom. 12	

Montfauconii notæ.

[n] Ῥόγα videtur significare hoc loco donarium pro solo opsonio; neque enim credibile est vinitoris mercedem toto sacerdotis donario plus quam duplo majorem fuisse. Id minime dubium existimabit qui caput 70 leget, ubi postquam monialibus cellaræ necessaria pro pane, vino et vestitu assignata sunt, dehinc pro rogis assignantur singulis 24 nomismata.

ANNO DOMINI MCXXI

ELIAS ECDICUS

SEU DEFENSOR ECCLESIÆ CRETENSIS

NOTITIA.

(Ex libro inter rariores rarissimo cui titulus : Φιλοκαλία τῶν ἱερῶν Νηπτικῶν, etc., Venetiis, 1782, fol.)

Elias divus ille Pater, qui etiam dicitur Defensor, A utrum sit Elias Cretensis, theologicorum Gregorii scriptorum commentator, an quispiam alius, nobis incertum est. Quantum quidem ex suis eum capitibus, tanquam ex quibusdam operibus opificem, cognoscimus, vir erat, si quis alius, perfectus in sapientia, tum profana, tum multo magis in ea quæ nostra est et excellens. Ejus enim eloquii vim et eminentem virtutis laudem vir peritus facile in illis agnoscet. Quæ quidem nos meditati, uberemque in eis moralis mysticæque scientiæ fructum admirati, ac delectati quasi quibusdam frondibus tegmen fructui aspectumque præbentibus amœnum, id est, figurarum et verborum leporibus quibus B auctor illa optime concinnavit : ipsa lectionis amantibus largimur, eosque amice hortamur ut ingrediantur floridum hoc odoriferumque pratum (hoc enim titulo ornantur), densis altisque spiritalium oraculorum arboribus consitum, ac dulcissimis divinæ sapientiæ fluentis irriguum, utque sub umbra illius sedeant : ita ut et ipsi, non solum practicæ fluminibus inebrientur, sed etiam arborum theoriæ fructibus (ut ad cantilenæ modum loquar) ædituum more efferciantur.

Ἠλίας ὁ θεῖος οὗτος Πατὴρ, ὁ καὶ Ἔκδικος ἐπονομαζόμενος, πότερον Ἠλίας ὁ Κρήτης, ὁ καὶ τῶν τοῦ Γρηγορίου θεολογικῶν λόγων σχολιαστὴς, οὗτός ἐστιν, ἢ ἕτερός τις, ἡμῖν ἄδηλον. Ὅσον γε μὴν ἐκ τῶν παρόντων αὐτοῦ κεφαλαίων, ὡς ἔκ τινων ἀπο-τελεσμάτων τὸν ποιητὴν, ἐπιγνῶμαι, ἀνὴρ ἦν, εἴ τις καὶ ἄλλος, σοφίας εἰς ἄκρον ἐληλακὼς, τῆς τε θύραθεν, καὶ πολλῷ μᾶλλον τῆς καθ' ἡμᾶς τε, καὶ κρείττονος. Τήν τε γὰρ ἐν λόγοις δύναμιν, καὶ τὸ περιὸν αὐτῷ τῆς ἀρετῆς κλέος ῥᾳδίως ἂν ἐν τούτοις κριτικὸς ἀνὴρ καταμάθοι. Ἃ δὴ καὶ ἡμεῖς κατιδόντες, καὶ τὸν ἐν αὐτοῖς πολύχουν καρπὸν τῆς ἠθικῆς, καὶ γνωστικῆς διδασκαλίας θαυμάσαντες, ναὶ μὴν, καὶ ἡσθέντες οἷόν τισι φύλλοις σκέπην τε τῷ καρπῷ, καὶ ὄψιν παρεχομένοις οὐκ ἄωρον, ταῖς τῶν μεταφορῶν φημὶ, καὶ λέξεων χάρισιν, αἷς εἰς τὸ ἄριστον ὁ Πατὴρ αὐτῶν ἐχαρίτωσε, τούτοις τοὺς φιλαναγνώστας φιλοφρονούμεθα, καὶ εἰσελθεῖν αὐτοὺς παρακαλοῦμεν ἐν ἀγάπῃ, τὸν εὐανθῆ τουτονὶ καὶ εὐώδη λειμῶνα, ὡς οὕτως ἐπιγράφεται, πολλαῖς μὲν καὶ ὑψηλαῖς ἀναδενδράσι τῶν πνευματικῶν λογίων πεπυκασμένον, ῥείθροις δὲ θείας σοφίας ποτιμωτάτοις κατάρρυτον· καὶ τῇ σκιᾷ τούτου ὑποκαθίσαι. Ὡς ἂν καὶ αὐτοὶ, οὐ μόνον τῶν τῆς πρακτικῆς ῥοῶν ἀπολαύσωσιν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀκροδρύων τῆς θεωρίας, ᾠσματικῶς εἰπεῖν, ζακόρως κατατρύφήσωσιν.

Digitized by Google

ΑΝΘΟΛΟΓΙΟΝ ΓΝΩΜΙΚΟΝ

ΦΙΛΟΣΟΦΩΝ ΣΠΟΥΔΑΙΩΝ

ΣΠΟΥΔΑΣΘΕΝ ΚΑΙ ΠΟΝΗΘΕΝ ΗΛΙΑ ΕΛΑΧΙΣΤΩ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΩ ΚΑΙ ΕΚΔΙΚΩ

Πηγὴν νάουσαν ἠθικῶν δρῖσον λόγων ἐν ταῦθ' ἑφεύροις εἰ μετέλθῃς γνησίως.

—

ANTHOLOGIUM GNOMICUM

PIORUM PHILOSOPHORUM

SEDULO ELABORATUM ET ORDINATUM OPERA ELIÆ EXIGUI PRESBYTERI ET DEFENSORIS.

Fontem scaturientem moralium rore verborum hic invenies, si sincere quæsieris.

(Latine ap. Jac. Pontanum; Græce nunc ex *Philocalia* et dimidio auctius.)

—

α'. Ἔξεστι παντὶ Χριστιανῷ τῷ ὀρθῶς πιστεύοντι εἰ; τὸν Θεὸν, μὴ ἀμεριμνεῖν, ἀλλὰ πάντοτε προσδοκᾷν, καὶ ἐκδέχεσθαι πειρασμὸν, ἵν', ὅταν ἔλθῃ, μὴ ξενίζηται μηδὲ ταράσσηται, ἀλλ' εὐχαρίστως ὑπομένῃ τὸν κόπον τῆς θλίψεως, καὶ ἐννοῇ τί ψάλλων σὺν τῷ Προφήτῃ λέγει· « Δοκίμασόν με, Κύριε, καὶ πείρασόν με· » καὶ οὐκ εἴρηκεν ὅτι Ἡ παιδεία σου κατέστρεψεν, ἀλλ', « Ἀνώρθωσέ με εἰς τέλος. »

β'. Ἀρχὴ μὲν τῶν καλῶν, φόβος Θεοῦ. Τέλος δὲ, ὁ πόθος αὐτοῦ.

γ'. Ἀρχὴ παντὸς ἀγαθοῦ, λόγος ἔμπρακτος, καὶ πρᾶξις ἐλλόγιμος. Διὸ οὔτε πρᾶξις, λόγου χωρὶς, ἀγαθή· οὔτε λόγος, πράξεως ἄνευ, ὁ προερχόμενος.

δ'. Πρᾶξίς ἐστι, σώματος μὲν, νηστεία καὶ ἀγρυπνία· στόματος δὲ, ψαλμῳδία καὶ προσευχὴ, καὶ σιωπὴ λόγου τιμιωτέρα· καὶ χειρῶν πρᾶξις, τὸ ὑπ' ἐκείνων ἀγογγύστως γινόμενον· ποδῶν δὲ, τὸ δι' αὐτῶν ἐκ πρώτης προτροπῆς ἀνυόμενον.

ε'. Προηγεῖται πασῶν τούτων ἔλεος καὶ ἀλήθεια. Ὧν κύημα ἡ ταπείνωσις, καὶ ἡ ἐκ ταύτης κατὰ τοὺς Πατέρας προσγινομένη διάκρισις· ἧς ἄνευ, οὐδ' ἑτέρα τὸ ἑαυτῆς ἰδεῖν πέρας δυνήσεται. Ἡ μὲν γὰρ πρᾶξις τὸν τοῦ λόγου ζυγὸν ἀτιμάζουσα, ὧδε κἀκεῖσε περὶ τὰ ἀνωφελῆ οἷά τις δάμαλις περιπλανωμένη εὑρίσκεται· ὁ δὲ λόγος τῆς πρακτικῆς τοὺς ἐντίμους χιτῶνας ἀποποιούμενος, οὐκ εὐσχήμων κἂν τοιοῦτος εἶναί πως τὸ δοκεῖν σχηματίζεται.

ς'. Ἡ ἀνδρεία ψυχὴ, ὡς γυνὴ παρ' ὅλον αὐτῆς τὸν βίον, ὡς δύω λύχνους τὸ πρακτικόν τε καὶ θεωρητικὸν κατομένη, κατέχουσα, πράττει τὰ ὀφειλόμενα. Τὰ ἐναντία δὲ πάλιν, ἡ παρειμένη ταῖς ἡδοναῖς.

A 1. Potest unusquisque Christianus semper sollicitus ac suspensus tentationem exspectare, ut cum venerit, neve miretur neve terreatur; sed grato animo tribulationis laborem molestiamque sustineat, et mente psallens cum Propheta dicat: « Proba me, Domine, et tenta me [1]. » Nec vero alibi dixit, « Disciplina tua me subvertit, » sed, « Correxit me in finem [2]. »

2. Principium omnis boni, timor Domini: finis autem, amor et desiderium ejus.

3. Principium omnis boni ratio seu contemplatio actuosa, et vicissim actio contemplativa. Nec enim actio citra contemplationem est laudabilis: nec contemplatio ab actione deserta, probata est et accepta.

B 4. Actio est, quoad corpus, jejunium et vigiliæ; quoad os, psalmodia, precatio et silentium, sermone melius; manuum actio, quod ex ipsis sine murmuratione acquiritur; pedum, quod ex primo impulsu fit.

5. Omnes virtutes præcedunt misericordia et veritas, quarum proles est humilitas, et quæ ex Patrum sententia inde enascitur, discretio: sine qua neutra, nec misericordia, inquam, nec veritas, finem ac terminum suum videre potest. Actio enim jugum contemplationis aspernans, huc illuc circa inutilia, instar vitulæ alicujus vagatur et oberrat. Contra contemplatio honoratam practicæ tunicam repudians, non est speciosa ac decora, etiamsi talis videri per simulationem contendat.

C 6. Anima generosa et virilis, ut mulier attenta et sedula, tota vita sua lampades duas, practicam scilicet et contemplativam, ardentes habens, facit quæ debet; e contrario anima voluptatibus soluta ac remissa, facit quæ non debet.

[1] Psal. xxv, 2. [2] Psal. xvii, 36.

Digitized by Google

7. Ad consummatam vindicationem a vitiis non sufficit animæ voluntaria afflictatio, nisi etiam non voluntariis inflammata, minime enervata diffluat. Anima enim gladio similis est : nisi per ignem et aquam transierit, hoc est per labores voluntarios et involuntarios, dum quotidianas tentationes repercutit, firma et infracta non permanebit.

8. Quemadmodum voluntariarum tentationum tres sunt causæ generalissimæ, sanitas, divitiæ et gloria, non sic voluntariarum totidem sunt, detrimentum seu damnum, contumeliæ, invaletudines. Atque hæcquibusdam ad ædificationem, quibusdam ad destructionem contingunt.

9. Una cum anima subsistunt et cohærent cupiditas et tristitia ; cum corpore voluptas et dolor. Causa doloris est voluptas. Nam dum acerbum doloris sensum effugere volumus, ad voluptatem confugimus. Cupiditas autem tristitiæ mater est.

10. Qui virtute est præditus, intrinsecus et in animo suo inclusum possidet bonum : vanæ gloriæ cupidus, sola cogitatione conceptum et imaginatitium. At vero malum probus superficie tenus, voluptati deditus profundum habet.

11. Praxis animæ est temperantia simplicitate, et simplicitas temperantia obfirmata.

12. Praxis spiritus est in contemplatione oratio, et in oratione contemplatio.

13. Non sæpe invenitur, qui vitium sollicite et cum cura non oderit, sæpius autem qui effectricibus ejus causis etiam attentius inhæreat.

14. Quibus non est semper apud animum proposita pœnitentia, iidem etiam in peccata frequentius labuntur. At qui non ex proposito culpam contrahunt, iis certo persuasum est pœnitere, et quamobrem pœniteant, haud ita crebro causam habent.

15. Sensus et conscientia in verbis quæ ore proferuntur conveniant, ut divinum Verbum, quod se in medio in nomine suo congregatorum adfuturum promisit [a], per proterviam aut immoderationem eorum quæ dicuntur aut fiunt, non pudefiat.

B ριθ'. Οὔτε ὁ ἐνδεῶς πρὸς ἀρετὴν ἔχων δι' ἀμέλειαν, οὔτε ὁ περιττῶς διὰ τὴν οἴησιν, εἴσω λιμένος τοῦ κατὰ τὴν ἀπάθειαν εὑρεθήσονται, οὐδ' ἕτερος γὰρ τῶν ἐκ δικαιοσύνης ἐν ἀπολαύσει γέγονεν ἀγαθῶν, μεσίτιδος εὑρισκομένης αὐτοῖς ἐλλείψεως, καὶ ὑπερβολῆς.

ρκ'. Οὔτε ἡ γῆ, εἰ μὴ πολυπλασίονα τῷ γεωργῷ τὸν σπόρον χαρίσεται, πλούσιον δύναται ἀπεργάσασθαι αὐτὸν, μόνον τὸν σπόρον παρεχομένη, ἢ καὶ μικράν τινα προσθήκην, οὔτε τῷ πρακτικῷ τὸ ἀνυόμενον, εἰ μὴ κρείττων τῆς προαιρέσεως αὐτοῦ ἡ σπουδὴ πρὸς τὸν Θεὸν εὑρεθῇ, δίκαιον ἀπεργάσασθαι δύναται.

C ρκα'. Οὔτε πάντες οἱ μὴ ἀγαπῶντες τὸν πλησίον, μισεῖν δύνανται· οὔτε οἱ μὴ μισοῦντες αὐτὸν, ἀγαπᾷν. Καὶ ἄλλο μέν ἐστι, τὸ βασκαίνειν ἐκείνου τὴν προκοπὴν, ἕτερον δὲ τὸ μὴ ἐμποδὼν αὐτῷ γίνεσθαι πρὸς τὴν προκοπήν. Ἐσχάτης δὲ κακίας βαθμὸς εὑρεθήσεται, τὸ μὴ μόνον δάκνεσθαι ἐν τοῖς ἐκείνου προτερήμασιν, ἀλλὰ καὶ διαβάλλειν τὰ ἐκείνου καλὰ, ὡς μὴ τοιαῦτα τυγχάνοντα

ρκβ'. Ἄλλα τὰ σωματικὰ πάθη, καὶ ἄλλα τὰ κατὰ φύσιν, καὶ ἄλλα τὰ παρὰ φύσιν. Ὁ δὲ τὰ μὲν ἀπωθούμενος, τῶν δὲ πρόνοιαν μὴ ποιούμενος, ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ, φραγμὸν μὲν ὑψηλὸν καὶ συνηρεφῆ κατὰ τῶν θηρίων ἱστῶντι· συνηδομένῳ δὲ τοῖς πτηνοῖς ἐσθίουσι τὰς τοῦ λογικοῦ ἀμπελῶνος σταφυλὰς, τὰς ὄντως περιφανεῖς.

D ρκγ'. Ἐν πρώτοις ἡ ψυχὴ ἐν φαντασίᾳ γίνεται τοῦ κακοῦ, εἶτα ἐν ἐπιθυμίᾳ, ἔπειτα ἐν ἡδονῇ, ἢ λύπῃ, εἶθ' οὕτως ἐν αἰσθήσει, καὶ μετ' αὐτὴν, ἐν ἁφῇ τῇ φαινομένῃ καὶ ἀφανεῖ, ἐν πᾶσι συνεπομένων τῶν λογισμῶν, πλὴν τῆς προτέρας κινήσεως, ἧς μὴ παραδεχθείσης, πᾶν τὸ μετ' αὐτὴν κακὸν ἀνενέργητον εὑρεθήσεται.

ρκδ'. Οἱ μὲν τῇ ἀπαθείᾳ ἐγγίζοντες, φαντασίαις μόναις σαλεύονται· ἐπιθυμίαις δὲ, οἱ μετριοπαθεῖς· ἐν αἰσθήσει δὲ γίνονται τοῦ κακοῦ, οἱ παραχρώμενοι μὲν τὰ τῆς χρείας, λυπούμενοι δέ· ἐν δὲ ἁφῇ, οἱ ἁλύπως αὐτῇ συγγινόμενοι.

ρκε'. Ἡ ἡδονὴ ἐν πᾶσι μὲν τοῖς τοῦ σώματος ἐγκαθίδρυται μέλεσιν, οὐ πᾶσι δὲ ὡσαύτως παρενοχλοῦσα φαίνεται, ἀλλὰ τοῖς μὲν μᾶλλον εἰς τὸ ἐπιθυμητικὸν τῆς ψυχῆς μέρος, τοῖς δὲ εἰς τὸ θυ-

Digitized by Google

μικὸν, ἑτέροις δὲ, εἰς τὸ ταύτης λογιστικόν· διὰ γαστριμαργίας, ὀξυχολίας καὶ πονηρίας, τῆς πάντων αἰτίας τῶν ἀνοσίων παθῶν.

A aliis secundum ratiocinantem, per malitiam scilicet, quæ passio est omnium deterrima.

ρκς'. Ἀνάγκη μὲν τὰ αἰσθητήρια, ὡς πύλας ἀνοίγειν πύλεως· ἀνάγκη δὲ μὴ συγχωρεῖν ἐν τῇ ἀνοίξει τῶν ἀναγκαίων, συνεισέρχεσθαι ἔθνη τὰ τοὺς πολέμους θέλοντα, καὶ μάχης αἴτια καθιστάμενα.

126. Necesse quidem est sensoria seu organa sensuum tanquam urbis alicujus portas aperire; necesse est autem, dum necessario aperiuntur, non ingredi causas, quibus bella et pugnæ in anima excitantur.

ρκζ'. Ἡδονὴ μὲν, μήτηρ ἐπιθυμίας· θυμοῦ δὲ, ὀξυχολία, βασκανίας δὲ, πονηρία καθίστανται. Οὐκ εἰρηνεύει δὲ μετὰ τῶν ἐσχάτων ὁ μὴ κατὰ τῶν ἀρχόντων ἀγωνιζόμενος· οὐδὲ εἰς τὸν τῆς μετριοπαθείας δύναται λιμένα εἰσέρχεσθαι, ὁ βίᾳ τὰς ἐντολὰς μετερχόμενος.

127. Opus concupiscentiæ voluptas est, iracundiæ repentina et acris ira, perversitatis invidia. Nec vero est in pace cum infimis, qui non cum summis decertat; nec in portum mediocritatis passionum invehi potest, qui vi et coactus Dei mandata servat.

ρκη'. Τὰς προσβολὰς οἱ ἀποκρουόμενοι, οὐ συγχωροῦσιν ἔνδοθεν τοῦ λογικοῦ ἀμπελῶνος, ὡς θηρία τοὺς λογισμοὺς εἰσέρχεσθαι, καὶ τῶν ἐκείνου ἐν λύμῃ καθίστασθαι. Οἱ δὲ συνδιάζοντες μὲν, μὴ συνηδόμενοι δὲ, ἁπλῶς εἰσέρχεσθαι αὐτοὺς συγχωροῦσι, μὴ ἅπτεσθαι δὲ μηδενὸς τῶν αὐτοῦ· οἱ δὲ ἡδέως μὲν συνομιλοῦντες τοῖς πάθεσι διὰ τῶν λογισμῶν, εἰς συγκατάθεσιν δὲ μὴ ἐρχόμενοι, ὡμοιώθησαν τοῖς ἐάσασι τὸν μονιὸν ἔνδοθεν τοῦ ἀγροῦ, καὶ τοῦ φραγμοῦ εἰσελθεῖν, ἐν κόρῳ δὲ αὐτὸν τῶν τοῦ ἀμπελῶνος γενέσθαι βοτρύων μὴ συγχωρήσασιν· εἶτα εὗρον αὐτὸν τῆς ἑαυτῶν δυνάμεως ἰσχυρότερον, ἐν συγκαταθέσει πολλάκις παθῶν εὑρισκόμενοι.

B 128. Qui tentationes repellunt, non permittunt intro vineam spiritualem bestiarum instar cogitationes ingredi eamque vastare. Qui autem illis connivent, nec tamen eis delectantur, simpliciter ipsas intrare sinunt, ea lege ut nihil in illa tangant. Qui tandem amant cum cupiditatibus per cogitationes colloqui, licet usque ad consensum non deveniant, similes sunt illis qui patientes feram introire agrum vel sepem, eam satiari vineæ uvis non sinunt, sed postea eam inveniunt seipsis fortiorem, et se cupiditatibus sæpius consentientes deprehendunt.

ρκθ'. Οὔπω ἔφθασεν εἰς ἁπλότητα, ὁ ἔτι δεόμενος ἐπιμελείας φραγμοῦ τοῦ κατὰ τὴν ἐγκράτειαν· ὁ τέλειος γὰρ, φησὶν, οὐκ ἐγκρατεύεται, ἀλλ' ὁ ἔτι ἀγωνιζόμενος. Ἔοικε δὲ τῷ ἔχοντι ἄμπελον, ἢ ἄρουραν οὐ μέσον πολλῶν ἄλλων ἀμπελώνων ἢ χώρων, ἀλλ' ἐν γωνίᾳ που· καὶ διὰ τοῦτο δεόμενον πολλῆς τῆς φυλακῆς, καὶ τῆς νήψεως. Τοῦ γὰρ εἰς ἁπλότητα φθάσαντος, ἐκ παντὸς ἡ ἄμπελος ἀνέπαφος γίνεται· καθάπερ βασιλέως ἢ τινὸς ἄλλου παραδυναστεύοντος φοβεροῦ, καὶ μόνης ἐξ ἀκοῆς, τούς τε κλέπτας καὶ παροδίτας, φρίττειν ποιοῦντος τὴν ἐπιχείρησιν.

C 129. Nondum ad simplicitatem pervenit, cui adhuc opus est ut sepe temperantiæ muniatur: nam se continere non est perfecti, sed ejus qui adhuc militat. Ille autem similis est homini habenti vineam vel agrum sitos, non inter multos alios campos et vineas, sed in angulo quodam, ideoque indigentes multa custodia et vigilantia. Qui enim ad simplicitatem pervenit, omnino tutam habet vineam, ut rex vel alius princeps formidabilis et sola voce fures et viatores ab invasione deterrens.

ρλ'. Πολλοὶ μὲν εἰς τὸν τῆς κακοπαθείας σταυρὸν ἀνέρχονται, ὀλίγοι δὲ καὶ τοὺς ἥλους αὐτοῦ καταδέχονται· τῶν μὲν γὰρ κατὰ προαίρεσιν πόνων καὶ θλίψεων, ὑπήκοοι πολλοί· τῶν ἀπροαιρέτως δὲ ἐρχομένων, μόνοι οἱ τῷ κόσμῳ τούτῳ τελείως ἀποθανόντες καὶ τῇ ἀναπαύσει αὐτοῦ.

130. Multi in crucem afflictionis ascendunt, pauci ejusdem clavos admittunt. Voluntariis et animi judicio susceptis incommodis ac mortificationibus multi se subjiciunt, non voluntariis autem et ultro oblatis ii tantum qui honoris desiderium ex animo ejecerunt.

ρλα'. Πάντας μὲν τοὺς δερματίνους χιτῶνας πολλοὶ ἐξεδύσαντο, τὸν ἔσχατον δὲ τὸν τῆς κενοδοξίας, μόνοι οἱ τὴν αὐτῆς μητέρα τὴν αὐταρέσκειαν βδελυξάμενοι.

D 131. Omnes pelliceas tunicas multi exuerunt, sed vanæ gloriæ tanquam ultimam illi duntaxat qui sui complacentiam velut ejus matrem detestati sunt.

ρλβ'. Ἔπαινον ἀνθρώπων, καὶ ἄνεσιν σώματος, ὁ ἀποδεχόμενος μὲν, μὴ καταδεχόμενος δὲ, οὗτος τοῦ ἐσχάτου τῆς κενοδοξίας χιτῶνος γυμνὸς γεγονὼς, τοῦ ἐν πολλοῖς στεναγμοῖς ἐπιζητούμενος οἰκητηρίου, τοῦ ἐξ οὐρανοῦ τὴν λαμπρότητα, ἀπ' ἐντεῦθεν ἠξιώθη ἐνδύσασθαι.

132. Qui laudem hominum et corporis quietem accipit, non vero acceptat, hic ultimo inanis gloriæ vestimento spoliatus, in multisque gemitibus quærens habitationis quæ de cœlo est splendorem, illam meruit superindui.

ρλγ'. Ἄλλο ἐνέργεια, καὶ ἄλλο ἐνέργημα· καὶ τὸ μὲν, ἁμαρτίας ἀπηρτισμένης ἐστὶ δεικτικόν· ἡ δὲ, ἡδυπαθείας μόνης τῆς ἔνδοθεν ἐνεργουμένης, ἀλλ' οὐκ ἐκτός· ὡς οἱ τῆς ἰδίας μὲν μὴ μετακινούμενοι γῆς, δασμοφοροῦντες δὲ ὅμως τοῖς καταδυναστεύουσι τὰ αὐτοῖς καταθύμια.

133. Aliud vis operans, aliud opus. Hoc peccati consummati est index, illa tantum cupiditatis intus agentis, non vero ad extra: quales illi qui a propria terra non pelluntur, sed principibus in tributum solvunt quæ his placent.

Digitized by Google

134. Gustu in voluptatibus dominante, impossibile est non comitari cæteros sensus; etsi frigidiorum quiescere videantur abdomina, verbi gratia, senum, qui calorem præ macilentia non subeunt; at, eo quod non parit, non ideo pudica reputabitur sterilis meretrix, sed illum dicemus pudicum, qui animo non uritur, nec oculis seducitur.

A ρλδ'. Τῆς γεύσεως κρατούσης ἐν ἡδοναῖς, ἀδύνατον μὴ καὶ πᾶσας τὰς αἰσθήσεις συνέπεσθαι· κἂν τῶν ψυχροτέρων εἰρηνεύειν δοκῶσι τὰ ὑπογάστρια, ὡς τὰ τῶν γεγηρακότων, πύρωσιν μὴ ὑπομενόντων ἐκ μαρασμοῦ· ἀλλ' οὐ παρὰ τὸ μὴ γεννᾷν, σώφρων ἡ στείρα μοιχευομένη κριθήσεται· σωφρονεῖν δὲ πάντα τὸν μὴ παθαινόμενον ἔνδοθεν εἴποιμεν ἄν, μηδὲ ὁράσει κατακυλούμενον.

135. Cibis, formis et sonis, sive amœnis, sive aliter sese habentibus, in gustu, visu et auditu pars animæ concupiscibilis ostenditur qualis sit, an videlicet illis utatur, an abutatur, an medium inter utrumque teneat.

ρλε'. Ἐν τροφαῖς, καὶ μορφαῖς, καὶ φωναῖς, τὸ ἐπιθυμητικὸν τῆς ψυχῆς ἐλέγχεται οἷόν ἐστι· ταῖς θελκτικαῖς τε καὶ ταῖς ἄλλως ἐχούσαις, ἐν γεύσει, καὶ ὄψει, καὶ ἀκοῇ, εἴτε ὡς χρώμενον αὐταῖς, εἴτε ὡς παραχρώμενον, εἴτε μέσως πρὸς τὰ ἀμφότερα εὑρισκόμενον.

136. In quibus timor non præcedit, sicut oves non habentes pastorem inordinatæ reperientur cogitationes; si vero ille sequatur vel præcedat, in bono reperientur ordine et intra stabulum lætis pingue pabulis.

B ρλς'. Ἐν οἷς ὁ φόβος οὐ προηγεῖται, ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα, ἐν συγχύσει οἱ λογισμοὶ εὑρεθήσονται· ἐν εὐταξίᾳ δὲ, καὶ μάνδρας εἴσω τῆς κατὰ εὐνομίαν, ἑφεπομένου, ἢ προηγουμένου αὐτοῦ.

137. Fidei filius est timor; hic autem præceptorum pastor; qui vero hujus matrem non possidet, ovis pascuæ Domini non merebit haberi.

ρλζ'. Τῆς πίστεως, ὁ φόβος υἱός· τῶν ἐντολῶν δὲ οὗτος νομεύς· καὶ ὁ μὴ τὴν μητέρα τούτου κτησάμενος, πρόβατον ὀφθῆναι· τῆς κατὰ Κύριον νομῆς οὐκ ἀξιωθήσεται.

138. Alii solam habent virtutum inchoationem, alii earumdem medium, alii illarum perfectionem. Sine qua unusquisque invenietur sicut miles inermis vel princeps pane indigens, quorum proinde unus duntaxat propriam domum ab hostibus eam vastare tentantibus custodit, alter non convenienti colitur honore apud eos quibuscum versatur.

ρλη'. Οἱ μὲν τὰς ἀρχὰς μόνας ἔχουσι τῶν καλῶν, οἱ δὲ καὶ τὰς τούτων μεσότητας, οἱ δὲ καὶ τὰ τέλη αὐτῶν. Ὧν ἄνευ, ὡς στρατιώτης ψιλὸς ἕκαστος εὑρεθήσεται, ἢ ἀξιωματικὸς, τῶν σιτηρεσίων ἐκτός· καὶ διὰ τοῦτο, ὁ μὲν τὴν ἑαυτοῦ μόνον οἰκίαν ἀπὸ τῶν ἐπιχειρούντων αὐτὴν ἐπηρεάζειν συντηρῶν· C ὁ δὲ, οὐκ ἐν τιμῇ τῇ προσηκούσῃ εὑρισκόμενος ἐν οἷς ἂν συνέρχηται.

139-140. Qui nos adhuc imperfectos invitant ut voluptatibus gulæ consentiamus, eos imitantur qui impellunt ad urenda cauterio vulnera jam sanata, vel ad lepras oblectamenti gratia radendas, vel ad comedendum ea quæ febrim excitant, vel ad sepiendum vineam suam, simulque permittendum ut eam ingrediatur; quasi fera sensus carnalis, et quasi uvas devoret bonas cogitationes. Illios non oportet credere, nec importunis cedere hominum cupiditatumque adulationibus, sed potius munire sepem temperantia, donec desinant ferarum ritu carnales cupiditates ululare, et more volucrum vanæ cogitationes descendere ad devastandum vineæ instar animam bene directam contemplationibus D quæ sunt in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula. Amen.

ρμ'. Οἱ ταῖς ἡδοναῖς ἡμᾶς συνέρχεσθαι παρακαλοῦντες τοῦ φάρυγγος, ἀτελεῖς ὄντας, ὅμοιόν τι ποιοῦσι τοῖς ἀναθερίζειν παρακελευομένοις τὰς εἰς ὑγείαν πληγὰς ἤδη ἐληθούσας, ἢ τὰς ψώρας διὰ τὴν ἡδύτητα κνίθζειν, ἢ τὰ τὸν πυρετὸν ἐσθίειν ἀνάπτοντα, ἢ ἀποφράττειν τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ, καὶ συγχωρεῖν εἰσέρχεσθαι, ὡς μονιὸν ἄγριον, τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, καὶ τὰς ἐννοίας τὰς ἀγαθὰς ὡς σταφυλὰς διαβόσκεσθαι· οἷς οὐ πείθεσθαι χρὴ, οὐδὲ ταῖς ἀκαίροις κάμπτεσθαι κολακείαις, ἀνθρώπων τε καὶ παθῶν· κατοχυροῦν δὲ μᾶλλον τὸν φραγμὸν δι' ἐγκρατείας ἕως παύσωνται οἵ τε θῆρες· τὰ σαρκικὰ πάθη· ὠρύεσθαι, καὶ ὡς πετεινὰ, οἱ μάταιοι λογισμοὶ, μὴ καταβαίνειν λυμαίνεσθαι τὴν ἄμπελον εὐθυνουμένην ψυχὴν θεωρίαις ταῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν· ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

Digitized by Google

ADDENDA

Supra col. 543 Lectorem ad Opera S. Gregorii Theologi remisimus, ubi Nicetæ Serronii expositionem in orationes duas S. Gregorii Græce et Latine, speciminis gratia, edidimus. Postea, re maturius perpensa, et Nicetæ apud multos auctoritatis ratione habita, commentarium integrum edere statuimus. Lector ad columnas editionis nostræ (tom. XXXVI) revocatur.

NICETÆ SERRONII

HERACLEENSIS METROPOLITÆ

EXPOSITIO IN ORATIONES S. GREGORII NAZIANZENI *

Interprete Jacobo Billio.

IN ORATIONEM XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Hanc orationem in urbe Constantinopolitana Theologus edidit. Ob eamque causam factum est, ut quia cum hæreticis certamen haberet, Divinitatis doctrinam perquam accurate tractarit.

COMMENTARIUS.

Col. 311 A. *Christus gignitur*, etc. Christi nomen proprie utrumque simul significat, nempe Deum et hominem. Improprie autem aliquando pro sola Verbi divinitate accipitur, aliquando pro sola humanitate. Primæ significationis exemplum est, *Christus gignitur*. Deus enim simul et homo gignitur. Itemque illud, Christus in terra, et Christus ex Virgine. De sola autem divinitate illud dictum est, Christus e cœlis. Deus enim solus sine humanitate de cœlo descendit. Itemque illud, Christus in carne, hoc est, Deus in carne. At de sola humanitate illud apud Apostolum est positum : *Christus pro nobis mortuus est* [1], id est, Jesus. Fit enim propter summam unionem, ut etiam cum separatim naturæ accipiuntur, Christi nomine, quod utriusque naturæ uniendæ vim habet, appellentur. Cæterum illud notandum, quod non dixit; Christus genitus est, sed Gignitur, hodierno die : quoniam qui festi diei laudes prosequitur, tanquam rerum non ita A pridem gestarum laudem contexit, atque ea verbi præsentis temporis vis est, ut rem velut ob oculos ponat, atque ita repræsentet, ac si nunc geratur. Christus itaque, hoc est, Deus et homo gignitur. Non dixit Genitus est, sed, Gignitur : eamdem semper progressionem Filius ac Deus retinet, utpote Verbum, quod non humano more semel duntaxat ex Patre progreditur ac gignitur, sed sine egressione generatur. Vel, quia in nobis, qui per Spiritum renascimur, perpetuo gignitur; vel etiam, quia præsens tempus, quantum ad principium, præteriti, quantum ad finem futuri particeps est, ob idque pro utroque usurpatur. Idcirco non abs re præteriti temporis loco dixit : Gignitur hodierno die, qui diei illius, quo ipse natus est imaginem gerit, B nimirum unoquoque anno conversione sua eumdem diem revehente. Apte autem dixit : Glorificate, quandoquidem in Christi nativitate angeli quoque glorificabant, dicentes : *Gloria in altissimis Deo* [2]. Glorificate autem idem est quod Laudate. Cum autem dixisset : Christus gignitur, hæc verba per ea, quæ sequuntur, explanat, per cœlum et terram. Deus enim solus, inquit, e cœlo descendens in terra cum assumpta humanitate nascitur. Quod etiam ait, Obviam prodite, recte cum his verbis,

[1] II Cor. v, 15. [2] Luc. II, 14.

* Alia identidem scholia, ex Græcis Nicetæ *magnam partem* sumpta, ut ait, excerpsit Jacobus Billius ut Eliæ lacunas suppleret; cum autem de suo multa addiderit, jam, deficiente textu Græco, verba Nicetæ ab addititiis secernere non possumus. Edit.

Digitized by Google

Christus e cœlis, cohæret. Porro ipsi e cœlis descendenti ita demum quis occurrere poterit, si supra res terrenas seipsum extulerit, atque actionis et contemplationis pennis evexerit, juxta id quod ab Apostolo dictum est : *Obviam procedemus venienti Domino in aerem* [8]. Optime etiam quadrat illud Sabuchimini cum his verbis : Christus in terra. Ipso enim nostræ salutis causa dejecto ac terreno facto, nos propter ipsum evecti ac cœlestes facti sumus. Illud autem : *Cantate Domino, omnis terra*, Davidis est [4]. Hoc porro loco per terram homines in terra habitantes intelliguntur. Quoniam autem eo tempore ob Christum natum angeli et pastores Deum laudabant ac voluptate afficiebantur, mihi quoque faciendum est, ut hæc duo in unum contraham, ac cœlestia simul et terrena colligam, et cum Davide dicam : *Lætentur cœli et exsultet terra*,[5] hoc est, et cœlestes angeli, et homines in terra degentes. Vel ipsa quoque inanimata elementa ob incredibilem voluptatis magnitudinem ad lætitiam invitentur. Consimile quiddam Isaias dicit : *Lætemini, cœli, et exsultet terra, prorumpant montes in lætitiam : quoniam miseratus est Dominus plebem suam* [6]. Adhæc Theologus illud : Christus in carne, ex prima ad Timotheum sumpsit, in qua Paulus ait : *Deus manifestatus est in carne* [7]. Illa autem : Tremore et gaudio exsultate, a psalmo secundo Davidis sumpta sunt. In eo enim loquitur, *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* [8]. Sensus autem Theologi talis est : Quoniam, inquit, Deus in carne est, exsultate, non tamen pure et simpliciter ; verum sit exsultatio vestra tremore et gaudio temperata, illud ob peccatum, quod nos ipsius adventu præsentiaque indignos reddiderat, hoc propter spem salutis. *Venit* enim, ut *salvum faceret, quod perierat* [9]. Jam etiam quæ sequuntur, expendamus. Christus ex Virgine natus, virginitatem prætulit. Ac quæcunque virginitatis amore correptæ fuerint, quodammodo sanctam Deiparam imitantur. Virgines enim, inquit, post ipsam adducentur, eam videlicet per imitationem comitantes. Ac proinde quantum ad virginitatis studium, matres Christi dici possint. Allegorico autem sensu omnis anima maris juxta ac feminæ, quæ ab omni fœdo atque obsceno affectu virginis instar, puram se et incorruptam tuetur, virtute Verbum concipit, ipsumque progignit. Mox per interrogationem infert Gregorius. « Quis eum, qui a principio est, propter divinitatem non adoret? Quis item ultimum, propter humanitatem non laudet? Postremis siquidem diebus ad nos venit. » Illud autem a principio Theologus noster a Theologo Joanne accepit. Sic enim scribit : *Qui erat a principio* [10]. Et in Evangelio : *In principio erat Verbum* [11].

Col. 313 A. *Rursus tenebræ solvuntur*, etc. Moses in principio Genesis tenebras illas primas cum cœlo et terra velut subsistentes lucis productione discussas ac depulsas fuisse scribit. At nunc Theologus tenebras errorem et peccatum vocat : lucem autem veram fidei doctrinam et virtutem. Ac solvuntur quidem tenebræ, ut accidens : creatur autem lux, ut substantia. Si quidem error ac peccatum præter naturam sunt, veritas contra et virtus secundum naturam. Earum etenim semina naturæ nostræ inspersa atque insita sunt. Deinde Ægyptus quidem palpabilium tenebrarum plaga prius vexata est, quemadmodum tradidit Moses [12] : at nunc ignorantia et peccatum tenebris cruciantur, hoc est, internecione delentur. Ad hæc Israel quidem columna ignis tunc illustratus est : at nunc Israel dici queat pius populus, qui Deum spiritualiter intuetur. Columna autem ignis veritas, aut Christus ipse, qui nos tegit et illustrat, atque ad cœlestem promissionis terram nobis viam commonstrat. Quod autem sequitur. *Populus qui sedebat*, etc., ab Isaia quidem acceptum est [13] ; cæterum Theologus exponens de quibus tenebris Propheta loquatur, adjecit, Ignorantiæ. Eodemque modo in luce fecit, subjungens, Cognitionis et scientiæ. Rursus illud, *Vetera transierunt*, etc., ex II Epist. Pauli ad Cor. v, sumpsit ; vetera quippe nova facta sunt. Nam pro agno Christum habemus, pro circumcisione baptismum, pro manna et aqua corpus et sanguinem Christi, pro terra cœlum, cæteraque eodem modo. Hunc porro Apostoli locum explicans, subdit, Littera loco cedit, spiritus superat. Per litteram legem scriptam ipsiusque cæremonias intelligit, per spiritum autem, Evangelium, utpote quod spiritale sacrificium vitamque spiritalem aperte præscribat. Nam lex vetus juxta litteræ sensum omnia præcipiebat. Lex autem vetus scripta nominatur, quia prius scripta est, quam apud populum recitata sit : at Evangelium Christus ore docuit, tametsi postea quoque litterarum monumentis consignatum sit. Ac vide quam accurate et exacte loquatur Gregorius : Superat Evangelium, hoc est, superiora omnia habet, atque auctoritate et potentia vincit. Lex autem loco cedit, ut nequaquam prorsus soluta et exstincta. Iis enim oblitteratis atque abrogatis quæ juxta externum sensum peragebantur, spiritualia vim suam retinuerunt. Atque umbræ, hoc est, scriptæ legis præcepta, utpote significativa, et per ea quæ in sensum cadebant, res spirituales adumbrantia præterierunt, hoc est, finem acceperunt. Umbris autem sese subducentibus veritas per eas adumbrata in medium prodit. At vero Moses cum de rebus Melchisedech in Genesi ageret, nec de ipsius patre, nec de matre, nec de vitæ principio, nec de fine ullum verbum fecit. Quem Paulus in Epist. ad Hebræos figuram Christi gerere inquit his verbis, *Sine patre, sine matre, sine genere, neque principium dierum, neque*

[8] I Thess. IV, 16. [4] Psal. XCV, 1. [5] Ibid. 11. [6] Isa. XLIX. 13. [7] I Tim. III, 16. [8] Psal. II, 11. [9] Luc. XIX, 10. [10] Joan. I, 1. [11] Joan. I, 1. [12] Exod. X, 13. [13] Isa. IX, 2.

Digitized by Google

finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei [16]. Ab hoc loco sententiam mutuatus Theologus, Melchisedech, inquit, colligitur, hoc est, syllogistice conficitur, concluditur, atque demonstratur. Nam cum Christus, quantum ad supernam et primam generationem, matris expers esset, sine patre quoque factus est, juxta inferiorem ac secundam nativitatem. Vel colligitur, hoc est, unitur atque perficitur. Primum enim Filius Dei dimidia tantum ex parte Melchisedech erat, quatenus videlicet matre carebat. At postea patris quoque expers factus, perfectus jam est Melchisedech. Cæterum hoc inter utrumque interest, quod Melchisedech patris ac matris, principii item et finis expers est natura, sed ignoratione ac silentio ejus, qui res ipsius conscripsit, Deo nimirum ita constituente : Christus autem natura. Ideirco enim imago et figura ille erat, hic autem veritas. Neque enim idem est imago, quod veritas. Illud autem scire convenit imaginem aliquando ea re, cujus imago est, priorem esse, aliquando posteriorem. Prior enim est in signis et figuris, ut in legalibus sacrificiis cæterisque Veteris Testamenti cæremoniis, atque etiam in hoc Melchisedech : posterior autem in his rebus, quæ ab exemplari sumuntur, ut pictus Paulus vivi Pauli imago est.

Col. 313 BB. *Naturæ leges evertuntur*, etc. Naturæ leges nimirum quod mulier sine viri congressu non concipiat, nec sine doloribus pariat, nec post partum virginitatis decus retineat, quæ quidem in Dei Matre per contraria subversa sunt, ut quæ et sine viro conceperit, et sine doloribus pepererit, et post partum virgo manserit. Quod autem supernum mundum implendum esse ait, vario modo intelligi potest. Vel enim, quia Lucifer cum subditis sibi defectricibus copiis prolapsus locum vacuum reliquit, eum a nobis in ipsius gradum atque ordinem per virtutem evectis impleri necesse est. Vel quia quemadmodum Adam præscriptas sibi a Deo leges transgressus, inferiorem hunc mundum hominibus per carnem ad interitum et corruptionem, juxta ipsum progenitis implevit, per similitudinem videlicet prævaricationis ipsis dux et auctor factus : eodem modo Christus Adami leges reipsa delens atque abrogans, superiorem mundum impleri ostendit, his [18] qui secundum ipsum ad incorruptionem gignuntur, per similitudinem obedientiæ suæ dux factus. Supernum autem hunc mundum vocat, qui præcessit peccatum, quod quidem ignorantiæ leges invexit : quibus rursus a Christo exstinctis incorruptione mundus impletus est. Vel etiam quia ut matrimonium inferiorem, ita virginitas superiorem mundum implet : quippe quæ sui studiosos cum virginibus angelis consociat. Quin alio etiam modo supernum mundum impleri oportet, nimirum ut ovis illa, quæ a centenario grege aberraverat, reducatur : atque amissa drachma rursus decadis numerum expleat ac filius ille decoctor binarium perficiat. Verum ubinam Deus supernum mundum impleri jubet? Fortasse cum ait : *In domo Patris mei multæ sunt mansiones* [16]. Impleri enim a nobis has mansiones vult. Vel etiam fortasse cum de illis, qui ad cœnam vocantur, inquit : *Compelle illos intrare, ut impleatur domus mea* [17]. Vel cum ait : *Qui potest capere, capiat* [18]. Adam enim solutis ac violatis legibus sibi impositis per similitudinem transgressionis suæ dux hominibus factus est. Christus autem hujusmodi legibus, quas acceptas Adam perfregerat, re pro nihilo duxerat, confirmatis et constabilitis superiorem mundum impleri ostendit. Atque hæc quidem ad hunc modum exposita sint. Illud autem : *Omnes gentes, plaudite manibus*, Davidis est [19] ; signum porro gaudii manuum plausus. Verum quam ob causam manibus plaudendum est? quoniam, ut inquit Isaias : *Parvulus Dei Filius nobis natus est* [20], hoc est, nostra causa. Nam nos propter nosmetipsos nascimur, ut luce ac vita perfruamur : at Christus nostra causa natus est, ut nos beneficiis afficiat, ac nobis datus est, cujus principatus, secundum eumdem Isaiam [21], super humerum ejus. Egressus est enim humeris gestans crucem suam; quæ quidem ipsius est principatus, utpote imperii ac potestatis, qua omnibus dominatur, signum ac veluti sceptrum. Etenim Christus post mortem, quam in cruce subiit, resurgens dixit : *Data mihi est omnis potestas in cœlo et in terra* [21*], ut homini scilicet, quam ut Deus habebat. Cum cruce enim, inquit, simul extollitur, hoc est, cruce in altum sublata ipse quoque cum infigeretur, simul evectus perfectam victoriam adeptus est, ac per crucem glorificatus est. Duo enim significat evectio, et simplicem a terra sublationem, et gloriam. Quorum alterum de cruce usurpatur, alterum de Christi humanitate. Insuper afflictionem et mortificationem crux designat. Ergo Christus extollitur, atque in nobis glorificatur, cum supra terrena evehimur, et afflictionibus premimur, vitiosisque animi motibus emorimur. Nec vero me fugit nonnullos ita hunc locum explicuisse : *Cujus principatus super humerum ejus*, quoniam omnes alii reges non in propriis viribus imperium suum ac regnum habent constitutum, sed in alienis, puta in militibus et satellitibus ac propugnatoribus ; Christus autem solus principatum suum super humerum habet, id est, in sua ipsius potentia. Per humerum enim vires significantur. Jam illud quoque ab Isaia sumptum est, *Vocabitur nomen ejus magni consilii angelus* [22], cujus

[16] Hebr. VII, 3. [18] Rom. V, 14, 15. [16] Joan. XIV, 2. [17] Luc. XIV, 23. [18] Matth. XIX, 12. [19] Psal. XLVI, 2. [20] Isa. IX, 6. [21] Ibid. [21*] Matth. XXVIII, 18. [22] Isa. IX, 6 sec. LXX.

Digitized by Google

autem consilii Theologus adjungit, nempe Patris. Consilium autem hoc, hominum instauratio erat. *Quæ enim*, inquit, *audivi a Patre, hæc annuntiavi vobis* [23]. Ubinam autem vocatum est nomen ejus magni consilii angelus? nusquam. Talis tamen erat, licet nusquam ita vocatus sit. Familiare autem est Scripturæ sacræ pro nominibus plerumque actiones ipsas accipere, quemadmodum hoc loco. Item cum ad Prophetam dicitur : *Voca puerulum, Confestim spolia, celeriter pasce, et Emmanuel* [24].

Col. 314 B. *Clamet Joannes, Parate viam Domini* [25], etc. Joannes, inquit, nato Christo viam præmunit, et clamet, quemadmodum de eo Isaias dicit, *Parate viam Domini* [26]. Quo loco per viam, piorum corda intelligit, per quæ prædicationis B Evangelicæ verbum incedit; ego autem præsentis festi naturam proclamabo. Quod carnis expers incarnatur non secundum mutationem, sed juxta humanitatis assumptionem. Eam enim carnis vacuitatem, quam habebat servans, carnem, quam non habebat, assumpsit. Illud autem, Verbum crassescit, idem est quod, *Verbum caro factum est.* Caro enim crassities est. Ac vide, quomodo ad admirabiliora sensim progrediatur. Crassities enim materiam magis redolet quam incarnatio : rursus sensibilius est oculis cerni, quam incarnari : ac denique crassius est contrectari, quam aspectu sentiri. Alio etiam modo, posteaquam dixit Christum incarnari, carnis, quoque proprietates adjicit, nempe crassitiem, et quod in aspectum et tactum cadat. Nam cum ne a cœlestibus quidem angelis prius cerneretur, nunc propter ipsius cum visibili homine unionem cernitur. Cernitur autem non quantum ad invisibilem divinitatem, sed quantum ad divinitatis actum et efficaciam, id est, non quatenus invisibilis Deus est, cernitur, sed per ea quæ ut Deus efficit, videmus Deum esse, quippe qui intermedio corpore humano, res Deo dignas peragat. Hæc autem verba, Cernitur et contrectatur, ex Joannis Epistola sumpsit Gregorius. Scribit enim ille, *Quod erat ab initio, quod vidimus, et manus nostræ contrectaverunt* [27]. Æternus et temporis nescius principium capit. Nam si caro factus est, D carnisque proprietates habuit, ortus quoque principium eum accepisse necesse est. Quod autem sermonis caput est, Dei Filius hominis Filius efficitur, non naturæ lege atque ordine. Virginem enim sine viri concubitu parentem nescit natura. Verum cum verus Deus esset, corporeus homo factus est. Hæc autem omnia non secundum mutationem, sed secundum assumptionem contigerunt. Hæc enim una est in omnibus hujusmodi propositionibus solutio. Illud autem, *Jesus Christus heri et hodie, idem et in sæcula,* A Pauli est in Epistola ad Hebræos [28]. Quo loco corporaliter tibi intelligendum est *heri et hodie.* Quod autem sequitur, *Idem et in sæcula* spiritaliter. Et quidem per *heri præteritum* tempus significatur; per *hodie* præsens; per *sæcula* autem æternitas et immortalitas. Quoniam autem nonnulli velut Judæi non Christum, qui salutis nostræ causa in crucem sublatus est, sed alium quemdam venturum rursus expectant, idcirco divinus Apostolus ad fidei rectæque doctrinæ confirmationem fore ait, ut idem hic Christus ad justam sententiam de orbe ferendam rursus veniat. His porro verbis ostenditur, Christum secundum divinitatem tripartitum *tempus habere,* nec alium, ut quidam opinantur, venturum, sed cum qui venit, hunc ipsum esse, *qui heri, id est,* præterito tempore erat, et hodie secundum præsens tempus est, et juxta futurum *tempus erit* in sæcula. Jam vero quod ait : Judæi offendantur, etc., alludit ad Paulum ita in *priore ad Corinthios* Epistola loquentem : *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* [29]. Judæi etenim acceptis miraculis offendebantur, ad *carnem* impingentes : gentiles autem prædicationis excellentiam natura superiorem irridebant, *nempe quod* Deus homo factus esset, quod immortalis mortem subiisset, cæteraque ejusdem generis; *linguæ autem* pruriginem, prolixas impiorum dogmatum nugas et deliramenta vocat. Tunc autem credent *hæretici,* cum certissimis argumentis fides ipsis adstructa fuerit, Christum cum carne in cœlum ascendisse. Sic enim ipse pollicitus est, dicens : *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum* [30]. *Quod* si nec tum quidem, at certe cum judex e cœlo descenderit. Nam cum hæc duo cum *adversariis* certent, vis nimirum ac persuasio, si quidem in hac vita rationibus atque argumentis ad *credendum* hæretici non adducantur, in extremo die rebus ipsis cogentur : cum ipsi omne genu, *velit* nolit, flectetur [31].

Ibid. C. *Verum hæc posterius. Nunc autem Theophania,* etc. Verum hæc, inquit, posterius futura sunt, nimirum ut alii ad Christi ascensum, *alii ad* descensum credant. Præsens autem festum, atque una eademque res, nempe Christi Nativitas, duplici nomine appellatur. Nam quia is qui natus est, duplici natura constat, duplex quoque festi hujus nomen est, Theophania nimirum divinitatis, Nativitas humanitatis. Quatenus enim Deus apparuit, Theophania huic rei nomen inditum est; quatenus autem natus est, Nativitas. Atque ut Deus quidem semper erat ex sempiterno Patre, ac supra causam et rationem erat (neque enim ulla causa præcessit, ob quam Filius a Patre generatus fuerit; neque enim eo quidquam est antiquius)

[23] Joan. xv, 15. [24] Isa. viii, 3. [25] Matth. iii, 3. [26] Isa. xl, 3. [27] Joan. i, 1. [28] Hebr. xiii, 8. [29] 1 Cor. i, 23. [30] Joan. xii, 32. [31] Philipp. ii.

Digitized by Google

homo vero in sæculorum fine factus est. Causa porro inferioris ipsius nativitatis, instauratio nostra fuit : ut qui vitam dederat (omnia enim per ipsum facta sunt) beatam quoque vitam nobis afferret. Cæterum ne quis suspicari posset, homini a principio cum vita beatam quoque vitam minime datam fuisse, huic suspicioni Theologus ita medetur, ut dicat, nos quidem prius quoque beatam vitam habuisse, verum ea propter peccatum lapsos fuisse. Ob hanc causam Creator creaturam induit, ut eam renovet, atque instauret, nosque incarnationis suæ opera in pristinum statum afferat, hoc est, ad beatam vitam quam ab eo acceptam amiseramus. Nam cum Dei notitia privati, atque ad ea quæ non sunt, aversi essemus (sola enim bona, utpote a Deo, qui vere est, profecta, substantiæ rationem habent : mala vero substantia omni carent) beata quoque vita spoliati sumus, hoc est, dissoluti ac dilapsi in morte et corruptione mansimus.

Col. 315. A. *Hoc festum est, hoc hodierno die celebramus*, etc. Professus se dici hujus vim declaraturum, nunc præstat, quod promisit, dicens : Celebramus Dei ad nos accessum. Accessit autem, ut nos ad eum peregre proficiscamur, vel, ut magis proprie dicam, revertamur. Peregrinari enim quis dicitur, cum ad eum locum, ad quem nunquam antea profectus fuerat, se confert : reverti autem, cum locum eum repetit, ad quem aliquando perrexerat. Quoniam igitur anima nobis a Deo inspirata est, eique aliquando propinqui eramus, non quidem loco sed voluntate, animique instituto, verum propter peccatum ab eo excidimus, aptissimo vocabulo nostra cum Deo conjunctio et conciliatio reditus appellatur : ut, quemadmodum ait Paulus[23], peccatum vetus non secus ac vestem quamdam coriosam ac vetustate erosam abjicientes novum hominem induamus, hoc est, virtutem, aut etiam ipsum Christum, et sicut, juxta eumdem Apostolum [24], in Adamo mortui sumus, mortali scilicet facta ipsius natura, talique ad posteros transfusa, sic in Christo quoque vivamus, per eum rursus ad immortalitatem revocati, cum Christi una nascentes per baptismum regenerationis, una cruci affixi per laboriosam vitæ degendæ rationem, una sepulti per affectuum extinctionem. Quemadmodum autem litterali sensu crucifixio et sepultura inter se differunt, sic etiam spirituali et allegorico. Crucifixio enim afflictionem et patientiam animique in gravibus acerbisque rebus perferendis fortitudinem designat, non tamen ejusmodi animi constitutionem, qua dolorum ex virtutum cultu atque operatione nascentium sensus omnis ereptus sit. Sepultura autem perfectæ et omnimodæ affectuum mortificationis signum est. Hanc resurrectio sequitur, id est, absoluta contemplatio ac deificatio. Præclara enim et laudabilis conversio nobis sentienda est, ut quemadmodum ex deliciis illis, quibus in paradiso affluebamus, factum est, ut illinc exturbaremur, ac mors ex vita profluit, ita ex his rursus lætiora oriantur. Quippe pro amisso paradiso cœlum recepimus, atque ab angelica vitæ ratione prolapsi ad filiorum adoptionem vocati sumus, ac pro vita, quam perdideramus, cœleste regnum hæreditate accepimus. Nam, ut ait Apostolus, *Ubi abundavit delictum*, in homine scilicet, *superabundavit et gratia* [25] et beneficium. Et si unus ex quinque sensibus, nimirum gustus, damnationis causam nobis attulit, quanto magis nos unus Christus justificavit, acerbissimos in tota sua sacrosancta carne dolores nostra causa perpessus? Quæ sententia ab Apostolo accepta est dicente : *Igitur quemadmodum per unius delictum in homines ad condemnationem, sic etiam per unius justitiam in omnes homines ad justificationem vitæ* [26].

Ibid. *Quocirca non ut in publicis festis fieri solet, sed divine*, etc. Quocirca, inquit, festum celebremus, non ut mos est in publicis festis et celebritatibus per luxum et lasciviam atque hujusmodi oblectationem, sed spiritualiter atque ut Deo gratum est, non mundi ritu, id est, voluptuarie, et ut mundi princeps cupit, sed supra mundi ritum, id est, angelice, non res nostras, id est, quæ ad cultum et observantiam nostri, sed quæ ad cultum Christi spectent, qui cognatus quidem noster est quantum ad humanitatem, Dominus autem quantum ad divinitatem, non quæ infirmitatis sunt, sed quæ curationis. Congruere enim diei mysterio debet festi celebratio. Ac si quidem ob infirmitates, in quas incidimus, diem festum ageremus, petulanter et lascive festum celebrandum esset. Infirmitatis enim est comessatio atque intemperantia. Quoniam autem contraria causa impellimur, atque idcirco diem festum agimus, quia medicina nobis allata est, ad hujus festi celebrationem adhibenda est temperantia : medicinæ siquidem est temperantia, utpote quæ animæ curationem velut scopum sibi proponat. Non ea quæ creationis, sed quæ recreationis atque instaurationis. Nam incorporea procreatione corporea utique est, tam ipsa procreatio, quam solemnis lætitia propter eam instituta : at cum recreatio et instauratio nostra spiritalis ac divina sit, spiritaliter quoque ac divine festum agitandum est. Porro creationem hoc loco non primam illam intelligit, qua Christus accepto e terra pulvere manibus propriis hominem a principio finxit, sed mutuam illam successionem, quæ per generationem fit, qua nos mortales naturaliter in materno ventre fingimur. Id autem hac demum ratione consequemur, si juxta Theologi cohortationem spiritualiter festum celebremus. Nec arborum ramis, ut facere quidam in festis solent, ædium vestibula cingamus, nec quod turpioris mollitiei est, choreas extra ecclesiam conficiamus,

[23] Coloss. III, 9. [24] I Cor. XV, 22. [25] Rom. V, 20. [26] ibid. 18.

Digitized by Google

nec, quod magis populare est, vicos urbium exornemus, diversas eximiæ supellectilis species ad eorum, qui ad festum confluunt, oblectationem appendentes, nec, quod fœdius est, absurdis præstigiatorum gesticulationibus aut corporum aspectibus voluptatis aculeum emittentibus oculos pascamus. Epulum enim ac voluptas oculorum est ea curiose intueri, quæ minime convenit. Orsus autem Theologus sensus nostros componere, omnes enumerat, ac primo quidem visum, qui sensuum omnium princeps est : post auditum, jubens ut caveamus, ne per aures obscenæ cantiones in animos influant. Nam ex hujusmodi musicæ genere abjectissimi ac sordidissimi effectus nasci solent. Quidam etiam ad tibiam furiose saltant ac perbacchantur, hoc est, lymphatorum hominum ac dæmonum intemperiis agitatorum speciem præbent. Jam vero olfactum emollit atque effeminat deliciosorum unguentorum odor : et alioqui unguentis perfundi muliebris est lasciviæ. Lenocinamur autem gustui, cum ciborum voluptatibus ipsum addicimus. Tactus denique gratia et oblectatio est fœde atque obscene corpora tangere. Quidnam autem dixerit quispiam ad homines a conquirendis tactus gustusque voluptatibus dehortandos, nisi quod eos, qui in illis persequendis studiose occupantur, pecudum vitam imitari cogunt, quas in ventrem et venerem pronas natura finxit? Atque, ut rem paucis verbis complectar, sensus, nisi probe regantur, ad vitium faciles sunt viæ peccatique januæ. Per eos etenim ad vitia nobis aditus patet, ac per eos in animum influit atque intrat peccatum. Ne tenera veste permolliamur, quæ quidem circumfluit, ac lubrica se in totum corpus fundit : idque duplicem ob causam, tum propter superfluitatem ac lævitatem, tum quia in summam corporis longitudinem, latitudinemque protenditur. Tenera autem est propter mollitiem et lævitatem, atque etiam propter nitorem : in qua etiam illud vel maximum vitium inest, quod ut quæque summis sumptibus summaque elegantia confecta est, ita propter parcimoniam maxime inutilis jacet, nec ullum sui usum præbet. Pulcherrimas enim quasque vestes arca inclusas atque abditas inutiles habemus. Ne colorum artificiis utamur, facies nostra cerussa et fuco aliisque meretriciis ac libidinosis unguentis frictionibusque depingentes, quæ nativam pulchritudinem ementiuntur, imitatione quadam ipsam referentia, atque adversus imaginem divinam adinventa et excogitata sunt. Vultum enim oblitterant, ac formam, quam Deus, naturæ pictor, nobis affinxit, obteguńt. Ac præterea honeste ambulemus, sicut Apostolus præcipit [36], non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et immunditiis. Eleganter autem cum comessationibus et ebrietatibus cubilia et immunditias conjunxit : ex illis enim hæc nascuntur. Comessator enim ac temulentus cubile A spectat, ac libidini indulget, vitioque obrutus ad flagitiosos congressus ac turpes voluptates fertur et inflammatur. Comessatio enim et ebrietas velut mali magistri doctrinam malam in animum immittunt, concubitum nempe ac libidinem. Vel potius, quoniam docere proprie anima præditis convenit, aptius fuerit ebrietatem semen dicere, libidinem autem segetem ac messem.

Ibid. C. *Nec toros altos figamus, ventri delicias sternentes*, etc. Usitatum erat in festis publicisque conviviis super mensas lances ponere, in quibus carnes acervatim in altum congerebantur : eaque res στοιβάς vocabatur, ac quamdam tentorii formam gerebat. Vel σκηνοποιοῦντες, id est, ex tempore apparantes ventri ea, quæ ad delicias pertinerent. Vel, quasi in tabernaculo quodam et loco peramœno ventri delicias afferentes : vel, per delicias ventrem fovente. Tabernaculi enim et tentorii proprium est fovere. Porro ἀνθοσμίας vinum est pulchro colore ac suavi odore præditum, vel quod suavissimi floris odorem refert. Lenocinia, Græce μαγγανείας, id est, superfluos, curiosos, ac multiplices apparatus. Pretiosum autem stercus per contemptum delicias vocat : pretiosum quidem, quia principio cum summa aviditate expetuntur : stercus autem, quia concocti cibi in stercus excernantur. Ἀκρασία denique immoderatio dicitur, quod usus necessitate minime temperetur. Enimvero cum deliciis indulgere per se grave atque indignum sit, tum multo indignius est, cum alii interim fame opprimuntur. Quinetiam ipse Plato quodam loco ait, Nugæ sunt, quidquid est superfluum tam in rebus, quam in verbis.

Ibid. D. *Verum hæc gentilibus, ac gentilitiis pompis festisque relinquamus : qui etiam iis*, etc. Verum hæc, nimirum deliciis et ventris voluptatibus festis diebus indulgere, ad gentiles rejiciamus, qui cum deos habeant sacrificiorum fumo gaudentes, nihil alienum faciunt, cum ventrem farciendo gratum ipsis cultum exhibere se arbitrantur. Fictores, ut quidem sibi videntur, deorum, revera autem dæmonum. Ipsi enim per fabulosos sermones eos creaverunt, atque, ut dæmonibus deorum nomen tribueretur, auctores exstiterunt. Et sacerdotes atque antistites, utpote qui hujusmodi mysteriorum apud multitudinem magistri facti sint : et cultores, Græce μύσται, ut at ipsis dæmonibus initiati, atque errore imbuti. At nos, qui Verbum, id est, Dei Filium colimus et adoramus, in verbis deliciemur, si modo quidquam deliciis tribuendum est, hoc est, in sermone de Deo et sanctis gravibusque narrationibus, quarum in numero hujus quoque festi oratio reponenda est. Etenim sermonum deliciæ aptæ et congruentes futuræ sunt, tum nobis, qui loquendi facultate præditi sumus, tum ipsi etiam Verbo et Deo, qui nos ad festum suum convocavit atque congregavit. An vultis, ut quoniam ego con-

[36] Rom. XIII, 13.

Digitized by Google

vivatoris partes obeo, spiritualem verborum mensam copiose vobis magnificeque instruam : ut intelligatis, quo modo vos, Constantinopolitanos cives atque indigenas, et urbanos, et deliciarum studiosos, divitiisque conspicuos, ego alere queam, qui ex alia regione huc ad vos peregre accessi, qui ruris tranquillitatem prius amplectebar, qui deliciis nequaquam indulgeo, sed in paupertate vitam ago, ac domo careo? Illud porro sciendum est, quod ἀγροικος is est, qui ruri atque in agris commoratur : ἀγροῖκος autem rudis ineptus ac stolidus.

Col. 318 A. *Hinc autem exordiar, ac vos quæso*, etc. Ego quidem, inquit, a divinitatis doctrina initium dicendi faciam. Vos autem, quicunque, res divinas pro deliciis habetis, quandoquidem divina est hæc oratio, nec fas est impuros id, quod purum est, attingere, pura mente et aure eam excipite : ut cibo non pereunte, sed permanente satiati atque expleti discedatis. Porro nec prolixa oratio nostra futura est, ne longitudine tædium pariet : nec manca et imperfecta, ne defectu suo molestiam afferat : verum suam virtutem habitura est, ut scilicet compendiosa simul et absoluta sit. Illud autem sciendum divinitatis doctrinam hoc loco propositam, in secunda quoque oratione de festo Paschæ iisdem omnino verbis expressam haberi : ac merito quidem. Etenim in eo laborare, ut quæ semel rectissime dicta sunt, nova orationis forma enunties, præposteræ cujusdam ostentationis est. Antiquior est autem hæc de Nativitate oratio ea, quam de festo Paschæ conscripsit. Hæc enim apud Constantinopolim edita est : illa autem postquam se archiepiscopali throno, ut ferunt, abdicasset.

Ibid. D. *Deus, et erat semper, et est, et erit*, etc. Platonis in *Timæo* hæc verba sunt. Erat, et Erit, temporis sunt species : quas etiam sempiternæ essentiæ non recte tribuimus. Huic enim Est solum vere convenit. Ab eo igitur ista mutuatus Theologus ait : Erat et Erit hujus nostri temporis fluxæque et caducæ naturæ segmenta sunt. Nam cum res humanæ in motu et fluxu sint, ejusmodi etiam earum tempus esse liquet. Hujus pars alia præteriit : alia futura est. Nam præsens ipsius nullo modo apprehendi potest. Antequam enim cognitione perceptum sit, avolat atque dilabitur. Nunc enim est. Illud porro momentaneum ac divisionis expers. Rerum divinarum alia est ratio, quæ cum omni motu careant, profecto secundum quoque ipsarum firmum et constans uniusque modi esse necesse est ; αἰὼν enim ἀπὸ τοῦ αἰεὶ, id est, ab eo quod semper sit, nominis etymologiam sumit : quemadmodum χρόνος id est tempus, ἀπὸ τοῦ ῥέειν, id est, ab eo quod fluat. Quocirca rebus iis, quæ in tempore sunt ac principium habuerunt, Erat et Erit conveniunt. Verbi causa, Pater meus heri erat, hodie ego, et cras meus filius. At Deus semper est, et, ut cum divinoloquo Dionysio dicam, universam essentiam in seipso complectitur. Ego enim, inquit Scriptura, *Sum primus et ego postea, et ante me non est alius Deus, nec post me futurus est*[31]. Tota enim essentia illius nec principium habens, nec finem habitura, quasi vastum quoddam pelagus essentiæ est, immensum quidem et infinitum, ut principio ac fine carens : interminatum autem, ut nec loco, nec definitione ipsius naturam declarante, circumscriptum. Deus enim omnem cogitationem excedit, temporis quidem, utpote infinitus : naturæ autem, utpote nullis terminis inclusus. At vero mens haud immerito, ut Dei imago, pertenuem quamdam et perobscuram contemplationem accipit. Adumbratur autem mente Deus, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum sunt, id est, non ex propria natura et essentia (nec enim ipsa ullo modo comprehendi atque intelligentia percipi potest :) verum ex effectis, hoc est, creaturis, atque ex gubernatione rerum et providentia. Nam per Dei actiones atque opera subvecti et in sublime rapti, ac per creaturas Creatorem animo concipientes, ad bonitatis ipsius et sapientiæ cognitionem pervenimus (hoc enim de Deo cognosci potest, quod Deus omnibus mortalibus patefecit) atque aliam speciem et imaginationem ex alia re ad unum veritatis simulacrum ac similitudinem colligimus. Quandoquidem spiritualis lucis ac divini splendoris præsentia, ut magnus in divinis rebus Dionysius loquitur, eorum, qui hujusmodi gloria et contemplatione digni habiti sunt, mentem a multis variisque sententiis atque imaginationibus ad id quod vere est, hoc est, ad Deum convertit, ac multiplicia visa, vel, ut aptiori vocabulo utar, imaginationes, ad unam veram et puram atque uniusmodi cognitionem colligit. Quinetiam hoc exile veritatis simulacrum, non modo cum intellectum fuerit, teneri non potest, sed ne plene quidem atque perfecte intelligi : ut enim cognosci incipit, statim se proripit, non secus ac fulgetrum, quod priusquam plene conspectum fuerit, avolat, atque oculos fugit. Quam autem ob causam ita Deus intelligitur, ut tamen plene percipi ac comprehendi nequeat? Meo quidem judicio, ut per id quod aliquatenus cernitur, atque obscure cognoscitur, nos ad se trahat : per id autem quod aliquatenus cerni, nec tamen perfecte comprehendi possit, nos ad sui admirationem trahat, atque admirationem sui excitans (ex eo scilicet, quod intellectus nostri captum fugiat) ardentius ametur et desideretur, desideratus desiderantes purget, ac deiformes efficiat : cumque eo perventum fuerit jam familiariter colloquatur Deus verus et naturalis cum iis, qui secundum gratiam dii appellantur, nobis, prout quisque purgatus fuerit, divinos cognitionis suæ fulgores inserens, tantumque innotescens atque imaginandum se præbens, quantum ipse quoque eos qui propter animi puritatem innotescunt, cognoscit.

[31] Isa. XLIV, 6.

Digitized by Google

Adjunxit autem, Fortasse, ad mitigandum id quod dixerat, Deum a nobis pro purgationis ratione comprehendi. Neque enim quisquam ita Deum cognoscere potest, ut ab ipso cognitus est. Hoc autem ab Apostolo mutuatus est, de futuræ vitæ statu in hæc verba ad Corinthios scribente : *Nunc cognosco ex parte, tunc autem agnoscam sicut et agnitus sum*[28]. Quod quidem sic exposuit Chrysostomus : Quemadmodum Christus hic ad me accurrit, neque necessitudine sibi adjunxit, eodem modo ipse quoque tunc ad eum accurram. Illud autem, *Sicut agnitus sum*, idem est ac si diceret, Sicut ipsi necessitudine junctus sum. Nam secundum illius necessitudinis rationem, qua in hac vita cum eo conjuncti fuerimus, tunc eum cognoscemus, alii plenius, alii exilius. Quemadmodum enim si rex quispiam infantem in bivio provolutum nactus, eum sustulerit atque adoptaverit, omnique gloria atque honore cumulaverit, tum quidem, ut in ea ætate, quantum beneficium acceperit, nescit, ac proinde nec tanti beneficii auctorem, sicut verisimile est, amore complectitur; at posteaquam ad virilem ætatem pervenerit, atque intellexerit e quo statu atque fortuna ad tantam dignitatem subvectus fuerit, tum vero eum, a quo tanto honore affectus fuit, suspicit atque amore prosequitur : consimili modo nos quoque, qui in hac vita, quantum ad cognitionem et scientiam, infantes sumus, postquam in futuro sæculo perfectionem consecuti fuerimus, tum demum cognoscemus, quo modo agniti, hoc est, quo modo dilecti fuerimus.

Col. 319 A. *Immensus igitur et infinitus est Deus*, etc. Divinitas, quantum ad naturam incomprehensibilis est : ægre autem comprehensibilis, quantum ad ea quæ circa ipsam sunt, hoc est, consilia et guberuationem atque opera : comprehensibilis autem quantum ad immensitatem et infinitatem : quantumvis Eunomius existimet Deum, quia simplex sit, nequaquam ægre comprehendi animique contemplatione percipi posse, sed vel prorsus incomprehensibilem esse, vel prorsus comprehensibilem, utpote partibus carentem, omnique ex parte sui similem. In compositis enim solis, inquit, id locum habet, ut res aliqua partim intelligatur, partim incognita maneat. Hujus autem Eunomiani deliramenti hæc est solutio. Simplicitas in Deo naturæ rationem non habet, ut ex ea quisquam colligat, eum, quia simplex sit, vel prorsus, vel nullo modo comprehendi posse. Verum aliud est divina natura, simplicitas autem circa naturam consideratur. Quocirca quærendum prius est, quid sit Deus quantum ad naturam, quam de simplicitate loquamur, quæ naturam consequitur. Quare nihil prohibet, quominus diversa ratione, et incomprehensibilis, et comprehensu difficilis Deus dicatur.

Ibid. *Jam vero cum immensitas bifariam consideretur*, etc. Postquam **Deum immensum** esse pronuntiavit, nunc, quid **sit immensum** ostendit, mirum id quod principio et fine superius est, qualis Deus solus est. Cum igitur ad superiora sæcula cogitatione subvecti fuerimus, atque in divinæ vitæ immensitatem, velut in **vastissimum** quoddam pelagus, prospexerimus, **quia nullum** principium, et quo originem duxerit, **arripere possumus**, sed exteriorem semper ac sublimiorem cogitatione nostra Dei vitam esse animadvertimus, ideo ab eo quod principio careat, ἄναρχον, id est, principii expertem appellavimus. Rursus cum ad succedentia et inferiora hæc sæcula mentem extenderimus, ac Dei vitam nullo termino definitam esse videmus, interminatum illud atque immensum, nec fine ullo circumscriptum, immortale atque interitus expers nominamus. Cum autem et principii carentiam ex superiori tempore, et immortalitatem ex inferiori collegerimus, tum vero Deum ἀϊδιον, id est, æternum dicimus. Nam æternitas seu sæculum in Deo nec tempus est, nec dimensis temporibus, hoc est, diebus ac mensibus, subjacet; verum quemadmodum tempus hoc nostrum solaris cursus mensura definitur, sic infinita illa protractio, quæ æternis rebus inest, sæculum ipsis efficitur, quasi temporalis quidam modus et intervallum. Illud autem, quasi quidam, adjecit Theologus, quod exactam numerisque omnibus absolutam sæculi seu æternitatis descriptionem proferre non posset.

Ibid. *Atque nobis in præsentia de Deo*, etc. Sufficiunt, inquit, ea quæ de Deo dicta sunt. Neque enim hoc loco divinitatis doctrinam explicare proposui, sed incarnationis ac summissionis Christi consilium oratione complecti. Porro *divinitas* non ultra tres personas progreditur, nec rursus intra tres personas contrahitur atque *circumscribitur*. Hoc enim Judaici erroris est, unam tantum personam agnoscentis, ac divinitatis egestas et penuria. Ejusdem enim impietatis est, et per unius personæ assertionem Judaismo favere, et *per multarum* astructionem gentilismo patrocinari : tametsi ea in contrariis reperiantur. Unum *enim multitudini* adversatur, ac vicissim multitudo uni contraria est. Id autem idcirco dixit *Theologus*, quod contraria ea, quæ medio carent, hanc rationem habere sciret, ut si alterum fugiendum *sit ut malum*, alterum omnino expetendum sit ut bonum : at in contrariis, quæ medium admittunt, *utrumque* extremum fugiendum esse, ut excessum ac defectum. Verbi causa intemperantiam, et *stupiditatem* animi ab omni voluptatis specie abhorrentis, æque fugiendas esse, temperantiam *autem, quæ* medium inter eas locum tenet, amplectendam. Ergo eodem modo hic quoque gentilismus et Judaismus inter se pugnant ac reprehenduntur, ut excessus et defectus; at Christianismus, ut *medium* quiddam, in laude ponitur.

[28] I Cor. XIII, 12.

Digitized by Google

Col. 319. C. *Sic nimirum*, etc. Sic, inquit, se habet sancta Trinitas, quam ego Sancta sanctorum voco, ut omnem sanctitatem in se complectentem : quæ quidem et a Seraphim contegitur (porro incognita illa et occulta divinitatis magnitudo per alarum complicationem designatur) ac tribus sanctitatibus atque una dominatione celebratur. Nam juxta magnum Athanasium eximia hæc animalia ter dictionem hanc, Sanctus, proferentia, tres personas absolute ostendunt : rursus eo quod semel duntaxat nomen hoc, Dominus, clamant, essentiam declarant. Quoniam autem summo illi bono, hoc est, Deo, qui essentiale bonum est, nequaquam satis erat sua ipsius solum contemplatione moveri, id est, seipsum contemplari atque intelligere, sed diffundi ac propagari bonum illud oportebat, hoc est, unum Deum pro ratione eorum, quæ ipsius capacia essent, per bonorum suorum communicationem diffundi ac multiplicari. (Quod autem ait : Oportebat, non necessitatem affert, sed opificis voluntatem subindicat. Ipsa enim lex est congruentissima.) Quoniam, inquit, ita oportebat, primum, ut ordo seriesque sterum ferebat, angelos intelligentia concepit. Atque hic tibi animadvertendum, principem eorum quæ fiunt, causam, Patrem esse, effectricem vero Filium, perfectricem autem Spiritum sanctum : ita ut Patris quidem voluntate administri spiritus exsistant : actione vero Filii in rerum naturam producantur : Spiritus autem præsentia perfectionem et expletionem accipiant. Perfectio angelorum illuminatio et sanctificatio est, atque in ea permansio. *Verbo* enim *Domini*, inquit ille, *cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum*[39], Angelos porro, vel ignem materia et corpore carentem esse existimat (juxta illud Davidis : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis*[40]) sive aliam quamdam naturam impatibilem, et motus expertem, ac tenuem et simplicem, ab iis quas commemoravimus, non longe remotam, hoc est, ab igne et spiritu. Cavendum enim tibi est, ne corporeum quiddam de angelis animo concipias. Ac vellem quidem mihi dicere liceret, angelos ad malum omnino immobiles, utpote Dei propinquos, ac primario ipsius fulgore collucentes. Sed ut eos ægre mobiles existimem ac dicam, mihi Luciferi dæmonumque casus persuadet, qui quidem ab habitu illo, quo ad bonum ferebantur, aversi, ac per suum a bono discessum et fugam, malum fabricati (neque enim ulla alia est mali substantia, quam separatio a bono) cogitationes suas omnes et studia eo conferunt, ut alios quoque ad mali consortium et societatem pertrahant.

Col. 322 A. *Sic igitur atque ob has causas intellectilis mundus ab eo creatus est*, etc. Sic, inquit, intellectilis mundus creatus est, hoc est, primo ordine, et unica cogitatione : atque ob has causas, hoc est, non propter necessitatem, sed propter bonitatem solam, et quia bonum illud permanere ac propagari oportebat. Postquam autem cœlestia ita creata præclareque constituta sunt (nec enim aliter contingere poterat) mundum quoque aspectabilem atque ex materia constantem moliri et efficere voluit. Est autem mundus, secundum Aristotelem, compages ex cœlo, et terra, iisque naturis, quæ eorum ambitu continentur. Ac compages quidem et coagmentatio dicitur, quod ex his constet et compleatur, σύγκριμα autem ac velut σύμμιγμα, hoc est, commistio, propter elementa, quæ non modo proprias sedes habent, sed etiam inter se commiscentur. Quanquam enim ea locali situ ac natura discreta et separata sint : tamen mutuæ relationis necessitudine conjunguntur. Et cum singulæ creaturæ separatim consideratæ laudabiles sint : tum vero ob mutuam earum inter se relationem laudabiliores conspiciuntur. Ignis calidus et siccus est, aer calidus et humidus ; aqua humida et frigida ; terra frigida et sicca. Ignis porro tametsi per se admirabilis exsistat, admirabilior tamen est ipsius cum aere mistio ; aeris item cum aqua ; aquæ rursus cum terra. Atque omnia ad mundi coagmentationem sibi invicem conferunt, naturæque suæ et utilitatis rationes habent, etsi mentis nostræ captu sublimiores sint. Porro hunc quoque sensibilem mundum Deus produxit, ut se non modo intellectilem mundum efficere posse ostenderet, sed etiam corporeum atque a se alienum. Cognationem enim quamdam cum Deo angeli habent, quatenus corpore vacant ac sola mente comprehenduntur : contra procul a Deo remotæ sunt et alienæ naturæ omnes quæ in sensus cadunt : atque his etiam remotiores, quæ anima carent. Cæterum alienæ a Deo et peregrinæ hujusmodi creaturæ dicuntur, secundum naturam, et quia nullam similitudinis rationem cum eo habent. Nam alioqui, quantum ad creationis et providentiæ rationem, haudquaquam ab eo ejusque bonitate alienæ sunt. Sed dixerit mihi quispiam id, quod vulgari proverbio jactatur, Quin tu, velut equum ad metam, ita orationem quoque ad institutam materiam, ob quam convenimus et assidemus, stimulas ? Hoc nimirum faciam, etsi a Divinitatis doctrina exorsus sum, a cupiditate videlicet sermonisque serie pertractus. Nam me, de Divinitate disserere cupientem, huc traxit oratio. Etenim, cum de humanitatis assumptæ consilio dicturus essem, quæ ipsius causa exstiterit, exponendum fuit, nempe hominis transgressio. Illud etiam adjicere oportuit, hujusce transgressionis auctorem diabolum fuisse : atque hoc propterea, diabolum nequaquam a Deo talem creatum fuisse, verum in deterius immutatum, et peccatum luchoasse, et alios ad peccandum induxisse.

Ibid. C. *Enimvero mens jam et sensus, sic inter se discreta*, etc. Per mentem Theologus intellecti-

[39] Psal. XXXII, 6. [40] Psal. CIII, 4.

Digitized Google

lem ornatum, id est, angelos intelligit : per sensum autem, mundum hunc qui sensu percipitur. Aitque : Sensilis atque intelligibilis mundus in effectrice quidem mente simul erant : cum autem producti sunt, tunc etiam inter se discreti sunt, hoc est, separatim creati. Atque uterque intra fines suos consistebat, hoc est intelligibilia intelligibilia solum erant, et sensibilia solum sensibilia, nec inter se commiscebantur, ac pulchritudine et magnitudine sua Creatoris potentiam sapientiamque tacite prædicabant. Nondum autem ulla erat ex utroque temperatio, nec contrariorum mistio, hoc est, intelligibilis et sensibilis mundi, quoadusque homo ex anima intelligibili ac terreno corpore conditus est. Porro animæ et corporis temperatio dicitur, ut intelligamus animam nostram, ut vinum aqua, sic toto corpore contemperatam esse. Mistio autem, quia morte separatur, hujusmodi enim sunt quæ miscentur, ut hordeum et triticum. Jam vero Deus hominem fabricatur, partim ex materia terræ jam primo die factæ, partim ex anima ipsi a se inspirata, hoc est, ab effectrice ipsius potentia, idque ex nihilo, ac non ex præjacente materia : eumque in terra constituit magnum mundum in parvo mundo, hoc est, sensibili. Parvus enim est hic mundus, si cum homine, cujus causa omnia facta sunt, conferatur. Id enim, cujus causa aliquid fit, majus est et excellentius eo quod propter aliud quiddam efficitur. Atque eum omnium earum rerum, quæ infra lunam sunt, regem constituit, ut omnibus rebus, quas condiderat ac produxerat, dominaretur : propter corpus quidem terrenum et caducum ac visibilem : propter animam autem, cœlestem et immortalem atque intelligibilem. Medium inter magnitudinem et humilitatem, hoc est, inter mortem et immortalitatem, utrum horum sequi atque amplecti vellet, arbitrio ipsius relinquens. Quanquam enim homo natura mortalis esset, utpote ex non exsistente factus : tamen propter ipsius cum sempiterno Deo similitudinem hac erat conditione, ut si eam integram servasset (nimirum omni mentis propensione ad eum tendens, naturalem interitum retudisset, et immortalis perstitisset, ac tandem, ut Deus vixisset. Vel etiam hæc verba : Medium inter magnitudinem et humilitatem, hoc sensu explicanda sunt. Homo humilis simul et magnus est, ac duorum horum est particeps, nimirum magnitudinis propter animam, humilitatis propter corpus. Atque idem et spiritus et caro est, ut si quando propter mentem sese animo extulerit, ac de se magnifice senserit, atque ob inanem gloriam et fastum cristas sustulerit, propter terram rursus animo contrahatur, moderatiusque de se existimet. Porro autem in confinio Dei et materiæ positi, per declinationem ad materiam crassi ac terreni efficimur : per mentis autem ad Deum evectionem, divini, atque etiam dii nominamur. Ita subvectio ad Deum, præsentis laboris atque industriæ opus est, deificatio autem futuri sæculi præmium. Exiguus enim veritatis splendor, qui in terra contingit, id est, exiguus ac tenuis scientiæ radius, eo tendit. Quo tandem? Nimirum in hoc, ut tunc Dei claritatem et videamus, et sentiamus, id est, ut secundum eam efformemur atque illustremur. Hoc sciendum, animam rationalem ea facultate præditam esse, ut corpori augmentum, sensum ac vim gignendi afferat, nec aliam mentem circa se habere. Mens enim, ut testatur Damascenus, purissima animæ pars est (1').

Col. 523 B. *Hunc arbitrii libertate donatum*, etc. Deus, inquit, sedem et domicilium homini paradisum assignavit, quicunque tandem erat paradisus ille, sive sensibilis, sive intellectilis, atque, ut Sirach ait : *Dimisit eum manu consilii sui* [81], hoc est, arbitrii libertate donavit, ut bonum, quod ab ipso præclare gereretur commune esset, et Dei a quo capax boni creatus fuerat, et hominis, qui virtutem elegisset atque assecutus esset. Mea autem sententia (1'), paradisus beata et cœlestis vita est, in qua homo institutus divinas cogitationes quasi plantas excolere jussus est, una tantum perfectiore arbore ipsi interdicta, quæ in se discretionem boni et mali habebat. Arbor autem illa (ut ipse contemplando assequor) Dei contemplatio erat, perfectiorque ipsius cognitio ac jucunda fruitio. [(2) Porro scientiæ boni et mali arborem dixit propter variæ multiplicisque speculationis et contemplationis distinctionem. Hæc autem propriæ cujusque naturæ vel etiam Dei agnitio, perfectis quidem atque altius in contemplatione provectis bona est, utpote ex sese Opificis excellentiam deprædicans, iis, inquam, quibus ob ejusmodi contemplationis habitum diuturno tempore comparatum nulla jam in deterius prolapsio metuenda est. Arbor autem vitæ dicitur, quoniam divinæ participationis suavitas iis qui hunc fructum percipiunt vitam nulla morte interruptam affert. Quod etiam omne lignum a Deo vocatur : *De omni ligno*, inquit, *quod est in paradiso, comedes*. Illud enim *omne* est, per quod, et in quo rerum universitas coagmentata et constituta est.] Ergo adultis quidem atque per-

[81] Eccli. xv, 14.

(1) Hæc quia in solo Reginæ codice habentur, nec magnopere ad rem faciunt, a reliquo interpretationis contextu separanda duxi. Bill.

(1') *Mea autem sententia.* D. August. lib. XII, cap. 22, *De civit. Dei*, opinionem eorum improbat, qui vel corporeum tantum, vel spiritualem tantum hunc paradisum fuisse existimant : atque, salva veritate narrationis historicæ de corporali loco, posse spirituale aliquid intelligi.

(2) Hæc, quæ uncinis inclusa vides, in nostro Niceta non habentur. In Reginæ tamen codice leguntur.

Digitized by Google

fectis conveniebat perfectior cognitio ; at incipientibus tam gravis et inutilis erat, quam gravis et noxius parvulis esse solet solidus cibus. Jam vero triplici ratione nudus erat homo, tum quia morum simplicitate præditus erat, tum quia nullis artibus ipsius vita instructa erat, tum quia vestimentis carebat. Nam post legem violatam versuta malitia, et artes, ac vestes exstiterunt. At vero scientiæ lignum natura quidem bonum erat, usu autem ita demum bonum si tempore suo perciperetur, alioqui malum, si intempestive. Adhæc nudus erat homo, non ut carnis et corporis expers, verum ut eam temperaturam non habens, quæ crassiorem carnem redderet, ac contrariis et perniciosis qualitatibus distractam atque divulsam. Plane enim ita vivebat, ut bonam habitudinem naturalem ipsi essentialiter inditam haudquaquam efflaret, hoc est, ex obscurorum corporis meatuum egestione minueretur, atque essentia velut exhauriretur : verum eodem semper modo se haberet, absque fluxu atque influxione, continuaque ad utrumque horum secundum qualitatum dominationem alteratione. Liber etiam exsistebat, utpote immortalitatis illius, quæ divina gratia accipitur, haudquaquam expers. Nec vero amictum ullum requirebat, tum quod propter insitam affectuum immunitatem infamiam nullam extimesceret, tum quod nec caloris nec frigoris injuriis obnoxius esset. At vero diabolus, mulieris mollitiem animadvertens, cessilemque (3) et lubricam ad virtutem facilitatem, fraudem introduxit. Mollis enim ac misericordiæ plena muliebris natura producta est, ut ad infantes libenter alendos misericordia impellatur. Hanc igitur ad hunc modum circumventam, ipsumque etiam Adamum ejus opera ad degustandam scientiam pertractum (quæ acerbam pœnam habebat, nimirum mœrorem ac mortem) paradiso exturbavit, pelliceis tunicis indutos, quibus crassities et durities mortalisque hominis conditio designatur. Tenuius enim primo corpus erat, utpote medium inter mortale et immortale. Ac tum demum in corporis cupiditatem delapsi sunt, seque nudos esse cognoverunt, atque erubuerunt. Porro nudos se cognoverunt, non tam a vestimentis, quam quod divinarum rerum contemplatione spoliati erant, ac mentem ad contraria traduxerant. Duplex autem est cognitio, altera quæ res præcedit, ac dijudicatrix dicitur, qua etiam ante perceptum lignum præditus erat Adam ; altera quæ rebus ipsis inest, atque activa nuncupatur, quam degustato ligno insuper adeptus est. At mors etiam ipsi beneficii causa irrogata est, ut quæ peccatum interciderit : neque enim expediebat hominem nondum ulla tentatione probatum, immortalitatem consequi, ne in superbiam incideret ac judicium diaboli. Ille enim propter immortalitatem, qua præditus erat, posteaquam voluntate mentisque destinatione superbe se extulit, immutabilem in malo firmitatem habuit. Ergo ut propter improbam voluntatem Adamus peccavit, ita propter peccatum in mortis necessitatem incidit. *Stipendia enim peccati mors* [42]. Quantum enim a vita recedebat, tantum ad mortem accedebat. Deus enim vita est, mors autem vitæ privatio. Ita per recessum a Deo mortem sibi Adamus accersivit : non autem eam Deus creavit. Nec tamen idem corporis animæque solutionem prohibuit, ne peccatum nostrum immortale servaret : perinde ac si quis vas testaceum rimis perfluens in ignem imponere tantisper recuset, dum ipsius vitium nova fictione atque instauratione sanaverit. Nequaquam autem bona simplicioribus adhuc animis, atque appetitu avidiori præditis, quos ob incertam et infidam in bono perseverantiam, minusque firmam in unico bono constantiam, proprii corporis cura et sollicitudo ad seipsam revocare ac retrahere solet. Atque etiam Magnus Athanasius hunc locum exponens, sic fere ait : Homines meliora atque excellentiora aspernati, atque eorum cognitionem præ inertia aversati, ad ea quæ propiora ipsis erant, quærenda studiosius incubuerunt. Propinquiora porro ipsis erant corpus atque ipsius sensus. Ex quo factum est, ut mente ab iis rebus, quæ animo et intelligentia cernuntur, aversa, seipsos considerare atque intueri cœperint : seipsos porro intuentes, corpusque et corporis sensus amplectentes, atque, ut in propriis bonis, hallucinantes, sui ipsorum cupiditate exarserint, sua nimirum bona contemplationi in divinis rebus positæ præferentes. Ac proinde cum a propinquioribus rebus animum abducere nollent, eo miseriæ provoluti sunt, ut et corporis voluptatibus animam suam concluderent, omnis generis cupiditatibus perturbatam atque immersam, et potentiæ divinæ beneficio ipsis primum concessæ obliviscerentur. Quandiu enim Adam ad Dei contemplationem mente ferebatur, corporis cura nullo modo tangebatur : at posteaquam seipsum intueri cœpit, crassior jam terrenusque factus est.

Col. 320 A. *Multis autem prius modis*, etc. Correptus, inquit, est Adam, hoc est, populus ex Adami stirpe ortus, multis correptionis modis, unusquisque pro scelerum suorum merito, quorum principium ac velut radix prima transgressio fuit, hanc enim vitii radicem vocat, secundum diversas causas et tempora. Neque enim ob eadem peccata, uno atque eodem tempore, omnes correpti

[42] Rom. VI, 23.

(3) *Cessilemque.* Ὑπουλος locus in utroque exemplari. Reginæ codex habet : Καὶ τῷ ελκτικῷ τῆς πρὸς ἀρετὴν εὐκολίας τὴν ἀπάτην εἰσεποιήσατο ; quem nos secuti sumus. Quanquam non ἀπάτην sed ἀπαλὴν legendum puto propter sequens verbum εἰσεποιήσατο. In meo Niceta aliter legitur : Καὶ τῷ ελκτικῷ τὴν πρὸς ἀρετὴν εὐκολίαν πρὸς κακίαν ἐποιήσατο.

Digitized by Google

sunt. Cæterum quibus modis correpti sunt? Sermone atque alloquio. Complures enim Deus est allocutus; vel etiam λόγῳ, id est, insita nobis et naturali ratione; lege per Mosem promulgata; prophetis, hoc est, prophetarum præceptis et institutionibus, beneficiis, comminationibus, plagis. Per contraria instruebantur et corripiebantur : aquis, ut diluvii tempore; incendiis, ut cum Sodomitæ cœlesti igne conflagrarunt; signis e cœlo missis, ut cum sol stetit tempore Josue; signis ex aere ut cynomyæ lue, grandine, palpabilibus tenebris, coturnice, etc.; signis ex terra, ut aquarum ex petra effusione; signis ex mari, ut maris Rubri in continentem mutatione; hominum, urbium, gentium insperatis mutationibus. Quibus omnibus rebus malitiam conterere, ac de medio tollere satagebat Deus. At vero mortales in flagitiis haudquaquam certis terminis consistebant : sed cum a principio inventores mali exstitissent, nova subinde scelerum genera comminiscebantur, atque inexplebili peccandi libidine flagrabant. Adulteria enim et furta passim grassabantur, ac cædibus et latrociniis orbis universus terrarum scatebat, atque omnia flagitia, tum privatim a quolibet, tum communiter ab omnibus, perpetrabantur: ne ab eo quidem scelere et exsecrando furore, a quo natura abhorret, abstinebatur. Fons autem et causa ac finis omnis mali erat idolorum cultus, et creaturæ supra Creatorem adoratio. Idololatria enim, ut malis omnibus, si temporis ratio habeatur, posterior est, ita quantum ad mali gravitatem atque atrocitatem, primum locum sibi vindicat. Extremum etiam malorum dici potest, ut finis et cumulus, et quia ultra eam nullum aliud scelus progredi atque extendi potest.

Col. 326 A. *Quæ quoniam majus*, etc. Quoniam, inquit, majus auxilium requirebat humana natura, utpote gravi morbo correpta, majus quoque medicamentum et auxilium est consecuta. Illud autem erat, non angelus, non homo, sed Dominus ipse, qui Verbum dicitur, ut illud ostendatur, quod ex summa illa mente prodiit, quod impatibili modo progenitus est, quod Genitoris imago est, totum Patrem in seipso ostendens, ac perfectus per se exsistens [45], sæculis prior, per quem etiam sæcula Pater fecit. Invisibilis, ut Deus : *Deum* enim *nemo vidit unquam* [46], hoc est Dei naturam. Ex principio principium : ex Patre enim, qui omnium rerum principium est, ut causa. At Filius principium est, ut causa adjuvans. Unde et ad Patrem ait Propheta : *Tecum principium* [47], etc. Ex lumine lumen : lumen Pater est. *Deus* enim, inquit, *lux est* [48]. Ex ipso autem lumen est Filius : *Ego* enim, inquit, *sum lux mundi* [49]. Fons vitæ et immortalitatis, propter perennitatem, et quia ex ipso ad res omnes vita dimanat. Archetypi expressio, Patris immotum sigillum, hoc est, verum minimeque adulteratum. Alio autem loco ait sigillum mobile, id est, vivens. Illa per omnia similis imago Dei invisibilis [50], non mortua et manu confecta, sed viva, non similitudinis forma, sed in ipsa substantia immutabilitatem servans. Patris terminus, et ratio, utpote Patrem ostendens. Hic ad hominem, quem ad imaginem suam condiderat, venit. Nam cum hominem ad similitudinem suam a principio creasset, eumdem rursus ad exprimendam sui similitudinem reducit, suæ videlicet creaturæ similis effectus. Conveniebat enim, ut qui primum finxerat, idem quoque figmentum suum a peccato labefactatum atque confractum instauraret Patris terminus et ratio. Quid ait? Num juxta termini rationem Pater Filio terminatur, siquidem terminus ipsius est, sic ut paterna natura Filii natura conclusa ac definita sit? Ita sane : dummodo sapienter ac candide sententiam horum verborum audire quispiam velit. Paternæ quidem essentiæ nullus omnino est terminus, quemadmodum nec aliarum duarum personarum : at paterni nominis terminus est Filius. Quoniam enim hæc nomina ex eorum numero sunt, quæ ad aliquid referuntur, profecto eam naturam habent, ut utrumque altero terminetur. Ac proinde Patrem Filius terminat, quemadmodum vicissim Pater Filium. Enimvero quoniam Deus mistionem cum carne non admittit, anima autem et mens velut in Dei carnisque confinio est, carnis quidem, ut conjugata, Dei autem, ut imago : idcirco cum cognata mente atque intellectuali anima Dei natura conjungitur, atque illinc cum corporea mole societatem init, ac per omnia plenus et perfectus homo efficitur, iisdem affectibus obnoxius, quibus cæteri mortales, excepto peccato. Omnes enim affectus naturales et a reprehensione vacuos amplexus, peccatum nequaquam amplexus est, utpote a natura alienum ac vituperandum. Ac ipsius corpus, a Spiritu sancto creatum, Verbi adorandum indumentum factum est. Atque ex Virgine Deus cum assumpta carne natus est, idem Deus, idem et homo, utrumque ut solum (una enim persona Christus est) ex duabus contrariis naturis, carne nimirum et spiritu, hoc est, humanitate et divinitate, quarum altera, nempe divinitas, carni divinitatem attulit; altera, nimirum caro, divinitatem accepit. Ac fuit tum nova et inaudita mistura, quia hæ duæ naturæ semel inter se unitæ indivisibiles postea manserunt : et admiranda temperatio, quia nulla confusio atque alteratio secuta est. Etenim temperatio res eas, quæ temperantur, quodammodo immutat, utpote eas minime puras servans : ac rursus mistio, ea quæ miscentur, haud admodum unit. Utrumque autem utrique adjunctum exactam fidei doctrinæque veritatem servat. Temperaturæ enim inconfusio adjuncta, misturæque itidem indivisio, perfectam modisque omnibus absolutam fidei doctrinam retinet, utra-

[45] Hebr. I, 3. [46] I Joan. IV, 12. [47] Psal. CIX, 3. [48] I Joan. I, 5. [49] Joan. VIII, 12. [50] Coloss. I, 15.

Digitized by Google

que videlicet naturarum in Christo concurrentium proprietates suas alteri communicante propter personæ identitatem, ac mutuam ipsarum inter se immeationem. Nam creari et fieri, iis conveniunt, quæ, cum non essent, in ortum producta sunt. Fieri autem dicitur is qui ut Deus sempiternus est, propter carnem quam assumpsit. Mutuatur enim carnis proprietates propter summam unionem : quemadmodum scilicet humanitas quoque assumpta Deus dicitur, quod divinitatis proprietates sibi vindicet. Qui est, fit; qui creationis expers est, creatur. Hæc communicationis figura dicuntur. Ac cætera quidem, licet admiratione digna, tamen de humanitate assumpta intelligenda sunt. Nam quod erat, manet : quod non erat, assumpsit. Illud autem quod ait : Eum, qui nullo loco contineri et capi poterat, contineri, difficile est ac perobscurum, nec quidquam aliud dici potest, quam quod propter exuberantem virtutis potentiæque magnitudinem id fiat. Qui locupletes alios facit eget. Caro enim paupertas est, utpote multis rebus ad sui conservationem opus habens. At deitas dives et opulenta est, quippe nullius rei indigens. Qui plenus est, ut Deus, vacuatur. Inanitio autem, seu vacuatio, dicitur demissio illa, qua Christus ad integumentum dignitate sua humilius sese dejecit, humanamque formam induit. Quid autem sibi vult magnum hoc atque arcanum mysterium? Quoniam homo Deus factus non est, idcirco Deus homo fit, honoris mei causa, nimirum ut iis rebus, quas accepit, ea quæ dedit, instaurans, peccati pœnam aboleat, ac per mortuam humanitatem interfectorem perimat. Major porro longeque admirabilior est instauratio creatione prima. Creatio enim solo verbo exstitit : *Faciamus hominem*[49], etc., at ipsius Opificis manu atque opera instauratio perfecta est, nempe quod ipsemet Opifex homo factus sit, ac domum suam exstruxerit. Ac præterea tunc ad imaginem duntaxat erat. Primum enim intelligentiæ ac principatus similitudine ipsum ornavit (principem enim omnium creaturarum a principio hominem constituit), nunc autem secundum substantiam. Nam per expressam carnis ipsius similitudinem eum ornavit. In extremis siquidem temporibus homo factus, creaturæ suæ assimilatus est, eamque ad sui similitudinem exprimendam reduxit. Ex quo liquido constat hoc beneficium priori illo excellentius ac divinius esse. Quanquam enim imaginis participatio divinum hominem effecerit : idem tamen multo melius præstitit carnis participatio, quæ non solum divinum eum reddidit, verum etiam Deum, propter hypostaticam unionem, ac si audacius loquendum est, condeum.

Col. 327 A. *Quid ad hæc nobis sycophantæ dicunt*, etc. Adversus hæc ita admiranda quidnam hæretici dicere queant? peracerbi, inquam, isti divinitatis expensores, ac res laudandas et præclaras criminando insectantes? Hoccine Deo objicis, homo ingrate, quod tua causa scipsum dejecit, quod, cum ovis perdita esses, et impuris dæmonibus in collibus sacrificares, te conquisiverit, atque inventam in angelorum ordinem ascripserit, quod carnem suam quasi lucernam accenderit, ac mundum a vitio, non secus ac domum quandam a quisquiliis sordibusque repurgarit, regiamque imaginem fœdis affectibus involutam atque obrutam velut drachmam in stercore invenerit, lætitiæque ob drachmam inventam susceptæ, angelos participes facit, quos etiam dispensationis suæ conscios atque administros assumpsit? Etenim in ipsius Nativitate multitudo cœlestis militiæ pastoribus apparuit laudantium Deum ac dicentium : *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax*[50], etc. Ad hunc itaque modum angelos consilii et dispensationis suæ conscios facit. Hoccine rursus objicis : Quod Joannes quidem, ut lucerna ardens et lucens[51], Præcursorem egit : Christus autem lux inaccessa post eum apparuit, eumque secutus est, ut vocem verbum (vox enim quasi materia est sermonis, sermo autem, forma, vocem informans) ut pronubum sponsus, pios ac fideles homines ipsi conciliantem? Quin igitur illud quoque reprehendis, quod et cum publicanis comedit, iniquum quæstum facientibus, ut ipse quoque salutem illorum elucretur? At enimvero ea res omni reprehensione caret, nisi quis medicum accusandum putet, quod ad fœtidos ægroti morbos seipsum demittat, ut eum sanitati restituat, ipse interim morbo nequaquam affectus : aut eum, qui juxta legis præscriptum in foveam sese inflectit, ut jumentum, quod homine vilius est, illinc extrahat, ipse interim eo minime prolapsus.

Ibid. C. *Missus quidem est*, etc. Quoniam nonnulli missionem secundi ordinis esse, atque ei qui subesset, convenire falso existimabant, idcirco cum dixisset Theologus Christum missum esse, adjicit, ut hominem : quandoquidem et Servus in Scriptura dictus est, et ancillæ filius[52], et agnus, et ovis[53], atque etiam fatigatus, et fame ac siti afflictus[54]; laborasse, et angore correptus[55], atque adeo passus fuisse dicitur. Verum hæc justam et honestam causam rationemque habent, nimirum quia, et homo, et Filius hominis factus est. Quare nihil est, cur his vocibus quisquam offendatur. Verbum enim Filius hominis factum est, ut mediator existens Dei atque hominum, quæ Dei sunt, nobis, et quæ nostra sunt, Deo ministret. Cum igitur fame urgeri dicitur, lacrymas profundere, fatigari, et *Eloi Eloi* clamare, humanos ac nostros affectus a nobis accipit, atque ad Patrem transmittit, pro nobis intercedens, ut videlicet in ipso exstinguantur. Cum autem ait : *Data mihi est omnis potestas in cœlo et in terra*[56], itemque quod Deus eum su-

[49] Gen. I, 26. [50] Luc. II, 14. [51] Joan. VI, 35. [52] Psal. LXXXV, 16. [53] Isa. LIII, 7. [54] Luc. IV, 23; Joan. IV, 6. [55] Marc. XIV, 33 seqq. [56] Matth. XXVIII, 18.

Digitized by Google

perexaltarit [87], hujusmodi voces Dei beneficia per eum in nos collata declarant. Neque enim Verbo quidquam unquam deerat, aut defuit, nec rursus homines sibi ipsis ministrare poterant. Hæc per Verbum nobis conferuntur, atque, ut ipsi donata, nobis impertiuntur. Etenim ob hanc quoque causam humanitatem accepit, ut quæ ipsi dantur, ad nos fluant ac pertranseant. Homo enim purus haudquaquam talibus privilegiis ornatus fuisset : ac rursus Verbum solum nequaquam his opus habuisset. Proinde nobis Dei Filius conjunctus est, ac tum nobis potestatem tribuit, nosque in sublime extulit. Verbum enim in homine exsistens, hominem altissime subvexit, atque ita Verbo in homine exsistente potestatem homo accepit. Quandoquidem igitur, Verbo cum carne conjuncto, in sublime homo provectus est, ac potestatem accepit, merito hæc Verbo, per quod data sunt, accepta referuntur. At vero illam cum homine unionem, cum qua invisibilis natura per partem visibilem cognosci poterat, *missionem* nominavit. Neque enim Deus humano more loces subinde mutat, quippe qui cœlum et terram impleat : verum carnalis præsentia, et submissio illa, qui ex incorporea magnificentia ad corporis vilitatem sese dejecit, missio nominata est. Atque ut etiam hoc demus, eum ut Deum missum esse, non tamen hinc eum Patre inferiorem esse colligitur. Nam quatenus Patri Filium incarnari placuit, hactenus eum misisse dicitur ; atque etiam eodem modo quo solem radium suum misisse dicimus. Christus enim omnia sua Patri ascribit, partim ut ipsum tanquam principium et causam suam temporis omnis expertem honoret (neque enim Filii generationi temporis quidquam intercessit : sed simul Pater, simul et Filius), partim etiam ne Patri adversari videatur. Ob eam causam se ab eo missum esse dicitur. Quemadmodum et a Patre traditus esse dicitur : *Traditus* enim est, inquit, *ille propter peccata nostra* [88]. Atqui ipse quoque seipsum tradidisse scribitur. Ait enim Apostolus : *Christi, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* [89]. Adhæc a Patre ad vitam revocatus ac susceptus fuisse dicitur, ut cum ait Paulus : *Deus autem et Dominum a mortuis excitavit, et nos excitabit* [90]. Et Marcus : *Dominus*, inquit, *postquam ipsis locutus est, in cœlum receptus est* [91]. Atqui rursus scriptum est, quod ipse se excitaverit, atque in cœlum ascenderit : *Solvite* enim, inquit, *hoc templum, et in tribus diebus excitabo illud* [92]. Et Lucas : *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum* [93]. Porro ea, quæ de ipso humilius atque abjectius dicuntur, Patris beneplacitum indicant : quæ autem sublimiter et magnifice, Salvatoris potestatem ostendunt. At hæreticus ea est animi perversitate, ut humilia quidem verba enumeret ac recenseat, sublimia autem silentio premat et prætereat : atque illud quidem supputet, quod Christus passus sit, ipsum videlicet imminuens : quod autem ultro et sponte passus sit (ex quo ipsius potestas declaratur) nequaquam adjiciat. Hujusmodi autem quædam nunc quoque patitur Filius et Verbum Dei. Nam a Sabellianis ut Deus honoratur, atque confunditur. Illi enim unam in divinitate trinominem personam esse dicebant, eumdem esse Patrem et Filium ac Spiritum sanctum asserentes. Ab Arianis autem, ut caro, contemptui habetur ac separatur. Filium enim in creaturarum ordinem redigentes, a Patris divinitate semovebant. Quoniam igitur utrique in pari impietate versantur, utris gravius irascetur, si justo judicio cum illis agere velit, vel potius utris plus condonabit, si lenitate et clementia utatur? Utrum Sabellianis, qui nefarie contrahunt, ac Patrem et Filium et Spiritum sanctum, personam unam trinominem esse contendunt? an vero Arianis, qui impie scindunt, ac Filium a Patris substantia sejungunt? Nam et oportebat Sabellianos numero dividere, hoc est, tres personas confiteri ac numerare, et Arianos decebat tres personas natura et divinitate conjungere, unam videlicet trium personarum naturam et divinitatem confitentes. Impingis, o hæretice, atque ad Salvatoris carnem offendis? Idem quoque et Judæis accidit. Christi divinitati fidem abrogas? Id vero ne dæmones quidem fecerunt. Ita et dæmones incredulitate superas, et Judæos ingenii tarditate. Nam dæmones, cum a Christo pellerentur, Deum ipsum confitebantur. Fidem enim illis divinitatis Christi faciebant ea quæ patiebantur, invisibiliter cruciati : ac proinde dicebant : *Quid nobis et tibi, Jesu, Fili Dei* [94]? Judæi autem, cum ipsum dicentem audiissent : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* [95], in hunc sensum hæc verba acceperunt, ut quoniam Patrem suum Deum esse affirmabat, parem quoque Deo seipsum faceret, ac propterea ipsum persequebantur. At tu nec, ut Judæi, Dei et Filii cum Patre æqualitatem intelligere vis : nec, ut dæmones, divinitatem confiteri. Quocirca satius tibi fuerat Judæorum ritu circumcisum esse, ac proinde, ut illi, æqualitatem intelligere, atque dæmonum intemperiis agitari, divinitatemque confiteri, quam in præputio et incolumi valetudine, nullis dæmonum insultibus interrupta, tum Judæos tarditate et inscitia superare, tum etiam eo morbo divexari, ut divinitatem neges, a quo dæmones quoque ipsi liberi fuerunt.

Col. 330 B. *Ac quidem paulo post*, etc. Brevi, inquit, futurum est, ut Christum mea causa purgari videas, ea purgatione, quam mihi adhiberi conveniebat, utpote peccatis fœdato. Nam nostri vice baptizatus est. Etenim quædam Christi voces et actiones, non ipsi, sed nobis congruunt. Actiones

[87] Philipp. II, 9. [88] Rom. IV, 25. [89] Galat. II, 20. [90] I Cor. VI, 14. [91] Marc. XVI, 19. [92] Joan. II, 19. [93] Act. I, 11. [94] Matth. VIII, 29. [95] Joan. V, 17.

Digitized by Google

quidem, ut baptismus ipse; voces autem, ut : *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti* [66]? Perspicuum enim est eum sibi affectus nostros asciscere, propter naturam, quam nobiscum excepto peccato communem habuit. Videbis ergo, inquit, Christum in nobis baptizatum, vel, ut rectius loquar, aquarum naturam ea purgatione, qua ipse hominum opinione lustrabatur, sanctificantem, utpote ipsam quoque hominum peccatis conspurcatam. Nam Agnus Dei, qui ut est apud Joannem [67], peccatum mundi tollit, quo tandem modo purgatione opus habuisset? Videbis etiam cœlos scindi et aperiri, quos Adamus, et sibi, et nobis clauserat, et Christo testimonium dari a cognato, hoc est, congenere Spiritu. Ex eadem enim causa Filius et Spiritus sanctus proficiscuntur. Illud autem annotandum est cognatum de iis quæ ejusdem substantiæ sunt, et de his, quæ diversam substantiam habent, prædicari. Verum cum de iis quæ substantia eadem sunt, agitur, secundum naturam dicitur, ut hoc loco : cum autem de his, quæ substantia differunt sermo instituitur, secundum unionem, ut cum de corpore et anima fit sermo. Quo sensu Theologus in funebri oratione, quam de fratre Cæsario habuit, ita loquitur : Paulo post anima cognatam carnem receptura est. Morbos omnes ac languores : (Græc. πᾶσαν νόσον καὶ μαλακίαν). Inter morbum autem et languorem, hoc est discriminis, quod morbus est diuturna corporeæ habitudinis in pejus inversio, hoc est, infirmitas quæ jam imperium in animal tenet. Languor autem principium laxitatis, morbum prænuntians. Atque ita de corpore accipiuntur. In anima autem, morbus, est peccati actus : languor autem, rationis ad actualis peccati assensum relaxatio. Porro Christus omnibus, sive hoc, sive illo modo affectis, cum spiritualiter, tum corporaliter medebatur. Quonam autem modo peccatum meum, hoc est, Adami (nam primi parentis peccatum meum esse statuo) secum in cruce suffixerit, audi : Præcepto Domini nequaquam paruit Adamus; at Christus, novus Adam, hanc veteris inobedientiam sustulit, obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis [68], manuumque ad interdictum lignum extensionem, per manuum in cruce extensionem; atque ligni voluptatem per crucis dolorem curat : eodemque modo in reliquis rebus contraria per contraria sanata sunt. Hunc et Joannes ut agnum ostendit his verbis : *Ecce Agnus Dei.* Et Zacharias unus ex duodecim prophetis ut sacerdotem aspicit, aitque : *Ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum* [69]. Porro per agnum significatur ipsius pro peccatis nostris interemptio; per sacerdotem autem quod voluntarie interemptus sit. Jam vero post baptismum angelorum ministerio utebatur : *Ecce enim*, inquit, *angeli accesserunt, et ministrabant ei* [70]. Mortuos insuper ad vitam lucemque revocavit, ut Jairi filiam [71], et viduæ filium [72], ac postremo Lazarum [73]. Quemadmodum utinam te quoque, inquit, doctrinæ fideique perversitate mortuum et infidelitate correptum in vitam restituisset, utpote per incredulitatem exstinctum! Dæmones præterea fugavit, nunc per se, ut in regione Gerasenorum, nunc per discipulos et apostolos : *Mittens* enim, inquit, *eos, dedit ipsis potestatem adversus immundos spiritus* [74]. Jam vero quinque panibus quatuor hominum millia aluit, absque mulieribus et pueris, qui si ad virorum numerum adjungantur, non modo chiliades, sed etiam myriades hominum aluisse reperietur [75]. Deus bone, quot mihi festa occurrunt ob unumquodque Christi mysterium? In quibus omnibus unum caput, atque unus scopus est, nempe mea perfectio. Mea etenim causa Dei incarnatio contigit, omniaque ipsius mysteria, ut ego per mandatorum observationem perfectus fiam, ac per virtutum perfectionem Dei nomen consequar, nimirum, per baptismum instauratus; atque ad primi Adami dignitatem amplitudinemque redeam, hoc est, ejus, qui ante mandati transgressionem erat, a qua omnes simul cum eo dejecti ac prostrati sumus.

Col. 330 D. *Nunc autem conceptum accipe*, etc. Hæc, inquit, Christi a nobis commemorata opera, perpessionesque postea videbis. Nunc autem ipsius nativitatem accipe, ac coram eo salta : si non ut Joannes, at certe ut David. Porro Joannes Præcursor figuram eorum gerit, qui ab incunabulis divino baptismate perfusi, atque a puero sanctificati sunt, et ad extremum usque proficiendo solidissimum constantissimumque virtutis habitum conservant. Nam cum adhuc in materna alvo esset, Dominum suum agnovit, et cum summa lætitia exsiliit. Propheta autem David eos designat, qui in vitium prolapsi, rursus per pœnitentiam divinæ gratiæ exsultationem, quæ in virtute et scientia posita est, animæ restituunt. Nam et David, cum se adulterii cædisque crimine constrinxisset, postea eximia et ardenti pietate Deum coluit, eique placuit. Saltabat autem eo tempore, antearcam choream auspicans, cum et ab alienigenis recuperata huc illucque desiit circumferri, atque apud populum suum conquievit, quemadmodum secundo Regum libro proditum habetur. Proinde, sive in peccatum minime incideris, sive prolapsus per resipiscentiam surrexeris, Nativitatem Christi confitere, atque ad ejus præsentiam exsulta, nec virtutis et scientiæ arcam in te sitam affectuum, quasi Philisthæorum quorumdam, libidini permitte; verum iis oppressis et obtruncatis hanc ad te reduc, ac concinnam et modulatam saltationem salta. Existimo autem per Davidis saltationem no-

[66] Matth. xxvii, 46. [67] Joan. i, 29. [68] Philipp. ii, 8. [69] Zachar. iii, 1. [70] Matth. iv, 11. [71] Luc. viii, 41 seqq. [72] Luc. vii, 12 seqq. [73] Joan. xi, 1 seqq. [74] Matth. x, 1. [75] Joan. vi, 1 seqq.

Digitized by Google

bis piæ vitæ agilitatem multiplicemque rationem designari.

Col. 330 D. *Descriptionem reverere, propter quam in cœlis*, etc. Dominus una cum matre et Joseph inter servos juxta Cæsaris edictum descriptus est, ut nos in beatorum libro inscribamur. Hanc igitur descriptionem reverere, ac nativitatem Christi honorifice cole, propter quam nativitatis vinculis solutus es. Vinculum autem nativitatis, est peccatum illius comes [76]. Ex transgressione (4) enim, et matrimonium profectum est, et generatio; sicque in peccatis nascimur. At Christus natus nostræ quoque nativitati sanctitatem attulit [77], ac deinceps honorabile est connubium et torus immaculatus [78]. Parva autem est Bethlehem, utpote usque ad Christum natum minima inter principes Judæ [79]: quæ quidem nos rursus ad veterem paradisi perceptionem voluptatemque revocavit, Christum videlicet nascentem suscipiens, qui ad eam nos reduxit. Atque etiam in præsepio Verbum collocatum est, ut nos ad brutorum amentiam conversi nequaquam jam ad sordidam et pecorum similem provolvamur, verum secundum Deum ac non secundum turbidos animi motus vivere discamus, et Verbi magisteria et disciplina nutriri.

Col. 331 A. *Cognosce, ut bos*, etc. Opportune Theologus prophetiæ Isaiæ mentionem facit propter bruta animantia et agnitionem Christi, et præsepe. Deus enim per Prophetam Israeliticum populum ut ingratum, et vecordem, acriter objurgans ait: *Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui, Israel autem me non cognovit* [80]. Quibus verbis Judæos mutis quoque animantibus propemodum stupidiores exstitisse ait. Atque omnibus quidem ingrate et inique erga Deum affectis hæc oratio congruit. Cæterum hoc loco bos in Judaici populi, qui legis jugo subjectus erat, figuram assumitur: asinus autem in gentilium figuram, tum quia a lege alienus erat, tum etiam propter impuritatem et crassitiem. Etenim bos, ut ad cognoscendum acutior, dominum suum agnoscit: asinus autem ut ventri deditus, præsepe cognoscit. Ac vide, quam bovis et asini allegoriam afferat. Quoniam enim bos animal mundum est, ac jugo subjectum, et ruminans, atque sacrificii causa mactatur et comeditur; in asino autem contrario modo se omnia habent: Cognosce, inquit, auditor, quisnam sit is qui natus est, sive bos es, hoc est, ex Judæis, qui puritatem et munditiem præ se ferunt, ac sub legis jugo censentur, atque idonei sunt, qui Deo in sacrificium offerantur, et rectam doctrinam ruminando conficiunt, quia videlicet primum quidem fidei Christianæ doctrinam simpliciter accipiunt, postea autem eamdem memoria versant ac recolunt, atque accurata examinatione quasi dentibus dividunt et comminuunt, idque omne, quod inutile est, exspuentes, quidquid ad esum aptum et vitale est, in mentis profundum quasi in ventrem quemdam injiciunt. Nam puritas quoque per ruminationem designatur. Sive etiam ethnicæ et impuræ partis es, atque ad esum quidem inutilis, utpote proximis tuis minime fructuosus, ad sacrificia autem minime idoneus, utpote Deo nequaquam gratus atque acceptus. Ethnicorum porro et infidelium est impuritas, cæteraque eodem modo dicta, quod nimirum ad esum et sacrificium haudquaquam apti sint. Cibus enim eorum qui comedunt, vitam fovet ac suffulcit.

Ibid. *Cum stella curre: cum Magis dona offer, aurum*, etc. Deus corpoream suam nativitatem per stellam significari voluit. Æquum enim erat Verbum cœlitus descendens cœlesti quoque signo indicari. Is porro cum stella currit, qui eam imitatur, hoc est, qui Christum iis, a quibus ignoratur, prædicat, vel etiam qui virtutum splendore clarus et insignis apparet, vel etiam qui supra omnia terrena fertur. Ille autem munera cum Magis offert, qui oblationem eorum spiritualiter imitatur. Nam ab illis quoque dona oblata sunt. Signum autem regis est aurum, quia per aurum subditi regem muneribus afficiunt. Thus porro, divinitatis, quia thura Deo adoleri solent: *mortis* denique, myrrha, quia mortui ea inunguntur, ne fœteant aut putrescant. At tu pro auro purarum actionum et sermonum splendorem offer. Pro thure preces: *Dirigatur* enim, inquit, *oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* [81]. Pro myrrha vero affectuum oppressionem et exstinctionem, quæ animæ substantiam tuetur, ac suavi odore perfundit. Quonam vero modo cum pastoribus et archangelis atque angelis laudibus Deum celebrabis, atque hymnos concines ac tripudiabis? Nimirum si illorum admirationem, affectum et gaudium imitatus fueris. Nam profecto ob salutem nostram supernæ quoque et beatæ mentes festum celebrant, ut quæ Dei hominumque amore præditæ sint. Utriusque enim laudis illis testimonium dedit Christus, sic per parabolas loquens: Mulier, quæ amissam drachmam invenit, amicas et vicinas convocat, dicens: *Congratulamini mihi* [82]. Ergo, ut Dei amicæ, ipsi gratulantur. Quod autem hominum sint amantes, ex iis angelis liquido constat, quos in tertii et vicesimi Psalmi fine describit David, simul cum Christo ascendentes, ac prius occurrentes iis angelis, qui in cœlo Davidicum illud imperabant: *Attollite portas* [83], etc. Nam ipsi quoque eadem lætitia

[76] Psal. L, 7. [77] Ephes. II, 1 seqq. [78] Hebr. XIII, 4. [79] Matth. XXIX, 6. [80] Isa. I, 3. [81] Psal. CXL, 2. [82] Luc. XV, 8. [83] Psal. XXIII, 7.

(4) *Ex transgressione*. Congressi quidem sunt Adamus et Eva post violatum præceptum: non tamen ex præcepti violatione profectum est matrimonium, sed ante violationem a Deo institutum, ut ex principio Genesis apertissime liquet.

Digitized by Google

diffundebantur, utpote compresso et exstincto bello, quo mortales premi solebant. Atque etiam iidem Dei amantes erant, quod ea quæ Deus amaret, chara haberent. Quin etiam sese mutuo ad portas attollendas inhortabantur, nimirum illi, qui Christum ascendentem comitabantur, eos, qui in secundo cœlo, sive etiam in firmamento erant, atque illi rursus eos, qui in sublimiori et primo cœlo. Idcirco namque bis scriptum est : *Attollite portas, principes, vestras.* Illi etenim, qui simul cum Christo ascendebant, incarnationis Christi conscii erant; ii autem, qui in firmamento erant, percunctati, ac certiores facti, quisnam erat qui cum carne ascenderet, gaudioque summo perfusi, eodem modo superiores angelos ad sustollendas portas hortabantur.

Col. 331 B. *Unum hoc duntaxat ex iis omnibus*, etc. Ea, inquit, omnia, quæ circa nativitatem acciderunt, venerare. At Herodis sceleratam puerorum oppressionem ob cædem quidem detestare : cæterum, quia propter Christum contigit, reverere. Coætaneum autem hoc Christi sacrificium dicit, quoniam pueri illi eadem ætate erant, qua Christus, cum ferro sublati, atque ante Christum et pro eo mactati sunt. Ipse porro victima dicitur, quia pro nobis cæsus est : nova autem, quoniam nequaquam simpliciter homo erat, sed etiam Deus. Jam vero de ipsius in Ægyptum fuga, quemadmodum imperatum fuerit Josepho, ut puerum et matrem ejus acciperet, atque in Ægyptum ad vitandam Herodis tyrannidem fugeret, ac quo modo Herode mortuo rursus in terram Israel redire jussus sit, dilucide narrat Matthæus [84]. Quin etiam Oseas de Christi ex Ægypto reditu vaticinatur. Per eum enim ait Deus : *Ex Ægypto vocavi Filium meum* [85]. At Theologus hanc historiam sublimiori sensu a nobis intelligi vult. Herodes igitur si interpretari velis, idem sonat quod crassa et passibilis ac velut pellea natura. Ægyptus autem, nunc præsentem hunc mundum designat, nunc carnem, nunc peccatum, nunc ignorantiam, nunc ærumnam et afflictionem. Qua potissimum significatione hoc loco Domini fugam in Ægyptum accipere convenit : Si igitur, inquit, Christus, in nobis conditus, id est, virtus, tenera ætate sit, atque affectus carnalis et terrenus, Herodis cujusdam instar, vivat et principatum teneat, ad afflictionem in actione sitam, velut in Ægyptum, fugiendum est. Quod si carnalis affectus, qui divinam doctrinam nobis insitam interficere molitur, exstinctus et enectus fuerit, tum vero ab Ægypto Hierosolymam migrandum est, hoc est ab ea afflictione quæ in agendo suscipitur, ad contemplationem pergendum. Actio enim contemplationis basis et fundamentum est. Emortuis enim affectibus, supervacaneum postea fuerit in actione longiorem moram trahere, ac non ad contemplationem subvehi, ad quam actio ipsa spectat.

Ibid. C. *Per omnes Christi ætates ac virtutes*, etc. Per omnes ætates ac potentias, hoc est, divina signa gradere, omnia imitans, quæ perpessus est ac fecit, in omnibus ipsius ætatibus novis quoque ad Christum progressibus assurgens : ut tu quoque secundum spiritualem ætatem adolescas, quousque ad summum illius finem perveneris : quam quidem ætatem tricenarius annorum numerus designat, utpote denario, quem continet, ter multiplicato, vel etiam perfectione, quæ huic numero inest. Primus enim denarius moralium virtutum est, alter speculativarum, tertius divinarum. Atque ita quidem accipiendæ sunt ætates. Per potentias autem, miracula a Christo patrata intelligimus, quæ etiam a nobis spiritualiter edi debent. Per omnes has igitur ætates ac potentias obambula et conversare, ut Christi discipulus, et ipsius ardens æmulator, vestigiis ejus insistens. Purificare. Verum quo tempore purificatus est Christus ? fortasse cum baptizatus est, vel etiam cum ad diem quadragesimum pervenit, atque ea quæ ad purificationem requirebantur, secundum legis Mosaicæ præscriptum obtulit. Quocirca da ipse quoque operam ut purificeris, hoc est, ut a sceleratis actionibus abstineas : ac deinde fac circumcidaris, vitiosas omnes et obscenas cogitationes, non secus ac superfluum quoddam membrum, detruncans. Spiritualis enim circumcisio nihil aliud est quam corporeæ voluptatis rerumque supervacanearum ac minime necessariarum abjectio : *Omnis enim voluptas, quæ nec ex Deo, nec in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est.* Cum autem dixisset : Circumcidere, attexuit : Velum a nativitate contractum abscinde, hoc est, avitum peccatum, quod ad universum hominum genus fluxit ac propagatum est. *In peccatis* enim, inquit, *concepit me mater mea* [86]. Peccatum enim statim a nativitate, cujusdam nubis instar, animæ lumina obstruit, salutiferi autem baptismi gladio ac vivifici Spiritus ense truncatur. Nonnulli per velum a nativitate contractum vitiosas et fœdas cogitationes intelligunt, caliginemque ab iis offusam. Alii ignorantiam carni, velut nebulæ cuidam ac velo conjunctam. Post hæc, id est, postquam purificatus fueris, a vitiosis scilicet actionibus teipsum abstinens, et pravas cogitationes circumcideris, tum demum in templo doce, hoc est, in Ecclesia Dei, aliisque virtutis magistrum te præbe et quemadmodum Christus negotiatores templo expulit [87], ad eumdem modum tu sacrilegos nundinatores ejice, hoc est, eos qui divinitatis doctrinam adulterant, eaque cauponum more ad quæstum abutuntur, ac vel auro, vel gratia, vel utilitate, vel metu, aut alia ejusmodi re permutant. Quod si tempus eo te vocet, lapidibus appeti sustine, sive reipsa et modo corporeo, sive etiam spirituali, conviciis nimirum atque ignominiosis verbis, quasi saxis, appetitus. Nihil horum te at-

[84] Matth. II, 13 seqq. [85] Osee XI, 2. [86] Psal. L, 7. [87] Joan. I, 14 seqq.

Digitized by Google

tinget, verum lapidatores falles, ac per medium ipsorum transibis, utpote deus adoptione et gratia factus. Sic enim de Christo apud Joannem scriptum est : *Sustulerunt lapides, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se, atque exivit de templo*[88], transiens per medium ipsorum. *Verbum* enim *non est alligatum*, quemadmodum ait Paulus [89], de prædicatione loquens; quin potius, cum alligatur, currere ipsum dixerim. Verbum enim lapidibus non conficitur, id est, Deus, vel etiam fidei doctrina. Lapidibus autem non conficitur, id est, perpessioni nequaquam obnoxium est, utpote inexpugnabile. Si ad Herodem adductus fueris, hoc est, ad crassum et carnalem hominem, vel hæreticum, plerumque ne verbum quidem unum ei responde, velut indigno, ad quem de rebus mysticis et sacrosanctis orationem habeas. Silentium tuum pluris faciet, magisque reverebitur, ut hominis disputationis habendæ tempus cognitum habentis, quam prolixas aliorum orationes. Nam Christus quoque, ut narrat Lucas [90], a Pilato ad Herodem missus est, et interrogavit eum Herodes in multis sermonibus; at ipse ei nihil respondit. Herodes porro carnalem et turpem affectum significare potest, cui, non per verborum philosophiam, sed per res et actiones, obsistere debemus. Ita enim magis demittetur ac contrahetur hujusmodi affectus quam per verbosam philosophiam. Si flagello cæsus fueris, hoc est, quoquo modo verberibus affectus (flagellum enim virgarum genus est, quo Christus cruciatus est), reliqua etiam suppliciorum ac tormentorum genera quære, nimirum fel, acetum, colaphos, alapas, etc. Ergo fel amarum gustu propter ligni gustum, cujus fructus eximiam suavitatem habebat, ut contrarium contrario curetur. Allegorico autem sensu vel dici queat voluntaria piæ atque laboriosæ vitæ acerbitas, aut tentationum præter animi voluntatem incurrentium absinthium. Acetum autem, calumniæ nobis, vel a nostris, vel ab alienis structæ, quæ animum acerbo doloris sensu afficiunt. Rursus sputa et alapæ, contumeliæ illæ dici possunt, quæ palam aperteque ac velut in faciem infliguntur : colaphi autem, quæ clam atque obscure inferuntur. Colaphus enim, est concavi tactus plaga, quæ in collum furtim infligitur, ac strepitum edit. Jam spinas Theologus ipse per allegoriam philosophiæ in actione positæ asperitatem interpretatus est. Porro vestis purpura seu coccinum, quo Christus ab illusoribus Judæis tegitur, acerrimas gravissimasque afflictiones significat, atque in pectus altissime penetrantes, quandoquidem et coccum color quidam tincturæ est in profundum penetrans. Ad hæc Christus arundine verberatur, et per ludum atque irrisionem arundinem in dextra manu, velut sceptrum a carnificibus accepit. Nec vero ex nostratibus arundinibus colligere debes, eas quibus Christus affectus est, leves atque infirmas plagas exstitisse, verum graves et validas, Judaicæ terræ arundines tibi animo proponens, quarum mira vis est et crassities. Proinde tu quoque arundinis plagam perfer, aut irridentium atque insultantium hominum gestus sustine. Insuper Christus per simulationem quasi rex adoratus est ab iis qui veritatem *ludibrio* habebant, hoc est, ab iis qui rem natura veram per ludibrium agebant. Christus enim rex *verus* erat. Quamobrem ipse quoque omnem fucum et simulationem æquo animo tolera. Ac denique simul in cruce suffigere, quantum ad actuale peccatum. Simul etiam morere quantum ad ipsos affectuum motus. Simul etiam libenter inhumare, omnem rerum hujus vitæ sensum abjiciens : *ut pro eo* quod oppressus atque enectus fueris, ad vitam exciteris; pro eo quod in crucem sublatus *fueris* (quod turpe et infamiæ loco habetur), gloriam consequaris ; pro eo denique quod inhumatus fueris, *in regni* societatem venias. Maxime enim inter se contraria sunt, regnare, et sepeliri. Nam qui tumulo conditur, et terram, et omnia terræ commoda relinquit : qui autem regnat, penes eum omnium *rerum* jus atque imperium est. Quonam autem modo simul regnabis? Deum cernens, quantum fieri potest, ut eum cernas atque ipsi cernaris. Vel etiam cernens Deum, quantum licet, ab eoque vicissim aspectus. Quem nunc quoque clare ac perspicue nobis, carnis vinculo constrictis, patefieri optamus. Ex Jeremia autem hoc sumptum est, sic loquente : *Ad humiliandum sub pedibus ejus omnes vinctos terræ*[91], in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[88] Joan. VIII, 59. [89] II Tim. II, 9. [90] Luc. XXIII, 7, 8. [91] Thren. III, 34.

IN ORATIONEM XXXIX.

ARGUMENTUM (5).

Panegyrica etiam est hæc oratio, superioris orationis comes et cognata. Hic autem primum cum ethnicis, qui mysteria nostra suggillabant, conflictatur, ac nobis vicissim illos atrocius criminandi atque irridendi materiam et argumenta porrigit, ostendens eorum dogmata et mysteria multo majore risu digna esse, nec quidquam aliud, quam inanes fabulas.

(5) Billii.

Digitized by Google

Deinde etiam cum Judæis obiter manum conserit, ipsorum quoque doctrinam nostra longe inferiorem probans. Postremo circa orationis finem cum his etiam congreditur, qui quanquam propter fidei christianæ professionem a nostris partibus stare viderentur: tamen propter fidei diversitatem et divinitatis sectionem in eorum quoque numero erant, qui diversam a religione nostra doctrinam tuebantur. Eunomianos dico et Macedonianos, quorum alteri de Filio ac Spiritu sancto, alteri de Spiritu solo impie sentiebant, quos proinde Semi-Arianos vocat. Ac deinceps Novatianos quoque confutat, qui post baptismum lapsos nequaquam amplius admittebant, sed, et primam, et solam esse hanc purgationem statuebant, quæ baptismo comparatur.

Multi hoc festum, quia Luminum festum appellatur, idcirco Purificationis festum esse existimarunt, ut non modo Nicol. Selverenus et Daniel Gretserus in Evang. de Purific., sed etiam doctissimus Pamelius in Annot. in Cypr. et Gelasinus in suo Martyrologio. At revera baptismi Christi festum est, quod VIII *Idus Januar, tam apud Græcos, quam apud Latinos celebratur. Idque satis hinc liquet, quod D. Gregorius in hac et sequenti oratione, de purificatione nullum omnino verbum faciens, de baptismo duntaxat agit, atque etiam disertis verbis sub hujusce orationis initium, diem hunc Luminum pro principio, Christi baptismum accipere ait.*

NICETÆ COMMENTARIUS.

Col. 335 A. *Rursum Jesus meus, et rursum*, etc. Hæc particula, *rursum*, hanc orationem cum præcedente connectit. Meus autem Jesus dixit, vel propter ardentissimam amoris flammam, sibi id, quod commune est, proprie attribuens, vel etiam ob carnis cognationem, quæ nobis cum Christo intercedit. Atque in hoc sanctum Dionysium æmulatus est, his verbis utentem: Præeat autem orationi Christus, meus, si mihi hoc verbo uti fas est. Mysterium autem festum nominat, idque non semel, sed iterum ac sæpius, nimirum ipsa quoque nomina præ voluptate identidem inculcans. Solent enim qui viri cujuspiam amore correpti sunt, et ipsius nomen et res præclare gestas crebro repetere atque ore versare: quemadmodum contra eorum, quibus infensi sunt, vel nullam mentionem facere, vel ab iis memoriam quamprimum abducere. Est autem natura hoc mysterium non fallax, hoc est, falsum atque ad pernicio-am fraudem et imposturam excogitatum: nec deforme, id est, turpe et obscenum, ut ea quæ colunt ethnici. Ac vide quam apte et congruenter errorem fallaciæ, et temulentiam deformitati subjunxerit. Græci etenim, ac profanæ religionis cultores, non solum mero se ingurgitantes, sed etiam mente atque animo temulenti, hoc est, per carnalium affectuum voluptatumque dominationem, turpia, Apostolo teste [92], atque ignominiosa flagitia perpetrant. At nostrum mysterium excelsum est, et ab affectu carnali purum, Deoque dignum, nobisque divinum splendorem conciliat. Baptismus porro Luminum nomine appellatur, quod purget et illustret. Quo etiam fit, ut faces eo tempore in lætitiæ signum accendamus. Ac principium quidem et causa hujus festi, baptismus Christi est, qui, ut Joannes testatur [93], lux vera erat, hoc est, vere et proprie lux, quæ nocte non secatur, nec exstinguitur, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum, hoc est, nascentem atque omnibus partibus absolutum in lucem prodeuntem (nam embrya, homines quidem sunt, verum incertum est, utrum in lucem proditura sint, an per matris abortum eruptura). Quod si qui fidei et baptismi expertes manserunt, hoc ipsorum scelere et perversitate accidit, utpote qui seipsos ultro hoc dono privarint. Hanc autem vim et facultatem habet baptismus, ut purget eos qui expiatione ac lustratione opus habent, atque animæ lumini adjumentum afferat. Nam cum claram illam et illustrem primum accepissemus, eam turpium affectuum caligine obscuravimus atque obruimus, pravas et vitiosas formas injicientes, ac divinas pulchritudinis ipsius notas adulterantes. Reliquum est igitur, ut Salvatoris vocem audiatis, quæ quidem mihi, et quidem vehementer insonat, qui hujusmodi dogmatum et discipulus sum, et magister; atque utinam etiam vobis insonet? Quænam vero est ista vox: *Ego sum lux mundi* [94]. Quocirca Davidicæ voci obtemperantes, accedite ad eum, ut per hunc accessum divinitatis ipsius radiis collustrati, baptismi splendorem ipsius gratia concipiatis. Et facies vestræ non confundentur, vero lumine consignatæ, nimirum baptismi lumine, vel Spiritus sancti gratia. Quod etiam a Davide sumptum est: *Signatum est enim*, inquit, *super nos lumen vultus tui, Domine* [95].

Ibid. B. *Tempus regenerationis: desuper gignamur*, etc. Generatio ea dicitur, quæ ab hominibus ortum ducit: creatio autem, quæ a Deo. Carnis igitur generationem, quæ cum interitu et corruptione conjuncta est, abjicientes, desuper ac cœlitus regeneremur. Cœlestis autem generatio ea est, quæ Spiritus sancti opera in baptismo fit. Porro primigena illa generis nostri creatio instauratur, non quod primum a Deo male creati, atque effecti fuerimus, sed quia post creationem distorti atque confracti sumus. Ac semel quidem per baptismum renascimur: verum quolibet die post baptismum per honestam ac perfectam vitæ rationem instauramur. Cœlitus igitur gignamur per Spiritum sanctum, quemadmodum Dominus ipse in Evangelio instituit, dicens: *Nisi quis desuper natus fuerit, non potest videre regnum Dei* [96]. Nam terrena generatio, qua secundum carnem gignimur, a terra est: ac proinde cœlestia illi obsepta et intercluse sunt. Quid enim terræ cum cœlo commune est? At ea, qua per baptismum a Spiritu sancto gignimur, facile

[92] Ephes. VI, 19. [93] Joan. I, 9. [94] Joan. VIII, 12. [95] Psal. IV, 7. [96] Joan. III, 3.

Digitized by Google

nobis supernas apsides patefacit. Theologus autem A ipsum cum his qui regeneratione opus habent, conjungit, non quod ea careat, sed quod eos, quasi propria membra, vindicet, suosque esse ducat. Pristinum Adamum recipiamus, qualis ante proculcatum Dei mandatum erat, cum divinæ imaginis decus purum adhuc et splendidum haberet. Nam Paulus primum Adam primigenum illum hominem nominat; secundum autem, Christum [97]. At Theologus eumdem illum Adam in duos dividit, nimirum in eum qui erat ante transgressionem, et eum qui post præceptum violatum fuit : atque a nobis primum illum accipi vult, hoc est, eum, qui ante admissum peccatum erat. Ac subtexit : Ne in eo statu, quo sumus, maneamus, peccati videlicet sordibus inquinati : verum ad priorem statum redeamus, id B est, puri, ut ante transgressionem eramus, efficiamur. Id autem per baptismi regenerationem assequemur. Tum evangelicum illud dictum exponit : *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* [98]. Lucem enim Christum vocat, tenebras autem hanc vitam et carnem : illam propter errorem et hallucinationem; hanc propter crassitiem. Caro enim crassitie sua mentem turbat, eique tenebras offundit. Tenebras autem diabolum appellavit, qui Christo adversatur, ut luci tenebræ. De quo ita cecinit Moses in cantico : *Dixit inimicus : Persequar et comprehendam* [99]. Quanquam autem Christum persecutus est, hoc est, tentavit, non tamen comprehendit, id est, fregit ac superavit; C verum impudenter ille quidem partem Christi aspectabilem adortus est : cæterum in invisibilem divinitatem incidit, atque oppressus est. Hæc autem idcirco facta sunt, ut nos peccati tenebris per baptismum abjectis ad divinitatis lumen accedamus, ac deinde per honestæ ac præclaræ vitæ progressus et perfectionem lux quoque perfecta efficiamur, a perfecta luce profluentes, hoc est, a baptismi gratia. Hanc enim gratiam et utilitatem baptismatis dies et festum nobis conciliat. Atque etiam alio sensu explicare licet, quomodo perfecta lux efficiamur. nimirum si cum summa illa luce, nobis propter nostram intelligendi facultatem affini atque cognata, uniti prorsusque commisti fuerimus. Id autem in futura remuneratione continget. Nunc D enim, quandiu in præsenti hac vita versamur, divino lavacri beneficio ad unicam illam divinam lucem ac Deum accedimus, atque unusquisque nostrum, dum salutifera aqua tingitur, divini luminis fetus efficitur, id est, baptismi. Et quoniam eorum qui baptismi aqua perfunduntur, infinita est multitudo, idcirco γεννήματα, hoc est, fetus plurali numero dixit, non autem γέννημα, singulari. Neque enim in hac vita præstantibus virtute ac vitæ sanctimonia viris cum Deo esse conceditur : verum hoc tanquam præmium illis in altero sæculo reservatur. Subvehimini igitur, inquit, hac oratione, quam jam audiistis : multo autem altius assurgetis, cum Verbum, id est, Christus, meæ Orationi, quam de hoc festo habiturus sum, prosperum iter dederit.

Col 335. Ibid. C. *Ecqua talis est legalis atque*, etc. His verbis ostendit Theologus quam exigua Judaicorum sacrorum ac cæremoniarum sit utilitas : rursus quam noxia et perniciosa sit ethnicorum de religione doctrina, nec tantum risu, sed lacrymis luctuque prosequenda. Legales enim purgationes umbraticæ erant (ut quæ purgationem illam, quæ ex baptismo petitur, præfigurarent et adumbrarent) ac propter hujusmodi tantum pollutionem fiebant, eoque solo tempore proderant : ac proinde assidue peragebantur. Quod quidem argumento erat, eas nequaquam abditissimos animæ sinus penetrare, verum peccatorum quasi superficiem delere, ac corporeas tantum labes abstergere : velut si quis cibum a lege interdictum attigisset, vel mortuum, vel leprosum, vel alio modo deformatum, hircorum, ut docet Apostolus [1], et taurorum sanguis, et cinis vitulæ pollutos aspergens ad carnis puritatem expiabat : cæterum peccata auferre non poterat. Atque ob eam causam continua erant sacrificia, singulisque annis persæpe offerebantur, utpote quæ accedentes perfectos reddere non possent. Nam si perficiendi vim habuissent, profecto offerri desiissent, quod qui hujusmodi cultum Deo exhiberent, posteaquam semel purgati essent, nulla jam peccati conscientia terrerentur. Scriptum autem habetur in libro Numerorum [2], quod vitulam rufam comburentes, ipsiusque cinerem aquæ admiscentes, pollutos aspergebant. Itemque quod Moses accepto sanguine taurorum et vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccina et hyssopo populum omnem lustraverit. Ac talis quidem legalis purgatio erat, in breve tempus juvans, atque ita carnem purificans, ut tamen ad animæ purgationem vim suam non extenderet. At nostra contrario plane modo se habet. Semel enim facta, omnia simul, et vetera, et nova, et corporis, et animæ vitia purgat. Enimvero Græcorum mysteria a dæmonibus inventa et a pravis ac sceleratis animis conficta sunt. Quibus quidem ut fidem adstruerent, qui ea colebant, ad antiquissima tempora confugiebant : ut autem eorum turpitudinem effugerent, ea fabularum libertate ac licentia obvelabant, fabulosa esse pronuntiantes, et ad allegoriam detorquentes. Atque interdum ea, quæ de diis ipsorum commemorantur, tanquam vera sumunt : interdum etiam, cum eorum obscenitas et spurcities ipsis objicitur, fabulosa hæc esse affirmant, nec eo sensu, quem præ se ferunt, intelligenda esse, sed mysticum quemdam ac reconditum sensum habere. Exempli causa : Si ipsis proferamus Saturnum, quem pro deo colunt, filios suos devorasse, aiunt aliud quiddam esse, quod his verbis

[97] 1 Cor. xv, 45. [98] Joan. i, 5. [99] Exod. xv, 9. [1] Hebr. x, 4 seqq. [2] Num. xix, 2 seqq.

Digitized by Google

significetur : Tempus enim, inquiunt, quidquid progenuerit, rursus consumit. Atqui conveniebat eos, si quidem hæc vera existimant, nequaquam fabulosa ea dicere : sin autem falsa et commentitia, nequaquam admirari, neque de una et eadem re affirmative ac negative pronuntiare, contrariaque censere : non secus ac si in puerorum, vel etiam vecordium hominum cœtu luderent, ac non nobiscum serio disputarent, hoc est, cum viris judicio præditis, et Verbi ac veræ sapientiæ, hoc est, Christi, cultoribus : tametsi profanam et fabulosam eloquentiam et verborum elegantiam aspernemur, quæ spurca et sordida est nominanda, utpote res turpes et obscenas ornare ac verbis efferre contendens.

Col. 338 A. *Non hæc Jovis partus et furta, illius, inquam, Cretensium*, etc. Saturnus Jovis pater, cum, ut Græci fabulantur, oraculum accepisset, fore ut ab uno filiorum suorum regno pelleretur, mares omnes, qui ipsi nascebantur, devorabat. Rhea igitur, cum Jovem peperisset, ejus pulchritudine et vultus elegantia permota, furtim sublatum in Cretam emisit, eique Curetes, dæmones quosdam, adjunxit, qui gravem sonum atque armorum crepitum excitarent, ac tripudium illud, quod Pyrrhichium dicitur, armati agerent, ut armorum strepitu gravem infantis Dei vagitum vastumque sonum tegere possent : ne forte Saturnus, e cœlo vagitum audiens, ipsum quoque devoraret. Lapidem autem fasciis involutum nati loco marito devorandum reliquit. Quem cum devorasset, eos quoque, quos prius absorpserat, evomuit. Cæterum historiæ proditum est hunc Jovem præstigiatorem et scelestum hominem fuisse, Cretensium tyrannum : apud quos illius quoque monumentum ostenditur, discrucientur licet atque offendantur hac oratione, qui inter ethnicos eruditione præstant, atque historiam hanc rejiciant. Quos etiam irridet Theologus, ut qui ineptissime nugarentur Jovem (quia in eo divina potentia erat), nequaquam puerorum more exili voce vagiisse, sed horrificum quemdam ejulatum edidisse, atque adeo vastum, ut ad cœlum usque permearet. Ac poetæ quidem lapidem pro Jove a Saturno devoratum fuisse narrant. At Gregorius Jovem, ut lapidem, a Saturno devoratum esse ait. Ex quo perspicuum est eum non ad rei gestæ famam respexisse, verum ad Saturni opinionem. Jovis enim, ut Græci insuper fingebant, adeo firma et robusta erat natura, ut cum hoc exploratum haberet Saturnus, ac devorato lapide renitentiam duritiemque sentiret, eo magis persuasum haberet, se Jovem devorasse, propter naturæ firmitatem, et robur, pessum euntem. Jovem igitur ut lapidem devoratum esse Theologus dixit, ad devorantis opinionem respiciens.

Ibid. B. *Nec Phrygum*, etc. In Phrygia Rheæ delubrum erat, in quo Phryges festum celebrantes genitali membro excidebantur, calamitatis ipsius speciem exprimentes, in quam illa, filiis a Saturno devoratis, inciderat. At tibicines quidam tibiis ludebant, animos illorum a doloris sensu avertentes, atque ad perferendam exsectionem inflammantes. Quibus postea alii medicam manum admovebant, Corybantum gestum imitantes, perinde scilicet ac si Rheam ipsam consolarentur. Corybantes autem, genus sunt dæmonum, vel furiosorum hominum, Rheæ subservientium, quos Cabyros vocant. Porro matrem hanc deorum etsi non omnium, at certe Jovis fratrumque, ipsius poetæ tradunt, quemadmodum et patrem deorum Saturnum. Ac Phryges erant, qui hujusmodi flagitia in Rheæ honorem peragebant, atque iidem initiabantur, id est, exsectionis cruciatu afficiebantur.

Ibid. *Nec puella quædam apud nos rapitur*, etc. Cererem, unam ex antiquis deabus, Proserpinam peperisse fingunt, quam Pluto, sive Orcus, rapuit. At mater, eam omnibus in locis conquirens, apud Eleusinem in Celeum ac Triptolemum incidit, ab iisque de filiæ raptu certior facta, finem per totum orbem vagandi fecit, ipsisque tritici ac hordei semina, nondum ante id tempus visa, dono dedit, atque alatorum draconum currum ut ex sublimi, sicut poetæ fabulantur, per universam terram semina spargerent. Hos duos petulanter atque libidinose Ceres adhibuit, ac quædam in eos fecit, quædam etiam vicissim ab iis passa est. Atque hæc omnia ipsis per unam noctem in Eleusine, quæ Atticæ locus est, celebranda tradidit : nam ex ea urbe nati erant. Ea igitur, quæ ab ipsis noctu celebrabantur atque peragebantur, ut nocte digna, interdiu commemorare me pudet, atque ex turpitudine mysterium quodammodo facere, nimirum die festo memoriam eorum faciendo. Nota sunt hæc Græcæ superstitionis hierophantis, id est, divinorum oraculorum antistitibus atque doctoribus, quibus inviolabili lege interdictum erat, ne hæc atque hujusmodi mysteria apud eos, qui his sacris minime initiati essent, evulgarent. Ac profecto silentio quoque digna erant propter immanem rei obscenitatem.

Ibid. C. *Nec Bacchus hæc nostra mysteria*, etc. Jupiter, cum Semele Cadmi Thebanorum regis filia congressus, gravidam eam reddidit. Juno autem ipsius uxor, zelotypia percita, ad Semelen accedens, eam vehementer opinione falli ait, si Jovem esse existimet, qui cum eo stupri consuetudinem habeat, mortali quopiam cum ea congrediente : ipsique persuasit ut, si periculum facere ac cognoscere vellet, num vere Jupiter esset, ab eo peteret, ut cum fulgore ac tonitruo rem secum haberet, quemadmodum et cum Junone facere soleret. Id igitur cum Semele petiisset, Jupiter cum tonitruo, ut est in fabulis, ad eam venit, atque invito animo eam concremavit, dissectoque ejus ventre fetum adhuc rudem eduxit, femorique suo, quem inciderat, imposuit, partemque incisam consuit, atque expletis prægnationis diebus infantem extulit, Dionysiumque nominavit. Itaque Græcos sug-

Digitized by Google

gillans Theologus, ait : Ea, quæ apud nos celebrantur, nequaquam iis similia sunt, quæ de Baccho apud gentiles commemorantur, qui quidem semivir erat, utpote nunc ea quæ propria virorum sunt, faciens, nunc etiam patiens, quæ feminis conveniunt. Nec femur Jovis parturiens, ac prægnantium more Dionysium gestans, adhuc rudem fetum exsistentem : quemadmodum antea Jovis caput alium quemdam fetum parturierat. Minervam enim ferunt ex Jovis capite intersecto natam esse. Porro circa Dionysium quidam vino obruti et furore correpti choreas agebant, ac militarem expeditionem obibant. At Thebani præsertim ipsum colebant, tonitruum quoque illud venerationi habentes, quo Semele hujus mater conflagraverat.

Col. 338 C. *Nec meretricia*, etc. Fingunt poetæ Saturnum adversus Cœlum patrem rebellasse, partesque ipsius pudendas excidisse, atque in mare projecisse, fructumque obsceni illius membri atque exsectionis Venerem exstitisse. Atque hoc modo ipsa turpiter progenita est. Rursusque turpiter honoratur per flagitiosos concubitus atque exsecranda mysteria. Jam vero cum Bacchus ad inferos descendere cuperet, iterque ignoraret, adolescens quidam Prosymnus nomine hac conditione viam ei indicaturum se pollicitus est, si pro itineris commonstrati præmio, corporis sui copiam ipsi faceret. Ille vero se corpus suum ad libidinem ipsi permissurum recepit, si ab inferis rediret. Reversus igitur cum Prosymnum non invenisset (extremo enim vitæ die perfunctus erat) ficulneum ramum excisum in genitalis membri formam effingit, ac ramo insidet. Ita promissi fidem mortuo præstat. In hujus flagitii monumentum Phalli per urbes Dionysio erigebantur. Phalli autem sunt genitales partes, quæ etiam ipsæ Ithyphalli dicuntur, quod rectæ ac rigidæ tendantur.

Col. 339. A. *Nec Taurorum feritas*, etc. Cum Græci Trojam infestis armis peterent, atque in Aulide, qui Bœotiæ locus est, cum omnibus copiis collecti essent, tanta navigandi incommoditas a Diana immissa est, ut omnis eorum exercitus illic detineretur. Hanc autem ob causam ira succensa erat, quod Agamemnon, cum cervum in venatione telo confecisset, gloriari ausus est, ne ipsam quidem Dianam pari dexteritate telum missuram fuisse. Cum autem invalescente tempestate oraculum consulerent, causamque hujus rei sciscitarentur, responsum accipiunt, nunquam mali hujus finem exspectandum esse, nisi Agamemnon filiæ suæ cæde Dianam placaret. Persuasus igitur Agamemnon filiam suam Iphigeniam Dianæ mactandam sistit. Diana autem virginem, necis periculo ereptam, ad Tauros emisit (Tauri autem in Boreali parte et Scythica habitant, ubi Dianæ delubrum est), ac pro virgine cervum ad cædem substituit. Ad hunc igitur modum Iphigenia apud Tauroscythas sacerdos Dianæ instituta est, atque omnes Græcos, qui peregrinando ad ea loca A divertebant, jugulabat. At vero Lacedæmonii, Dianæ cultores, in ipsius honorem festum celebrabant, in quo adolescentes verberibus corpus proscindentes, aram cruore profundebant, virtutis suæ magnitudinisque animi specimen exhibentes, ac vulneribus perferendis seipsos assuefacientes, ut scilicet vulnera in bellis accepta contemnerent. Atque eam hujusmodi cultu prosequebantur, ut fortitudine præstantem, nec a Cupidine unquam fractam ac superatam. Ili porro, cum cæteris in rebus animi robore præstarent, ac mira quadam tolerantia labores et militares ærumnas perferrent, in hoc uno magnanimitate sua flagitiose utebantur, quod frustra sese invicem, quasi hostes, flagris conscinderent, ac per hujusmodi res gratum Deo B cultum sese exhibere arbitrarentur : cum lenis et clemens sit verus Deus, nec cruore delectetur. Atque etiam citra omnem verecundiam corpus detergebant, impudentique petulantia nudabantur Spartani, sicque in omnium oculis cædebantur. Atqui talis denudatio parum decora et honesta virgini videri posset. Quocirca si Dianam illi in dearum numero habebant, ac proinde lenem hominumque amantem existimabant, quonam modo sanguinis profusione eam delectari, ac rite coli putabant? Rursus si virginem esse credebant, cur obscenissime denudabantur? Nam iidem et mollitiem honori habuerunt, Syssitia, hoc est, publica convivia celebrantes, in quibus fœdis voluptatibus C utebantur, turpiaque flagitia, et faciebant, et patiebantur, puerorumque amor apud eos in summo pretio et commendatione erat : et cæteris in rebus audaciæ insignis argumenta dabant, sicque in contrarios affectus incidebant. Audacia enim et mollities ex diametro inter se pugnant.

Ibid. *Jam Pelopis dilaniationem*, etc. Tantalus Jovis filius deos quondam hospitio accepisse dicitur, filiumque Pelopem mactatum ac ferventi aqua coctum ipsis apposuisse : eos autem, novum hospitalitatis genus admiratos, Pelopem ad vitam revocasse : et quia sola Ceres humeri partem comederat, partem illam exesam eburneam reposuisse, atque ita Pelopidas ab eo oriundos humerum eburneum habere. Tria igitur hoc loco Theo- D logus suggillat, et insectatur, deorum famem, ut diis indignam; Tantali hospitalitatem, ut immanem et crudelem; deorum approbationem atque admissionem, ut inhumanitatis plenam, utpote qui hujusmodi epulis libenter exciperentur.

Ibid. *Quo item loco horrenda et caliginosa Hecatæ spectra*, etc. Hecaten quidam lunam esse aiunt : nonnulli aliam deam noctu obambulantem, leonum curru vectam, ac serpentibus et draconibus undique cinctam, atque horrendas quasdam rerum species objicientem, nempe homines quosdam insusitata magnitudine capita draconum habentes: adeo ut permultos harum rerum aspectu perterrefactos in furorem atque insaniam agat. Trophonius autem vates, gloriæ cupiditate incensus, cum

Digitized by Google

Dei opinionem apud homines sibi colligere cuperet, in subterraneam quamdam speeum se inclusit, ibique vitam finiit : ut posteaquam inventus non esset, in cœlum abreptus putaretur. Dæmon autem quidam specum ingressus, atque in ea domicilium sibi constituens, homines fallebat, Trophonium se esse mentiens : atque oracula edebat. Unde etiam, qui in subterraneum illud antrum se conferebant, nonnulla quidem oracula referebant : cæterum reliquo omni vitæ tempore tristes permanebant, quia a dæmone illusi fuerant. Jam vero in Dodonæa civitate quercus erat miræ proceritatis ac pulchritudinis, quam dæmon inhabitans, garrulam fatidicamque reddebat. In Delphis autem, Græciæ urbe, Apollonis templum erat, ac tripes æneus phialam maximam, eamque æneam portans, in cujus medio cochlea ænea pertusa erecta erat, ex qua oracula edebantur. Ea porro σοφίσματα, id est, impostūras atque præstigias, Theologus vocavit, utpote dubiis atque incertis responsis homines fallentia et deludentia. Castalius denique fons est in Antiochia, qui cum stridore atque impetu et flatu labitur, ex quo qui bibebant, si strepitum audiissent, dæmonis afflatu futura prædicebant. Hæc autem oracula de nonnullis quidem aliis rebus vaticinari visa sunt : verum hoc unum (6) prædicere non potuerunt, fore ut Christi potentiæ cederent, atque in perpetuum silerent.

Col. 339. B. *Nec Magorum ars sacrificandi, atque ex victimarum*, etc. Magi genere Medi sunt. Ili animalia mactantes excidebant, atque ex jecinoris fibris, ipsiusque sanguinis eruptione et forma, futurorum conjecturam faciebant. Chaldæi autem astrologiæ operam dabant, atque in hac arte tempus studiumque ponebant, quæ in observandis hominum natalibus versatur, atque eodem motu quo sidera, eorumque figuræ, vitam eorum qui nascuntur, cieri astruit : atque eventus, quos homines experiuntur, astrorum connexionibus ac situi respondere. Atque eam artem profitentur, qui, nec quid ipsi sint, aut in posterum diem futuri sint, compertum habent. Quos etiam irridens Isaias, inquit, *Stent, ac servent te astrologi cœli : qui sidera prospiciunt, renuntient tibi quidnam super te venturum sit*[a].

Ibid. *Nec Thracum orgia hæc sunt, a quibus et religionem*, etc. Primi Thraces religionem erga deos invenerunt : unde et θρησκεία, id est, religio, a Thracibus nomen duxit. Porro orgia, id est, mysteria et sacra ac festa Orpheus ipsis tradidit, quem aiunt musicæ arte instructum et cithara canentem, tum res anima carentes permulsisse, tum furentum bestiarum rabiem consopivisse. In quo fortasse hominum mores designant, stultos quidem et vecordes, per ea, quæ anima carent, significantes : per feras autem, crudeles homines intelligentes : quos omnes canendi arte pertrahebat Orpheus, ut Græci fingunt.

Ibid. *Nec Mithræ justum adversus eos supplicium, qui*, etc. Mithram nonnulli solem esse dicunt. Huic festa peragebantur, ac præsertim apud Chaldæos. Illi autem, qui hujus sacris imbuendi erant, per duodecim suppliciorum genera ducebantur, nempe per famem, per ignem, per frigus, per verbera, aliosque hujus generis cruciatus justam autem hujusmodi pœnam dixit Theologus, quod his suppliciis merito afficerentur, qui talibus rebus fidem haberent, ut mercedem erroris ab ipsis, quorum cultui se addixissent, acciperent, dum ab illis ita excruciarentur.

Ibid. *Nec Osiridis*, etc. Osiris et Typhus, ut fabulantur Ægyptii, contrarii inter se dii sunt, ac Typhus Osiridem discerpsit. In cujus calamitatis memoriam Ægyptii festum peragentes seipsos lacerant, atque honoris ipsius causa in luctu versantur. Osiridis autem historia, seu potius fabula, talis est. Jupiter, virginis cujusdam, Isidis nomine, quæ et Ino dicitur, amore captus, eam in bovem mutavit, ne quid hujusmodi Juno rescisceret. Verum illa re comperta, et zelotypia inflammata, œstrum puellæ immisit, quo percita per omnem terram vagaretur. Jam Mendesium Ægypti urbs est, in qua hircus pro deo habebatur, ac Mendesii hircos, ut deos, plusquam seipsos verebantur, aut in eorum honorem festa celebrabant. Vitulum vero Memphitæ summa religione colebant, eumque Apim nuncupabant, ac præsepio inclusum habebant, publicoque hominum conventu sacrificia ei offerebant. Signa autem quædam a cæteris diversa Apis habebat, tum circa caudam, tum circa linguam : ac si quis ejusmodi inter armenta conspectus fuisset, confestim ad sacrum præsepe ab ipsis assumebatur.

Ibid. C. *Nec omnes ii honores*, etc. Gradus quidam lapidei scite exsculpti circa Nili ostia erant, qui πήχεις, id est, *cubiti*, nominantur. Hos observabant Ægyptii, quo tempore fluvius exundabat : ac siquidem ad hunc aut illum gradum aqua provecta fuisset, pro ascensus ratione ubertatis frugum conjecturam faciebant. Itaque proventus felicitatem cubitis metiri, hoc est, definire et æstimare, videbantur. Sunt tamen qui dicant, non gradus quosdam esse, verum columnam, in qua hoc tempore cubitos metiuntur Ægyptii, aqua ad hunc aut illum cubitum excrescente. Olim autem Nilum honoribus afficientes, ac fertilitatis

[a] Isa. XLVII, 12.

(6) *Verum hoc unum*. D. Hieronymus exponens hæc verba Isaiæ cap. XLI : *Nuntient quæ ventura sunt*, « Cur, inquit, de Christo nihil potuerunt prædicere ? nihil de apostolis ejus ? nihil de ruinis et abolitione templorum ? Si ergo suum interitum non potuerunt prædicere, quomodo aliena vel mala vel bona potuerint nuntiare ? »

Digitized by Google

auctorem eum agnoscentes, ipsi tanquam deo festum spurcissima et exsecranda libidine celebrabant. Illud enim prætermittam, quod et vilissima quoque animalcula et reptilia colebant, et feles et scorpios, et serpentes, suæque erga res turpes et obscenas liberalitatis, ambitiosæque munificentiæ specimen edebant. Ac privatim quidem unicuique horum festum institutum erat, infelicitas autem perditaque amentia omnium communis erat. Ad unum enim impietatis scopum et diaboli cultum omnia referebantur.

Col. 342 A. *Adeo ut, siquidem omnino eos impietate constringi*, etc. Sunt qui Theologum insectentur, primum quod dixerit : Impietate constringi oportebat, deinde quod cordatos viros tanta impietate devinctis hominibus nil aliud imprecari debere dixerit, quam ut res hujusmodi perpetuo venerentur. Contra enim, inquiunt, pro ipsis orandum fuerat, ut impietatis vinculo solverentur. Sed hæc stulta et inepta. Illud autem sciendum, hoc verbum, *Oportebat*, aliquando idem significare, quod decet et convenit : aliquando pro eo quod necessario fit, accipi, ut hoc loco. Siquidem, inquit, omnino futurum erat, ut animi destinatione liberaque voluntate in impietatem provolverentur, ac simulacris, quæ manuum humanarum opera sunt, artisque meditationes, divinos honores tribuerent, sapientibus et cordatis viris optandum erat, ut illi res adeo viles tamque obscenas et ridiculas colerent, quo nimirum ex hujusmodi rerum cultu et adoratione majori ignominia afficerentur. Quanquam enim omnes uno errore concordes exstiterunt : tamen alii aliis tanto stupidiores inventi sunt, quanto viliora et obsceniora sibi numina finxerunt. Enimvero Maximus ex cujusdam senis insigni rerum divinarum cognitione præditi sententia hanc objectionem diluens, Gregorium ait gentiles temere in errorem provolutos cernentem, idque ægre et impatienter ferentem, commiserationis potius quam odii affectu hæc dixisse : ut scilicet illi, a religionis numinumque suorum fœditate et abominatione ad veræ pietatis cultum se referrent, deridendam numinum suorum turpitudinem hinc perspicientes : atque etiam ut si qui hæc audirent, in pestiferam eorum opinionem minime pertraherentur.

Ibid. B. *Atque hæc quidem ludant gentiles*, etc. His, inquit, figmentis ducantur gentiles, a dæmonibus in hanc amentiam provoluti, qui quidem Dei honorem ad se transferre cupientes, alios in alias turpes et indecoras de Deo sententias distraxerunt. Aliis enim persuaserunt, ut pro Deo voluptatem haberent, aliis ut fortunam, aliis ut elementa, aliis ut contentionem et amicitiam, aliis ut cœlestes et aereos ac terrestres deos arbitrarentur, aliis ut animantia, aliis ut stirpes, aliis ut aliud quidpiam divinis honoribus afficerent. Hic autem error ab eo tempore grassatus est, quo dæmones nos paradiso, ac ligno vitæ, quod nobis præmii loco propositum erat, exturbarunt. Exturbarunt autem per scientiæ lignum, tempore minime congruo perceptum : quod quidem exercendi liberi arbitrii causa nobis datum fuerat. Hinc porro dejectos, ut infirmiores jam, atque ad expugnandum faciliores, sententiaque divina condemnatos, populati sunt, quod videlicet e priori statu excidissemus, ac mortales et passibiles facti essemus. Nam cum illi sua sponte ad invidiam prolapsi essent, livore adversus nos exarserunt, non solum ob præsentem divinæ imaginis honorem, sed etiam ob futuram gloriam : nec ferre potuerunt gloriam a se, hoc est, a primis naturis, ad nos, e terra in cœlum evehi cupientes, migrare. Hæc causa est, cur persecutionibus in nos sæviat diabolus, invidia scilicet. Et quoniam, juxta Apostolum [a], non probavimus nec voluimus Dei præcepto audientes esse, erroris libertati traditi sumus, hoc est, permisit Deus ut in errorem laberemur, ac per hunc honorem, quem simulacris habuimus, ipsi dehonestaremur. Deus enim ob has tres causas nos creavit, ut bonorum operum studio incumbamus, ut ad gloriam ipsius simus, ut eum pro viribus imitemur. At nos affectuum omnium arx et domicilium facti sumus : qui quidem anima exedunt et conficiunt, non quidem ipsius substantiam, verum substantiæ ornamenta. Neque hoc solum grave est, sed quod flagitiosos quoque deos et libidinosos inveximus, flagitiis patrocinantes, atque ad ea impellentes. Ex quo efficitur, ut peccatum non modo non condemnetur, verum divinum etiam censeatur, velut Dei actio : nimirum iis qui peccant, excusationis defensionisque causa ad deos, quos colunt, perfugientibus, atque affirmantibus eos, cum tales sint, tali quoque cultus atque adorationis genere delectari.

Ibid. D. *At vero quemadmodum nobis beneficio*, etc. Atque hæc, inquit, ethnici deblaterent. Nobis autem, quemadmodum divinitus datum est, ut superstitiosum errorem fugerimus, qui efficit ut dæmones timeantur atque honorentur, ac veritatem cognoscamus, et, quod Paulus ait [b], Deo vivo et vero, non autem mortuis falsique nominis diis serviamus, ac supra omnem creaturam assurgamus (nulli scilicet rei creatæ divinitatis nomen tribuendo) ac præterea mundum omnem sensilem tempori subjacentem, atque adeo intellectilem, qui primæ motioni subest, transiliamus. Deus quippe motu sese ad rerum procreationem et fabricationem agitavit. Ac primo quidem ipsius motu angeli procreati sunt, utpote ante tempus conditi : quandoquidem ante cœlum et diem ac solem, qui tempus constituit, angeli creati sunt : secundo autem, hic mundus qui aspectu sentitur. Quemadmodum igitur nobis datum est ut idolorum cultu liberati,

[a] Rom. I, 28 seqq. [b] I Thess. I, 9.

Digitized by Google

Deum, qui omni creatura, tam aspectabili, quam intellectili et spirituali superior est, cognoscamus : sic etiam Dei mysteria intelligamus et doceamus, ac juxta Salomonis leges et præcepta philosophemur. Quoniam enim *in malignam animam non intrabit sapientia* [6], idcirco animos eorum, qui cum sapientia consuetudinem habituri sunt, primum per divinum timorem purgat, his verbis : Principium sapientiæ, collige sapientiam, hoc est, in principio sapientiæ, id est, in timore divino sapientiam tibi compara. Ut enim fundamentum, domus principium est, et navis, carina : sic etiam, juxta Davidis sententiam, *principium sapientiæ, timor Domini* [7]. Pietas enim ac religiosus timor ad numeros omnes virtutis absolvendos, scalæ instar est : utpote qui animos nostros a vitiorum contagione sordibusque lustret, atque ubicunque domicilium sedemque habeat, improbas omnes et flagitiosas actiones in fugam vertat. Quoniam igitur rudimentarius est timor, velut puerili quadam institutione nos ad eam virtutem, quæ in actione versatur, introducens, activa autem virtus contemplationis scala est : danda nobis est opera, ut recte et congruenter iis utamur, ordineque progrediamur, atque a timore exorsi, in contemplationis fastigium subvehamur. Nam contemplatio, nisi timoris divini freno coerceatur, in blasphemiæ quoque fortassis et impietatis præcipitia nos impulerit ac dejecerit. Ac vide scalam, per quam ad perfectionem nobis ascensus patet. Ubi enim timor est, illic quoque mandatorum observatio. Ubi autem mandatorum observatio, ibi carnis quoque purgatio : quæ quidem caro hoc est animæ, quod soli nubes, tenebris scilicet eam obducens atque obscurans, nec divini radii splendorem pure intueri sinens. Porro ubi animæ purgatio, quæ virtutibus comparatur, illic etiam scientiæ illuminatio, post piam sempiternarum rerum disquisitionem elucet, ad Dei cognitionem animam evehens, ipsiusque desiderium rei omnium summe expetendæ affigens, hoc est, Deo, qui et in maximis est, id est, in tribus personis, et in maximo, propter substantiæ et divinitatis unitatem, et magnitudine omni superior est, quia nec quantitate, nec amplitudine, nec magnitudine circumscribitur : *Magnus* enim, inquit, *Dominus et laudabilis valde, nec magnitudinis ejus finis est* [8].

Col. 343 B. *Quocirca se quemque prius purgare oportet*, etc. Hæc, inquit, cum se ita habeant, adhibenda prius est per virtutem in actione positam purgatio, atque ita ad contemplationis puritatem eundum, id est, divinam scientiam et doctrinam : nisi nobis idem accidere velimus, quod Israelitis accidit. Scriptum enim est in Exodo : *Viderunt filii Israelis Mosem, faciemque ipsius glorificatam, timueruntque ad eum accedere. Idcirco velamine faciem suam obduxit, atque ita cum ipsis versabatur* [9]. Quemadmodum igitur Israelitæ, quamvis Mosis vultum cernere cuperent, tamen propter splendoris radios ex eo manantes, suamque infirmitatem, eum intueri non poterant : ad hunc quoque modum quicunque ex nobis per morum probitatem egregiasque actiones animos non perpurgarint, cum Deo et theologia frustra commercium habere conabuntur. Rursus de Manue in libro Judicum hæc memoriæ prodita sunt [10], eum, cum Israelis judex esset, humanitatisque officia erga hospites studiose coleret, angelum quasi unum quempiam e plebe hospitio excepisse, cumque ignis e petra et mensa emicans cibos ipsis appositos devorasset, atque angelus a conspectu ipsius se subduxisset, in eam opinionem venisse, ut Deum a se visum esse existimaret, uxoremque ita allocutum esse : *Perimus, uxor, Deum vidimus.* Quemadmodum igitur Manue, Sampsonis pater, Deum videre sibi visus est, cum tamen non viderit : ita qui purgati non fuerint, theologiam quidem, hoc est, divinitatis cognitionem, imagine concipient, ipsam tamen non videbunt : imo potius simulacrum quoddam ipsius intuentes ac percipientes animo trepidabunt, ac dicent : Periimus, quod videlicet ne obscuram quidem illius formam sustinere queant. Ad hæc quemadmodum Petrus vim efficaciamque divinitatis non ferens, Jesum a navigio arcebat, ut narrat evangelista [11] : ita qui animo nondum purgato theologiam suscipit, a mente sua eam amolitur, vim ipsius non ferens. Quemadmodum insuper Paulus, ut Lucas in apostolorum Actis narrat [12], cum acceptis a pontificibus litteris Hierosolyma Damascum contenderet, ut Christianos persequeretur atque opprimeret, simul atque ipsi iter facienti exiguus Christi, veri luminis, radius objectus est, statim aspectu orbatus est, quod a persecutionis piaculo lustratus ante non fuisset, quam cum eo, quem persequebatur, in colloquium veniret : eodem modo qui divino timore purgati non fuerint, sed animo impuro et sordido ad contemplationem accesserint, plus ex ea re detrimenti et dispendii, quam utilitatis et compendii accipient. Quemadmodum denique dicebat Centurio : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum : sed dic verbo, et sanabitur puer meus* [13] (hoc porro dicebat, curationem pueri requirens, medicum autem propter pium et laudabilem metum in domum suam non admittens) : sic etiam ipsi theologiam quidem expetent, verum Deum ipsum in animum haudquaquam excepturi sunt.

Ibid. C. *Proinde dicat quoque ex nobis quispiam*, etc. Quandiu, inquit, quispiam nostrum centurio est, hoc est, multos in vitio superans,

[6] Sap. I, 4. [7] Psal. CX, 10. [8] Psal. CXLIV, 3. [9] Exod. XXXIV, 30 35. [10] Judic. XIII, 1 seqq.
[11] Luc. V, 8. [12] Act. V, 1 seqq. [13] Matth. VIII, 8.

Digitized by Google

quemadmodum ille in militari præfectura centum militibus præerat, ac diabolo, scleratorum hominum scelerumque mundi principi servit, hac oratione utatur : Non sum dignus qui divinitatis doctrinam excipiam. At posteaquam humanitatem Christi pereceperit, hoc est, eam virtutem, quæ in agendo versatur, assecutus fuerit, ac supra sycomorum scipsum extulerit, id est, supra carnis affectum, quem membra, quæ super terram sunt, vocat Apostolus [15], utpote terrenarum rerum studio addictum, ac circa eas sese volutantem, ac corpus humilitatis humi provolutum. Quemadmodum enim sycomorus sterilis atque infrugifera quædam arbor est atque depressa, sic etiam carnalis affectus. Quocirca qui eum fugerit, ac velut marcore affecerit, carnisque voluptates oppresserit, contemplationem, hoc est, divinitatis doctrinam, activa virtute jam comparata, suscipiat, atque audiat : *Hodie salus huic domui*, hoc est, omnibus animæ partibus : nec solum ea quæ habet tueatur, verum ad majora etiam et sublimiora contendat, ac præclare spargat quæ scelerate collegit, sive pecunias, sive dogmata, resque, et animi sensa, divinitatis doctrina parum digna, effundat. Idem enim Verbum historico quidem sensu Deus, anagogico autem divinitatis doctrina, et indignis formidolosum est propter naturam suam : *ignis enim consumens est*, ut ait Scriptura [16], et propter benignitatem capta facile, iis utique, quos non dicam dignos (proprie enim nemo eo dignus est), verum qui ad ipsius exceptionem ita se præpararunt, ut illi, qui quidem crasso et improbo spiritu ex spirituali animæ suæ domo expulso, eaque scopis mundata, hoc est, studiose purgata atque ornata, nequaquam otiosam eam atque inertem reliquerunt (ne reversus impurus dæmon facilius simul ac tutius in eam immigret, utpote cum septem spiritibus redieus, qui quidem septem virtutis spiritibus adversantur, hoc est, Spiritus sancti donis, quæ ab Isaia recensentur [17], nempe Spiritus fortitudinis, consilii, prudentiæ, timoris Dei, pietatis, sapientiæ, et scientiæ), verum ad vitii fugam virtutis cultum adjungunt (juxta illud : *Declina a malo, et fac bonum* [17]. Utrumque enim necessario requiritur, nimirum animæ purgatio, ut impurus vidis spiritus in fugam se conjiciat, et virtutis accessio, ut bonus spiritus in domum inducatur, ac locus impleatur, et virtute cumuletur) ; totum Christum, vel certe quam maxime fieri potest, admittentes, ne diabolus rediens, ac locum aliquem vacuum offendens, eum impleat, pernicioseremque ex animis nostris officinam sibi efficiat, violentiusque excurrat, atque occupatam domum tutiori præsidio muniat [18]. Quod enim difficilius expugnatur, id, cum semel captum est, et jucundius possidetur, et studiosius diligentiusque custoditur.

Col. 346 A *Posteaquam autem anima nostra*, etc. Si divinitus illustrari gestis, faciendum tibi prius est, ut, quemadmodum Salomon monet : *Omni custodia serves cor tuum* [19], ascensionesque in corde tuo disponas, Davidi morem gerens [20], profectum Deo gratum, atque ad majora progressionem et ascensum a te postulanti ; ac de Jeremiæ consilio et sententia [21], novalia tibi ipsi innoves, animæ tuæ facie complanata, vitiosisque spinis extractis et evulsis. Quod ubi abs te factum fuerit, jam ad justitiam fere, ac tum demum scientiæ lumine, sicut est apud Oseam [22], collustrari poteris. Quandoquidem *In malignam animam non intrabit sapientia* [23]. Cum autem ipse sapientia instructus ac divino splendore perfusus fueris, tum vero aliis quoque, ut ait Apostolus [24], Dei sapientiam loquere, de Deoque dissere : ac tum etiam mystice et circumspecte ea quæ apud vulgares homines, hoc est, minime purgatos, abscondita sunt, discute. Ac luminare in mundo factus, et fulge ipse, et alios illustra. Interim vero, id est, quousque ad supernum illum fulgorem perveneris, teipsum præpurga, ac Verbo præpara et præcinitia, et velut præexerce (sacrarum siquidem rerum doctores initiandi vim habent) ut teipsum primum beneficio afficias. Quod quidem futurum est, si non solum te ita compares, ut Deum excipere, sed aliis quoque ipsum proferre atque ostendere merearis.

Ibid. B. *Quoniam autem sermone theatrum repurgavimus*, etc. Quoniam, inquit, sermone, quem de festo habuimus, auditorium præparavimus, atque attentos auditorum animos reddidimus, age, de festo quidpiam disseramus. Et quoniam primarium ac præcipuum festi caput, Dei est memoria divinitatisque pertractatio, Dei proinde memoriam celebremus. Nam quod ait David : *In voce exsultationis et confessionis sonus festum agentium* [25] ; et rursus : *Quasi lætantium hominum habitatio in te* [26], nihil aliud hic sonus est, quam Dei laus, quæ ab iis prædicatur, qui sempiterno illo gaudio digni habiti sunt. Quod si ea quæ in oratione de Nativitate dixi, nunc quoque repeto, nihil mirum erit. Nam, ut Platonis verbis utar, eadem de iisdem rebus loquar, id est, de tribus personis. Nam in aliis quidem rebus ac tractatibus, orationis varietatem et copiam studiose affectare præstiterit : at in ea disputatione, quæ de Deo suscipitur, expressissima et efficacissima verba arripienda, et consertis, quod aiunt, manibus retinenda sunt : etiamsi identidem eadem verba mihi repetenda sint. Quoniam enim lubrica, et periculosæ aleæ plena est divinitatis tractatio, Deusque natura formidabilis est et incom-

[15] Coloss. III, 5. [16] Deut. IV, 24. [17] Isa. XI, 2, 3. [17] Psal. XXXVI, 27. [18] Luc. XI, 21 26. [19] Prov. IV, 23. [20] Psal. LXXXIII, 1 seqq. [21] Jerem. IV, 1 seqq. [22] Osee, X, 12. [23] Sap. I, 4. [24] I Cor. II, 6. [25] Psal. XLI, 5. [26] Psal. LXXXVI, 7.

Digitized by Google

prehensibilis, idcirco, quoties mihi de Deo disserendi necessitas incumbit, tum lingua contremisco, tum mente, quæ primis notionibus sublimioribusque, quam ut argumentationibus confirmari queant, institutas materias arripit, tum cogitatione etiam perhorresco, quæ argumentorum causas a mente accipiens, mentis agitationes considerat velutque distribuit. Atque, ut ipsi quoque contremiscatis, opto. Horroris enim affectus hoc loco laudem meretur, ac timor hic beatus. Deum porro cum dico, triplex unumque lumen tibi animo propone : triplex quidem, quantum ad hypostases, ut Orientales dicebant, vel, ut Itali, personas; unum autem, quantum ad substantiam et adorationem divisionis omnis expertem. Etenim dividitur quidem (7) propter tres personas : cæterum, indistinctim propter divinitatis unitatem : ac rursus connectitur quidem propter divinitatis identitatem, distinctim autem propter personarum trinitatem. Unum enim in tribus divinitas est, et tria unum, ea in quibus divinitas est, vel potius quæ divinitas sunt, ut magis proprio et exacto verbo utar, ac ne cuiquam a me occasio suspicandi detur, divinitatem aliud quiddam esse præter hæc, aut compositio ulla in simplicibus excogitetur : tum etiam quia divinitas personis quodammodo coessentiata est. Excessus autem ac defectus missos faciamus, nec plures personas tribus confitentes, nec pauciores. Vel, nec excedentes, ut Arius, cum tres naturas inducit (una enim est); nec deficientes, ut Sabellius, unam personam affirmans, cum tres sint. Nec unione confusionem facientes, personas scilicet non dividendo (hoc enim est confusio), quemadmodum fecit Sabellius, tres personas in unam contrahens atque permiscens. Nec divisione sejunctionem efficientes, substantiam videlicet non contrahendo (hoc enim sejunctio est), quo prorupit Arii audacia, cum divinitatem in tres naturas a se invicem alienas divisit.

Ac Sabellismus quidem Judaismum refert, nimirum unam trium hypostasin statuens, remque unam varia nomina habentem esse dicens, Patrem et Filium et Spiritum sanctum ; Arianismus autem cum ethnicismo convenit, utpote per trium naturarum assertionem deorum multitudinem invehens. Et, quemadmodum ait magnus Dionysius Romanus, Ariani cum Sabellii sententia ex diametro pugnant. Sabellius enim eumdem esse Filium et Patrem impie asserit, et contra eumdem Patrem et Filium ; Ariani autem tres deos quodammodo prædicant, sanctam unitatem in tres personas inter se alienas ac prorsus separatas dividentes. Divinum enim Verbum Deo rerum universarum unitum esse necesse est, ac Spiritum sanctum in Deo inesse, ac postremo divinam Trinitatem in unum Deum

A rerum omnium Dominum atque omnipotentem, quasi in apicem quemdam et fastigium colligi contrahique omnino necessarium est. Nam hac ratione nobis divinæ Trinitatis doctrina et sancta unitatis prædicatio constabit. Sed videamus quid significet, ex diametro. Diameter in circulis est quædam recta linea, quæ, per centrum ducta, in utramque partem terminatur, atque in duas æquas partes circulum secat, diameter dicta παρὰ τὸ διαμετρεῖν τὸν ὅλον κύκλον εἰς ἴσα δύο μέρη, id est, quod totum circulum in duas partes æquales dimetiatur. Sola enim hæc linea id efficit. In quadrangulis autem, vel etiam in quadrilateris figuris, diameter est quædam recta linea ab angulo ad angulum ducta, in duas æquales partes spatium scindens. Quare ea ex diametro opposita dicuntur, quæ multum B inter se distant, quoniam, tam in circulis quam in quadrangulis aut quadrilateris, nulla major est sectio quam ea quæ per diametrum fit. Quandoquidem igitur, et Sabellii contractio, et Arii divisio, unitatis ac multitudinis inter se rationem habent, ex diametro quidem inter se opposita sunt hæc mala, hoc est, maxime contraria, verum impietate paria, utpote æque perniciosa : malum enim utriusque æquale est, tametsi in contrariis reperiatur. *Nobis autem*, ut cum Apostolo loquar, *unus Deus Pater, ex quo omnia, unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et unus Spiritus sanctus, in quo omnia* [27]. Hæc autem tria, nempe: *Ex quo*, *per quem* et *in quo*, C naturas et substantias minime scindunt, quemadmodum hæretici blaterant, Patri *Ex quo* assignantes, Filio *Per quem*, et Spiritui sancto *In quo*. Nam si hæc, ut ipsi opinantur, naturas separarent, nequaquam ab uno loco in alium locum transirent hæ præpositiones *ex*, *per* et *in*; verum de Patre semper diceretur, *Ex quo*; de Filio autem, *Per quem*; et de Spiritu sancto, *In quo*. Atqui inter se mutantur. Ostendemus enim nec Patrem illud *Ex quo* accipientem, Filio *Per quem* reliquisse; nec rursus Filium ab harum particularum communione, *Ex quo*, et *Per quem*, Spiritum sanctum arcere. Nam et de Patre dicitur *Per quem : Fidelis* enim, inquit, *Deus per quem vocati sumus ad participationem Filii sui* [28]. Et de Filio, *Ex quo*; in D Epistola enim ad Colossenses ad eos, qui Unigeniti cognitione carebant, dictum est : *Non tenens caput*, id est, Christum, *ex quo omne corpus per commissuras et compagines subministratum crescit in augmentum Dei* [29]. Et rursus eodem modo de Spiritu sancto, *Ex quo* dicitur. *Qui enim*, inquit, *seminat in Spiritu, ex Spiritu metet vitam æternam* [30]. Atque etiam de eodem *Per quem* dicitur : *Nobis enim*, inquit, *Deus per Spiritum revelavit* [31]. Eadem et de syllaba, *In*, dicere possumus, quam etiam Scriptura, de Patre verba faciens, admittit : *In Deo enim*, inquit, *qui omnia creavit* [32]. Atque ad hunc

[27] I Cor. VIII, 6. [28] I Cor. I, 9. [29] Coloss. II, 19. [30] Galat. VI, 8. [31] I Cor. II, 10. [32] Ephes. III, 9.

(7) *Dividitur quidem.* Id est, contraria inter se conjuncta sunt, quod mirum est : nimirum divisioni unitas, et conjunctioni divisio : ita ut nec divisio unione careat, nec rursus unio divisionis sit expers. Hæc in codice Reginæ interpretationi Nicetæ confuse inserta ad calcem rejicere libuit.

Digitized by Google

modum has præpositiones nonnunquam immutari demonstravimus. Sequitur jam ut ostendamus ipsum quoque nominum ordinem aliquoties inverti atque transponi, nec Patrem semper primo loco numerari, Filium secundo, et tertio Spiritum sanctum : sed etiam permutato atque inverso ordine, ut in illo Apostoli loco : *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei Patris, et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis* [33]. Et rursus : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus : et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus : et divisiones operationum sunt, idem autem Deus* [34]. Et quomodo in his locis ordo nominum inversus sit. Enimvero hæretici, *Ex quo*, de causa dici affirmant : *Per quem*, de organo ; *In quo*, de loco ; atque hinc colligunt, quod quemadmodum alia causæ natura est, alia organi, atque alia loci, ad eumdem quoque modum alienus, quantum ad naturam, est Filius a Patre (quandoquidem et organum ab artifice), alienus item Spiritus sanctus : quatenus, et loco, et tempore, ab organorum vel artificum natura separatus est. At nos his propositionibus non separari naturas dicimus, sed potius notari atque exprimi, uniusque naturæ proprietates declarari. Idque ex eo perspicuum est, quod tres hæ propositiones de uno Christo complexim expressæ reperiuntur : siquidem Pauli ad Romanos Epistolam haudquaquam perfunctorie quispiam legerit, in qua ita scribit : *Quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnia* [35]. Ex ipso enim res omnes essentiæ suæ causam habent secundum Dei et Patris voluntatem, et per ipsum omnia permanent et conservantur, utpote quia omnia creavit, omnibusque rebus a se procreatis, ea quæ ad salutem conveniunt, admetiatur. Ac proinde ad eum omnia se convertunt, ardenti quodam desiderio atque ineffabili amore, ad vitæ Auctorem rerumque necessariarum subministratorem oculos convertentia.

A licet non post Patrem. Spiritus sanctus vere spiritus est. Sanctus autem adjectum est, ut divinus Spiritus ab iis distinguatur, qui simpliciter spiritus vocantur, nimirum ab angelo et animo, atque aereo flatu. Vere autem additum est, ut ostenderetur cum solum proprie sanctum esse, cætera autem gratia et communicatione. Nam creaturis aliunde inducta est sanctificatio. Spiritus autem sanctitas naturam explet. Et quemadmodum unus Pater, et unus Filius, ita et unus Spiritus sanctus. Ac proinde a natura creata tantum remotus ac sejunctus est, quantum simplicem et absolutum numerum a compositis diremptum esse par est : rursus Patri et Filio tantum unitus est, quantum unitas ad unitatem cognatione juncta est. Nec vero hinc B solum societatis et communionis naturalis argumenta ducuntur, sed etiam quia ex Deo esse dicitur, non quemadmodum omnia ex Deo sunt, verum ut ex Deo prodiens, non generationis modo, ut Filius, sed progressionis, ut *Spiritus oris ejus* [37]. Quo certe loco nec per os membrum intelligendum est, nec per Spiritum flatus quispiam evanescens : verum et os, ut Deo dignum est, accipere debemus et per Spiritum substantiam vivam intelligere. Nec vero ita argutentur hæretici : Si genuit Pater, ingenitus esse desiit. Ingenitum enim oportet, non modo a nullo genitum esse, sed nec ullum quoque genuisse. Neque item eodem modo de Filio disputent : Si ex ingenito Patre genitus est, γεννήσεως, id est, generationis nomen amisit. Necesse enim C est genitum, et genitum esse, et a Patre genito. Nec postremo de Spiritu sancto ad huuc modum disserant : Aut ingenitus est, aut genitus. Si ingenitus, Pater fuerit : si autem genitus, ergo Filius. Verum os ipsis obstruatur, ut stulte atque inepte cavillantibus. Nam nec Pater eo ingenitus esse desiit, quia genuit (ingenitus enim dicitur, ut nunquam genitus, non autem quod minime genuerit). Nec Filius genitus esse destitit, quia ex ingenito genitus sit (genitus enim est, non ut ex genito Patre genitus, sed ut solum genitus). Nec denique Spiritus sanctus, aut in Patrem aut in Filium concessit (nec enim ingenitus, et genitus ex eorum numero sunt, quæ medio carent, ut alterum D horum Spiritui necessario tribuendum sit). Verum inter ea medium aliquid interjectum est, nempe processio. Procedit itaque Spiritus a Patre. Quod si procedit, utique ab ipsius natura et divinitate non est separatus, sed et est, et manet Deus. Pater pater est, et Filius filius, et Spiritus spiritus. Uniuscujusque enim harum trium personarum proprietas transmoveri non debet. Nam si loco suo mota ad alium transiret, non jam proprietatis nomen tueretur. Duplex autem est, proprietas altera naturæ, altera personæ. Ac naturæ quidem proprietatem ad tres personas sese moventem et effundentem reperire est, velut increatum, sempiternum,

. Col. 347 B. *Pater pater est, et principii expers*, etc. Quoniam Eunomiani paternitatis nomen improprie Patri adhiberi dicebant, non propter relationem ad Filium, sed, ut in creaturis, propter effectricem scientiam ; idcirco, ait Theologus, Pater pater est, hoc est, vere Pater, ut qui Filium genuerit, et principii expers ; neque enim ex quoquam, neque a seipso, neque ab altero ortum habet. Nam qui vere solus pater est, ex nullo altero est. Ac rursus Filius, filius est, non, ut creatura, nomen istud consecutus, juxta illud : *Filius primogenitus meus Israel* [36]. Nam hoc loco dictio Filii non ut creatura accipienda est : sed proprie Filius, atque a Patre suo genitus : qui etiam, quantum ad temporis principium, principio caret. Nam qui omnia creavit, utique et tempora. Temporum autem Creator profecto tempori nequaquam subest. Atque etiam principium habet, quatenus ex Patre est,

[33] II Cor. XIII, 13. [34] I Cor. XII, 4-6. [35] Rom. XI, 36. [36] Exod. IV, 22. [37] Psal. XXXII, 6.

Digitized by Google

Omnipotens, cæteraque ejusdem generis. Personæ vero proprietatem nullo modo moveri profitemur, ut ingenitum, genitum, et procedens. Hæc enim personarum sunt proprietates. At vero Eunomiani, ingeniti ac geniti rationem diversarum naturarum proprietates esse contendentes, Patrem quidem proprie Deum nominant : Filium autem et Spiritum, nominis solius, non autem ejusdem essentiæ consortio, cum eo conjunctos esse astruunt. Nam cum Pater ingenitus sit, inquiunt, nec quemquam giguet. Quod si Pater non giguit, ut delirant Eunomiani, profecto nec Filius paternæ naturæ particeps exsistit, utpote a Patre minime genitus ; verum æquivoce Deus dicitur, hoc est, solum Dei nomen habet, non autem rem ipsam. Qui mihi sane eadem ratione dicturi videntur, quoniam Adamus quoque ex carne genitus non est, sed a Deo effectus, Seth autem ex Adami cum Eva congressu procreatus est, idcirco eos naturæ diversitate inter se disjunctos esse. Quod si in una atque eadem humana natura et ingenitum et genitum reperiuntur, quanto magis in divina.

Col. 347 C. *Unus igitur Deus in tribus*, etc. Unus igitur, inquit, est Deus in tribus personis, et tres personæ unum sunt, quoad divinitatem. Quoniam autem hæc se ita habent, hoc est, hæ personæ, vel hoc potius, id est divinitas, neque angelis solis, qui superni sunt spiritus, definitam atque circumscriptam esse Dei adorationem oportebat, sed et in terra quoque nonnullos esse, qui eum adorarent, ut omnia ipsius gloria implerentur ; quippe cum res omnes creatæ Dei sint (*Omnia* enim, inquit [38], *serviunt tibi*), eam ob causam homo creatur, nempe ut sic quoque Dei gloria celebretur. Duplex enim creationis hominum causa fuit, altera antecedens, bonitas scilicet Dei, altera finalis, nimirum Dei gloria. Quoniam autem a divina misericordia alienum erat hominem per peccatum a Creatore suo separatum negligere, ideo innovantur naturæ : divina enim humanam nativitatem subire sustituit, nostra autem animatam carnem spiritualiter genito Verbo protulit. Quodque magis mirandum est, nec virginitatis lex per procreationem ullo modo imminuta est. Adhæc innovantur naturæ, divina enim humanam assumpsit, humana autem divinitate affecta est : atque infinita quidem a finita comprehensa est, finita vero infinitæ annexa : ac denique adurens natura crassam et materia constantem assumpsit ; crassa et carnalis adurentem sine ullo detrimento accepit. Nova enim illa res, quæ in Christo eluxit, non in hoc duntaxat sita est, quod is qui sine principio jam ex Deo genitus erat, ortu quoque temporali secundum carnem genitus sit : sed in eo etiam, quod nostra natura carnem nullo prius jacto semine dederit, ac Virgo sine pudicitiæ actura pepererit. Cumque naturarum earum, circa quas novo exemplo aliquid edebatur, adjiciendæ essent species, alteram explicavit Theologus noster, dicens, Deus homo fit ; alteram vero prætermisit, nimirum quod homo quoque Deus efficiatur, ut perspicuam et consequentem. Nam si Deus homo efficitur, procul dubio et homo Deus. Quando quidem indubitatum est, propter hoc, illud quoque factum esse. Et qui secundum gloriæ suæ et splendoris orientem ad primum cœli secundi cœlum ascenderat, ille in hujusmodi oriente adeo sublimis et excelsus, quemadmodum cecinit David [39], in occasu, hoc est, in nostra utilitate atque abjectione gloriose celebratur. Oriens enim, Divinitatem principii expertem, quæ lux sempiterna est, significat. Ascensus autem in occasu, consuetudinem societatemque cum humana paupertate initam, quæ quidem, si cum superno splendore conferatur, occasus rationem habet, ac noctis similitudinem refert. Nulla enim inter utramque naturam comparatio erat, priusquam ambas summus ille artifex in seipso conjunxisset. Ac Divinitas quidem per Orientem designatur, utpote altum et excelsum : quoniam, cum sol oritur, in sublime fertur et extollitur. Occasus autem, ut humilis ac depressus, carnem significat : quoniam sol in occasum vergens deprimitur, ac deorsum fertur. Porro in occasu quoque Dominus magnifice et gloriose celebratur. Gloriæ enim ipsi cessit humilitas illa quam in humanitate assumenda præstitit, bonitatem ipsius perspicuam atque illustrem reddens. Jam vero Dei Filius, Filius hominis factus est, non mutationis, sed assumptionis ratione. Mansit enim id quod erat, et quod non erat, assumpsit. Nam cum eam esse naturæ nostræ infirmitatem perspiceret, ut ex seipsa rerum omnium auctorem et effectorem cognoscere non posset (quoniam ipse ingenitus est, nos autem, cum prius non essemus, facti postea corporeque effecti sumus), idcirco haud abs re Verbum, Patris imago exsistens, mortale corpus accepit, ut mors quoque in eo funditus exstingueretur, atque homines ad imaginem Dei creati denuo instaurarentur ac renovarentur. Quemadmodum enim si forma quædam in ligno depicta externis sordibus obsita et oblitterata fuerit, rursus eum, cujus imaginem refert, adhiberi necesse est, ut ea instaurari queat : ad hunc quoque modum Christus, Patris imago, ad nostra hæc loca accessit, ut hominem ad similitudinem suam effictum instauret, ac de hominibus bene mereri cupiens, ut homo, ad nos peregre se confert. Nam cum semel hominum mentes ad sensilium rerum studium prolapsæ essent, Verbum sese per corpus spectandum objecit, ut homines sensusque eorum ad se quoque hominem traducat, atque convertat, ac per ea quæ gerit hominibus, ipsum, ut hominem intuentibus, fidem faciat, se non hominem solum, sed etiam Deum esse. Visus est igitur, ac carne quasi velo quodam et integumento interjecta, nobiscum versatus est. Puram enim ac simplicem

[38] Psal. CXVIII, 91. [39] Psal. LXVII, 34.

Digitized by Google

illius divinitatem procreata et corruptioni obnoxia natura haudquaquam ferre poterat. Idcirco, quæ mistionem nesciebant, miscentur, velut creaturæ creator, et opus artifici (adeo ut unus idemque et creator et creatura, et opifex et opus, exsistat) et carni mens jungitur, hoc est, homini Deus. Quoniam enim diabolus nos falsa divinitatis adipiscendæ spe, tanquam illecebra quadam lactatos, in fraudem induxerat, ac mortis hamo transfixerat, ob eamque causam nullis jam viribus frangi se ac labefactari posse existimabat : idcirco Christus divinam potentiam carne, non secus atque hamum esca, obduxit. Atque hac carne Satanas illicitur ut, dum quasi in Adamum impressionem facit, eumque sibi in escam cessurum sperat, in divinitatis hamum incidat, sicque cladem, veteris Adami culpa contractam, novus Adamus victoria sua sarciat, collapsosque et jacentes excitet, atque, ut Apostolus loquitur [40], capitalis sententia in Adami carnem peccato constrictam pronuntiata, per Christi carnem nulla peccati labe vitiatam rescindatur, ac mors per carnis resurrectionem exstinguatur. Ipsa enim hominum generi redivivæ vitæ atque immortalitatis principium est.

Col. 350 B. *Ac Christi quidem nativitas*, etc. Factum est a Christo, ut stella corporis sui nativitatem indicaret. Conveniebat enim ut Verbum e cœlo descendens cœlesti quoque indicio proderetur. Porro sideris cursus creaturarum adorationem significabat. Magi autem gentium ad fidem accessum, idololatriæque oppressionem. Simeon vero is commode dici possit, qui pie ac religiose divinum et de Deo pertractantem sermonem complectitur, purisque animæ oculis eum agnoscit. Rursus per Annam confitentem, hoc est, gratias agentem, anima prudentiæ virtute senex, et quantum ad dogmata, quæ de Deo instituuntur, pudica, temperantiæque laude clara, intelligi possit. Jam vero, ut apud Joannem scriptum est : *In propria venit* [41] Dominus, hoc est, in hunc mundum, qui ipsius creatura est. Alieno autem more venit, utpote in aliena natura, nimirum humana : et peregrinum gloria affecit, id est, hominem, accolam terræ, atque a paradiso exsulantem. Nunc autem aliud Christi facinus, aliudque festum. Atque ego lætum nuntium profero, etsi non præcursor, ut Joannes, a solitudine tamen veniens, atque a Pontica quiete ad amplissimam hanc urbem. Christus illuminatur : simul illustremur, nimirum divino lavacro, vel etiam sermone purgati, ac per eum splendescentes. Tria porro hic expendenda sunt, primum quod Christus, quamvis ab omni vitiorum contagione purus, baptizatur : ut ea re nobis documento sit, præparationem ante baptismum necessario adhibendam esse, atque habitum quemdam virtutis comparandum, ac tum ad baptismum accedendum : ut per virtutis habitum veniam, quam accepimus, in tuto collocemus, eamque sartam tectamque habeamus, ac non more canum ad vomitum nostrum revertamur, quod Salomon nobis cavendum admonet [42]. Alterum, quod a Joanne tingitur, ut modestum atque humilem animum gerere condiscamus, nec adversus magistrum pietatis doctrinam nobis promulgantem insurgere, nec adversus sacerdotes, quos Dei mysteriorum dispensatores vocat Paulus [43], audacius insolentiusque efferri, si quadam dignitate præcellamus. Tertium denique, quod tricesimo anno baptizatus est, quo etiam tempore miracula sua exorsus est : ut discamus juventuti non conflictare, nec quovis tempus instituendæ plebi, ac regendæ Ecclesiæ idoneum existimare, nec ante lanuginem senes docere, aut credere, hoc est, prælidere, ac putare nos ipsis docendis pares esse posse. Quin potius adulta et plena, tam corporea quam spiritali ætate ad docendum accedamus, nec Danielem aliosque nonnullos, juvenili ætate judicum munere functos, in medium proferamus : nec, quod Demosthenes ait, quidvis faciamus, ac prætextus et excusationes confingamus, ut injustitiæ opinionem a nobis ameliamur. Neque enim quisquam unquam, iniqne et injuste aliquid faciens, peccati confessionem sibi exprimi passus est. Ne ipse quidem ignarus sum, Danielem ineunte ætate de Babylonicis illis senibus judicium tulisse. Verum unus ille est. Quod autem rarum est, id Ecclesia pro lege non habet. Nam nec una hirundo ver facit, ut inquit Aristoteles, nec si quis lineam unam duxerit, aut semel navigarit, idem protinus geometra, vel nauta dicendus erit.

Col. 351 B. *Cæterum baptizat Joannes ; Jesu accedit*, etc.] Christus, inquit, ad Baptistam accedit, ut ipsi quoque sanctitatem afferat, Adamique vetustatem, hoc est, peccatum expurget, priusque etiam Jordanem ipsum sanctitate imbuat. Per Jordanem enim omnes quoque aquas sanctitate affici oportebat, vimque ad purgandos ac spiritualiter initiandos homines accipere. Quemadmodum enim duplicem naturam habet Christus (spiritus enim et caro est, hoc est, Deus et homo), sic etiam per aquam et Spiritum homines lustrat ; illam, inquam, sensibili modo acceptam, hunc autem invisibiliter advenientem. At vero Joannes Jesum venientem admittere detrectat, atque ait : *Ego debeo a te baptizari* [44], atque adeo pro te. Illud enim norat Joannes, fore ut pro Christo atque ipsius lege martyri sanguine ablueretur, nec pedibus solum, ut Petrus in pelvi, purgaretur, sed et capite, et toto denique corpore. Prophetico item spiritu afflatus hæc verba adjiciebat : *Et tu venis ad me* [45]. Quæ verba per enuntiationem, ac non per interrogationem legenda sunt. Nam illud quoque fore non dubitabat, quin, ut Præcursoris et præconis munere apud Judæos functum, ita ad eos etiam qui in inferno erant, functurum Christus sequeretur : Christus, inquam, qui primogenitus omnis creaturæ

[40] I Cor. xv, 57. [41] Joan. i, 11. [42] Prov. xxvi, 11. [43] I Cor. iv, 1. [44] Matth. iii, 14. [45] Ibid.

Digitized by Google

ab Apostolo vocatur [46], utpote qui ex Orci ventre primus ad resurrectionem secundamque vitam genitus est, et per baptismi regenerationem dux et auctor ad utrumque, ac via omnibus mortalibus exstitit. Jam vero Christus apud Malachiam Sol justitiæ et Sponsus nominatur [47] : apud Joannem Verbum [48], quemadmodum et Præcursor Joannes apud eumdem Lucerna [49] et Vox [50] et Amicus Sponsi [51] dicitur. Verum, ut ad rem redeamus, Joannes Jesum submovet; Jesus autem contendit atque instat, baptismum postulans, aitque : *Sine nunc;* hoc enim certa dispensatione fit, ut omnes justitiæ numeros impleam, hoc est, omnia legis præcepta. Hoc autem adverbio, *Nunc*, ideo usus est, quoniam exploratum habebat fore ut, exiguo post tempore, Baptistam per sacrosancti sui verticis contactum et Spiritus sancti adventum abfueret.

Ibid. D. *Jam quid ventilabrum significat? Purgationem*, etc. De Christo in Evangeliis ita scribitur : *Ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et collegit triticum in horreum : paleas autem comburet igni inextinguibili* [52]. Ventilabrum porro purgationem significat, hoc est, divisionem, frugiferum ab infrugifero discernentem, quemadmodum ventilabrum frumentum a palea discernit, ac quidquid leve et ventosum est, excutit : quidquid rursus grave est, in horrea recondit. Ignis autem consumptionem designat, sordes eorum qui purgantur, abolentem, et quod levis et vitiosæ naturæ repurgantem. Levis enim res et arida peccatum, ignem facile concipiens. Per ignem etiam Spiritus fervor significari potest, qui ad virtutis cultum et studium, Deique amorem, ipsius participes inflammat. Sequitur apud evangelistam : *Securis ad radicem arborum posita est* [53]. Securis animæ illius excisionem designat, quæ ita perdite et profligate vivit, ut ne adhibito quidem et injecto salutiferæ medicinæ fimo fructum ullum ferat. Hoc autem sumptum est ex evangelica parabola, in qua agricola precibus a vineæ Domino contendit, ut uno adhuc anno ficum dimittat, ut circa eam fodiat, ac stercus injiciat. Rursus in Evangelio dicit Dominus : *Non veni mittere pacem, sed gladium; veni enim dividere hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam* [54]. Consimile quiddam per Michæam quoque dictum est : *Filius*, inquit, *exhonorabit patrem, filia in matrem suam insurget, et nurus in socrum suam* [55]. Gladius igitur acutum et penetrantem Christi sermonem indicat, hoc est, fidei doctrinam, et prædicationem, fideles ab infidelibus dividentem, novaque et evangelica ac vera adversus vetera et umbratica exempla excitantem. Corrigia autem lorum est calcei. Hoc autem humanitatis a Christo assumptæ consilium ac Verbi cum carne conjunctionem significat, cujus ne extrema quidem et brevissima mysteria facile solvi atque explicari possunt, non dicam ab iis qui in rerum a Christo gestarum cognitione carnales adhuc, et, ut Apostoli verbo utar [56], infantes sunt, sed ne ab adultis quidem atque perfectis, qualis erat Joannes, quam parcissimi ac pene nullius cibi vir : *Venit* enim, inquit, *Joannes Baptista, nec manducans nec bibens* [57]. — *Nove Elia :* Si vultis, inquit, recipere, ipse est Elias, qui venturus est. *Solitudinis alumne. — Quid*, inquit, *existis in desertum videre? prophetam? etiam dico vobis, et plusquam prophetam* [58]. Nam cum cæteri prophetæ Christum tantum venturum cecinissent, Joannes eum quoque oculis perspexit. Jam vero illa e cœlo missa vox Christum cœlitus profectum esse clamat, ipsiusque divinitatem testatur : *Hic est Filius meus dilectus* [59]. Adhæc Spiritus corporeo modo conspectus, atque ut columba ad Christum accurrens, ipsius corpus honore afficit, quod quidem nec natura Deus est (hoc enim dictu absurdum fuerit), nec adoptione : non enim ex progressione et incremento, verum deificatione atque hypostatica unione supra naturam atque adoptionem ex ipsa unione divinitatem assecutum est. Utque columba olim ad arcam reversa, et olivæ festucam ore ferens, sensibilis et corporei diluvii sedati nuntium attulit [60] : eodem modo Spiritus sanctus, nunc in columbæ forma apparens, compressam esse spiritualem illuviem indicat. Quod si hæreticus magnitudinibus et ponderibus, quæ corporum propria sunt, divinitatem æstimandam censet, atque idcirco Spiritum parvum judicat, quod columbæ specie apparuit, faciendum jam ipsi est ut regnum quoque cœlorum aspernetur, quoniam grano sinapis confertur, ac diabolum Christi majestati anteponat, quia de eo Zacharias dicit : *Quis es tu, mons magne, qui es ante vultum Zorobabelis* [61]? Et Jeremias : *Ecce ego ad te, mons corrupte* [62]. Mons autem magnus adversarius noster propter superbiam suam et arrogantiam dicitur. In libro autem Job Leviathan vocatur [63], quod, si interpreteris, idem significabit, quod *rex eorum quæ in aquis sunt*. Christus contra apud Isaiam agnus nominatur : *Tanquam agnus*, inquit, *ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit* [64]. Et apud Joannem : *Ecce Agnus Dei* [65]. Et in Evangelio margarita vocatur, quam bonus negotiator divenditis omnibus suis facultatibus emit [66]. Gutta autem apud Davidem vocatur : *Descendit*, inquit, *sicut pluvia in vellus, et sicut gutta stillans super terram* [67].

Col. 354 C. *Quoniam autem baptismi*, etc. Unum, inquit, baptisma erat, Mosis baptisma in aqua.

[46] Coloss. I, 15. [47] Malach. IV, 2. [48] Joan. I, passim. [49] Joan. V, 35. [50] Joan. I, 23. [51] Joan. III, 29. [52] Matth. III, 12; Luc. III, 16. [53] Luc. III, 9. [54] Matth. X, [55] Mich. VII, 6. [56] I Cor. III, 1. [57] Matth. XI, 18. [58] Luc. VII, 16. [59] Matth. III, 17. [60] Gen. VIII, 8-11. [61] Zachar. IV, 7. [62] Jerem. LI, 25. [63] Job. XL, 20. [64] Isa. LIII, 7. [65] Joan. I, 29. [66] Matth. XIII, 45 seqq. [67] Psal. LXXI, 6.

Digitized by Google

Hanc enim legem sanxit : Si quis mortuum aut leprosum contigerit, aut cum ethnico comederit, aut ullam aliam sordem contraxerit, aqua ad vesperam repurgetur [68]. Atque ante legem etiam Israelitas in nube et mari baptizavit [69], eorumque sitim aqua ex petra scaturiente restinxit, et manna famem sedavit [70]. Erat autem petra mystico sensu, velut Paulo quoque placet, Christus, et petræ aqua, vitalis Verbi vis et facultas (*Si quis* enim *sitit*, inquit, *veniat ad me et bibat* [71]), et manna vivum panem adumbrabat. At vero mare et nubes, in præsens quidem animos hominum rei admiratione perculsos ad fidem inducebant : in futurum autem affulsuram gratiam per figuram indicabant. *Quis sapiens, et intelliget hæc* [72] ? quo pacto mare baptismum designabat, Hebræos videlicet a Pharaone disjungens, quemadmodum et hoc lavacrum nos a diaboli tyrannide dirimit. Illud hostiles copias aquis obrutas interfecit : in baptismo nostra adversus Deum inimicitia moritur. Illæsus atque incolumis a Pharaone egressus est Israeliticus populus ; eodem modo nos quoque ab aqua ascendimus, quasi a morte ad vitam revocati, ejus qui nos vocavit, gratia salutem consecuti. Jam nubes, beneficii illius, quod a Spiritu accepimus, figuram gerebat : qui quidem Spiritus animi nostri perturbationes opprimit, flammamque ab iis excitatam mitigat et refrigerat. Secundum baptisma fuit, baptisma Joannis, in aqua quidem, et ad pœnitentiam, cæterum non in Spiritu. Tertium, nempe Christi baptisma, perfectum est, quoniam in Spiritu. *Hic est* enim, inquit, *qui baptizat in Spiritu sancto* [73]. Et : *Ipse baptizabit vos in Spiritu sancto* [74]. Is enim, qui baptizandi munere fungi iubet, baptizare dicitur. Quocirca Joannis baptismus puerilis cujusdam institutionis vice erat : Christi autem baptismus perfectionem afferebat. Ille pœnitentiæ : hic adoptionis. Ille secessio erat a peccato : hic adjunctio ad Deum. Quod si Spiritus homines perficit, ac divinitate afficit, quid afferri potest, quin ipse Deus sit ? (libet enim obiter hoc excutere et disputare.) Cumque tu propter Spiritum Deus sis, quo tandem modo Spiritus a divinitate alienus erit ? At profecto divinum Spiritum et ex Deo, et Deum esse necesse est, qui causa est, cur ipsi dii sumus, quemadmodum id, quod adurendi vim affert, adustivum esse oportet : et quod sanctitatis causam affert, sanctum esse necesse est. Illud enimvero scire operæ pretium est, Dominum vitæ nostræ moderatorem baptismi fœdus nobiscum pepigisse, mortis et vitæ figuram complectens. Nam et mortis imaginem exprimit aqua : quoniam ii qui baptizantur, in aquam immerguntur, quodamque modo sepeliuntur : et rursus Spiritus vitæ arrhabonem nobis porrigit. Quartum baptisma illud est, quod martyrio et sanguinis effusione comparatur, quo ipse quoque Christus tinctus est, et de quo dicebat : *Baptismo habeo baptizari, et quo modo coarctor, donec perficiatur* [75] ? Et ad filios Zebedæi : *Potestis bibere calicem, quem ego bibo : et baptismo, quo ego baptizor, baptizari* [76] ? Et quidem baptismus, qui in aqua fit, mortis similitudinem habet : cæterum nonnulli ex iis qui in certaminibus pietatis causa susceptis pro veritate atque imitatione Christi mortis supplicium pertulerunt, nequaquam ad salutem adipiscendam aquæ signis opus habuerunt, utpote in proprio sanguine baptizati. Unde et martyrii baptismus eo nomine alios dignitate antecellit, quod qui martyrio baptizatus est, sequentis vitæ sordes non extimescit. Quintum baptisma longum est et ærumnosum, nempe lacrymarum, quo David quoque baptizabatur, ac proinde dicebat : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* [77]. Et alio loco : *Tota die contristatus ingrediebar* [78]. Et rursus : *Quasi lugens et contristatus, sic humiliabar* [79]. Item : *Ut quid repulisti me, et quare contristatus incedo* [80] ? Et rursus : *Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ* [81]. Hoc autem pœnitentiæ pars est, ac resipiscentiæ signum, cum quis fœtoris peccatorum suorum sensu afficitur. Nam ita demum ea digna exsecratione prosequitur. Idem etiam Manassis conversionem imitatur, quam secundus Paralipomenon liber memoriæ prodidit [82]. Ninivitarum item humilitatis æmulum se præbet, quam Jonas propheta describit [83]. Atque etiam cum publicano dicit : *Deus, propitius esto mihi peccatori* [84]. Ac præterea contrahitur et deprimitur, hoc est, humi procumbit, atque ad pedes advolvitur, ut Chananæa, micasque, id est, exiguam misericordiam, poscit. Sic enim dicebat Chananæa : *Etiam, Domine; nam et catelli edunt de micis quæ cadunt ex mensa dominorum suorum* [85]. Nec tamen existimandum est, eam Chananæam illam fuisse, quæ infirmitate laborabat, ac propterea contrahebatur. Illa enim Judaica erat mulier : hæc autem gentilis. Quam etiam contrahi theologus dicit, hoc est, humiliari atque in terram inclinari, obsecrationis causa, non infirmitatis.

Col. 355 B. *Ipse quidem hominem me esse fateor*, etc. Cum sæviente persecutione quidam Christiani, tormentorum magnitudine victi, ad fidei abjurationem prolapsi essent, ac deinde, sedata persecutionis tempestate, supplices cum lacrymis Ecclesiæ antistites rogarent, ut sibi pœnitentiæ *tempus* darent, Novatus, Ecclesiæ Romanæ presbyter, fastu animique insolentia elatus, miseros *submovebat* : quamvis etiam ipse periculoso tempore sacerdotii dignitatem abjurasset. At episcopus *eos quidem*, qui ad pietatis Christianæ abjurationem provoluti

[68] Levit. XI, 12. [69] I Cor. X, 2. [70] Exod. XVII, 1 seqq. [71] Joan. VII, 37. [72] Psal. CVI, 43. [73] Joan. I, 33. [74] Matth. III, 11. [75] Luc. XII, 50. [76] Matth. XX, 22. [77] Psal. VI, 7. [78] Psal. XXXVII, 7. [79] Psal. XXXIV, 14. [80] Psal. XLI, 10. [81] Psal. XXXVII, 6. [82] II Paral. XXXIII, 1 seqq. [83] Jonæ, III, 1 seqq. [84] Luc. XVIII, 13. [85] Matth. XV, 27.

Digitized by Google

erant, congruis laboribus et salutari pœnitentia certo tempore imperata, recuperavit : Novatum autem ab Ecclesiæ cœtu proscripsit. Ille vero inscientibus omnibus in locum quemdam abditum atque abstrusum tres episcopos ætate provectos allicit, eosque verborum blanditiis inescatos eo adigit, ut manus sibi imponant. Ita ab iis episcopus designatus est. Qua dignitate supra modum elatus, quotquot e stultis ac vesanis hominibus ad se pellicere potuit, Catharos, id est, puros nominavit. Qui autem eamdem opinionem complexi sunt, secundas quoque nuptias prohibuerunt. Ad Novatianos igitur sermonem convertens Theologus, ait : Ego quidem pœnitentiæ et lacrymarum baptismum amplector, atque ejus donatorem Deum adoro, ac sciens me quoque infirmitate undique cinctum et obvolutum esse, misericordia etiam erga alios afficior, ut misericordiam ipse consequar. *Qua* enim, inquit, *mensura mensi fueritis, remetietur vobis*[86]. Tu autem quid ais, qui etiam in somnis obversantem animo libidinis speciem Pharisæorum more graviter insectaris, qui etiam Pharisæi, ac nomen solum Cathari habes, non autem rem ipsam, et, cum eadem mecum infirmitate circumdatus sis, intumescis tamen, velut magnus quispiam vir et excelsus? Pœnitentes non recipis, nec propter eos lacrymas profundis, ut vicem eorum dolens? Absit ut eamdem in judicando rationem teneat Deus! Christi misericordia et ignoscendi facilitate non moveris, qui secundum Isaiam[87] infirmitates nostras et morbos, hoc est, peccata humeris sublata portavit (quemadmodum typicus agnus, qui pro populi peccatis mactabatur), et pro nobis cæsus est, ac pro nobis, supplicio obnoxiis, pœnas luit; qui ait : *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*[88]; ac per Oseam : *Misericordiam volo, et non sacrificium*[89]; et sciscitanti Petro, an septies peccanti fratri noxam remitteret, respondit : *Non dico tibi septies, sed septuagies*[90], hoc est, quoties ad meliorem mentem redierit? Ne Davidem quidem recipis, ob admissi adulterii scelus, et necem Uriæ illatam, animi dolore affectum, ac sese excruciantem, qui nec prophetiæ donum propter pœnitentiam amisit? Nec Petrum admittis, quia passionis Christi tempore ter eum abnegavit, ac rursus tertio se ejus amore devinctum esse confessus est, sicque abnegationi medicinam attulit, ac postea capite ad terram verso pro Christi nomine cruci affixus est? Nec Corinthium illum qui cum noverca stupri commercium habuit[91]? At Paulus, perspecta ipsius resipiscentia, Corinthios hortatur, ut charitatem in ipsum firment; causamque adjungit : *Ne forte hujusmodi homo immodica tristitia absorbeatur*[92], hoc est, in desperationem aut in mortem præceps ruat. Quid? ne secundas nuptias permittis, nec juvenibus viduis nubendi potestatem facis? Atqui hoc Paulus facere non dubitavit, dicens : *Volo adolescentiores viduas nubere*[93], Paulus, inquam, ille, qui ad tertium cœlum atque in paradisum raptus est[94], qui a Jerusalem et per gyrum usque ad Illyricum Christi Evangelium implevit[95]. Ita tu, ut videtur, Pauli quoque magister es, quasi ad quartum cœlum pervolaris, atque in paradisum alium raptus fueris, ad quem ille raptus non fuerit, majoremque circulum Christianæ doctrinæ prædicatione complexus fueris. Verum dices, Novatiane : Hanc pœnitentiam et veniam post baptismum jam locum non habere, aut Corinthium illum, qui stupri piaculo seipsum constrinxerat, a Paulo ante baptismum receptum esse, non item post baptismum. Quin tu ergo hoc probas, aut, si id non potes, condemnare ac rejicere desinis eos qui post baptismum in peccatum labuntur? Quod si dubium est quo tempore receperit, legi Romanæ obtempera, dicenti : In dubiis vincat clementia. Quod si Novatus eos qui grassante persecutione lapsi fuerant, non recepit, et quidem dignam pœnitentiam afferentes : at ego illius exemplum minime sequar. Parem enim mea quidem sententia reprehensionem pœnamque merentur, qui vel peccantes nulla pœna afficiunt, ipsisque omnes habenas remittunt, vel eos ita condemnant, ut spem illis consequendæ veniæ nullam relinquant. Nec vero apud me vim legis habitura est Novati crudelitas, qui stuprum ita acerbe condemnavit, atque inexpiabile peccatum esse pronuntiavit, quasi ipse extra carnem corpusque positus esset : avaritiam autem nequaquam repressit, quam tamen idololatriam Paulus vocat[96], fortasse quod eos solos divitiarum amor doceat, qui Deum nesciunt : vel quia, sicut ethnicus consertis manibus simulacrum amplectitur, ita et avarus aurum annuis et repagulis committit, atque illud quasi sacrum quoddam donarium attrectare minime audet. Quod si quando ad id necessitate impulsus fuerit, haud aliter animo afficitur, quam si nefarii aliquid perpetrasset.

Quid dicitis? An vos his verbis, etc. Quid, inquit, dicitis, o Novatiani? Si oratione nostra permoti estis, state a nobis, qui homines atque ad peccatum proclives sumus, ac proinde aliorum vicem facile dolemus : state, inquam, vos, qui supra hominem, imo inhumani estis, ob idque ex aliorum lapsu angorem non concupitis. Dominum una celebremus, qui pro sua misericordia pœnitentiam nobis concessit; atque Isaiam audientes, dicentem : *Væ qui dicitis, Procul a me recede, ne accedas ad me, quoniam purus sum;* nolite vos, qui puri estis, congressum nostrum, ut impurorum hominum, fugere : quin potius nobiscum stantes, vestræ quoque puritatis nos participes facite[97]. Quod si vos non flectimus, pro vobis, utpote incurabili morbo

[86] Matth. VII, 2. [87] Isa. LIII, 4. [88] Matth. IX, 13. [89] Osee VI, 6. [90] Matth. XVIII, 22. [91] I Cor. V, 1 seqq. [92] II Cor. II, 7. [93] I Tim. V, 14. [94] II Cor. XII, 2. [95] Rom. XV, 19. [96] Ephes. V, 5. [97] Isa. LXV, 5.

Digitized by Google

correptis, lacrymas effundemus. Igni enim sempiterno baptizabimini [98], qui terrenam et crassam materiam tanquam fenum comedit, ut Isaiæ verbis utar, hoc est, crassis et obscenis corporis voluptatibus servientes exurit, atque homines peccato leves et aridos ita excruciat, ut tamen non absumat. Quemadmodum enim in hac vita Christus homines sanctitate dignos in Spiritu baptizat, ita indignos ad ignem transmittit, alienos videlicet a bono spiritui malo tradens. Porro per ignis baptismum examen censuramque extremi judicii intelligit, juxta id quod ait Apostolus : *Uniuscujusque opus, quale est, ignis probabit* [99]. Et rursus : *Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur* [1]. Nos autem Isaiæ consilio pareamus, ad hunc modum loquentis : *Lavamini, mundi estote : et si fuerint peccata vestra ut vermiculus, instar nivis ea dealbabo : si autem ut coccinum, instar lanæ candida* A *reddam* [2]. Virum autem sanguinum David eum vocat [3], qui vitio omni et scelere coopertus est. Perfectum enim viri nomine appellavit : quemadmodum et Paulus : *Quousque perveniamus in virum perfectum* [4]. Jam vero hominis causa omnis doctrina data est, tam legalis quam evangelica, atque omne mysterium, et omnis Christi actio, et festum omne mysticas rationes habens. Purgemini igitur, et quod ait Paulus, *sitis tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ sustinentes* [5]. Nam lumen hujusmodi quamdam vim habet, ut eos qui in tenebris velut emortui sunt ad vitam excitet. Ita fiet, ut in altero sæculo Trinitatis fulgore plenius collustremini, cujus unum atque eumdem splendorem a tribus unius deitatis personis emicantem nunc susceptis : in ipso Christo Domino nostro, cui gloria et B imperium in sæcula sæculorum. Amen.

IN ORATIONEM XL.

ARGUMENTUM.

Hæc oratio acri et vehementi disputatione baptismum nequaquam differendum ac prorogandum esse demonstrat. Ac cum præcedenti quidem oratione C *cohæret, verum temporis brevitate atque angustia factum est, ut ab ea distinguatur.*

NICETÆ COMMENTARIUS.

Col. 359 B. *Quoniam heri splendidum*, etc. Hesterno die, inquit, Luminum festum celebravimus. Conveniebat enim ob salutem nostram gaudio efferri, eamque celebrare. Idque multo æquius erat, quam quod mortales carni dediti facere solent, qui et γενέθλια celebrant, id est, diem quo in lucem editi sunt, et γαμήλια, hoc est, eum diem quo matrimonium contraxerunt, et ὀνομαστήρια, quando nomen ipsis impositum est, et κουρόσυνα, quando decursa et exacta adolescentia, in juvenum ordinem ascripti sunt, aut quando primum ipsis coma D in superfluum excrescens attonsa est, et κατοικέσια vel habitationis encænia, quando primum terram quamdam aut domum incoluerunt. Hæc porro omnia ἐτήσια celebrabantur, id est, quotannis. Nonnulli autem ἐτήσια, consulatus, aut militaris præfecturæ, aut alius cujusdam hujusmodi magistratus præludia et tirocinia interpretantur, aut etiam diei illius, quo quisquam maximum periculum effugit. Hodie de baptismo disseremus : etiamsi heri nos oratio de eo instituta præterfluxit, tum quia tempus urgeret (festis enim diebus maximam temporis partem in Psalmorum cantillatione consumimus), tum ne fastidium et satietatem sermonis prolixitas pareret. Semper enim suspectam habeo satietatem, velut molestam et tædii plenam, rebusque omnibus præclaris adversantem, atque ea quæ dicta sunt, infrugifera reddentem. Nam cum ea sit animi, imbecillitas, ut omnia simul complecti atque arripere nequeat, idem omnino illi accidit, quod ventri, qui propter immodicam satietatem transmissos cibos concoquere non potest. Oportebit autem ea quæ a nobis dicentur, attento animo audire : quandoquidem hoc quoque splendoris pars est, nimirum baptismi vim et facultatem probe cognitam et explicatam habere.

Col. 359 C. *Triplex nativitatis genus agnosci*, etc. Tres, inquit, nativitates recta et ecclesiastica doctrina profitetur : primam corpoream, qua nati ex aliis nascimur ; secundam baptismi ; tertiam resurrectionis. Ac corporea quidem nocturna est (proprie enim congressus venerei tempus, nox est, propter honestatem et verecundiam) atque etiam serva, quippe quam libidinis affectus auspicetur, ex voluptatis enim amore matrimonium contrahi solet. Baptismi autem nativitas, diurna a Davide dicitur : *Dies* enim, inquit, *formabuntur* [6] ; sive quia diurno tempore ut plurimum baptismus celebretur, sive propter excellentem baptismi splendorem et puritatem. Ea porro non modo a libidine pura et libera est : sed vitiosos etiam affectus omnino delet atque exstinguit ; et quemadmodum circumcisio superfluam membri genitalis partem

[98] Isa. LXVI. 24. [99] I Cor. III, 13. [1] ibid. [2] Isa. I, 16, 18. [3] Psal. V, 7. [4] Ephes. IV, 13. [5] Philipp. II, 15, 16. [6] Psal. CXXXVIII, 16.

Digitized by Google

abscindebat : ad eumdem quoque modum circumcisio ea quam baptismus affert, non omnem voluptatem, sed superfluam tantum minimeque necessariam truncat. Circumcidit enim omne illud a nativitate contractum velamen, hoc est, perturbatos animi motus, ac caliginem ab eis offusam, animæ oculum nubis instar obducentem. Nam peccatum, a primis parentibus per mandati divini violationem admissum, veneream conjunctionem advexit, atque ea rursus ad ipsorum posteros nonnihil sordium et inquinamenti secum traxit. Quanquam enim matrimonium Dei benedictione honorabile factum est[7], propter liberorum procreationem, natura tamen a peccato fluxit. *In peccatis* enim, inquit, *concepit me mater mea*[8]. Figuram porro baptismi circumcisio gerit. Quemadmodum enim illa, quæ generis Abrahamici signum erat, non partem corporis utilem, verum excrementum inutile amputabat : eodem modo sacrosanctus baptismus, qui Christianorum signaculum est, crassum et carnalem improbarum cogitationum affectum et peccatum exscindit. Non dubium est autem quin peccatum sit concupiscentiæ excrementum, ac non commoda quædam et utilis cupiditas. Nec enim fieri potest, ut quisquam nulla omnino cupiditate tangatur, aut ab omni voluptatis sensu sit immunis. Cæterum inutilem cupiditatem ac voluptatem, id est, peccatum, resecat baptismus, ac nos ab infidelibus secernit, atque ad supernam vitam et angelicam conversationem, a qua genus nostrum excidit, nos revocat. Tertia vero nativitas, nimirum resurrectionis, formidabilis est, propter tremendum ac terroris plenum judicium atque etiam brevis. Fiet enim *in momento, in ictu oculi*, quemadmodum, inquit Apostolus[9], et, ut est apud Ecclesiasticum : *Omnem creaturam adducet Deus ad judicium*[10], atque *omnes sistemur ad tribunal Christi*[11], rerumque in hac vita gestarum rationem reddemus, sive carnis cupiditates secuti fuerimus, sive animæ nostra carnis cupiditatibus superior exstiterit, eamque humi vergentem, ac se una deprimere conantem simul in altum traxerit, baptismique beneficium nequaquam contempserit, verum summo honore ac reverentia coluerit. Has tres nativitates in seipso Christus honore affecit, corpoream videlicet, per primam illam et vitalem animæque effectricem inspirationem, quæ semel in Adamum immissa (*Insufflavit enim in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est homo in animam viventem*[12]), in omnes quoque ab eo progenitos efficax est. Ac prima quidem hæc inspiratio dicitur, ratione posterioris, qua Christus in apostolos insufflavit ac dixit : *Accipite Spiritum sanctum*[13]. Vitalis autem, quia vitam inspiravit. *Factus est* enim, inquit, *homo in animam viventem*, id est, agentem ac vim suam exerentem. Nam inspiratio illa, quæ apostolis contigit, non vitam, sed divinam gratiam ipsis attulit. At vero Christus baptismi nativitatem incarnatione sua et baptismo cohonestavit. Cæterum incarnationem non cum corporea nativitate, sed cum baptismo idcirco conjunximus, quoniam Dominus, priusquam carnem assumeret, corpoream illam honore affecit, quo tempore intelligentem animam inspiravit, hoc est, cum hominem ad imaginem Dei condidit. Postea autem incarnatus ac secundum carnem baptismo tinctus (neque enim aliter quam cum carne baptizari licuisset), baptismum quoque honore et gloria cumulavit. Illud enim vero sciendum, quod in corporea quoque generatione, quæ revera una est, animo et cogitatione dividentes in inspirationem et creationem : quandoquidem et duplex est, quantum ad generationem, humanæ naturæ ratio, altera scilicet animæ, altera corporis. Anima etenim ineffabili modo ex inspiratione divina producitur : corpus autem ex subjacente materia creatur. Jam vero Christus tertiam nativitatem ornavit atque illustravit, cum ipse primus a morte ad vitam excitatus est, non jam amplius moriturus. Atque ea de causa primogenitum ipsum inter multos fratres[14], et primogenitum ex mortuis[15] Paulus nominavit; illud, quia regenerationem eam et adoptionem, quæ baptismo comparatur, auspicatus est (primus enim per aquam et Spiritum sanctum baptizatus est, eoque nomine primogenitus factus est inter multos fratres suos, qui videlicet per baptismum a Deo adoptati sunt, ab eoque potestatem acceperunt, ut filii Dei fiant[16]) ; hoc, quia primitiæ dormientium factus est[17], ac primus ex ventre inferi redivivus ad immortalitatem et sempiternam vitam per resurrectionem erupit, mortalibusque omnibus viam ad eam munivit.

Col. 362 B. *De duabus quidem nativitatibus, hoc est, de prima et ultima, non est nunc disputandi*, etc. Cum triplex sit, inquit, nativitatis genus, primum corporeum, alterum baptismi, tertium resurrectionis (primum enim nascimur, deinde baptizamur, postremo resurgimus), nunc de media, hoc est, baptismi nativitate disserendum est : quæ quidem cum illuminatio idcirco vocetur, quod animam illustret, merito quoque ipsius dies cognomentum ab ea traxit, ac proinde Lumina appellatur. Baptismus igitur, ut pluribus eum descriptionibus exornem, splendor est animorum, vitæ in melius mutatio (nimirum petulantis et dissolutæ vitæ ad gravem, Christique jugo subjectam) infirmitatis nostræ adjumentum. Quoniam enim nequaquam ferreos et indomitos, sed mutabiles atque in utramque partem flexiles nos Deus creavit, ideo multa quoque nobis auxilia præbuit, in quorum numero baptismus quoque

[7] Hebr. XIII, 4. [8] Psal. L, 7. [9] I Cor. XV, 52. [10] Eccle. XII, 14. [11] Rom. XIV, 10. [12] Gen. II, 7. [13] Joan. XX, 22. [14] Rom. VIII, 29. [15] Coloss. I, 18. [16] Joan. I, 12. [17] I Cor. XV, 20.

Digitized by Google

est, qui quidem, ut Petri verbis utar, non sordium A carnis depositio est, sed conscientiæ bonæ interrogatio ad Deum [18]. Interrogati enim in baptismo, quomodo sese habeat conscientia nostra erga Deum, et quam in eum fidem habeamus, respondemus nos ipsius partibus adjungi, atque, ut uno verbo dicam, fidei Symbola profitemur. Juxta Theologum autem carnis abjectio est baptismus, hoc est carnalis affectus et voluntatis, aut etiam ipsius carnis contemptio (*Carnis* enim, inquit ille, *curam ne feceritis in concupiscentiis vestris* [19]), aut animi quantum ad turbulentos motus in crucem suffixio. Nam qui carnem contemnit, is utique animam comitatur, nimirum auctoritatem atque imperium in illam huic tribuens. Baptismus Verbi participatio, vel quia verbum et Christum per eum B sequimur, vel quia doctrinæ et scientiæ participes efficimur. Cordatiores enim et prudentiores ex eo reddimur, divinæ doctrinæ et gratiæ participes facti. Figmenti instauratio. Recreatio enim et renovatio est hominis a peccato confracti, atque ad veteris imaginis dignitatem reformatio. Et quemadmodum tenebræ lucis accessu depelluntur, et caligo candore superfuso de medio tollitur : ita et per spiritualis lucis animæ oculum illustrantis perceptionem tenebræ eum obscurantes discutiuntur, ac vetus homo justitiæ operibus exornatus ad ætatis florem redit. Baptismus vehiculum ad Deum. Per eum enim velut per scalam ad Deum evehimur. Per eum insuper cum Christo peregrinamur. C Una enim cum eo per baptismum morimur atque inhumamur. Hic fidei adminiculum ac subsidium est. Duo quippe salutis modi sunt inter se ita connexi, ut nulla ratione separari queant. Fides enim per baptismum perficitur, numerisque suis omnibus absolvitur. Baptismus autem fidei fundamento nititur, ac præcedit quidem confessio ad salutem nos introducens : subsequitur autem baptismus, fidei assensum nobis obsignans. Nam cum baptizamur, certo et luculento argumento nos fide præditos esse confirmamus. Hic mentis perfectio. Mens enim peccato progressum ipsius impediente rudis atque imperfecta manebat : nunc autem naturali progressu et incremento recepto perfectionem suam assequitur ac deiformis efficitur. Hic D clavis regni cœlestis, illud videlicet iis qui baptismi aquis tinguntur aperiens. Hic vitæ commutatio, corporeæ scilicet et flagitiosæ ad spiritualem et divinam. Hic servitutis abrogatio, ac pro servili dejectione, plena et soluta libertas. Per eum enim filiorum adoptionem recipimus : ac proinde clamat Paulus : *Ergo non jam es servus, sed filius : quod si filius, et hæres Dei* [20]. Hic vinculorum solutio, hoc est, affectuum animi et peccati. Hic compositionis et coagmentationis nostræ in meliorem statum conversio, et totius massæ et temperamenti in melius ac perfectius immutata ratio, nimirum anima ad meliora properante, corpore autem subsequente, nec in diversum nitente. Quippe homo, anima et corpore constans, per baptismum sanctificatur. Ac ne omnia commemorem, quæ baptismi gratia pollicetur et porrigit, hoc omnium bi beneficiorum præstantissimum est. Ut enim intima divini templi pars, Sancta sanctorum dicebatur, velut uberioris sanctitatis particeps ; et mysticus Salomonis libellus, Cantica canticorum appellatur, velut cæteris præstantior atque insignior : eodem quoque modo baptismus propter eximiam ipsius dignitatem Illuminatio vocatur, non quod alii quoque spiritales gratiæ illuminandi vim non habeant, sed quia illis sanctitate præstat, ac solas omnes sordes abluit, mortalesque illustrat, ac Deo adoptat, Christoque conjungit.

Col. 362 C. *Quemadmodum autem Christus*, etc. Quemadmodum Christus baptismi donator multis nominibus appellatur (vocatur enim Filius, quoniam essentia idem cum Patre est ; Unigenitus, quia singulari modo genitus est, et non ut corpora ; Verbum, propter generationem perpessione omni vacantem ; Sapientia, ut omnia cognita habens ; Veritas, ut natura unum, ac non multa ; Lux, ut animarum splendor ; Justitia, ut præmii ac pœnæ pro cujusque merito distributor ; Sanctificatio, ut puritas ; Redemptio, ut nos a peccato detentos in libertatem asserens ; Resurrectio, ut nos emortuos ad vitam revocans ; Ovis, ut victima ; Agnus, ut perfectus ; Pontifex, ut conciliator et perductor ; Ignis, ut levem materiam repurgans ; Gladius, ut bonum a malo dividens ; Ventilabrum, ut aream purgans ; Securis, ut improbitatis radices excidens), eodem modo et Christi donum, id est baptismus, varie ac multipliciter vocatur, quemadmodum et Scalæ pædagogo (8) placet : sive ex miro quodam affectu, hoc est, ex profuso animi gaudio id nobis acciderit, ut diversa illi nomina imponamus : sive pro multiplicium baptismi beneficiorum ratione varia quoque ei nomina tributa fuerint, uno quoque videlicet beneficio appositum et congruum nomen procreante. Primum enim eum donum vocamus, quia nobis nullo prius labore suscepto ac munere oblato gratis impertitur. Deinde baptismum, quia peccatum *in* aqua sepelitur. Tunc unctionem cum Joanne, ut sacrum et regium. Sacerdotes enim et reges *juxta Mosis* legem ungebantur. Illuminationem vero, ut splendorem, et quia per eum sanctam *illam lucem* intuemur, atque ad divinum numen inspiciendum oculorum acie pollemus. Adhæc *immortalitatis et*

[18] I Petr. III, 21. [19] Rom. XIII, 14. [20] Galat. IV, 7.

(8) Joannem Climacum intelligit, celeberrimi apud Græcos nominis virum, qui *eximium libellum Scalæ* titulo edidit.

Digitized by Google

incorruptionis indumentum, juxta Constitutiones apostolicas, ut infamiæ et decoris integumentum : obtecta enim turpitudine et infamia nos incorruptione et immortalitate convestit, animam videlicet a peccati corruptela, ut olim, puram et integram reddens. Lavacrum regenerationis, quia per eum, est apud Paulum, peccata projicimus et eluimus. Sigillum insuper, quoniam per eum consignati, cujusnam domini sumus, cognoscimur, atque ab insidiis tuti conservamur. Quod enim sigillo aliquo notatum est, furum aggressioni minime patet. Porro nominum enumerationi Signaculum postremum imposuimus, velut ea obsignantes atque obfirmantes. Huic gratulantur cœli. Liceat enim ad gaudii amplificationem, lætitiam quoque rebus inanimis tribuere. Aut, si mavis, per cœlos synecdochice cœlestes angelos intellige, qui propter hominum salutem per baptismum acceptam gaudio efferuntur (*Gaudium enim est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* [90]), ac baptismi illuminationem propter splendoris affinitatem celebrant. Etenim hic quoque præclarus est ac divinus, et cœlestis beatitudinis imago, splendorisque justorum et vitæ redivivæ figura. Nam quæ ævum illud secundum naturam habet, ea hi, qui salutifera aqua perfunduntur, anticipantes, animo et voluntate assequuntur.

Col. 363 B. *Ac quidem Deus summum et inaccessibile lumen est*, etc. Deus lumen est, summum quidem, ut principii expers et primum, vel ut præcellens, omnibusque rebus superius; inaccessibile autem, quia propter splendoris exuberantiam a nemine perferri potest. Neque enim quisquam est, qui ipsum intentis oculis cernere queat. Hoc lumen nulla oratione exprimi potest, multo autem minus animo intelligi. Neque enim humana mente Deus percipi potest, nec ejus magnitudo cogitatione comprehendi. Quin etiam ille, si Platoni credimus, hoc est in intelligibilibus, quod sol in iis quæ sensum movent. Ut enim hic oculis, ita ille menti lucem affert; rursusque ut hic omnia quæ aspectu sentiuntur, ita ille omnia quæ animo et ratione intelliguntur pulchritudine antecellit. Scala porro atque ascensus ad hanc cognitionem hujusmodi esse queat. Purgatio enim ad imaginationem animique visionem subvehit, hoc est, actio ad contemplationem, imaginatio autem ad amorem erigit propter voluptatem divinitus emanantem. Amor denique ad intelligentiam, quæ imaginationem puritate et perspicuitate antecedit. Atque, ut rem brevi complectar, quantum quisque amat, tantum quoque cernit atque intelligit : quantum rursus intelligit, tantum etiam amat : atque ita pulchre hic orbis volvitur. Movetur autem Deus sui ipsius contemplatione, atque ipse a se cognitione comprehenditur : ad externa vero per illuminationem parce diffunditur : nec tantum parce, sed etiam ad perpaucos homines, eos nempe, qui mentem ac rationem perpurgarint. Ac Trinitatis proprium est, naturæ identitas et ineffabilis unio, atque una et eadem exsilientis splendoris emissio, perinde ac si qui tres faces omni ex parte inter se æquales animo fingat (quod quidem in iis rebus quæ in sensum cadunt reperiri non potest), atque unum et eumdem fulgorem æque et citra ullam divisionem a tribus exsilientem et emanantem. Primum igitur lumen Deus est, ut eximium atque omnium luminum principium; secundum autem, angeli, ut qui post Deum sint, tametsi aliis priores, prima lucida natura post primam, secunda lumina, primarii luminis radii, aliosque primi luminis influxionibus, ac velut scaturigine collustrantes. Angelos porro primi luminis rivum et participationem appello, non secundum naturam, verum secundum splendorem atque illuminationem a Deo profluentem : rivum quidem, quia ex Deo lux ipsis infunditur, participationem autem, quia hujusmodi splendor ipsis impertitur. Ac vide quemadmodum in angelis quoque contemplatio et actio eluceat. Mentis enim ad Deum subvectio ac defixio contemplatio est, per quam ad Deum efferuntur : ministerium vero atque obsequium actio est, per quem divinæ gloriæ celebrationi, aliisque muneribus et officiis subserviunt. Quoniam autem in cœlestibus hierarchiis illuminationum diversitates exsistunt, non ex proposito et voluntate, sed ex natura, atque alii divinam lucem magis complecti ac retinere possunt, alii minus (adeo ut illi immediate, quoad ejus fieri potest, cum eo versentur, hi autem primorum opera collustrentur, ita nimirum ab aliis ad alios transmissa et trajecta illuminatione, a primis usque ad extremos), addubito atque incertus sum quid dicam, an scilicet pro classis et stationis ordine illuminationem accipiant, an contra pro illuminationis modo ordinem suum habeant. Hoc certe dico, cœlestes et beatas mentes, propterea quod Deo propinquæ sint primæque primum lumen hauriant, ac purissimum illinc splendorem accipiant, uberius quoque fortasse et copiosius illustrari : aliosque alio modo pro cujusque natura et ordine illuminari. Tertium lumen homo est, qui etiam apud profanos auctores φῶς dicitur, ob eam fortasse causam, quia ratione præditi sumus. Nam quod oculus est in corpore, hoc mens et ratio est in anima, utpote eam lumine perfundens. Λόγον enim *mentem* vocat; vel etiam per λόγον *sermonem* intelligit. Nam hic quoque abditas atque abstrusas animoque inclusas cogitationes in lucem profert. Jam inter homines quoque ii qui per virtutem ad Deum propius accedunt, lumen dicuntur, ut deiformes ac Dei similitudinem assecuti velut discipuli, ad quos dictum est : *Vos estis lux mundi* [91]. Cæterum Deus proprie lux est; angeli autem et

[90] Luc. xv, 7. [91] Matth. v, 14.

Digitized by Google

homines improprie, quippe qui secundum supernam illustrationem gratiæque perceptionem hoc efficiuntur. Atque hæc quidem lumina mentem et rationem habent. Est autem et aliud lumen alterius naturæ, nimirum ratione atque anima carens, per quod et primigenæ tenebræ depulsæ sunt, hoc est, ad tempus fugatæ, et, ut dilucidius loquar, intercisæ. Luce enim substantialiter creata, et in rerum naturam producta, ad tempus intersecta caligo est. Tenebræ enim cœlo et terræ per objectionem velut subsistentes, recedente rursus lumine subeunt, ac deinceps medium tempus intercipiente die redeunt, ac per lucem semper intersecantur, vicissimque cedunt. Quanquam autem et lux et tenebræ primigenæ dicantur, tamen id discriminis est, quod lux, ut substantialiter creata, ita vocatur : tenebræ autem, ut adventitiæ et in substantia exsistentes. Caligo enim accidens est, nec quidquam aliud quam luminis privatio. Lumen autem hoc loco dico, id quod non ante res omnes in sensum cadentes productum est, verum ante creaturas per ipsum conspicuas et aspectabiles. Cœlum enim et terra, aqua et aer, et, ut uno verbo dicam, omnia quæ non ex subjacente materia creata sunt ante lucem exstiterunt, ac proinde nec cerni poterant, utpote lucis expertia. Quoniam autem orbiculari figura cœlum est, ac circulari motu fertur, non absurde ac dissentanee assero sidera quoque circulariter ferri, universo orbi lucem et splendorem afferentia.

Col. 363 D. *Jam lumen etiam erat primigenum illud mandatum*, etc. Lumen etiam erat primum illud præceptum, quod primo homini datum est, utpote splendorem quemdam ad rerum dijudicationem impertiens, juxta id quod a Salomone dictum est : *Lucerna et lumen mandatum legis est* [22] ; et juxta illud Davidis : *Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semitis mei* [23] ; atque etiam juxta id quod est apud Isaiam, præcepta Dei lumen sunt in terra [24]. Lumen igitur erat mandatum Dei. Verum furtim irrepens atque ingrediens invida caligo (hoc est, diabolus) vitium fabricata est. Neque enim malum substantia ulla est, sed boni privatio : quemadmodum et tenebræ luminis recessus. Non enim alia est mali substantia, quam virtutis abcessus. Lumen itidem erat lex scripta, et lumen typicum seu figurativum, utpote Evangelii veritatem adumbrans, eamque velut per transennam ostendens, ac præterea per agnum aliaque sacrificia. Christi, qui lumen magnum est, ac lumine omni sublimius, mysterium designans. Quod autem lumen quoque lex fuerit, hinc perspicue colligere licet. Nam cum Moses eam a Deo dictatam intentis oculis respexisset, Christique mysteria cognovisset, majorem animo et mente splendoris concepit, ac pro hujusmodi splendorem signo et argumento faciei gloriam habebat, interna videlicet claritate ad eam quoque transfusa, quemadmodum et in Exodi libro memoriæ proditum est [25]. Ubi hoc etiam habetur quod Moses ignem cernebat rubum adurentem, nec tamen adurendo consumentem [26], ut scilicet ex eo, quod adurebat, ignis natura declararetur : ex eo autem quod non absumebat, vis illius et potentia ostenderetur, qui vim ignis frenabat et comprimebat. Hac igitur ratione angelus quoque lumen est, utpote ignis : *Qui facit*, inquit, *angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* [27]. Proprium enim ignis lumen est. Quin lumen etiam erat, id quod in columna ignis in deserto Judæis iter præmonstrabat [28] : de quo et David verba faciens, ait : *Deduxisti eos in nube diei, et tota nocte in illuminatione ignis* [29]. Jam vero quarto Regum libro habetur, quod igneus currus Eliam in cœlum arripuit [30], nimirum significans justi hujus viri excellentem virtutem, atque humana conditione sublimiorem. Insuper apud Lucam scriptum est, quod lux pastores circumfuderit, quando lumen temporis expers, id est, Dei Filius, temporali lumini, hoc est humanitati conjunctus est [31]. Et cum simplex homo lumen nominetur, nedum eximia et divina virtute præditus : multo certe magis lumen ille dici debet, qui Deo unitus est, atque ipsa unione Deus effectus. Adhæc Matthæus in Evangelio docet [32] divinam vim ac potentiam in stellæ figura Magos in Bethleem duxisse, ac satellitis more stipasse, hoc est, servili modo subserviisse, et Christum honorasse, quem ego lumen nobis sublimius voco, etiamsi nobiscum fuerit. Quin lumen etiam erat ille divinitatis fulgor in monte Thabor obiter patefactus, quem nec discipuli firmis oculis obtueri poterant, utpote tantam vim habentem, ut nec perferri, nec audiri, nec aspectu percipi posset [33]. Lumen item id erat, quod Paulum in via lumine circumfudit, quemadmodum in Actuum libro commemoratur [34], cujus exuberantem splendorem carnales oculi non ferentes ita excæcati sunt, ut interim animæ tenebræ fugatæ ac discussæ fuerint. Per hoc lumen cognitio omnis et scientia detegitur, ac Deus vere animis nostris innotescit. Lumen præterea futurus justorum splendor. *Fulgebunt* enim *sicut sol* [35], quemadmodum Scriptura pollicetur, qui in hac vita animam a vitiorum malis expiarint, ac deiformes appellati fuerint, de quibus David ad hunc modum loquitur : *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat* [36], hoc est, cœlestis regni mansiones gradusque dignitatum pro virtutis ratione ac proportione ipsis distribuit. Postremo præter hæc omnia peculiari ac diverso modo baptismi illuminatio lumen appellatur. De quo nobis instituta est oratio, et a quo salutis nostræ mysterium continetur.

Col. 366 B. *Quoniam enim omni peccati labe carere, Dei est*, etc. Nihil omnino peccare, Dei solius

[22] Prov. vi, 23. [23] Psal. cxviii, 105. [24] Isa. ii, 5. [25] Exod. xx, 1 seqq. [26] Exod. iii, 2. [27] Psal. ciii, 4. [28] Exod. xiii, 21. [29] Psal. lxxvii, 14. [30] IV Reg. ii, 11. [31] Luc. ii, 9. [32] Matth. ix, 9, 10. [33] Matth. xvii, 1 seqq. [34] Act. ix, 3. [35] Matth. xiii, 43. [36] Psal. lxxxi, 1.

Digitized by Google

est, utpote immutabilis, proprieque simplicis et incorporei. Vera enim et propria simplicitas dissidium atque contentionem non admittit. Angeli autem haudquaquam omnino immutabiles sunt, verum et boni et mali capaces, ut qui proprie simplices non sint : at si nobiscum conferantur, ad statum ab omni peccato immunem proxime accedunt, velut Deo ita propinqui, ut æther ad solem. At nos levi motu ad vitium impellimur, utpote compositi. Compositio enim dissidii causa est : quandoquidem, ut testatur Apostolus : *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem ; atque hæc inter se adversantur* [37]. Vincente itaque carne, peccatum admittitur. Quoniam igitur Deus nos inter magnitudinem et humilitatem medios constituit, ac mutabiles creavit : idcirco etiam ad vitium animi destinatione ruentes nequaquam despexit, nec auxilii expertes reliquit, atque in eo rerum discrimine constitutos, ut periculum esset, ne a Deo prorsus disjungeremur. Verum quemadmodum nos, cum prius non essemus, in rerum naturam produxit : sic post creationem dilapsos, in antiquum statum per optimam ac præstantissimam baptismi effictionem creationemque restituit, quæ quidem ut infantibus ac corporeæ ætatis cursum ineuntibus signaculum est, eos perficiens atque absolvens, dominiumque significans : ita iis qui ætate longius provehuntur, non modo signaculum est, sed etiam gratia, præteritas noxas ipsis remittens, atque imaginem a peccato labefactatam instaurans. Nam si peccatorum gratiam per baptismum non consequeremur, haud dubie per peccatum in desperationem prolaberemur, ac per desperationem a virtute omnino excideremus, nobisque id accideret, quod a Salomone dicitur, *Impius, cum in malorum profundum venerit, contemnit* [38]. Nunc autem, quemadmodum viatores in diversorio quodam ab itineris labore recreati, propositam viam alacriori animo emetiuntur : ita nos quoque viam vitæ promptioribus animis conficimus. Atque hanc vim affert baptismus. Ac diluvium quidem illud, quo tempore Noe contigit, orbem universum internecione delevit : baptismus autem peccata, quibus obruti atque inquinati eramus, detergit ac purgat.

Col. 367 A. *Quandoquidem autem duabus partibus, hoc est*, etc. Quandoquidem compositus ac non simplex homo est, idcirco duplici atque conjuncto cognata et similia medicamenta ad ipsius curationem attributa sunt, corpori nimirum aspectabili aqua sensibilis, animo autem invisibili spiritus oculorum obtutum fugiens, qui per fidem vocatus, ineffabili modo accedit. Et quidem aqua purgationis figuram gerit. Purgatio enim, quæ per aquam fit, eam quæ per spiritum comparatur, designat. Ut enim corpus ab aqua, sic anima a spiritu lustratur : atque ita res in oculos cadens rei invisibilis signum est. At spiritus veram purgationem continet, nec superficie tenus corpora purgat, verum animam et penetralia ipsa expiat. Qui etiam primæ nostræ nativitatis auxilium est, utpote omne illud velamentum, quod a nativitate contraximus, abscindens, et ex veteribus novos homines faciens, vetustatem videlicet atque imbecillitatem et infirmitatem a peccato invectam, per quam dæmonum imperio caput submittebamus, abjicientes : eosque, qui ante baptismum acceptum deformes erant et squalidi ac rugosi, deiformes reddens, prisca videlicet imagine recepta. Ac fabri quidem ærarii, et qui ex argilla vasa fingunt, cum aliquid vetustate obsoletum renovare cupiunt, primum illud confringunt, ac deinde iterum conflant. Baptismus autem nos denuo conflat, non igni sensibili, sed spiritus flamma spurcitiem omnem excutiente atque abolente. Renovat etiam ac reficit, non formam eam quam renovandam suscipit comminuens, verum eam quæ occulta et abscondita est. Quin potius, ut magis proprie dicam, renovamur absque conflatione, recreamur absque comminutione, curamur absque ullo doloris sensu. Jam vero is qui baptizatur, secundæ vitæ meliorisque vivendi rationis et instituti pactum cum Deo init, priori et flagitiosæ vitæ nuntium remittens, eique moriens. Quocirca, juxta Salomonis consilium, timore corripiamur, atque omni custodia cor nostrum servemus [39], ne cum propria syngrapha, quam in fidei nostræ confessione protulimus, pugnantes reperiamur. Etenim si pacta cum hominibus inita Deus interjectus confirmat, quantum tandem periculum ei impendere putandum est, qui conventionem cum ipso factam perfregerit, salutisque fœdera nefarie violaverit, ac præter alia scelera ipsius quoque mendacii apud Deum reus peragatur, quia fidem ipsi datam fefellerit ; idque cum jam nullus alius baptismus supersit. *Impossibile est enim*, inquit Paulus, *eos qui semel sunt illuminati, rursus renovare ad pœnitentiam* [40]. Unus porro baptismus est, quandoquidem una est mors pro mundo suscepta : atque una a mortuis resurrectio, quam baptismus designat. Proinde Christus baptismi nobis fœdus sanxit, mortis ac vitæ figuram habens, aqua nimirum mortis imaginem exprimente (horum enim qui baptizantur corpora in aqua veluti sepeliuntur), spiritu autem vitæ arrhabonem afferente. Quamobrem nulla altera superest regeneratio, neque in veterem statum restitutio, hoc est, in purgationem illam, quam regenerationis lavacrum attulit. Quanquam enim lacrymarum quoque baptismus est, haudquaquam tamen ita purgat ut primus baptismus. Ut enim varia sunt superni splendoris genera, sic et purgationum. Nam juxta meam legem ac sententiam, Novatianorum dogmati oppositam, ægre tandem per pœnitentiam cicatrix obducitur, quemadmodum Deus per Jere-

[37] Gal. v, xvii. [38] Prov. xviii, 3. [39] Prov. iv, 23. [40] Hebr. vi, 6.

Digitized by Google

miam loquitur : *Ecce ego inducam ipsis cicatricis obductionem et medelam, et curabo eos* [41]. Atque ipse quidem cicatrices quoque ipsas aboleri, ac ne vulnerum quidem vestigium relinqui cuperem, quandoquidem et ipse misericordia opus habeo. Verum magnum Athanasium asserentem audio, eum qui ad meliorem frugem se receperit, quamquam finem peccandi faciat, inustas tamen vulneris cicatrices habere : eum autem qui baptizatur veterem hominem exuere ac renovari, superne videlicet per Spiritus sancti gratiam progenitum. Cæterum ut cicatrices quoque ipsas deleri concedamus, satius utique fuerit difficili illa et ærumnosa purgatione, quæ in pœnitentia consistit, nequaquam opus habere, verum in prima consistere, quæ quidem laboris ac molestiæ expers est, atque honore pares eos qui ad baptismum accedunt efficit, utpote quæ ex æquo accipiatur, atque omnes sine ullo discrimine lustret. Quemadmodum enim communis est omnibus aeris haustus, ac lucis profusio et splendor, et quatuor partium anni vicissitudines, et rerum creatarum aspectus, fideique æqua portio : eodem modo baptismi quoque communis est gratia.

Col. 370 A. *Grave enim est facilioris*, etc. Grave et miserum est spe secundæ purgationis post baptismum inquinari, ac postea dura et acerba medicina indigere, ac projecta baptismi gratia, quæ præteritarum noxarum remissionem habet, nosipsos excruciare atque affligere, ut misericordiam a Deo consequamur, ac vitæ correctionem admissis flagitiis parem exhibere. Quantum enim lacrymarum exhauriemus, ut id nos perinde lustret, ac prius baptismus, et purgationem, quam per divinum lavacrum acceptam amisimus, reddat! Quis autem satis locuples sponsor erit, fore ut mors curationem nostram exspectet, ac non peccati reos et purgationis debito constrictos judicium divinum suscipiat, gehennæque incendium. Tu quidem, spiritualium plantarum excultor, Dominum juxta parabolam evangelicam [42] orabis, ut infrugiferæ ficui, hoc est, animæ tuæ parcat, eamque non exscindat, verum tibi concedat, ut ea, quæ ad tollendam ipsius sterilitatem adjumento esse possunt, injicias, nimirum eam correctionem quæ in peccati confessione, atque in apertum proferendis non sine pudore criminibus consistit, ac præterea animæ afflictionem, hoc est, contritionem et dejectionem, corporisque oppressionem, id est, jejunia, vigilias, cæterasque afflictiones. Verum incertum est, an Deus hujusmodi homini parcet, ac non eum exscindet, ne alius quispiam ex ipsius erga eum lenitate et patientia offendatur, ac deterior fiat, ejus videlicet scelera impunita manere conspiciens.

Col. 370 B. *Proinde cum Christo per baptismum*, etc. Tota hac oratione tria astruuntur : primum, quod suscipiendus sit baptismus; alterum, quod statim; tertium, quod nobis opera danda sit, ut hoc donum ab omnibus sordibus purum tueamur. Postquam igitur de tertio quæ dicenda videbantur dixit, nunc de eo quoque disputat quod ad baptismum accedere necesse sit, ac cum Paulo ait, cum Christo per baptismum sepeliamur, ut et cum eo resurgamus. Aqua enim mortis imaginem refert, corpus velut sepulcro accipiens. Spiritus autem vivificam vim immittit, animas nostras a peccati morte ad priorem vitam renovans. Descendamus ut Christus in sepulcrum, ita nos quoque in baptismum : ut quemadmodum ille ex mortuorum sepulcro, sic nos etiam e peccati tumulo ac mortuis operibus in sublime feramur. Baptismus siquidem operum carnis abjectionem designat et indicat, animamque a sordibus et spurcitie ex carnalis affectus contagione contracta, lustrat et expiat. Quoniam autem baptismus descensum atque ascensum continet, hoc insuper adjiciam : Cum eo ascendamus, quemadmodum videlicet ille in cœlum, ita nos in eam sublimitatem, ad quam provehit baptismus, ut simul quoque gloria afficiamur (per adoptionem scilicet), ac regni cœlestis hæredes efficiamur, quemadmodum ille sedis in dextra Patris hæres factus est.

Ibid. *Si te luminis persecutor et tentator post baptismum*, etc. Theologus probe perspectum habens, nonnullos ideo baptismum detrectare, quod hostis impetum post baptismum pertimescerent, hujusmodi homines ad hunc modum alloquitur. Si post baptismum te diabolus adortus fuerit, quandoquidem et Christum oppugnavit, propter carnem merum hominem eum esse arbitratus, adversus eum sensibilem aquam obtende, spiritualis ignis, hoc est, peccati exstinctricem (id quod mirandum est) cujus ope ac subsidio ignita omnia pravi illius spiritus tela, sicut Paulus ait [43], exstinguentur, aqueis videlicet umbris a verbo tinctis compressa atque restincta. Spiritum oppone, magnum, inquam, illum et validum, ac montes, id est, dæmones dissolventem, quemadmodum tertio Regum libro habetur [44]. Si tibi fame correpto penuriam et necessitatem insidiose objecerit, ut Christo, ac petierit, ut lapides in panes vertantur [45], dic cum Paulo : Non ignoro cogitationes tuas, o prave, qui aliud vis, aliud prætendis [46]. Prætexis necessitatem : vis autem me cibis expleri et ingurgitari, voluptatique indulgere. Ac propterea non panem, sed panes fieri poscis. Doce, quæ non didicit, quia Dei cultor es, ac Christi discipulus. Nam idem quoque in Christo ignorabat, quod Dei Filius esset. Ac Christus quidem cum ab eo tentaretur, illud opposuit : *Non in pane solo vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore*

[41] Jerem. xxx, 17. [42] Luc. xiii, 8. [43] Ephes. vi, 16. [44] III Reg. xix, 11. [45] Matth. iv, 3. [46] II Cor xi, 11.

Digitized by Google

Dei [47]. Tu vero oppone Verbum ipsum, et Filium Dei, cujus hæc verba sunt : *Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, nunquam sitiet. Panis enim Dei ille est, qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo* [48]. Si per inanem gloriam tibi insidias struxerit (nam et Christo insidias tetendit) ne per superbiam corruas : quin potius in prima tentatione strenue decerta. Nam si in ea te cedentem ac dicto audientem invenerit, haudquaquam hic consistet : verum et secundam et tertiam tentationem atque alias deinceps admovebit, utpote inexplebili cupiditate flagrans. Lenocinatur quidem, atque objecti boni specie tanquam illecebra quadam hominem mulcet : verum sub finem in malum prorumpit. Hæc est enim diaboli pugnandi ratio, nempe ut nos obscure atque occulte aggrediatur. Atque etiam Scripturas callet diabolus. Hinc altera quidem ex parte a Christo dicitur, scriptum est, *Quia non in solo pane vivet homo* [49]; altera autem ex parte ipso hoste, scriptum est, *Quia angelis suis mandabit de te* [50]. At, o sapiens ad malefaciendum, dixerit Jeremias [50] ! O vitii auctor et magister, quid tibi accidit, ut Davidicum dictum integrum non produxeris, verum quod sequitur suppresseris : *Super aspidem et basiliscum ambulabo et conculcabo* [51], et juxta Christi mei promissum, potestatem accipiam *calcandi super serpentes et scorpiones, et omnem potentiam inimici* [52]. Quod si rursus te per avaritiam frangere ac superare adnixus fuerit, atque ostensis uno temporis momento regnis omnibus adorationem a te exegerit, eum ut pauperem aspernare. Omnia enim Dei sunt, nec quidquam diaboli præter vitium. Dic, Christum indui ; ait enim Apostolus : *Quotquot in Christo baptizati estis*, hoc est, quotquot juxta Christi vim ac potentiam, firmissimo præsidio homines communientem, *induistis* [53], vel etiam eam Christi formam et similitudinem, quam baptismus insculpsit. In Christo transmutatus sum, hoc est, transformatus. Ipse quoque Dei imago sum, neque a superna gloria propter superbiam adhuc excidi, quemadmodum tibi, improbe spiritus, accidit. Hac oratione adversarius profligabitur ac propelletur, quemadmodum a Christo primario lumine, ita etiam ab his qui a Christo collustrati fuerint. Hanc gratiam iis confert baptismus, qui ipsius gratiam agnoscunt. Baptizemur itaque ut victoriam referamus : quandoquidem Christus post baptismum tentatorem postravit, cum tres ipsi tentationes adhibuisset, gulæ scilicet, inanis gloriæ, et avaritiæ. Lustralium, seu baptismi, aquarum participes simus, quæ quidem legalibus purgationibus præstantiores sunt, nempe hyssopo, sanguine, et cinere vitulæ, quæ a mortuo, vel leproso, vel alia quadam hujusmodi re pollutos et inquinatos aspergebat, corpusque duntaxat purgabat, idque ad breve tempus. Nam si peccatum omnino sustulisset, quid opus fuisset, ut qui semel purgati essent, iterum ac tertio, atque adeo assidue purgarentur ? Nunc vero quod eadem res identidem repetebatur, purgationem eam particularem ac brevem et caducam fuisse perspicue arguit, quemadmodum et Paulo placet.

Col. 371 B. *Baptizemur hodie, ne cras vi aliqua*, etc. [54]. Postquam Theologus superioribus verbis ad baptismum suscipiendum nos adhortatus est, nunc, ut celeriter quoque hoc faciamus, impellere conatur, his verbis utens : Baptizemur hodie, ne cras vi aliqua majore cogamur, urgente scilicet morbo, vel alio quodam periculo, ac nos per vim ad baptismum pertrahente : tunc enim non tam baptizatur quispiam, quam violenter premitur. Baptismus beneficium est, criminum remissionem afferens. Quare, non perinde atque injuriam, si confestim baptizemur, accepturi, beneficium hoc in longius tempus rejiciamus, neque exspectemus dum plura peccata congesserimus, ut plura nobis condonentur. Nec Christum cauponemur, divendentes Christum, hoc est, Christi baptismum : quod quidem accidit, cum per voluptatum illecebras eum prodimus. Nec Christum emercemur, hoc est, baptismi gratiam velut pretio redimentes, eamque morbi aut alius cujusdam periculi tempore acquirentes ; κάπηλοι enim dicuntur qui vendunt, ἔμποροι autem qui emunt. Timeamus, ne dum redemptionis ac veniæ spe multa vitia nobis colligimus, ita peccatum aggeramus, ut remissionem interim non consequamur. Quandoquidem navis mercium pondus aliquo usque suffert : ultra modum autem onerata deprimitur, aquisque obruitur. Caveamus, ne cum similia iis, atque adeo venia majora et graviora flagitia perpetraverimus, antequam speratos portus conspicere queamus, naufragium faciamus, ac morte prærepti baptismo multemur. Quid tempus illud exspectas, in quo persæpe ne rationis quidem ipsius compos es (multi enim ex febris æstu insaniam contraxerunt), quando et lingua fracta et debilitata est, nec salutifera verba proloqui potest, cum alia, tum quod Satanæ nuntium remittis, et Christi ordinibus adjungeris ? Ut nihil gravius dicam, velut quod nec in cœlum manus attollere potes, nec in pedes exsurgere, nec adorationis causa genu flectere. Quocirca ad baptismum, velut ad beneficium, contento et citato cursu propera, quandiu et corpore et animo vales, nec in aliorum potestate bonum tuum situm est, hoc est, cognatorum et genere propinquorum, verum tui ipsius est arbitrii hoc beneficium, hactenus scilicet, ut vel accipias, vel repudies. Quandiu fidei pietatem consequi potes, nullam videlicet dubitationem animis eorum qui adsunt injiciens, baptismumne senseris, an vero nullo eorum quæ gerantur sensu afficiaris,

[47] Matth. iv, 4. [48] Joan. vi 53, 55. [49] Psal. xc, 11. [50] Jerem. iv, 22. [51] Psal. xc, 13. [52] Luc. x, 19. [53] Galat. iii, 27. [54] Hebr. vii, 27.

Digitized by Google

verum certo atque indubitato eam gratiam percipiens : nec miserationem movens ut sensu orbatus, sed gratulationem et laudem, ut cœleste hoc donum probe sentiens. Quandiu perspicuum tibi donum est et spontaneum, ac non in dubio sunt, qui te circumstant, an tibi perspectum ac cognitum fuerit, necne. Nam si hoc mysterium sentiens læto atque hilari animo baptismum suscipis, certe intimum pectus atque animam gratia tetigit : sin autem non agnoscens, jam nec baptismus baptismus est, verum funebris duntaxat corporis ablutio efficitur. Quandiu circa te propinqui et consanguinei lacrymas non fundunt mortis indices, vel etiam potius eas inhibent ac reprimunt, ne te in graviorem mœrorem ac desperationem conjiciant, velut ea re mortem tibi perspicue denuntiantes. Quandiu non uxor et liberi peregre abeuntem ad sese convertunt, ultima verba ex te audire expetentes, idque morte adurgente atque accelerante. Quandiu non te per imperitiam fallit medicus, ingruentem atque adeo astantem jam mortem non cernens, verum tibi horas vitæ largiens, perinde atque penes ipsum arbitrium earum ac potestas sit. Qui etiam dubio capitis nutu dubiam ac ambiguam tibi salutem facit, ut hac arte sequentem postea reprehensionem atque inscitiæ probrum et insectationem fugiat, atque ante mortem quidem recedit (vel copiosiorem mercedem per hujusmodi recessum exposcens, vel significans se salutem tuam pro desperata ac deplorata habere, ac proinde nec adesse velle) post mortem autem de morbo disputat, ac, ne artis expers et ignarus videatur, causas quasdam profert, dicens, si hoc atque illud fecisset hic homo, haudquaquam e vita migrasset. Baptismum suscipe, quandiu minime circum te pugnant, is qui te baptismi aqua tingere parat, et qui pecuniarum tuarum hæres futurus est, ille nimirum studiose agens, atque contendens, ut ea quæ ad vitæ exitum necessaria sunt, suppeditet, hoc est, ut te salutari aqua tingat, et Dominicum corpus impertiat : hic contra, ut testamento hæres scribatur. Quid exspectas ut baptismus tibi febris, aut periculosi temporis, ac non potius rationis et prudentiæ liberæque voluntatis beneficio comparetur? Quid exspectas, ut ab amico certo resciscas te jamjam moriturum, qui quidem, quatenus tibi baptismi mentionem, ut perturbationem allaturam, injicere gravatur, insidiatorem tibi se præbet, non amicum? Estne enim ejus qui amat, pereuntem amicum ac sine baptismo abeuntem negligere? Cur igitur liberam potestatem non præfers, verum morbi, aut alius cujusdam adversi casus, vim atque oppressionem exspectas; quid criticum sudorem, hoc est sanitatis et vitæ prænuntium exspectandum putas : quatuor enim sunt apud medicos dies de ægrotantis valetudine judicium ferentes, quartus, septimus, nonus et undecimus, atque etiam sæpe decimus tertius : in quorum aliquo sudor obortus morbum, judicat, hoc est, solvit, ac sanitatem quasi lata sententia pronuntiat. At tu ne committe, ut hujusmodi sudorem exspectans, baptismo moram interponas, quippe cum accidere possit, ut pro eo lethalis sudor te corripiat, quem egrediente anima corpus in extremo angore funfit, præsentis vitæ finem clamantem. Quin potius te ipsum commiserare, qui infirmitatis animæ commodissimus es medicus. Dum secundo vento navigas, vitæ tranquillitate ac valetudine integra fruens, baptismi naufragium : quod morte fit, time; ita fiet, ut nullo modo naufragium patiaris. Nam si timueris, profecto baptizaberis. Læte atque hilariter baptismus celebretur, in sanitate videlicet et gaudio a te susceptus, non autem defleatur, hoc est, non in morbo animique mœrore accipiatur. Nec baptismi talentum abs te defodiatur, primo quoque tempore scilicet morituro : verum negotiatione crescat, per vitam post baptismum recte ac præclare institutam. Inter baptismum et mortem, aliquid temporis intercedat, ut non modo sacramentum et peccatorum remissionem, quam baptismus affert, habeas : verum etiam mercedem ac remunerationem accipias, ut qui virtutis studio incubueris. Nam parvæ quidem atque abjectæ animæ præclarum censetur pœnam solam effugere : at qui animi magnitudine præditus est, non modo salutem et veniam, sed majus quiddam etiam quærit, cœlestem nempe gloriam et splendorem.

Col. 374 C. *Tres enim eorum qui salutem consequuntur*, etc. Postremus eorum qui æterna salute donantur, gradus, servorum est, cum quis suppliciorum metu, virtutis studium amplectitur. Medius mercenariorum, cum quis, futurorum bonorum pollicitatione illectus, probis atque honestis actionibus seipsum addicit. Primus, aliisque duobus præstantior, filiorum est, cum quis Dei amore flagrans, præclare vitam instituit : quandoquidem filius, nec verborum metu, nec præmii ac mercedis spe, sed amore patrem colit atque observat. Quamvis enim nulla ad eum observantiæ suæ et obsequii merces reditura sit, hoc ipsum tamen mercedis loco ducit, nimirum ea quæ patri grata et accepta sunt, exsequi. Hæc porro tria ne contemnamus, nobis cavendum est, plagas videlicet, et mercedem, ac Dei, tanquam Patris, cultum atque observantiam. Perquam enim absurdum fuerit, si quidem aurum publice erogetur, illud præ aliis hominibus rapere, spiritualem autem sanitatem, quæ baptismo comparatur, in futurum rejicere : et cum bilem evomere cupiens, nequaquam eam prava et flagitiosa victus ratione augeas, verum molestis potius humoribus corpus exhaurias, animæ tamen purgationem in aliud tempus reservare ac transmittere : cumque si hominum servitute premereris, ac publico præconio libertas servis decerneretur, nihil non facturus sis quo eam assequaris, ea tamen esse vecordia, ut cum te non hominum, sed peccati servum, ad libertatem

Digitized by Google

præco vocet, nondum tibi commodum esse eam accipere dicas : eumque, et vestem, et domum magnificam et ornatam habeas, egregieque instructam, teipsum tamen vilem nulliusque pretii hominem facere : cumque si baptismus, et beneficium ex eo manans, pretio quæreretur, nullis omnino pecuniis parciturus sis, nunc tamen, quia prompta atque obvia et exporrecta gratia proponitur, eam propter facilitatem nihili pendere. Enimvero ad salutem per baptismum consequendam nullum tempus alienum censendum est, quandoquidem nec ullum tempus, propter vitæ incertitudinem, alienum a morte est. *Ecce nunc tempus acceptabile*, inquit Apostolus [86]. Hæc autem particula. Nunc non unum quoddam tempus definit, sed omnia tempora, atque unumquemque diem, quandiu hodie vocatur. Ac rursus idem Apostolus clamat [87], *Expergiscere qui dormis*, et quantum ad virtutem, desidia et inertia torpescis : et, *exsurge a mortuis*, hoc est, a fœtidis peccati operibus, ac per baptismum revivisce, atque illuminare. Quandoquidem iis, qui in peccatorum tenebris a morte opprimuntur, tremenda spes ac formido est futuri supplicii. Conducibilius autem nobis fuerit, si nos matutino diabolus incursans reperiat, hoc est, in baptismi luce exsistentes.

Col. 375 B. *Sere, cum serendi tempus fuerit*, etc. Aliis quidem rebus alia tempora propria et commoda sunt. Salomoni enim mos gerendus est, utile consilium afferenti ac dicenti : *Omnia tempus suum habent* [87], at baptismi tempus universa hominum vita est. Quemadmodum enim corpus, nisi spiret, vivere non potest, sic nec anima consistere atque conservari, nisi Creatorem suum cognoscat. Quod si baptismum semper protrahas (a diabolo scilicet delusus, his verbis utente : Hodiernum diem mihi da, crastinum Domino; mihi ætatem ad voluptates proclivem, illi senilem et effetam atque inutilem, cum jam membra et organa elanguerint, nec jam ullum sui usum præbere queant) vide ne ejusmodi pollicitationes facias, quæ vitæ spatium longitudine superent. Quot enim homines violentis casibus abrepti sunt, ac ne vocem quidem ullam præ doloris magnitudine proferre potuerunt? Sæpe etiam (quod levissimus est) mica una in fauces oblique incurrens, atque in guttur incidens, hominem oppressit, aut pharmacum interemit, consulto ac meditato temperatum, aut ad purgationem quidem et salutem, medicorum opinione porrectum, cæterum eventu ipso exitiale ac lethale inventum. Quod si tu antevertens, et animam Spiritu consignatam, et corpus unguento perfusum habueris, quemadmodum olim Hebræorum postes sanguine conspersi fuerint [88], tum vero, etiam si dormias, aut sedeas, aut aliud quidpiam facias, cura et sollicitudine vacabis, ea re fretus quod etiamsi quis casus tibi nec opinanti vitæ finem attulerit, nequaquam tamen baptismi sacræque initiationis expers abiturus es. Et quod ait David : *Non timebis a timore nocturno* [89], a dæmonibus injecto, aut etiam medio ac pleno die præter opinionem et exspectationem accidente. Hoc autem dæmonium meridianum quidam acediæ et langoris, alii obscenarum cogitationum, alii libidinis dæmonem interpretantur. Nam hi quoque tum maxime, ingravescente ciborum copia ventre, homini insidiantur. Baptismus, et viventi tibi præclarum est ad securitatem præsidium (ut enim thesauro non obsignato, nulloque emblemate notato fures facile imminent, ac pecudi nullo signo inustæ tuto ac libere insidias struunt : sic e contrario id quod obsignatum est, nec temere insidiis petitur, nec facile capitur); et si ex hac vita discedas, egregium parentale tibi erit, ac tum sterilibus atque infructuosis libaminibus (9) præstantius (hæc porro vino, melle, lacte et oleo constabant, ac mortuorum sepulcris ab iis qui propinquitatis necessitudine illos attingebant, infundebantur) tum maturarum frugum primitiis utilius, quæ mortui mortuis præstant, hoc est, ad virtutem torpidi atque inertes, verique officii ignari, consuetudini stultæ servientes.

Col. 378 C. *Omnia tibi pereant, omnia diripiantur*, etc. Esto sane, omnia pereant ac dissipentur, quæcunque versatilis hujus vitæ sunt ac terrenæ jactationis et vertiginis, ex aliis subinde ad alios commeantia : tu vero hinc excedens diligenter cave, ne præclaro viatico ac donario careas. Verum fortasse dixeris, quoniam nullus alius restat baptismus, idcirco baptizari differo, quod verear, ne eum labefactem. Atqui eadem ratione ne Christianus quidem fias : quandoquidem periculum est, ne forte exorta persecutione Christi fidem abjures. Procul sit ista ratio. Neque enim quisquam est, qui bona repudianda et rejicienda putet, quod metuat ne iis aliquando spolietur. Ac certe Satanas quamvis caligo sit tamen, ut cum Apostolo loquar [90], in angelum lucis transfiguratur et cum aperte nos dejicere ac prosternere nequit, obscuris insidiis aggreditur : et cum malus sit, probi tamen consultoris speciem præ se fert : quemadmodum et in baptismo callide ac veteratorie facit. Hostem animadverte : non audet consulere, ut animum a Deo penitus avertas (probe etenim novit hoc

[86] II Cor. vi, 2. [87] Ephes. v, 14. [87] Eccle. iii, 1. [88] Exod. xii, 7-8. [89] Psal. xc, 5. [90] II Cor. xi, 14.

(9) *Infructuosis libaminibus.* Ἀγόνων χοῶν, in codice Reginæ, et ita legit interpres Græcus; ἀγόνων enim exponit ἀχάρπων. Mihi tamen aliquando frigidius videtur hoc epithetum. Ac proinde meo judicio commodius legeretur, ἀγώνων χοῶν εὐσεβέστερον, ut in Hervagiano exemplari. Nam in funeribus quoque clarissimorum virorum olim varia certamina proponebantur, ut patet ex Homero Patrocli funus describente, et ex Isocrate vitam Evagoræ litteris mandante.

Digitized by Google

Christianis ita grave fore ut ne aures quidem eorum hunc sermonem ferre queant : verum subdolis artibus, quod molitur, alia ratione perficere studet, tibique persuadere conatur, baptismum, propter metum scilicet, ac religiosum pavorem proroges : ut eo ipso quod a baptismo propter metum refugis, ab hoc dono prorsus excidas, ante baptismum videlicet morte abreptus. Ac diabolus quidem ea mente est : nec unquam malitiæ suæ finem constituet, quandiu nos terrenos ad angelorum dignitatem, ex qua ipse deturbatus ac dejectus est, per honestas et præclaræ vitæ progressiones assurgere viderit. At tu fac ipsius insidias cognitas habeas. Etenim ad habentem, ut ille ait, invidia serpit : ac de rebus maximis certamen geritur. Hæc autem verba : Ad habentem invidia serpit, Sophoclis sunt in *Ajacis* tragœdia. Quid enim baptismi puritate majus et excellentius? Proinde quo major thesaurus, eo accuratius, diligentiusque tibi providendum est, ne eum acceptum amittas. Quocirca ne vile et contemnendum putes, fidelem ac pium effici. Nam qui baptismi expers est, licet Christum fide complectatur, nondum tamen inter fideles censendus est. Atque, ut translatitie a veteri arca exemplum sumam, atrium quidem classis est eorum, qui Christianæ pietatis elementis adhuc imbuuntur, per quod necessario transeundum est : sancta autem baptismi symbola : Sancta vero sanctorum, ea divinitatis doctrina et sacrosancta initiatio, quæ baptismi tempore fit, per quam ad Trinitatem pervenimus, ac cum ea jam deinceps adoptionis beneficio conjungimur. Jam vero clypei loco fidei scutum, hoc est, baptismum objice, quo te hostis per hujusmodi procrastinationem spoliat, impediens videlicet ne eum accipias, ut te nudum et inermem superet atque opprimat.

Col. 379 B. *Omnes ætatum gradus attingit, omnia*, etc. Adversus omnem ætatem diabolus grassatur, non modo juvenum, sed etiam senum : ac proinde non est, quod speres fore ut tibi ætate provecto parcat. Atque adversus omne vitæ genus et institutum, sive quis cœlibatum sibi amplectendum duxerit, sive matrimonium, aut aliud quoddam vitæ genus. Juvenis es? Juvenilem ætatem baptismi freno confirma, et baptismi ope atque auxilio munitus adversus animi perturbationes strenue dimica, in militum Dei album nomen tuum ascribens. Et quemadmodum David adversus alienigenam illum Goliath fortissime pugnavit, atque Israeliticæ mulieres chorum ducentes in ejus laudem canebant : *Percussit Saul mille, David autem decem millia*[61]; sic tu adversus spiritualem Goliath strenue et fortiter pugna, atque multiplices ipsius vires et machinas, velut chiliades quasdam et myriades in potestatem redige. Consecutus, atque a necessario et inevitabili mortis termino non longe abes; ne viatico careas, ne tibi pereat amuletum tuum, ne de undecima hora tanquam de prima cogites : verum paucis his diebus, quos reliquos habes, per baptismum succurre cujus vi renovabitur ut aquilæ juventus tua[62]. Ac juvenes quidem rerum gerendarum facultate animique magnitudine senibus præstant : cæterum prudentia vincuntur : rursus senes ita viribus corporis cedunt, ut prudentiæ laude superent. At tu, cum senili infirmitate labores, senilem tamen prudentiam nequaquam habes, quæ quidem a te, ut natu majore, requiritur. Hanc igitur præsta (baptismum accipiendo) atque senectuti, tanquam fido et certo custodi, purgationem committe. Quod si moras nectis, ac baptismum extrahis, eam de te opinionem excitabis, ut libidinis et voluptatum amore moras ei afferre existimeris, idque cum senio fractus sis atque confectus, nihilque aliud sis, quam tenues vitæ reliquiæ. Filium tenerum et infantem habes? Eum a teneris, ut dicitur unguiculis Spiritui consecra. At vereris, ne forte filio ætate altius provecto baptismi signaculum contaminetur atque sordescat? nimium profecto meticulosa mater es, Deique præsidio parum subnixa. Atqui Anna Samuelem, statim ut in lucem editus est, consecravit[63], naturæ infirmitatem adversus corporis affectuumque rebellantium impetus minime reformidans : verum Dei ope freta, certoque sibi persuadens, eum imbecillitati humanæ subsidio futurum. Nihil tibi opus est ad pueri collum diabolica amuleta, hoc est falsa salutis præsidia, suspendere, neque incantationes eas quæ in vetulis mulierculis cum oscitatione atque inhalatione et susurris quibusdam peraguntur, admittere, quibus dæmonum quoque invocatio admista est, ac per exsecranda hujusmodi scelera diabolus a levioribus et stolidioribus hominibus quodammodo adorari videtur. Quin potius filio tuo verum antidotum, hoc est, Trinitatem per baptismi sacramentum porrige.

Col. 382 A. *Quid præterea? Virginitatem colis?* etc. Postquam Theologus de ætatibus tractavit, nunc ad vitæ quoque humanæ instituta transit, atque auditorem ita alloquitur : Virginitatem colis? baptismo consignare : ut quemadmodum ait Salomon[64], circulo gratiarum orneris, et corona deliciarum, hoc est, spiritualium divitiarum orbe, qui adversus invisibiles hostes hominum protegit, non secus atque opes in sensum cadentes ad visibiles hostes propellendos, opem afferunt. Matrimonii vinculis astrictus, est baptismum quoque pudicitiæ custodem accipe. At fortasse mulieri quidem matrimonio jungi petis, nec tamen adhuc junctus es? Baptismum, quo pietas cumulatur atque perficitur, ne reformides. Neque enim matrimonium cum conspurcabit. Ego connubii post baptismum initi auspicem me profiteor. Nam cum virginitas honore præstet, utique matrimo-

[61] II Reg. xviii, 7. [62] Psal. cii, 5. [63] I Reg. i, 28. [64] Eccli. xxxii, 3. [65] Hebr. xiii, 4.

Digitized by Google

nium turpe et ignominiosum non erit. *Honorabile* enim *connubium*, ut inquit Apostolus, *et torus immaculatus*[65]. Ac proinde Christus quoque illud exornans nuptiis in Cana contractis interfuit : easque edito miraculo illustravit[66]. Hoc unum a te, qui matrimonium complexus es postulo, nimirum ut a congressu tibi temperes, quando jejunio atque orationi præscriptum tempus fluit. Hoc autem tempus illud est, quod mysticæ mensæ perceptionem antecedit, quod quidem non nuptiali tantum congressu, verum et occupatione ac negotiorum administratione, ut Pindari verbis utar, altius est, id est quavis alia cura negotioque præstantius et excellentius. Atque hanc etiam brevem continentiam ex communi utriusque partis consensu fieri volo. Non enim legem statuo, nec rei hujus necessitate te obstringo, verum monitoris et consiliarii partes ago; nec simpliciter et absolute eorum quæ tuæ potestatis sunt, extorquere quidquam cupio (potes enim tuo jure, quoties libet, cum uxore tua consuetudinem habere), verum et concordem hanc ab opere uxorio cessationem salutis tuæ causa accipere desidero. Si quidem et tibi, et uxori, continentia hujusmodi a pietate et religione manans præsidio erit, et sanctitatem afferet. Ad hunc quoque modum Paulus Corinthiis scribebat : *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Ac rursus in unum convenitis, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium*[67].

Ibid. C. *Atque ut in summa dicam nullum vitæ*, etc. Atque, ut in summa dicam, ac rem paucis complectar, omni vitæ generi et instituto utilis est baptismus. Quocirca, qui potestate ac licentia polles, frenum accipe, quo ab omni flagitio et scelere reprimaris. Qui in servitute es, æquum honoris gradum. Apostolus enim de iis qui baptizati sunt, dicit : *Non est servus aut liber, sed omnes unum in Christo Jesu*[68]. Qui in mœrore versaris, solatium, quod baptismus atque adoptionis jus affert. Qui læto atque hilari es animo, disciplinam, quæ mores tuos componat, nec petulanter et immodeste te gerere sinat. Nihil callidioris consilii adversus tuam ipsius salutem excogita, fingens videlicet te propter baptismi reverentiam procrastinatione uti, cum revera eam differendi sacramenti causam habeas, ut liberius voluptatibus indulgeas. Nam quamvis alios fefellerimus, conscientiæ tamen nostræ nunquam imposturam facere poterimus. Ac profecto adversus salutem suam ludere, fraudemque texere, periculosum est : imo vero perspicuæ est insaniæ cum arte sua perire, et eum calliditate ac dolo æternum supplicium sibi comparare. Generalis autem hæc sententia est, ac per se fidem faciens.

Col. 583 A. *At in media hominum frequentia versaris*, etc. Sit ita sane, inquies : verum in mediis negotiorum tumultibus versor, ac publicarum rerum administratione contaminor : eamque ob causam vereorne, cum baptismum accepero, eumque postea inquinavero, Dei misericordiam consumam atque exhauriam : utpote cum nullus alius baptismus supersit. Simplex est solutio, hoc est, facilis et dilucida, nec argumentis aliis multiplicique explicatione indigens. Primum enim hoc dico : Si fieri potest forum omnino fuge, assumptis aquilæ pennis, propter roboris præstantium, quemadmodum in Exodo scriptum est[69], aut columbæ pennis, quas etiam David his verbis expetit : *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, et volabo*[70] ? Has autem quærit, vel quia leviores, ac perniciores sunt (talis enim est, quisquis justitiam colit) vel quia Spiritum sanctum, cujus unius ope atque auxilio pericula fugimus, designant : ut a præsentibus malis et rerum acerbitatibus quam longissime absit. Fuge itaque forenses tumultus cum præclaro comitatu, baptismi scilicet. Quid enim tibi cum Cæsare Cæsarisque negotiis commune est, hoc est, cum mundi principe diabolo, aut hujus vitæ negotiis, ac rege horum imperium obtinente[71] ? Ne prius ullo loco consistas, quam ad cœlum perveneris, ubi nec plenum ac perfectum peccatum est : nec infuscatio, id est, levius vitium, atque animo solo conflatum et procreatum, eumque cicatricis instar obscurans ac nigrore afficiens, nec juxta id, quod in Genesi de Dam scriptum est[72], *coluber in via mordens calcaneum*, hoc est, diabolus in hujusce vitæ via insidias tendens, ut pios gressus tuos impediat. Abripe animam tuam a mundi corruptela, quemadmodum angeli sanctum Lota Sodomæ conflagratione abstraxerunt[73]. Peccatum quasi Sodomam fuge, ipsiusque pœnam velut incendium. Ad virtutem ita contende, ut nequaquam ad vitium animum reflectas, ne in salis lapidem concrescas, hoc est, ne in cæcitatem ac stuporem prolabaris, mente videlicet ad ea quæ conducibilia et salutifera sunt obstupescente. Lapis enim cæcitatem designat, sal mentem. Uxor porro Lot, cum oculos retro flexisset, salis columna effecta est[74], columna quidem ad traducendam et condemnandam eorum ignaviam, qui a recta vivendi ratione in vitium relabuntur ; salis autem, ad ostendendam hujusce mali amarulentiam, vel quia cætera quidem bona et commoda erat, quemadmodum et sal utilis et commodus : verum propter violatum Dei mandatum periit. Quod ne tibi accidat, quemadmodum Lot in montem, eodem tu quoque modo ad altam et virtute sublimem vitam omnique vitio superiorem salutis causa perfuge : ne forte cum sceleratis ad supplicium simul arripiaris, ac vin-

[65] Joan. II, 1 seqq. [67] I. Cor. VII, 5, 6. [68] Galat. III, 28. [69] Exod. XIX, 4. [70] Psal. LIV, 7. [71] Joan. XII, XIV, XVI. [72] Gen. XLIX, 17. [73] Gen. XIX, 1 seqq. [74] ibid. 26.

Digitized by Google

dex ignis te deprehensum opprimat. Primum igitur, A ut dixi, hoc tibi faciendum censeo. Quod si jam occupatus es, ac necessariis vinculis astrictus teneris, hoc est, propter causas in speciem justas atque honestas, ita secundo loco tecum disputabo. Satius id quidem erat baptismum accipere, eumque tueri. Verum si utrumque non licet, homini nimirum publicis negotiis occupato atque distracto : at certe præstat ex negotiorum publicorum administratione nonnihil sordis contrahere, ac propterea castigari, quam baptismi expertem manentem omnino a Deo arceri atque abjici. Quocirca baptismum quidem, ut honore dignum, reverere : non tamen ita pertimesce, ut ne accipere quidem audeas. Neque enim simpliciter hominum recte facta a Deo expenduntur : sed etiam eorum studia B vitæque instituta, in quibus recte et præclare officio functi sunt. Ac plerumque, qui in civili vita et in medio negotiorum posita aliquid cum laude gessit, superior est eo qui a procurationis publicæ curia feriatus, officio non per omnia satisfecit. Quod autem una cum vitæ institutis recte facta perpendantur, argumento est Rab meretrix [75], atque ille in Evangelio publicanus [76]. Etenim illa in meretricia vita hospitalitatis, virtutem assecuta, hic autem in publicani munere humilitatem, ab his paucis virtutibus justitiæ laudem reportarunt. Quæ res tibi documento esse debet, ne ea de causa meliorem omnem de salute tua spem abjicias, quod omnes virtutis numeros explere nequeas. Porro Theologus consulto ad unicam usque vir- C tutem orationem demisit, ut allatam excusationem prorsus evertat.

Ibid. *Verum, dicet quispiam,* etc. At fortasse dictus est, qui baptismum diutius extrahit. Quid commodi hinc ad me rediturum est, si per baptismum occupatus ac distractus tenear, mihique ipsi voluptatum oblectamentis interdixero : cum mihi voluptatibus servire liceat, ac tum demum baptismum suscipere, cum peccandi finem aliquando fecero : quandoquidem et operarii illi, de quibus evangelista loquitur [77], mercede conducti, atque in excolenda vinea prius labore fatigati, æqualem eum iis qui circa undecimam horam venerant, mercedem acceperunt. Ego vero ad eum, qui hujus oratione utitur, dixerim : Negotio me liberasti, D hoc est, labore et molestia, quæ mihi suscipienda fuisset, ut procrastinationis tuæ arcanum expiscarer atque intelligerem. Verum audi ex me parabolæ hujus, quam perperam intelligis, explanationem. Primum igitur hoc dico, te incongruam atque alienam objectionem protulisse. Etenim hæc parabola, non de hominis post acceptum baptismum operatione disserit : verum de iis, qui aliis atque aliis temporibus fidem amplectuntur. Qui quidem, simul atque ad fidem accesserunt, actiones suas secundum Dei mandata et leges instituere necesse habent. Illud deinde probabo, justam æquæ mercedis distributionem exstitisse. Nam quod serius venerint, qui hora undecima venerant, in causa fuit vocatio. Simul enim atque vocati sunt, protinus ac cesserunt : ita ne hac quidem parte inferiores iis sint, qui priores ad laborem se contulerunt. Cæteris autem rationibus vide quantum hi illos antecellant. Illi enim de justæ mercedis persolutione Domino non ante fidem habuerunt, nec in vineam pedem intulerunt, quam de mercede cum ipsis conventum esset : hi autem, nec conventionem ineuntes, nec anxie de mercede exquirentes ingressi sunt. Ad hæc illi perspicuis invidiæ facibus adversus eos qui undecima hora venerant, exarserunt, atque adversus beneficii gratiæque auctorem murmurarunt: hi autem, tametsi contra aliquid objicere potuerint, nullius tamen jurgii et altercationis accusantur. Huc addendum, quod illi, id, quod acceperunt, mercedis nomine acceperunt, quanquam etiam non merces ipsis, sed pœna, ut improbis et malignis, deberetur. Atque ita merito ampliori summa caruerunt, utpote stoliditatis et vecordiæ convicti. Stoliditatis enim erat, non meminisse qua mercede convenissent, et cum nullo detrimento atque incommodo affecti essent, in voces tamen iniquas et murmuris plenas prorumpere. At vero iis qui ad undecimam venerant, gratiæ rationem habebat, id quod porrigebatur. Confecta autem est hujusmodi parabola ad eximiam et excellentem divinæ bonitatis magnitudinem ostendendam. Atque etiam profecto, si illi qui priores accesserant, serius quoque, ut id exempli causa ponamus, ad vineam se contulissent, æqualem tamen nihilominus mercedem accepturi erant. Qua igitur fronte Dominum vineæ accusare audent propter inæqualem, ut ipsis videbatur, justæ æqualitatis distributionem? Quanquam enim inæqualis distributionis hujus æqualitas videbatur, propter disparem laborum rationem, æqualitate tamen summa nitebatur, quia cum illorum laboribus horum voluntas ac prompta animi affectio compensabatur. Atque hæc omnia his qui priores operi incubuerant, sudoris laudem et gloriam, quam, nisi tales inventi essent, accepturi erant, subtrahunt. Juxta secundam autem rationem, ut parabolam hanc de baptismo disserere fingamus, quid prohibet quominus tu quoque prius ingressus, dieique æstum perpessus, iis, qui post te venerunt, non invideas : ut in eo quoque ipse superior illis sis, nimirum quod propter humanitatem et charitatem invidia non inflammeris, atque etiam in eo quod mercedem accipias laboribus tuis debitam, non autem beneficio et gratia acceptam, quemadmodum ii qui ad undecimam horam venerunt? Insuper hæc parabola eos operarios, qui in vineam ingressi sunt, mercedem accipere ait, non autem eos qui a *vineæ* ingressu aberrarunt. Quod quidem periculum tibi

[75] Josue II, 1 seqq. [76] Luc. XVIII, 10 seqq. [77] Matth. XX, 1 seqq.

Digitized by Google

imminet, extra baptismum manenti, vafreque et malitiose operis nonnihil supprimenti, ac compendium laboris facienti, hoc est, propter sordidi et illiberalis animi affectionem nequaquam celeriter ad labores te accingenti, ut voluptatibus tibi frui liceat. Mitto enim dicere, quod homini non omnino turpi et sordido, verum aliqua magnifici animi laude prædito, id quoque ipsum, nempe amplius laborare, uberioris mercedis et quæstus loco habendum est, ob sequentem voluptatem atque oblectationem, quam ex ea re percipit conscientia. Etenim qui longiori labore fatigantur, hactenus superiori conditione sunt, quod propter eam rem majori delectatione perfunduntur. Quamobrem cum vitæ ingressu multari pericliteris, propter eas sordidi quæstus captationes, quas supra commemoravimus, dumque parva quædem lucra obiter colligis, hoc est, voluptates in procrastinatione positas, maximis gravissimisque detrimentis afficiaris, hoc est, baptismo ipso excidas : age, detortas hujusmodi Scripturarum expositiones missas fac, et citra ullam fraudem ad baptismum accede, nihil videlicet eorum quæ a nobis allata sunt, voluptatum studio atque amore callide prætexens aut comminiscens.

Col. 187 A. *Quid autem, inquies nonne benignus*, etc. Sequitur alia objectio, velut in ejus persona, qui baptismum recusat ac rejicit, aitque : Deus, ut cogitationum humanarum expensor quod baptismi desiderio tenear, perspectum habet ; ut autem clemens et misericors, illud pro baptismo reputabit. Ad quem, inquit Theologus : Ænigmati simile quiddam narras. Ais enim eum baptismo illuminatus non est, apud Deum, propter ipsius misericordiam, pro illuminato haberi. Ego vero, quid de tuis objectionibus existimem, in medium proferam. Aio igitur diversos esse gradus, tam eorum qui baptismum non consequuntur, quam eorum qui baptismi compotes fiunt. Etenim ex iis qui baptizantur, alii ante a Deo omnino alieni erant, in omnium scelerum flagitiorumque cœno sese data opera volutantes. Alii dimidia quadam ex parte mali erant, ut qui, non tam voluntate, quam virium imbecillitate peccarent, non secus ac febricitantes, qui quamvis febri non laborare mallent, inviti tamen in febrim inciderunt, quod febris causas in corpus admisissent. Alii etiam ante baptismum honeste et cum laude vivebant, sive quia ita commode a natura temperati essent, ut a vitiis abhorrerent, sive etiam animi instituto ac de industria ad divinum lavacrum per vitæ puritatem sese præpararent, ut et illud acciperent, et acceptum tuerentur. Atque hi quidem eorum, qui baptismum consequuntur, ordines sunt. Eadem autem et eorum est ratio, qui baptismi expertes sunt. Quidam enim eum non accipiunt, ut pecudum aut ferarum vitam imitantes, hoc est, stulte ac brutorum more cupiditatibus servientes, vel, ut sævi et importuni, belluino quodam furore concitati. Alii baptismi quidem gratiam norunt, eamque honori habent : cæterum propter inexplebilem voluptatis cupiditatem eum prorogant : ne vitæ jucunditatibus oblectamentisque careant. Alii rursus baptismi aqua tingi nequeunt, vel propter ignorantiam, ut pueri, vel propter aliquem casum inopinato eos opprimentem. Quemadmodum igitur in iis qui baptismo tinguntur, permagnum discrimen reperimus (nam iis qui flagitiis omnibus se addixerunt, præstantiores sunt qui nonnihil de scelere remiserunt : hisque rursus meliores, qui seipsos ante baptismum purgarunt : atque his denique præferendi sunt qui post baptismum divinam gratiam summo studio excolunt) ; sic inter eos quoque qui sacrosancti lavacri munus minime consequuntur, lata est differentia. Etenim qui omnino baptismum aspernantur, iis sunt deteriores, qui propter socordiam et pigritiam cum differunt. Rursus socordes et negligentes, iis pejores sunt, qui propter ignorantiam aut inopinatum quemdam et violentum casum baptismo caruerunt. Ac proinde illi omni scelere cooperti, non modo aliorum vitiorum, sed etiam contempti baptismi pœnas pendent. Qui autem propter ignaviam ac desidiam eum prorogant, pœnas quidem ipsi quoque luent, cæterum leviores : quoniam non propter contemptum animique perversitatem, sed propter stultitiam a baptismo exciderunt. Stultitia enim est, ut propter inertiam ac negligentiam, ita propter voluptatum inexplebilem sitim, baptismo multari. At qui ob ætatis puerilis ignorantiam aut necessitatem, ac vim aliquam majorem baptismi expertes manserunt, ut quidem signaculo carentes, cœlesti gloria non fruentur : ut autem minime mali, suppliciis non afficientur : quoniam detrimentum hoc potius passi sunt, quam fecerunt. Tres enim, ut opinione assequor, gradus exsistunt : unus eorum qui supernis deliciis perfruuntur ; alter eorum qui suppliciis æternis excruciantur ; medius eorum qui nec cœlestis regni voluptates sentiunt, nec pœnis ullis torquentur : in quo et pueruli qui baptismo perfusi non sunt, et qui cum baptismum expeterent, violento tamen aliquo casu impediti suscipere non potuerunt, constituerentua. At tu, qui contendis te eo solo nomine apud Deum pro baptizato habitum iri, quod baptismi percipiendi voluntatem haberis, eadem ratione fortasse dixeris eum qui cædis perpetrandæ voluntatem habuerit, etiamsi eam nequaquam re ipsa patraverit, tamen sicarii judicium et homicidæ subiturum. Ac nequaquam ita se res habet. Præterea si tibi ad baptismum baptismi cupiditas, propositumque sufficit, atque idcirco eorum qui purifica aqua perfusi sunt, gloriam quæris, ad gloriam quoque tibi sufficiat sola gloriæ cupiditas. Quoniam enim gloriæ desiderium habes, eo contentus esse debes, nec graviter ac moleste ferre, quod gloriam ipsam non assequaris, cum pro ipsa gloriæ adeptione satis superque sit gloriæ cupiditatem habere.

Digitized by Google

Col. 291 A. *Ergo postcaquam*, etc. Quoniam, inquit, has meas voces audivistis, de Davidis consilio et sententia *accedite ad Deum* (accedendo ad Ecclesiam), *et illuminamini* per baptismum, *et facies vestræ non confundentur* [78], maxime quidem judicii extremi tempore; nunc quoque tamen, ut baptismo minime frustratæ, a quo nos avertere ac distrahere adversaria caligo studiose molitur. *Venit nox*, ut ait Dominus, id est, futurum sæculum, *in quo* velut in nocte, *operari non licet* [79]. Invehitur quoque in segnes et laboris fugientes Salomon, his verbis : Usquequo piger desidia et inertia obtorpesces atque humi jacebis; ecquando a cessatione ista et socordia, quasi ex somno expergisceris [80]? Hæc atque illa causaris diem ex die ducens, atque his verbis utens : Luminum diem exspectabo, ut cum Christo per baptismum illuminer, exspectabo Pascha, ut cum Christo per baptismum resurgam; Pentecosten exspectabo, ut Spiritus sancti adventum ac præsentiam honorem. Quid postea? Adveniet tibi, velut malus viator, baptismi defectus, ac penuria, quæ homines quos invaserit, affligit, atque ad supplicia transmittit. quemadmodum ad mortem cibi penuria. Atque in tantis hujus sacramenti opibus nunc constitutus, utpote cui eas accipere liceat, postea fame conficieris, hoc est, baptismi cupiditate teneberis, cum nulla jam ratione damnum acceptum sarciri poterit. Atqui oportebat labore ac diligentia, quæ inertiæ adversatur, ea, quæ paupertati contraria sunt, elucrari, hoc est, uberem et copiosam messem, ac baptismi fontem, quo a peccati æstu atque ardore animus refrigeraretur. A Salomone autem hæc quoque sumpta sunt. Nam cum inertia ac desidia famem contrahi dixisset, de diligentia quoque et sedulitate subjungens, ait : *Si autem impiger fueris, veniet tibi quasi fons messis*, hoc est, fontis instar messis tibi uberrime profluet, *ac paupertatis æstum ardoremque mitigabit* [81]. Quocirca, *quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum* [82], ita tu quoque ad baptismum accurre : ne aliquando tibi idem quod Tantalo, accidat, quem apud inferos poetæ fabulantur in medio fonte stantem siti contabescere, aqua videlicet, cum bibendi causa caput inclinare parat, elabente : vel etiam idem quod Ismaeli. Habetur enim in Genesis libro, quod Agar ancilla, cum filio suo propter Saram indignatione succensam ab Abrahamo expulsa, per solitudinem oberrabat, ac consumpta aqua, quam in utre portabat, puerum sub abiete projecit : ac, ne ipsum morientem cerneret, e regione ipsius procul sedit [83].

Ibid. B. *Miserum est, cum nundinæ effluxerint*, etc. Nemo, inquit, mercatorum conventu soluto, negotiatur : eodem modo nec post hanc vitam pietati studere licet. Deus enim, ut Job ait, adversus eum, qui morte exstinctus est, conclusit [84]. Quocirca properate, ne latro vobis antevertat, quemadmodum latro ille cruci cum Christo affixus omnibus hominibus illius ætatis antevertit [85]; atque, ut Judæi, illud Christi audatis, *Publicani et meretrices præcedent vos in regnum* [86]. *Regnum* enim *cœlorum vim patitur*, hoc est, per vim rapitur, ac multo labore comparatur. *Et violenti rapiunt illud* [87], qui sibi ipsis vim afferunt, atque affectuum tyrannidem vi frangunt et debilitant. Porro per regnum hoc loco Christum intelligit, ut cœlorum Regem, qui pro sua bonitate ultro, summo tamen cum labore et ærumna, capi se possiderique sinit, ut salutem assequamur.

Col. 394 A. *Enimvero si mihi auscultandum*, etc. Ad peccatum tardus esto : celer autem ad virtutem, salutis parentem. Pari enim in vitio sunt et celeritas ad vitium, et tarditas ad virtutem. Si ad inhonestum et impudicum convivium voceris (hoc enim comessatio significat) ne proficiscaris. Si ad Dei abjurationem, ne dicto audientem te præbeas. Si improbitatis operarius tibi hæc, quæ apud Salomonem habentur, dixerit : *Veni nobiscum* [88], et quæ sequuntur, ne aures ipsi præbeas : ut et ei peccatum suum notum et perspectum reddas, hujusmodi videlicet consilium nequaquam admittendo, et tu a scelerata hac societate libereris. At si David te ad baptismum cohortetur (qui quidem lætitiam et exsultationem affert, utpote peccatorum remissionem largiens), si etiam Michæas aut Isaias dixerint, *Venite, ascendamus in montem Domini* [89] (hoc est, ad Ecclesiam, in qua ex peccatorum cœno per baptismum emergimus, atque in altum efferimur), si etiam Christus ipse nos invitet [90], ut peccati pondere fessos levet ac recreet, curisque liberet, atque hinc alio traducat : *Super nivem splendentes*, ut ait Jeremias [91], atque ad pietatem densius compactos, quam lac in caseum coaguletur, ac supra sapphirinum lapidem illustres, ne moram ullam interponamus : verum, et simul curramus, et certatim curramus, de victoria contendentes, atque omni studio in hoc incumbentes, ut baptismum ante alios arripiamus. Ne ad eum, qui te baptizare parat, dixeris : Adsint mihi cognati, ac tum baptizabor. Verum hic metus animum angat, ne baptismum de die in diem extrahens, sine baptismo mortem obeas, ac genere tibi propinquos, luctus, non gaudii socios accipias. At, inquies, munus parabo, splendidamque vestem, quam post baptismum induam, atque etiam mensam, qua initiatorem meum excipiam. Ne hæc quidem necessaria sunt, nec, si *ita* præparatus non fueris, propterea baptismi gratiæ quidquam decedet. Baptismi enim gratia *splendoribus* iis qui oculis cernuntur, est sublimior, nec iis quidquam opus habet : quin potius *teipsum Deo mu-*

[78] Psal. xxxiii, 6. [79] Joan. ix, 4. [80] Prov. vi, 9-11. [81] Ibid. 11. [82] Psal. xli, 2. [83] Gen. xxi, 15, 16. [84] Job xiv, 10 seqq. [85] Luc xxiii, 39, 40. [86] Matth. xxi, 31. [87] Matth. xi, 12. [88] Prov. 4. [89] Mich. iv, iv, 4; Isa. ii, 3. [90] Matth. xi, 28. [91] Thren. iv, 7.

Digitized by Google

neris loco offer. Quid splendidam vestem quæris? Christum habes; hunc per baptismum indue. *Quicunque* enim *in Christo baptizati estis*, inquit Apostolus, *Christum induistis* [91], hoc est, Christi formam. Quid ea quæ ad laute et opipare accipiendum baptismi ministrum pertinent, quæris? Ille enim non cibis delectatur, sed præstantissima vitæ ratione, qua ego delector, atque ante me Christus, res maximas largitus, hoc est, ipsum baptismum, ac per eum filiorum adoptionem. Neque enim apud Deum quidquam magnum est, non aurum, non argentum, non pellucidæ gemmæ, non aliud quiddam, quod non pauper quoque offerre queat. Quanquam enim in his pecuniarum materiis pauperes a divitibus proculcantur ac proteruntur, hic tamen, hoc est, in baptismo ac vitæ degendæ ratione, copiosior atque opulentior ille est, qui majori animi alacritate præditus est.

Col. 393 A. *Nihil progressum tuum inhibeat*, etc. Quemadmodum ferrum ignitum, quandiu calet, in aquam injicitur, ut temperetur; non enim, cum refrixit, temperari atque exacui potest: eodem modo tu quoque quandiu tuus erga baptismum animi fervor non intepuit neque refrixit, fac baptismi aqua tempereris. Nam hic quoque molitiem illam animi, qua perturbationibus vitiisque laxamur, obdurat. Et quemadmodum Æthiops ille eunuchus, cujus in Actuum libro mentionem Lucas facit [92], postea quam evangelici regni doctrinam a Philippo hausit, protinus fidem corde accepit, nec Spiritus signaculum distulit, verum simul atque objecta ipsorum oculis aqua est, mira animi lætitia perfusus, dixit: *Ecce aqua*, id videlicet quod expetebam, *quid me prohibet baptizari?* eodem modo tu quoque facito. Ne dicas: Episcopus me baptizet, atque is Hierosolymitanus, et nobilitate clarus, et matrimonii expers ut nec propter baptizantis vilitatem et talium obscuritatem nobilitas mea dedecoretur, nec si ab indigno homine baptizer, sordibus inquinetur. Noli eorum qui baptizant, vitas scrutari atque inquirere. Etenim, *homo*, ut a Samuele I Regum dictum est, *videt in faciem, Deus autem in cor* [93], hoc est, homo ea quæ oculis offeruntur, cernit, Deus autem mentis abdita intuetur. Noli nimium anxie ac curiose baptizantis pretium et dignitatem perscrutari et explorare, num scilicet episcopus aut metropolitanus sit; nec ambige atque addubita cuinam potius te per baptismum spiritualiter regenerandum præbeas. Quemadmodum enim duo annuli, alter auro, alter ferro confectus, unam eamdemque principis imaginem insculptam habentes, ac deinde ceram imprimentes, tametsi materia differant (aurum enim splendore ferrum antecellit) tamen utraque impressio eamdem principis formam refert: consimili modo de baptismi ministris existimandum est. Quamvis enim vita et morum ratione alius alium superet (quemadmodum illic aurum ferro præstat), tamen vis baptismi eadem est, non secus atque sigillorum nota: omnisque Christianus sacerdos, baptizandi munere fungens, eum qui baptizatur, rite initiat, dum tamen perspicue hæreticus non sit, atque ab Ecclesia aversus, verum eadem fide informatus.

Ibid. D. *Ne alienum dignitate tua putes simul*, etc. Herus es; ne cum eo qui hactenus, hoc est, usque ad baptismum, tibi servus exstitit, initiari grave ducas. Nam post baptismum non est servus in Christo Jesu. Hoc enim præstat baptismus, ut deinceps omnes æquo honore sint. Etenim ex quo die per baptismum refingeris, hoc est, ab affectuum turbulentia ad animi tranquillitatem, a vitæ sordibus ad puritatem, veteres omnes notæ recesserunt, a quibus, et dives, et nobilis, dominus, atque hujus generis nomina designantur. Atque omnibus iis qui baptizati sunt, una forma baptismi, nempe Christus [94], quasi character quidam, impositus est, hoc est, Christi fides per quam, quinam simus, liquido patet. Adhæc, cum exploratum habeas, eos qui a Joanne baptizabantur, id in more positum habuisse, ut peccata sua confiterentur [95], fac tu quoque peccata tua expromas: ut quandoquidem pudor atque ignominia futuri supplicii pars est, eam hic erubescendo fugias, ac peccatum publice traducendo, et velut de eo triumphando planum facias te illud odisse atque detestari. Quin illud quoque tibi providendum est, ne exorcismi prolixitate offendaris. Longiorem enim exorcismum nequaquam moleste atque ægre ferre, argumentum est animi vero ac sincero affectu baptismum amplectentis. Est autem exorcismus, conscripta verborum series, in qua is qui baptizat, diabolum, Dei nomine adjuratum, ab eo, qui baptizatur, exce'ere ac procul fugere jubet. *Æthiopum regina*, hoc est, Austri, quæ, ut tertio Regum habetur, ab orbis finibus sapientiæ Salomonis fama permota, Hierosolymam perrexit [96]. Atqui sapientiæ illius, quæ in Salomone exstitit, miraculo, baptismi miraculum majus et excellentius censendum est, quippe quo homines ex veteribus novi efficiantur. Quamobrem nullius impedimenti atque obstaculi metu deterreaberis, quominus ad baptismum pervenias. Atque hic etiam res ita comparata est, ut ubi promptus atque alacer fuerit animus, quod obstare possit, nihil esse queat. Nec vero ad id sumptus ulli faciendi, nec ullum negotium suscipiendum est. Isaias enim, ad baptismum nos exhortans, ait: *Sitientes*, hoc est, qui baptismi desiderio flagratis, *ad refocillationis aquam pergite*, hoc est, ad baptismum, peccati flammam ardoremque restinguentem, *et qui non habetis argentum*, ut pretium detis, *emite* hu-

[91] Galat. III, 27. [92] Act. VIII, 27 seqq. [93] I Reg. XVI, 7. [94] Galat. III, 27 [95] Matth. III, 6. [96] III Reg. X, 1 seqq.

Digitized by Google

jusmodi aquam, prompto atque alacri animo ad eam accedendo [97]. Solo enim voluntatis pretio baptismus emitur. Porro cum voluntatem cupiditatemque dico, non nudam ac simplicem intelligo : nec enim ea sufficit : verum eam quæ actionem comitem habet, atque ex eo quod ad rem expetitam et concupitam nos conferemus, maxime apparet et elucescit. Incessum quippe et profectionem pretii loco ducit. *Profecti* enim, inquit, *emite et bibite vinum sine pretio* [98], hoc est, voluptate afficiamini nulla pecunia persoluta. Vinum enim oblectationem designat. Ac proinde dictum est : *Et vinum exhilarat cor hominis* [99]. Vel fortasse vinum mysticum intelligit, hoc est, Christi sanguinem, cujus post baptismum gratis participem fieri licet. Sitit atque appetit Dominus a nobis amari : datque jucundius ac libentius, quam alii accipiant, dummodo nequaquam parva et exilia, verum eo digna postulemus. Petiit a Samaritana potum, hoc est, fidem, atque hujus doni desiderium : ipse autem eam baptismo est impartitus [1]. Qui fons quidem dicitur, quia perenniter fluit; aquæ autem, quia vitiorum sordes abluit et purgat, atque etiam affectuum flammas, exstinguit; salientis denique, hoc est, motu agitatæ atque efficacis, et ad vitam æternam efferentis. Jam vero Isaias doctores eos beatos prædicat [2], qui doctrinam super omnem aquam spargunt, hoc est super omnem animam baptismi aqua perfusam, quam hesterno die, hoc est, ante baptismum divinæ pluviæ penuria laborantem, vastam et incultam brutæ animi perturbationes calcabant ac premebant. Nam qui rem aliquam pedibus terit, eam quoque comprimit. Dementia autem ac vecordia per bovem atque asinum significatur. Quanquam etiam his verbis, naturalium, ac præter naturam exsistentium affectuum discrimen notari existimo, quoniam bos purum est animal, asinus autem impurum et immundum. Joel insuper ait : *Fons ex domo Domini egredietur ac torrentem juncorum proluet* [3]. Est autem quantum ad historicum sensum, locus haud procul ab Hierosolymis dissitus, aqua carens, et juncos proferens. Allegorico autem sensu, per fontem evangelicæ prædicationis doctrina significatur; per torrentem autem juncorum, fidelium Ecclesia, quæ cum prius arida et siccitate perusta esset, quoniam nulla hujusmodi doctrinæ fluenta hauserat, nec frugiferas ullas actiones produxerat, postea irrigata est, fructusque tulit. Quoniam autem juncus, qui feni est species, brutis animantibus in pabulum objici solet, idcirco animam stulte temereque viventem Theologus junciferam nominavit. Hanc porro baptismatis fonte, extemplo Domini manante, irrigatam, pro junco triticum ferre ait, hoc est, actiones hominis naturæ convenientes. Quocirca omni studio tibi ad vigilandum est, ne sis expers baptismi : qui quidem communis omnium mortalium est gratia, non secus atque aer quem spiramus, ac cœlum orbisque aspectus.

Col. 399 A. *Sint sane hæc, dixerit aliquis quantum*, etc. Sint sane vera, inquies, quæ de nobis, qui a culta ætate sumus, ac baptismum requirere possumus, abs te dicta sunt : verum de infantibus, qui nihil sentiunt, quid ais? An hos quoque baptizabimus. Ita sane, si quod periculum urgeat. Atque hujus rei documentum hinc peti potest, quod ne Judæus quidem circumcisionem aversatur aut differt, minaci hac oratione permotus : *Omnis anima, quæ octavo die circumcisa non fuerit, exterminabitur* [4]. Circumcisio autem illa Circumcisionis non manufactæ figuram gerebat, quæ in baptismo per carnis exspoliationem abjectionemque peragitur [5]. Ac propterea hæc nullo modo differenda est, cum Dominus dixerit : *Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum Dei* [6]. Huc accedit, quod postes quoque et si sensu carentes, sanguine ungebantur: [7] et tamen exterminator consignatas domos præteribat : in iis autem, quæ signum nullum præferebant, primigenam prolem interficiebat. Proinde quoque satius est, ut infantes, tametsi sensu careant, baptizentur, quam ut signi expertes e vita decedant. Quoniam enim modo, qui baptizatus non est, dicere queat Dei sum : cum rei hujus signa et notas secum non ferat? At vero de aliis puerulis, quos nullus adversus casus, nec periculum ullum Baptismi suscipiendi necessitate constringit, in ea sum sententia, ut circa tertium ætatis annum, aut omnino intra hoc tempus, hoc aliquanto ultra hoc spatium, baptizentur : ut nonnulla sacrosanctæ initiationis verba audire ac respondere queant, verbi gratia : Abrenuntio Satanæ ac Christo adjungor. Res enim ita, ut dicturus sum, se habet, quod pueri tum demum vitæ suæ rationem reddere incipiunt, cum fidei mysterium intellexerint, et cum in ipsis plena et adulta ratio fuerit, hoc est, delectus boni et mali. Tum autem ad plenum illa perducta est, eum conscientiæ judicium et sensuum organa secundum naturam agere incipiunt. Hoc porro circa duodecimum annum contingit. Cæterum quamvis puerili venia nequaquam opus habeant, utpote nondum in peccatum prolapsi: at ipsi tamen signaculo et præsidio indigent, atque ipsis baptismus offerendus et adhibendus est, ut propugnaculum quoddam et præmunitio, propter improvisos ac repentinos casus : quibus persæpe ne occurrere quidem ac mederi quisquam possit.

Ibid. C. *At dices, Christus tricesimo anno*, etc. Illud quoque objicis, quod Christus tricesimo anno baptizatus est : idque cum Deus esset. Pluribus ac diversis modis argumentum hoc diluo. Primum a persona, quia ille Deus erat, tu autem homo; ac proinde ille purgatione non indigebat : verum propter te baptizatus est, quemadmodum et incarnatus:

[97] Isa. LV, 1. [98] Ibid. [99] Psal. CIII, 15. [1] Joan. IV, 1 seqq. [2] Isa. XXXII, 20. [3] Joel III, 18. [4] Gen. XVIII, 14. [5] Coloss. II, 1 seqq. [6] Joan. III, 5. [7] Exod. XII, 7.

Digitized by Google

tu vero magnopere ea opus habes. Deinde a personarum circumstantiis. Etenim ex baptismi mora et dilatione nihil periculi erat, quod ei suspicionem afferre posset. Ut enim quod voluit, natus est : ita mortis quoque cum ipsi videretur, arbitrium et potestatem habebat, cruciatusque et supplicia, in quod tempus libuit, reservavit. At tibi periclitatur anima, si e vivis excesseris, corruptioni soli genitus, hoc est, nativitati affectibus obnoxiæ, et a corruptione ortum habenti, ac non per baptismum incorruptionem indueris, hoc est, tranquillitatem atque immunitatem a perturbationibus, animique puritatem. Dissolvetur quoque objectio tua a tempore. Christo enim tu baptizari necesse erat, cum baptizatus est, ob eas causas, quas recensebo. At tu, quam speciosam dilationis causam prætendas, nullam habes Christus enim duplici de causa nequaquam prius inclaruit, atque in hominum lucem prodiit, cum tricesimum annum attigisset : altera, ne ostentationis speciem præberet (nam ostentationis vitium ineptorum est hominum, hoc est, ambitiosorum, atque honestatis et humilitatis expertium, aut eorum qui immodice sibi placent, quales fere sunt, qui juvenilem ætatem agunt). Altera, quia hæc ætas, nempe triginta annorum, absolutæ virtutis indicium et argumentum habet, aptaque est ad docendum. His de causis tricesimo demum anno in publicum prodiit. Postaquam autem imminere cœpit illud tempus, quo supplicio erat afficiendus, omnia quæ ad passionem spectabant, in unum coierunt et confluxerunt : ac velut corpus quoddam continuum factum est. Ut enim ad hominum oculos notitiamque pervenit, baptizatus est; ex baptismo deinde ad eum ingens mortalium multitudo confluxit, atque, ut inquit Matthæus[6], commota et velut tremore concussa est universa civitas, concurrente videlicet populo ac sese commovente : tum propter multitudinis concursum miracula sunt edita, ut iis permota promiscua plebs ad Evangelii fidem se conferret. Postea in invidiam atque odium adductus, insidiisque appetitus et proditus, ac tandem cruci affixus est, atque ea supplicia pertulit, quibus nobis salus parta est. Atque hæ causæ fuerunt, cur Christus eo demum tempore baptizaretur, quantum quidem ipse cognitione assequor. Tibi vero quid necesse est, ut hæc in exemplum trahens, male tibi consulas? quandoquidem et pleraque alia in Christo reperies, quæ cum nostris rebus, quantum ad tempora, non consentiant. Ille enim statim ut baptizatus est, priusquam a diabolo tentaretur, quadragenarium jejunium adversus tentationes obtendit : at nos ante Pascha jejunamus, jejuniumque ipsum ad virium nostrarum modum attemperamus. Hoc porro jejunium nobis faciendum esse significat, ut per ipsum cum Christo moriamur. Consimili etiam ratione discipulis post cœnam ante unicum passionis diem Christus Pascha tradidit : at nos in sacris domibus et jejuni, et post reditum Christi ad vitam illud celebramus. Ita res Christi, ut quidem forma atque exemplum, a nostris rebus non omnino abruptæ ac distractæ sunt : nec rursus ita conjunctæ, quin dissimilitudinem aliquam admittant. Eadem quoque est baptismi ratio, quem Dominus propter nos ita suscepit, ut tamen temporis spatio atque intervallo differat. Quamobrem non est, quod tu hoc argumentum quasi telum quoddam adversus salutem tuam intorqueas:

Col. 402 D. *Quare si quid me audiendum putatis*, etc. Valere jubete. Gr. χαίρειν ἐάσατε. Proverbialis hæc locutio. Veteres enim eos quos odio prosequebantur, obvios habentes valere tantum jussos præteribant. Porro hoc verbum ipsis fletum ac perniciem significabat. Proinde tu quoque, inquit Theologus, hujusmodi rationes, quas prætexis, valere jubens, ad baptismum accurre, ac duplex certamen suscipe : alterum, ut teipsum ante baptismum purges ; alterum, ut baptismum tuearis atque conserves. Quandoquidem juxta Demosthenis sententiam, plerumque majoris negotii ac difficultatis esse videtur bona conservare, quam adipisci. At dices : Permagni negotii est hunc baptismi thesaurum tueri. Sedulo vero invigila, frater, ut, quod amas, retineas, hoc est, ut perceptam baptismi gratiam custodias. Præsto sunt tibi auxiliares copiæ, si volueris, nimirum oratio nocturnas excubias agens, inedia familiaris ac domestica, psalmodia animum oblectans atque permulcens. Has socias tibi ascisce : hæ ad rerum charissimarum custodiam simul pernoctent. Præclara quoque fuerit largitio, et quæ eam præcedit, misericordia : quæ animi affectio est, ac nuda et simplex condolescentia. Etenim studium de pauperibus bene merendi utrumque hoc tibi præstabit, ut et de Deo, qui te per baptismum beneficio affecit, præclare mereari : et tutus tibi sit baptismus. Habes multa Scripturæ testimonia, quæ te eleemosynæ submoneant, atque ad eam te excitent. Pauper accessit, Lazaro similis, quatenus scilicet ad fores tuas provolutus est, atque in eadem egestate iisdemque afflictionibus calamitatibusque versatur? In mentem tibi veniat, quod ipse quoque magna virtutis inopia ante baptismum laborasti : post baptismum autem ad amplissimas opes evectus es, nimirum ad purgationem, adoptionem cœlorum regnum, divinitatem ipsam : item quod corpore ac sanguine Christi nutritus es, ac per Christianum hujusmodi sacrificium perfectionem adeptus es. Peregrinis quispiam se obtulit, tecto carens, advena? Per hospitem et peregrinum, Christum suscipe, qui velut externus ac peregrinus in mundum venit. Ait enim evangelista : *In propria venit, et sui eum non receperunt*[7]. Propria autem ipsius, præsens hic mundus est, utpote ab

[6] Matth. xxi, 10. [7] Joan. i, 11.

Digitized by Google

eo creatus. Per domo carentem, eum qui per baptismum in te commigravit atque habitavit, velut templum Dei effectum (*Templum enim Dei, inquit, estis* [8]). Per advenam rursus, eum qui ab hujus vitæ peregrinatione et incolatu ad supernam habitationem te pertraxit. *Cum* enim, inquit, *exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum* [9]. Et quemadmodum Zachæus, posteaquam Christum in domum suam excepit, dimidiam quidem facultatum suarum partem pauperibus erogavit, reliquam autem retinuit, non ut ipse iis fruereturque, sed ut ea quadrupli fœnore restitueret, quæ injustis rationibus et fraude ac per calumniam collegerat [10] : sic tu quoque magnanimus esto, hoc est, pecuniarum contemptor, ac supra res terrenas assurge, ut magnus secundum spiritualem ætatem, quæ in virtutis incremento sita est, appareas, atque Christiana theoremata plene et exacte intelligas. Saucii et ægri te misereat : quandoquidem te quoque Christus spiritualibus vulneribus per baptismum liberavit. *Si videris nudum, contege*, quemadmodum Isaias hortatur [11], ut indumentum tuum, hoc est, Christum, quem per baptismum induis, honore afficias. Si is qui tibi debito obstrictus est, ad pedes tuos se provolvat, Isaias quidem debiti condonationem suadens ait : *Omnem injustam syngraphan concerpe* [12] ; ego autem adjungam, ut justam quoque conscindas : quoniam et Christus chirographum tuum fregit atque laceravit teque ære alieno liberavit [13]. Quare cum tibi magna summa condonata sit, cavendum tibi est, ne in minori debito gravem et acerbum exactorem conservis tuis te præbeas. Alioqui futurum est, ut ea quæ tibi remissa sunt, rursus a te repetantur, ac pœnas etiam eo nomine persolvas, quia commiserationis exemplum ob oculos positum habens, nimirum Dei erga te misericordiam, illud imitari noluisti.

Col. 403 C. *Sic te compara, ut lavacrum non modo corpus*, etc. Da operam, ut non corpus solum aqua conspergatur, verum etiam anima ; nec peccata duntaxat abluantur ac detergantur, verum et mores, hoc est, hujusmodi animi affectio, qua peccata committuntur ; nec cœnum tantum eluatur atque exhauriatur, verum et fons ipse ac scaturigo, a qua cœnum profluit. Illud etiam addisce, ut non modo honeste et cum laude ea quæ habes, possideas, verum ea præclare profundas ac dispergas. Quod si eo adduci non potes, ut facultates justis rationibus partas in pauperes effundas, id saltem, quod levius est, a te impetretur, ut res scelerate quæsitas excutias. Nam alienorum bonorum raptor duplici peccato devinctus tenetur : altero, quia rapuit ; altero, quia id quod rapuit, retinet. Quocirca, si apud ipsum post baptismum manet, quod prius per rapinam ac latrocinium adeptus est, peccatum interciditur ac latrocinii quidem remissionem baptismi beneficio consecutus est : verum retentionis illius, qua bona rapto fruitur, non item. Etenim injuriam infert etiam post baptismum, quatenus aliena bona adhuc retinet. Baptismus enim præcedentia peccata delet, non ea quæ postea patrantur. Proinde qui aliena rapuit, ac deinde baptizatur, ideoque sibi noxam remissam esse existimat, se ipsum decipit, et baptismo fucum facit. Atqui purum esse oportet, non tantum videri atque existimari. Quanquam enim talis videatur, quia ex parte purgatus sit, minime tamen est, propter id, quod in eo desideratur. Neque enim infixa et impressa est baptismi purgatio, hoc est, nequaquam inustionis instar alte grassata est : sed leviter tantum illata et colorata. Quæ res duntaxat tegit atque occultat : quod autem occultatur, manet. Quod vero contectio penetralia ipsa non purget, David testimonio suo confirmat, tres ordines inducens. Primo enim ac præcipuo loco beatos eos proclamat, quorum iniquitates remissæ sunt [14] ; secundo eos, qui ex parte purgati sunt, quorum tecta quoque peccata esse dicit [15], utpote qui nondum in penitissimis animi latebris atque recessibus expiati sint. In tertio demum ordine illos constituit [16], qui, tametsi vitiose aliquid fecerint, ita tamen fecerunt, ut voluntas eorum animique sententia crimine careat, quia, vel imprudentes, vel inviti, vel bona intentione et proposito, in fraudem inciderunt. Ut autem nonnullis placet, remittuntur quidem peccata per baptismum : teguntur autem per pœnitentiam, ut ea jam Dominus non imputet, atque in rationem vocet.

Col. 406 B. *Quid igitur dico? et quo mea spectat*, etc. Altera est mulier contracta et inclinata, altera Chananæa. Illius apud Matthæum, hujus apud Lucam mentio fit. Theologus autem ambas ad eum, qui nondum baptizatus est, hoc loco accommodat. Chananæam quidem propter peccata eam nominat (gentilis enim erat hæc Chananæa et a lege aliena) ; contractam autem, propter scelerum gravitatem Satanæque vincula. Quod autem ait, Heri, tempus baptismum præcedens significat ; hodie vero illud, quod baptismum sequitur. Si igitur, inquit, per baptismum a Christo erectus fueris, ne rursus ad terrenas cupiditates procumbas, velut quibusdam catenis inflexus. Nam si post baptismum quoque in terram procubueris, difficile tibi jam erit huic contractioni mederi : utpote cum nulla supersit jam secunda regeneratio. Rursus tabescebas, quia salus te defecerat, quemadmodum illa sanguinis profluvio laborans, deficiente sanguine. Atque impuritate et sordibus scatebas, hoc est, sanguinem et exitiosum peccatum fontis in modum emittebas, post baptismum vero salutiferæ aquæ purgatione refloruisti, atque impuritatis

[8] I Cor. vi, 16. [9] Joan. xii, 32. [10] Luc. xix, 8. [11] Isa. lviii, 7. [12] ibid. 6, [13] Coloss. ii, 14. [14] Psal. xxxi, 1. [15] ibid. [16] ibid.

Digitized by Google

fluentum exaruit, posteaquam animo baptismum tetigisti, qui quidem Christi vestimentum est, utpote incorruptionis indumentum : fimbriæ autem ipsius, aqua et alia symbola. Vide igitur ne in rubrum et cruentum peccatum rursus incidas : ne rursus apprehendere Christi fimbriam nequeas (quippe cum, ut jam dictum est, nulla sit secunda regeneratio) ut salutem tibi tuto, velut in baptismo donatam, furtim tollas. Nec enim Christus libenti animo fert sibi a te salutem crebro per baptismum surripi, sed semel duntaxat. Hoc autem eo fit, ne si gratiæ rursus per baptismum obtinendæ spes nobis affulgeret, in contemptum et incuriam laberemur, acceptamque gratiam facile perderemus. Quod ipsum quoque eximii atque insignis Dei erga nos amoris argumentum est.

Ibid. B. *Heri in lecto jacebas*, etc. Hic paralytici historiam ad institutam materiam accommodatam interpretatur. Ac per lectum quidem supinam socordiam et pestiferam quietem intelligit; per artuum autem dissolutionem, delicias, animique in voluptatibus enervationem et languorem; per aquæ vero turbationem, eam quæ in baptismo sit, motionem, ac Spiritus advenientis, eique sanctitatem afferentis, vim et efficaciam. Heri igitur, inquit, hominem nancisci non poteras; hodie nactus es hominem eumdem et Deum (divinitas enim humanitati Christi hypostasis facta est); atque a peccatis lapsu, tanquam a grabato, sublatus es, lapsumque hujusmodi velut extulisti, nimirum de eo per confessionem triumphans : beneficiumque per baptismum acceptum omnibus prædicasti. Cave igitur rursus prolabare. Verum, ut es, proficiscere, id est, sanus et incolumis, præcepti hujus memor, paralytico in hæc verba dati : *Ecce sanus factus es* [17], etc. Quin ad hunc quoque modum hæc explicari queant. Qui corporis voluptatibus fractus est, is nec ad virtutem efficax est, nec ad scientiam et cognitionem facile moveri potest : ac proinde nec hominem habet, hoc est, humanam et prudentem rationem, a qua ad virtutem scientiæ capacem quasi in piscinam injiciatur : quoad usque Verbum veniens compendiosam ei depellendi morbi rationem tradiderit, menti nimirum imperans, ut a voluptatum illecebris, quibus detinetur, exsurgat, virtutumque humeris corpus tollat, atque in domum suam, hoc est, in cœlum proficiscatur. Præstat enim, ut quod inferius, ab eo quod excellentius est, actionis humeris ad virtutem gestetur, quam ut excellentior pars per fœdam mollitiem a deteriori parte ad voluptates trahatur.

Ibid. C. *Magnam hanc vocem, Lazare, veni* [18], etc. Quemadmodum prius in Lazaro, ita nunc quoque in te Dominus alta voce inclamavit, ut ad te quoque mortuum, hoc est, vitali ad virtutem facultate orbatum, pertingeret. Tu autem, multos jam dies mortuus, per baptismum prodiisti, ex vitiorum sepulcro cum triduano Christo a morte ad vitam excitatus (nam per trinam demersionem et emersionem triduana mors Christi et resurrectio repræsentatur) : ac peccati vinculis solutus es. Da ergo operam, ne rursus iis adnumereris, qui, ut Davidis verbis utar [19], in sepulcris habitant, nec peccatorum tuorum fasciis constringaris. Nam, ut est apud Salomonem : *Peccatorum suorum vinculis quisque constringitur* [20]. Etenim si animo moriaris, incertum est, utrum ad vitam rursus sis rediturus, usque ad communem resurrectionem : quæ quidem, ut est apud Ecclesiasticum [21], creaturam omnem ad judicium adducet, vitæ actæ rationes reddituram.

Col. 40. A. *Si lepra, hoc est, deformi pravitate*, etc. Apud Lucam in Evangelio scriptum est, quod decem viri leprosi Domino occurrerunt : ipse autem faustum purgationis nuntium illis afferens, dixit : *Ite, ostendite vos sacerdoti* [22]. Sacerdos enim hominem lepra purgatum, periculo purgationis facto, reliquæ postea plebi accensebat. Ut autem abierunt, purgati sunt : verum novem ex iis, patria Judæi, beneficii accepti immemores, non redierunt : unus vero, qui Samaritanus erat, ad salutis auctorem reversus est, gratiasque egit, ac Deum laudibus celebravit. Lepræ igitur, ut præter naturam exsistenti, Theologus peccatum comparat, utpote quod præter naturam quoque sit, atque animam deformitate, quemadmodum illa corpus, afficiat. Si igitur, inquit, virulentum et exitiosum peccatum tibi per baptismum abrasum est, ac formam, Dei similitudine expressam, ad quam creatus es, recepisti, purgationis tuæ mihi specimen ede, teipsum videlicet a peccati contagione purum servans. Hujusmodi namque purgatio legali et Mosaicæ purgationi antecellit. Illa enim corporum erat : hæc animarum. Ac vide ne spiritualis lepra rursus ex te nascatur, Alioqui vitiosa animæ habitudo ægre medulam admissura est. Asperior enim, majorisque difficultatis et laboris ea medicina est, quæ in magna lacrymarum gemituumque profusione consistit.

Ibid. B. *Nuper avaritia et tenacitas manum*, etc. Præclara animæ, a largitione et benignitate abhorrentis, et manus avaritiæ ac tenacitatis morbo laborantis, curatio est, facultates in pauperes effundere, opesque et rerum copias in eo positas esse arbitrari, ut inopia propter Christum afflicteris, atque ita prolixam benignitatem habere, tamque liberaliter opes exhaurire, ut ne fundum quidem ipsum intactum relinquas. Fortasse enim ipse quoque exhaustus rursus alimoniam tibi proferet, ac præsertim si hominem quemdam justitiæ laude præstantem alendum susceperis, quemadmodum Sarephtana Heliam, ut libro Regum tertio proditum habetur.

Ibid. *Si surdus ac mutus eras*, etc. Si hactenus surdus fuisti, Dei præcepta non addiscens, et mutus, ea non docens, fac tibi legis divinæ doctrina inso-

[17] Joan. v, 14. [18] Joan. xi, 43. [19] Psal. lxvii, 7. [20] Prov. v, 22. [21] Eccle. xii, 14. [22] Luc. xvii, 14.

Digitized by Google

net, quemadmodum Christi sermo surdo illi ac muto. Quin potius præceptorum divinorum doctrinam memoriæ contactu retine, ne oblitteretur : summoque studio cave, ne aures tuas ad Domini consilia claudas, non secus atque aspis mortiferum virus occultat, ac surditate seipsam afficit, ne incantatoris vocem audiat, et furere desinat. De qua et David ait : *Sicut aspidis surdæ, et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium* [23].

Ibid. *Si cæcus, et luminis expers*, etc. Si cæcus eras, oculos tuos baptismi luce collustra, ne mortis somno consopiaris. Is porro in mortem obdormiscit, cujus salutiferæ animi vires et facultates obtorpescunt et exstinguuntur. Lucem illam, trinam personis, substantia et natura et divinitate simplicem, intuere. Quonam autem modo eam cernere queas, admonet David, ad Deum, his utens verbis : *In lumine tuo videbimus lumen* [24], hoc est in Spiritu Filium.

Ibid. *Si Christum totum admiseris*, etc. Si totum Christum, inquit, eum, inquam, morborum omnium depulsorem, animæ tuæ hospitio acceperis, omnibus medicamentorum generibus eam cumulabis. Nam, cum medicum tecum circumferas, non erit, cur te morbi cujusquam metus exterreat. At operæ pretium fuerit causas animadvertere, propter quas bonis divino munere nobis concessis excidere solemus. Id enim vel ea de causa nobis accidit, quia acceptæ gratiæ magnitudines ignoramus : vel quia sollicitudinem nullam adhibemus, sed desidia et iguavia torpemus : vel quia obcæcati sumus. Quamobrem fac baptizeris, nec in peccatum rursus prorues : verum baptismi purgationem sedulo cura, et in ea excolenda elabora, atque accessiones et incrementa in animo tuo per virtutem effice. Ita demum autem præclarissime ipsi opem tuleris, si evangelicam parabolam animo ac memoria teneris [25] nimirum impurum spiritum a te per baptismum fugatum esse, atque ambulare per loca inaquosa, hoc est, animas sacro baptismi latice carentes quærere, quas cum nullas reperiat, rursus ad te, a quo digressus fuerat, redit. Ac si quidem Christum in te per virtutem habitantem invenerit, in fugam se conjicit : sin autem animam tuam vacuam repererit, atque ita affectam, ut prius occupantem excipere parata sit, sive eum, sive Christum, certius ac firmius in te domicilium sibi constituit. Etenim ante baptismum spes resipiscentiæ ac securitatis erat nempe per baptismum : at post baptismum perspicua et aperta est improbitas, quoniam boni particeps factus, illud prodidisti, ac pro eo malum attraxisti, atque idcirco firmo constanter in te diabolus, habitat.

Col. 410 C. *Rursus enimvero, ac sæpius tibi luminum memoriam, refricabo*, etc. Quanquam, inquit, sub orationis initium de diversis luminum generibus tractavimus tamen rursus Scripturæ locos, qui luminum mentionem faciunt, proferemus : *Lux orta est justo, et rectis corde lætitia* [26], inquit David. Sociam autem comitemque luminis lætitiam dixit, ut illius asseclam atque a Davide coornatam. Hujus autem filius Salomon ait : *Lux justis oritur tempore* [27]; tum etiam rursus David ad Deum clamat : *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis* [28] nos enim intermedia angelorum opera collustramus, qui quidem montes dicuntur, quod sublimes et cœlestes sint, atque ad vitium flecti (10), vel nullo modo, vel non sine magna difficultate queant : æterni autem, quia immortali conditione sunt. At nunc quidem David supplici oratione ait : *Emitte lucem tuam et veritatem tuam* [29]; nunc autem, ut voti compos factus, his verbis gratias agit : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* [30]; hoc est signa et notos habeo splendoris divino beneficio accepti. Quæ tandem signa et argumenta prophetiæ decus et oblectationem. *Dedisti* enim, inquit, *lætitiam in corde meo* [31]. Unum dumtaxat illud lumen fuge, de quo per Isaiam Deus verba faciens, ait : *Ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam succendistis* [32], hoc est, in flamma ignis, quem subjecta vitiorum materia, vobis excitastis. Deducamini ad hujusmodi ignem, ut eo conflagretis. Quibus verbis Dei iram significat. *Ignis* enim, inquit, *succensus est in furore meo, et ardebit usque ad inferni novissima* [33]. Quemadmodum enim, qui febri corripitur, febris flammam ardoremque sibi ipsi excitavit, vitiosis nimirum humoribus in viscera sua congestis : eodem nos quoque modo per scelerum materiam supplicii thesaurum nobis ipsis congerimus, ignemque accendimus. Ac quoniam sævi et acerbi ignis mentionem fecimus, distinctio adhibenda est. Nam ignis quoque purgans est, nimirum amor ac fides erga Deum, quæ ignis nominatur, non modo quod acris sit et ardens, sed etiam quod animos nostros a peccato ignorantia purget, piumque ab impio et infideli dividat. Ac de hoc ignis genere Christus in hunc modum loquitur : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat* [34]? Accelerantis autem atque perurgentis est hæc oratio. Cupit enim nos quamprimum beneficio affici; ac proinde per Isaiam quoque ita loquitur : *Habes carbones ignis : sede super eos, hi tibi auxilio futuri sunt* [35]. Porro carbones auxiliares ac subsidiarii, angeli dici queant, quos ignem *urentem* David appellat [36]. Jam Deus quoque ignis vocatur, juxta illud

[23] Psal. LVII, 5, 6. [24] Psal. XXXV, 10. [25] Luc. XII, 20. [26] Psal. XCVI, 14. [27] Prov. IV, 18. [28] Psal. LXXV, 5. [29] Psal. XLII, 3. [30] Psal. IV, 7. [31] Ibid. [32] Isa. L, 11. [33] Deut. XXXII, 22. [34] Luc. XII, 49. [35] Isa. XLVII, 14 sec. LXX. [36] Psal. CIII, 4.

(10) *Ad vitium flecti*. Quod videtur Nicetas de angelorum statu dubitare, hoc jam ab Ecclesia definitum est, eos nimirum, qui a Deo per superbiam non defecerunt, in gratia confirmatos fuisse.

Digitized by Google

quod in Deuteronomio habetur : *Dominus Deus tuus ignis consumens est*[37]. Est autem et alter ignis vindex ac scelerum ultor. Atque hic, partim in hac vita scelerates excruciat, ut quondam ille Sodomiticus. *Dominus* enim, inquit, *pluit super Sodomam et Gomorram sulphur et ignem a Domino*[38]; quo etiam peccatores omnes perfundit, juxta illud Davidis : *Pluet super peccatores laqueos, ignem et sulphur et spiritum procellarum*[39]. Ac sulphur quidem ignem alit; procellas autem excuscitat. Hic autem ignis tentationes et calamitates eas significare queat, in quas, qui graviter peccant, incidunt. Quanquam etiam per ignem hunc ignis ille intelligi possit, qui in altero ævo impios cruciat, nimirum is qui diabolo paratus est et angelis ejus, quemadmodum Dominus in Evangelio docet[40] : vel etiam ille, de quo David ait : *Ignis ante eum præcedet, et in circuitu*[41] hoc est, undecunque inimicos ejus inflammabit : quem etiam ignis fluvium ante eum profluentem Scriptura nominat[42], cujus mentionem quoque Isaias faciens, ait : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum exstinguetur*[43]. Eo autem formidabilior atque horribilior est hic ignis, quod cum verme conjunctus sit, ac duplicem pœnam habeat. Per vermem porro atque ignem materialis crassitiei colliquefactionem et excruciationem intellige. Omnes vero hi ignes exterminatricis sunt facultatis, hoc est, ultricis, non tamen ad interitum essentiæque privationem adducentis. Duplex est enim exterminatio, quemadmodum et perditio. Nisi quis forte hunc vindicem ignem mitiorem et moderationem intelligere velit, quam scelerum nostrorum atrocitas mereatur ; utpote quia Deus vindex justam pœnam misericordia et lenitate temperare soleat.

Col. 415 B. *Quemadmodum porro duplex ignis genus est*, etc. Quemadmodum duplicem ignem esse ostendimus, alterum purgantem, alterum scelerum vindicem : ita duplex quoque lumen est, alterum bonum mentisque nostræ illuminandæ vim habens, alterum fallax et fucatum, veroque lumini, hoc est, Christo, contrarium, vel ut caliginosum, vel ut infestum nobis et hostile, quandoquidem Satanas quoque vocatur, hoc est, adversarius. Qui etiam, cum caligo sit, lumen tamen videri vult : transfiguratur enim in angelum lucis, ut sub ea specie mortales in fraudem impellat[44]. Ac permulti quidem eum caliginem esse non animadverterunt ac deprehenderunt : verum meridiem esse existimarunt, hoc est, clarissimam lucem, quandoquidem circa meridiem lux maxime viget. Atque in hunc sensum illud de impiis ac perditis hominibus ab Isaia dictum intelligo : *In meridianis tenebris fugient*[45], id est, in dæmone summum bonum fugient, aut variis et turbulentis erroribus distrahentur, qui quidem dæmon, quamvis caligo sit, meridiem tamen se esse fingit. Aut fortasse propheticum hoc dictum apostolico illi simile est. *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt, est opertum*[46]. Undecunque enim veritatis lumen meridie clarius irradiat, tum a mundo, tum a Scripturis, tum a nobis quoque ipsis, verum, qui oculos aperire nolunt, a nulla earum rerum, quæ in natura sunt, Deum perspicere atque intueri possunt. Ea enim sunt animi pravitate, ut meridies illi pro caligine sit. At etiam Satanas, et nox est, et lux tamen iis esse videtur, qui voluptate ac deliciis corrupti sunt. Ait quippe David : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*[47], hoc est, tenebras illas, quibus in deliciis meis, vitaque voluptatibus diffluente, circumfusus eram, tenebras esse nesciebam, verum lucem esse arbitrabar. Atque hi sane, qui luxu perditi sunt, hoc modo se habent ; nos autem Oseas admonet, ut scientiæ lumen nobis ipsis excitemus. Quonam autem modo id fiat, idem propheta his verbis subjicit : *Seminate vobis ipsis ad justitiam, vindemiate fructum vitæ*[48]. Ita demum inquit propheta, nobis scientiæ lumen comparabimus, si justitiæ et virtutis opera seramus, hoc est, operemur, atque actiones vitæ æternæ parentes decerpamus et colligamus : quandoquidem actio comparandæ speculationis vim habet. Lumine itaque scientiæ illustremur, ut lumen verum a falso et mentito lumine discernere queamus, ac non in malum tanquam in bonum per errorem incidamus. Nec vero nobisipsis tantum scientiæ lumen excitemus, sed etiam, quod majus est, velut luminaria efficiamur, quemadmodum ait Apostolus[49], et quod maximum est, divinitatem arripiamus : quæ quidem primum ac purissimum lumen est, ac perceptibile, non quidem natura, sed gratia et divina illuminatione. Ita Jeremias hortatur, *Arripe eam : ad splendorem proficiscere, atque e regione lucis illius, antequam contenebrescat, et priusquam pedes nostri ad montes tenebrosos impinguant*[50]. Quo loco per pedes vitæ rationem et institutum accipere possumus : per montes autem, dæmones propter arrogantiam et superbiam, vel etiam eorum laqueos, qui montes quidem dicuntur, quod per eos prudentes, et sanæ mentis homines nequaquam incedant, et quia prærupti ac pestiferi sunt : tenebrosi autem, ut obscuri atque oculum fallentes. Quos ut fugiamus, inquit, Apostolus[51], quandiu dies est, id est, vitæ et laboris tempus, ut in die honeste ambulemus, nihil turpe, nihil ab honesto et decoro alienum facientes, nec comessationibus, et ebrietati, atque ex iis ortum habentibus cubilibus et impudicitiis addicentes, quæ quidem furtiva noctis opera sunt, ac propter verecundiam reique obscenitatem occulte furtimque peraguntur, quemadmodum contra diei

[37] Deut. IV, 24. [38] Gen. XIX, 24. [39] Psal. X, 7. [40] Matth. V, 41. [41] Psal. XCVI, 3. [42] Dan. VII, 10. [43] Isa. LXVI, 24. [44] II Cor. XI, 14. [45] Isa. LVI. 10. [46] II Cor. IV, 3. [47] Psal. CXXXVIII, 11. [48] Osee X, 12. [49] Phil pp. II, 15. [50] Jerem. XIII, 16 [51] Rom. XIII, 12 14.

Digitized by Google

opera, propter honestatem palam aperteque confi- A huic studio incumbit, ut nos insidiis circumventos
ciuntur.

Col. 414, A. *Omnibus membris purificemus*, etc. Nunc de quinque sensuum purgatione tractat, argumento a Scriptura petito. Ac primum de visu, omnium sensuum principe, disserens, ait : *Illuminentur oculi, ut*, quod ait Salomon, *recta cernamus* [54], ac non, quod vetat Dominus, curiose, et concupiscentiæ ac libidinis causa intuentes, stupri simulacrum in nobis constituamus. Alioqui, etiam si libidini per corporeum congressum non succumbamus (hoc enim adoratio significat) tamen in animo sordes excipiemus, impressis videlicet in nobis peccati formis et simulacris. Quisquis enim cupidos oculos in aliquem injecerit, jam adulterium commisit in corde suo [55]. Si magna quædam animi perturbatio in nobis, quasi trabes, fuerit, aut parva, ut festuca, hanc dejellamus, ut aliorum quoque vitiosos animi affectus perspicere possimus. *Ejice* enim, inquit, *primum trabem ab oculo tuo, et tum respicies, ut ejicias festucam ab oculo fratris tui* [56]. Illuminentur aures, ut cum Davide dicamus, *Audiam, quid loquatur in me Dominus* [57]. Et rursus : *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam* [58]. Hoc est, misericordiam tuam, quæ ab iis qui in spiritualis lucis oriente sunt, conspicitur, accelera. Et alio loco : *Auditui meo dabis gaudium et exsultationem* [59], hoc est, aures meas lætitia et jucunditate cumulabis, mysteria tua mihi insonans. Illuminetur lingua, ne eadem nobis infamiæ nota inuratur, quæ illis, de quibus ait David : *et lingua eorum gladius acutus* [60] ; hoc est, sermones ipsorum, qui per dentes proferuntur, noxii ac perniciosi sunt : et quemadmodum gladius ad cotem amotus et exacutus, hominem facile de medio tollit, tam etiam lingua eorum, calumniis et obtrectationibus exacuta, facile hominibus necem affert. Talis erat Doeg ille Syrus, qui sacerdotem Abimelech apud Saulem detulit, quod Davidem fugientem suscepisset, ac propositionis panes ipsi dedisset, atque necis omnium sacerdotum auctor fuit [61]. De quo et in Psalmis ita dictum est : *Velut novacula acuta fecisti dolum* [62], hoc est callidum et fraudulentum consilium animo concepisti, quo facili negotio sacerdotum civitatem excidisti, velutque abrasisti. Novacula enim comam facile demetit. Hoc autem Davidis dictum in diabolum quoque torqueri queat. Ut enim novacula apprime exacuta ita comam abscindit, ut qui raditur, nihil sentiat : sic etiam diabolus, qua est calliditate atque versutia, dolos ita machinatur atque animæ gratiam, hoc est, virtutem et scientiam detondet, ut ea sibi hæc ornamenta detrahi non sentiat. De quo et in hoc, et in nono psalmo idem Propheta ait : *Cujus maledictione os plenum est et amaritudine et dolo, sub lingua ejus labor et dolor* [63]. Dolos enim consuit, ac mala struit et molitur, atque

opprimat. Quocirca caveamus, ne quid hujusmodi faciamus ; verum, sicut ad Corinthios Paulus scribit, loquamur mystice et caute ea quæ impuris hominibus tecta sunt et abscondita [64]. *Igneas linguas verentes*, in quarum forma Spiritus sanctus in apostolos influxit [65]. Ita autem eas verebimur, si, ut iis quæ linguarum splendorem et puritatem designant, dignum est, verba faciamus. Jam vero curata lingua olfactui quoque medeamur, ne effeminemur (muliebris enim et effeminati est animi aromatibus uti : atque crebræ odorum suavitates appetitum corrumpere atque emollire consueverunt) ne id nobis accidat, quod Isaias Judæis minaci oratione denuntiavit : *Erit* enim, inquit, *pro jucundo odore pulvis* [66]. Ille vero unguentorum profusionem Judæis criminose objiciens, pro ea pulverem illum ipsis comminatus est, quem ii postea excitarunt, a quibus Jerusalem eversa est. Theologus autem per suavem odorem virtutum fragrantiam intelligit : per pulverem autem, inquinamentum illud, quod anima per sensilia unguenta, quæ ipsius robur infringunt ac dejiciunt, contrahere solet. Verum odoremur Christum, ad breve tempus gloria sua exinanitum, juxta id quod in Canticis ad Christum dicitur : *Unguentum effusum nomen tuum* [67]. Ut enim unguentum effusum suavius fragrat, atque ea, quibus admovetur, suavi odore perfundit : eodem quoque modo Dominus, posteaquam nostræ salutis causa exinanitus est, cognitione sui, velut suavissimo quodam odore, universum orbem terrarum implevit. Atque hunc a nobis spiritualiter accipi necesse est, hoc est, ut beneficia ab eo in nos collata sentiamus et agnoscamus, atque ab eo adeo efformemur, et in alteram qualitatem migremus, ut ipsi quoque suavis odor simus [68], ac de nobis idem, quo de sacrificio Noe, dicatur, *Odoratus est Dominus odorem suavitatis* [69], hoc est, libenter et jucunde accepit. Tactus purgetur, ut ne res molles et teneras, quæque animi vigorem molliant, contrectemus ; verum intellectuali ac spirituali tactu Christum tangamus, hoc est ipsius mysterium ut Deo dignum est, perscrutemur. Gustus purgetur, ut non succis et liquoribus, ac jucundis et pinguibus epulis titillemur et oblectemur, atque ad pleres cibos accipiendos incitemur. Qui quidem succi et liquores, quatenus titillant, illecebrarum ac prorituum libidinis fratres sunt, qui, postquam peccatum ab iis enatum atque patratum sentire et intelligere cœpimus, acerbi atque amari sunt. Etenim obsonia ad ingluviem nos extimulant ; ingluvies autem ad libidinem. Præsens porro voluptas insuavem tandem et acerbum finem nobis allatura est : ac titillatio illa, qua corpus nostrum voluptate afficitur, veneficum et mortiferum vermem sempiterne in inferno excruciantem procreabit. Enimvero

[54] Prov. IV, 25. [55] Matth. V, 28. [56] Matth. IV, 5. [57] Psal. LXXXIV, 9. [58] Psal. CXXXII, 8. [59] Psal. L, 10. [60] Psal. LVI, 4. [61] I Reg. XXI, XXII. [62] Psal. LI, 4 [63] Psal. X, 7. [64] I Cor II, 7. [65] Act , II, 1 seqq. [66] Isa. III, 24. [67] Cant. I, 2. [68] II Cor. II, 15. [69] Gen. VIII, 21.

Digitized by Google

Davidi pareamus, dicenti : *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus* [68], gustate panem vitæ, cibum, inquam, illum, qui non (ut sensibilis panis alimonia) perit, sed manet, ut ait Dominus [69]. Gustat autem Domini suavitatem, hoc est, experimentum ipsius capit, qui sine ulla dubitatione in ipsum sperat, eumque, ut decet, invocat. Nec esui et vorationi lenocinemur (postea enim cibi omnes pari loco honoris sunt) nec cupiditate atque appetitu flagrantem ingratam illam gulam, utpote beneficii immemorem, refrigeremus, et obsequiose colamus, idque ad breve tempus, quod ea quæ ipsi porriguntur, celerrime transmittat, nec, etiamsi perpetuo infundantur, retinere queat. Quin potius operam demus, ut spiritualis gustus nobis probe componatur, ut cum Davide dicamus : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo* [70]. Ac Salomon quoque ipse in Proverbiis ait : *Fili, mel comede, ut dulcescant fauces tuæ* [71], mel videlicet figurata locutione divinam doctrinam nominans.

Col. 414 C. *Præclarum insuper fuerit*, etc. Purgandum quoque, inquit, caput est, in quo et sensus omnes siti sunt, et actionem habent, cerebro nimirum vim et facultatem ipsis suppeditante, ut Christo capiti nostro hærere queamus, ac cum eo, velut ipsius corpus, conjungi : contra quam impostor ille, qui ab apostolo Paulo proscinditur, ut temere intumescens, nec caput, id est, Christum tenens, ex quo totum corpus construitur et coagmentatur, hoc est, compingitur et pace fruitur. Nam si caput, hoc est, principem animi nostri partem, purgaverimus, quemadmodum ipsius natura fert, nempe per virtutem ac scientiam : minime timendum erit, ne id nobis accidat, quod David ingemiscens ait : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum* [72], mentem rationemque premientes atque onerantes. Verum iniquitatem, supra caput nostrum sese efferentem, ac principatum tenentem, humi sternemus, rationemque ab ea compressam atque afflictam in libertatem vindicabimus.

Ibid. *Præclarum etiam humeris sanctificari ac purgari*, etc. Per humeros vim eam et facultatem, quæ in actione posita est, indicat : ab iis enim manus vires suas accipiunt. Per crucem autem, statum eum animi, quo, velut mortuus et exstinctus, ad vitiosos et turbulentos affectus nullo motu impellitur. Nam per virtutis cultum ac studium eo tandem pervenimus, ut animi nostri ab omnibus perturbationibus tranquilli sint et pacati. Humeris itaque sanctitatem affert, qui crucem eam, qua vitiosi animorum affectus exstinguuntur, humeris tollit, Christumque sequitur. Manus autem purgat, qui a rapina et latrocinio ac diverberatione integras eas servat : ut quemadmodum ait Apostolus [73], in omni loco puras eas attollat, sine ira et disceptationibus, atque, ut cum Davide loquar [74], disciplinam apprehendat, Christi scilicet, sive evangelicorum præceptorum, ac per vim eam, quæ in agendo versatur, quasi per manum quamdam, sermonem, hoc est, contemplationem in fide accipiat. Etenim ex honestæ et laudabilis vitæ studio contemplatio nobis comparatur, juxta illud Scripturæ : *Factus est sermo Domini in manu Aggæi* [75]. Et juxta illud Malachiæ : *Sermo Domini ad Israelem in manu angeli sui* [76]. Jam vero pedum perfectio in eo consistit, ut nobis cum iis nihil sit commune, de quibus ait Salomon : *Pedes eorum ad malum currunt, et veloces sunt ad effundendum sanguinem* [77] ; verum cum illis societatem ineamus, qui ab Isaia his verbis collaudantur : *Quam formosi sunt pedes evangelizantium pacem et bona* [78] : quales, cum aliorum apostolorum, tum Pauli pedes erant. Qui etiam ipse de se ait : *Ad propositum persequor* [79] ; atque alios his verbis hortatur : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* [80]. Hujusmodi pedes, si quid etiam post baptismum susceptum per humanæ vitæ iter sordis contraxerint, abluit Dominus, ac ne minimam quidem infimamque partem despicit, sed eam quoque purgat. Parati autem pedes dicuntur ad Evangelium, hoc est, ad cursum evangelicum, expediti, cum videlicet et ipsius præcepta exsequuntur, et ea aliis tradunt.

Col. 415 A. *Quod si qua ventris quoque illius*, etc. A sensibili ventre ad spiritualem, hoc est ad memoriam transitum facit : quæ capax quidem est cogitationum (hæ enim rationis sunt alimenta) digestrix autem ac distributrix, utpote post adhibitum judicium, ac velut concoctionem, ad animæ alimoniam eas diffundens atque distribuens. Ab Apostolo autem hujus verbi θεοποιεῖν, hoc est, Deum efficere, usum traduxit, qui de iis qui vitam in deliciis agunt, verba faciens, ait : *Quorum Deus venter est* [81]. Nam qui ventri plus æquo inserviunt, deliciasque ei subministrant, eum quodammodo Deum faciunt. Porro spiritualis ventris, hoc est, memoriæ luxus, est auscultatio studiumque externæ et profanæ sapientiæ, jucundæ quidem illius et amœnæ, sed non perinde fructuosæ, ac leporis et elegantiæ illius condimentum : qui etiam diffluens atque evanescens cibus est. Hoc quoque ab Apostolo sumptum est. De cibis enim et ventre disputans, hæc verba subjunxit : *Deus autem, et hunc, et hos destruet* [82], hoc est, comprimet atque abolebit. At vero memoriæ venter per corruptarum et improbarum cogitationum, quasi noxiorum quorumdam humorum ejectionem tenuior efficitur, atque ita demum Domini verbum excipit, quemadmodum ait David : *Et legem tuam*

[68] Psal. xxxiii, 9. [69] Joan. vi, 27. [70] Psal. cxviii, 103. [71] Prov. xxiv 13. [72] Psal. xxxvii, 5. [73] I Tim. ii, 8. [74] Psal. viii, 12. [75] Agg. i, 1. [76] Malach. i, 1. [77] Prov. i, 16. [78] Nahum. i, 15; Rom. xi, 15. [79] Philipp. iii, 14. [80] Ephes. vi, 15. [81] Philipp. iii, 19. [82] ibid.. [83] Psal. xxxix, 9. Jerem. iv, 19. [83] Psal. l, 12

Digitized by Google

in medio ventris mei[83] : quo loco per ventrem cor intelligit. Atque etiam ita purgatus venter eorum vicem dolet, qui in peccatum labuntur, atque in Dei offensionem incurrunt. Quemadmodum et Jeremias propter Judæos animo discruciatur, his verbis utens : *Ventrem meum, ventrem meum doleo*[84]. Quin etiam Davidem pro corde ac visceribus Dei opem implorantem reperio[85], eorumque rationem et curam habentem. Cor autem vim intelligentem appellat ; viscera vero ipsius sensa et cogitationes.

Col. 415 A. *Quid lumbi? quid renes?* Judæi, cum paschalis agni participes fiebant, corporis lumbos succinctos habebant ; a nobis autem requiritur ut pars ea animæ, in qua libido exsistit, spirituali modo per continentiam restringatur. Per lumbos enim ac renes concupiscentia significatur : quod in iis partibus æstuet. Sunt autem lumbi in antica parte : renes vero in postica. Pulchra porro et egregia rerum mutatio est concupiscentiæ in bonum conversio, ac spiritualium rerum amor et cupiditas : ita ut cum Davide dicere queamus : *Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt*[86]. Et rursus : *Ante te omne desiderium meum*[87], omni ex parte constrictum, nec ad aliud quidquam diffusum, verum ad te unum intensum. Atque item cum Jeremia : *Diem hominis non concupivi*[88], hoc est, humanam et corpoream felicitatem. Nos enim spiritualium rerum cupiditate teneri convenit, quo etiam modo, et Danielem angelus nuncupavit, his verbis : *Daniel, vir desideriorum, intellige sermones, quos ad te habiturus sum*[89]. Quemadmodum autem homo pacis dicitur, qui tranquillo et pacato est animo : ita vir desideriorum, qui desiderio inflammatur. Daniel enim futurarum rerum cognoscendarum cupiditate flagrabat : ac proinde ea, quæ usque ad sæculi finem eventura erant, intellexit. Etenim si tota nostra cupiditas ad Deum translata fuerit, a nobis utique spiritualis ac pestifer et sinuosus ille draco vincetur et opprimetur, de quo Deus Job alloquens, ait : *Ecce fortitudo illius in lumbis, et potentia illius in umbilico ventris*[90]. Quibus verbis ostenditur, diabolum in his, quas diximus, hominum partibus plurimum virium habere, hoc est, in concupiscibili parte, quam graviori tyrannide premit, utpote plus opis ipsi ad hominem bello lacessendum afferentem, propter voluptatis acrimoniam et vehementiam. Nec tibi mirum videatur, si quemadmodum inquit Apostolus[91], iis quæ ignobiliora et contemptibiliora in corpore esse videntur, abundantiorem honorem tribuimus, ea nimirum tot tantisque verbis prosequentes, atque adversus carnis materiam et crassitiem quæ per cupiditates suas spiritui adversatur, in procinctu stantes. Ignobiliores porro et inhonestiores partes, sunt lumbi et renes, utpote quorum opera venereus congressus peragitur.

Ibid. C. *Omnia membra, quæ sunt super terram*, etc. Lex Mosaica summam hepatis partem, et renes, una cum adipe, in quibusdam sacrificiis Deo consecrare jubebat, illud significans, iram, quæ per fibram designatur (huic enim vas bilem concipiens adjunctum est), et libidinem, quæ per renes et adipem significatur, potissimum Deo consecrari debere. Rursus Moses brachium ac pectusculum in nonnullis sacrificiis sacerdotibus assignavit : illud obscure indicans, faciendum nobis esse, ut et corda nostra per confessionem sacerdotibus offeramus (per pectusculum enim cor significatur, utpote ipsius munimentum ac præsidium), et etiam actiones, quæ per brachium designantur, atque per sacerdotes ad Deum afferuntur. Atque hæc quidem lex vetus præscribebat ; nos autem, juxta cohortationem apostolicam[92], omnia membra, quæ sunt super terram, id est, munere suo in terra funguntur, vel etiam veteris hominis, hoc est peccati, membra mortificemus ; ac nos totos Deo in sacrificium offeramus, jugulatis nimirum verbi divini gladio turpibus ac temerariis et belluinis affectibus, atque hostiæ perfectæ efficiamur. Nam quod ex parte est haudquaquam perfectum est. At qui seipsum totum Deo addixit, eique salutem suam consecravit, hic procul dubio seipsum totum accepit (11).

Col. 418 A. *Præter hæc omnia*, etc. Ante omnia, inquit, Trinitatis fidem et confessionem, ut magis necessariam, tibi committam atque commendabo. Cum hac, et te baptizabo per triplicem dimersionem, et te totidem vicibus ex aquis extractum in altum efferam. Postea a confessione ad divinitatem transit, in quam fidei confessio fit, quæ quidem in tribus personis conjunctim et singulariter reperitur (una enim in Patre, Filio, et Spiritu sancto est divinitas) ; et tres personas divisim complectitur ; in divinitate enim sunt Pater et Filius et Spiritus sanctus, nec disparibus substantiis, aut, si mavis, naturis, inæqualis est. Nam, ut sanctis Patribus placet, essentia et natura, cum de sancta Trinitate agitur, idem sunt. Nec Pater Filium, nec rursus Filius Spiritum superat : nec Spiritus ad Filium permutatione quadam transit, utpote qui genitus non sit, nec Filius ad Patrem, ut qui ingenitus non sit, quemadmodum Pater. Verum undecunque æqualis atque eadem est divinitus, haud secus atque una eademque cœli magnitudo, omni videlicet ex parte æqualis apparens. Ut enim hæc

[83] Psal. XXXIX, 9. [84] Jerem. IV, 19. [85] Psal. L, 12. [86] Psal. LXXII, 27. [87] Psal. XXXVII, 10. [88] Jerem. XVII, 16. [89] Dan. X, 11. [90] Job XL, 11. [91] I Cor. XII, 23. [92] Coloss. III, 5.

(11) *Scriptum totum accepit.* Sic enim lego ut in Reginæ codice, quia hæc lectio magis quadrare videtur cum textu : in meo tamen exemplari non Ἔλαβεν, sed Ἔθυσεν, legitur, id est, mactavit atque immolavit.

Digitized by Google

tria infinita et imperceptibilia sunt : ita et horum conjunctio naturæque identitas. Deus unaquæque persona, si separatim consideretur, mente scilicet res natura inseparabiles separante. (Neque enim cuiquam horum trium ulla divinitatis nota deest) : ut Pater, ita Filius : ut Filius, ita Spiritus. Adjectio autem hujus particulæ, *ut*, æqualitatem infert, servata cuique personæ hypostatica proprietate ; Patri videlicet, quod ingenitus sit; Filio, quod genitus; ac denique, Spiritui sancto, quod procedat. Ac Deus rursus tria hæc, si simul cogitentur, propter notionis ac naturæ identitatem. Deus enim unumquodque horum, quia eamdem substantiam habet : rursus autem tria hæc unus Deus, quia unus est divinitatis principatus. Vix unum ex his tribus animo concepi, quantum per humanam infirmitatem conceditur, cum statim trino et triplici lumine circumfulgeo, propter naturæ identitatem. Vix tria, id est, tres proprietates, aut personas, distinguere incipio, cum statim ad unum, id est, divinitatis ac principatus unitatem, sublimis feror. Si unumquodpiam horum trium per imaginem concepero, major pars ejus, quod animo observatum est, mihi elabitur, ut pote captu meo majus. Magnitudinem rei visæ mentis oculis percipere ac comprehendere ne queo, ut personam, quæ restat, majorem accipiam. Major enim pars effugit ac dilapsa est. Quod autem comprehendi non potest, id nec dimensionem admittit. Quod si rursus tria hæc simul contempler, unum splendorem video propter naturæ conjunctionem et æqualitatem, quippe qui uniuscujusque personæ locum distinguere ac separare nequeam, nec mensura assequi quodnam horum plus splendoris habeat. Nam quod comprehendi non potest, id nec mensura ulla definitur.

Ibid. C. *Tune generationem metuis*, etc. Tu, inquit, in Deo generationis verbum expavescis, ne affectum quemdam inducere videaris : quasi is, qui gignit, fluxionem patiatur. Atqui te oportebat, si quidem de humano patre sermo haberetur, tum affectionis quoque cogitationem assumere : cum autem Deum Patrem audis, ad causam omnis perpessionis expertem cogitatione provehi. Non enim quia mortalia animantia per affectum atque perpessionem gignunt, idcirco de Deo idem existimandum est; verum hinc potius ad veritatem duci debemus, ut sic ratiocinemur : Quoniam animantia corruptioni obnoxia ita gignunt, Deum, qui corruptione vacat, contrario modo gignere. At ego metuo, ne Dei mei jacturam faciam, si juxta hæreticorum nugas et deliramenta creaturam ipsum pronuntiavero. Etenim si creatus est, Deus non erit, ac deinceps mihi peribit. Nam mira hæc hæreticorum absurditas est, quod non modo hoc Deo ab iis tribuatur, quod creatus sit (divinitatem scilicet male et scelerate ponderantibus); verum etiam rursus ipsa creatio juxta eorum opinionem dividatur. Aiebant enim divinitatem, ut æquivocam vocem partim increatam esse, ut Pater ; partim creatam. Rursus divinitatem ; creatam ita dividebant, ut præstantiorem creaturam Filium, inferiorem autem creaturam Spiritum sanctum asserent. Ex quo, et Deus contumelia afficiebatur, utpote in creaturarum ordinem redactus atque depressus : et creatura ipsa, ut quæ eodem ordine cum Deo censeretur. Nam si servo contumelia est pari ordinis gradu cum hero collocari, quanto tandem ea gravior censenda est, per quam creatura Deo creatori æquatur? Enimvero Gregorium illum, miraculorum editione clarum et celebrem, audivi, cum diceret, in Trinitate nec creatum quidquam esse, nec servum nec adventitium, utpote prius nequaquam exsistens, deinde autem adveniens. Neque igitur, aut Filius unquam Patri defuit, aut Filio Spiritus : verum immutabilis semper atque alterationis expers est Trinitas. Et quidem Apostolus ait : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* [99] : Ego autem dixerim : Si Filium ut creaturam adorarem, aut in ipsum velut in creaturam baptizarer, nunquam Deus futurus essem. Creatura enim divinitatis tribuendæ vim non habet. Jam vero Regum tertio Salomon miseris modis exagitatur, quod Chamos, Moabitarum idolo, et Astartæ excelsum altare construxerit [100]. Atque etiam Amos maledictis eos concidit, qui astri figuram arte exprimebant eamque adorabant [101]. Astarte porro et Chamos, Veneris statuæ erant, quas Sidonii olim et Moabitæ colebant, ac divino honore afficiebant. Sideris vero forma, erat ipsum sidus, nempe Lucifer, quem Venerem appellant. Quanquam igitur tria adorabant, atque horum unicuique nomen Dei imponebant : tamen quoniam sidus duobus aliis excellentius arbitrabantur, ac majorem Deum, velut cœlestem esse censebant, quamnam, inquit, causam defensionemque ad eos afferam, cum me vicissim eo nomine criminabuntur, quod majorem quoque atque inferiorem Deum affirmem, divinumque honorem creaturis tribuam? Quid, inquam, dicturus sum, vel Filium ac Spiritum sanctum ut minores deos non adorans, vel conservos meos adorans? Conservi enim profecto erunt, si creaturæ sunt, quandoquidem hæretici Filium et Spiritum sanctum inferiores deos et creaturis præstantiores asserebant. Nam et in rebus creatis aliud quiddam alio excellentius reperitur.

Col. 419 B. *Cupio Patrem majorem dicere, ex quo id æquales habent*, etc. Cupio quidem Patrem Filio et Spiritu sancto majorem dicere, quantum ad paternam causam. Ex Patre enim habent Filius et Spiritus, tum quod æquales ipsi sunt, tum quod simpliciter sunt. Hoc enim nemo negaverit, quin videlicet ex eo sint, filius quidem genera-

[99] Galat. I, 10. [100] III Reg. XI, 5, 33. [101] Amos V, 26.

Digitized by Google

tionis modo, Spiritus autem processionis. Cæterum metus incussit, ne principem causam, hoc est, Patrem, minorum causam constituam. Nam qui major est, minorum ratione major prædicatur. Quod si ea, quæ ex ipso consubstantialiter et citra creationem ullam exsistunt, imminuero, Patri quoque ipsi contumeliam intulero. Neque enim Patri, ex quo et Filius et Spiritus sanctus sunt, depressio eorum quæ ex eo sunt, in gloriam cedit : *Qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem*, inquit Christus [95]. Præterea tuam inexplebilem pervicaciam, o hæretice, suspectam habeo, ne forte cum Patrem majorem audieris, idque arripueris secundum naturam quodque majorem esse intelligas atque ita unam et eamdem Patris et Filii naturam discindas, aliamque Patris esse dicas, aliam Filii : nimirum ex eo quod Patrem majorem audis, omnibus quoque rebus majorem Filio esse contendens, non solum quantum ad causam, secundum quam major esse dicitur, sed etiam quantum ad potentiæ prærogativam, dignitatisque præcellentiam, ac ponderis et gravitatis præstantiam. Atqui qualitas in Deum minime cadit, ac proinde quantum ad dignitatis amplitudinem, Pater Filio major non est. Porro Christum (qui ait : *Ego et Pater unum sumus* [96], quantum ad potentiam scilicet) Deo potentia inferiorem affirmare, valde ridiculum et puerile est. Quod si thronus Dei, quemadmodum credimus, dignitatis nomen est, profecto sedes ad dexteram Patris Domino assignata, dignitatis æqualitatem significat. Quin etiam Dominus in Patris gloria venturum se pollicetur [97]. Relinquitur itaque, ut secundum causæ rationem hoc loco major dicatur. Quoniam enim Filius a Patre causam habet, hac ratione Pater major est, utpote causa. Nullo autem modo essentia unius, essentia alterius major aut minor dicitur. Neque enim eorum, quæ essentia eadem sunt, quidquam majus aut minus est. Quare nulla alia ratione, quam principii causæ, Pater major est. Ne ipse quidem Filium Spiritui anteferre queo : Nam cum Dominus discipulos promulgandi Evangelii causa mitteret, imperavit illis, ut in nomine Patris ac Filii et Spiritus sancti baptizarent [98]. Porro ad baptismum haudquaquam simul assumptus esset Spiritus, nisi ejusdem essentiæ et potentiæ atque honoris esset. Ac metuis ne quidam te ut ternionem deorum asserentem, exagitent, ac probris insectentur, si unumquodque horum trium Deum confitearis? Unitatem in personarum trinitate retine (tria enim atque unum sunt, illud quantum ad personas, hoc quantum ad divinitatem) : me autem sine pro hujusmodi dogmate cum adversariis conflictari. Tu enim discipulus es, ego autem magister et sacrorum antistes. Enimvero Gregorius per navim ac domum *tropice atque* exempli et perspicuitatis causa *divinitatis doctrinam* intelligit, aitque : Non minus prospere navigabis, aut domum habitabis, quam ego, hoc est, rectam fidei doctrinam æque complecteris. Etenim orthodoxæ fidei professio majus et minus non admittit. Meum esto periculum; res autem a me evicta tua sit. Habeo tres lapides, hoc est, doctrinam de sancta Trinitate, quibus diversæ fidei professores fundam atque conficiam, quemadmodum David alienigenam illum Goliath corporeo lapide oppressit, sicut libro primo Regum scriptum habetur [99]. Atque Elias quidem ut II Reg. commemoratur, cum in Sarephthanæ filium ter inhalasset, eum ad vitam revocavit [1] : ego vero tres inhalationes habeo (hoc est, eas insufflationes, quæ in baptismo fiunt, vel etiam trium Divinitatis personarum doctrinam a Deo inspiratam) quibus puerilem ac vecordem hæreticorum disputationem in vitam restituam, qui vivifici Spiritus gratia velut anima orbati, quantum quidem ad fidei doctrinam attinet, mortui atque exstincti sunt. Rursus idem propheta, aqua in ligni sarmenta ter infusa, flammam excitavit, ut hinc nobis perspicuum fiat, ubi aqua mystica est, illic Spiritum quoque esse, illum, inquam, qui vivificat, sopitumque calorem exsuscitat, atque impios quidem adurit, pios autem homines et fide præditos illuminat. Eodem ipse quoque modo tres proluviones atque infusiones habeo, hoc est, tres baptismi demersiones, in quibus sanctæ Trinitatis numen invocatur, quibus eum, qui Deo per baptismum offertur, consecrabo, baptismi aqua Spiritus ignem accendens, qui crassam hujusmodi sacrificii malitiam et peccati sarmenta, atque humidam et diffluentem socordiam animique languorem infractionemque consumit. Atque hæresis doctores prosternam et dejiciam, mystica vi baptismi utens. Illud autem observandum, quod de sancta Trinitate disputans, tribus exemplis usus est, quorum rursus unumquodque tria complectitur, primum lapidum, alterum inhalationum, tertium infusionum : ad exprimendam et velut ob oculos ponendam eam, quæ in tribus personis est, æqualitatem.

Col. 422 A. *Quid longiori oratione opus est?* etc. Divus Paulus ad Timotheum scribens, dicebat : *Testificor coram Deo, et Domino Jesu Christo, et electis angelis, ut hæc custodias* [2]. Quo loco testificandi verbum idem significat, quod præcipere ac denuntiare. Ego autem dico : *Testificor*, hoc est. Spondeo, ac pro certo affirmo, quod *cum hac sola* fide baptizaberis, quæ est in æqualem substantiaque eamdem Trinitatem; cum alia enim fide *nemo* baptizatur, sed demergitur atque aquis obruitur. Quod si in cordis tui libro fidei doctrina *alio modo* impressa est, quam doceo, veni, atque in te recta

[95] Joan. v, 23. [96] Joan. x, 30. [97] Matth. xxv, 31. [98] Matth. xxviii, 19. [99] I Reg. xvii, 49 seqq.
[1] III Reg. xvii, 9 seqq. [2] II Tim. iv, 1.

Digitized by Google

dogmata transcribam, quæ ipse quoque inscripta habeo, ac didici et custodivi. Meum sit periculum, si male scribam; meum præmium, si recte. Sin autem ita te habes, ut mea ratio et doctrina poscit, ac præclaris pietatis et fidei notis atque doctrina insculptus es, ne ad tempora fidem tuam accommodes, et ad eos, penes quos imperium ac rerum summa est, te inflectas. Quin potius immutabilis fidei thesaurum fixum atque immobilem in animo habe : una enim fides est, non alias alia, ut pro tempore commutetur. Pilatum imitare, quantum ad constantiam sententiæque firmitatem, atque idem, quod ille, his qui te de sententia deducere moliuntur, dicito : *Quod scripsi, scripsi* [3], hoc est, Quod amplexus sum, amplexus sum. Cæterum ille his verbis usus est, cum titulum nefario animo scripsisset. Neque enim ut vera, sed ut criminosa, hæc verba inscripsit : *Hic est rex Judæorum*, tametsi, verum esset quod scribebat. Ac tu eadem verba proloquere, recte ac præclare signatus. Hoc enim est, quod Theologus ait, in meliorem partem imitari. Si ad hunc modum baptizari vis, ut ego didici ac doceo, en cum Davide dico : Non prohibebo a baptismi initiatione et sacramento labia mea : verum manus quoque meas Spiritui accommodo ministrasque præbeo, atque anima mea exsilit, ac veluti saltu fertur, te baptismi dono perficere gestiens. Ita demum autem te perficiam, ac numeris omnibus absolvam, si te in Trinitatem baptizavero. Etenim in Patrem solum baptizari, Judaicum est : in Filium quoque, nondum perfectum : at etiam in Spiritum sanctum, is demum absolutus est baptismus. Sin vero adhuc claudicas, velut malis litteris inustis, nec quidquam a præsenti oratione sanatus, alium quære, qui te baptizet, vel mergat potius, atque in aquis suffocet. Nec enim mihi vacat per inæqualitatem personarum diversitatemque naturarum, unam divinitatem ac naturam discindere, teque, ipso regenerationis tempore, obtruncare, non secus ac fetus inter ipsos partus doloris morte oppressos, atque in ipso vitæ ortu intereuntes : ut sic nec baptismum habeas, nec a baptismo prodeuntem cœlestis regni spem. Illud enim perfectum habe, quod si quam trium personarum hominueris, atque a divinitate deturbaris et depresseris, totum quoque, quantum in te situm erit, dejeceris, ignominiaque affeceris, ac teipsum perfectione spoliaveris. Par enim est detrimentum, vel baptismi expertem vita discedere, vel unum quoddam eorum quæ traditione accepimus, a reliquis submovere, atque inferius asserere. Quocirca nobis firmiter atque inviolabiliter tenenda est ea traditio, quam in vivifica baptismi gratia accepimus. Nam qui aliquid adjicit aut detrahit, is procul dubio sempiternæ vitæ jacturam facit.

Col. 422 D. *At nondum ulla in anime tuo*, etc. Quod si nondum ulla forma in anima tua inscripta est, Moses tibi ero quantum ad id attinet, ut ea quæ a Spiritu dictata sint, promulgem. Atque novum Decalogum inscribam digito Dei, hoc est, Spiritu sancto, per quem hujusmodi rei cordibus inscribuntur. Digitus porro in Evangelio Spiritus sanctus dicitur, non quod exigua quædam vis ac potentia sit, cum Deo perstans, quemadmodum corporis digitus : sed quia diversa Spiritus dona simul juncta, velut corpus quoddam Spiritus sancti sint, ac singulæ gratiæ digiti instar. Atque hic Decalogum animadvertas velim. Primum in sanctam atque individuam Trinitatem te baptizabo, cujus nomen, commune divinitas est. Cognosces porro, et ex ipso habitu ac rerum specie, et ex verbis, quod Satanæ renuntias et Christo conjungeris. Non enim oratione duntaxat, sed etiam habitu ipso, hoc est, vestibus nudatus, corporeque ad occasum inversus, ac manus erectas habens, Satanam abjurabis, rursusque ad ortum tete convertens, manusque depressas habens, Deum confiteberis, teque ad ejus partes adjunges, eumque adorabis. Hæc autem in actione sita sunt. Secundo, crede, quod, quemadmodum in Pastoris (12) libro habetur, unus est Deus, qui omnia creavit atque perfecit, et ex nihilo in rerum naturam produxit, eaque etiam gubernat ac moderatur; item quod, juxta Apostolum [4], hæc ipsa creatura resurrectionis tempore *a corruptionis servitute liberabitur*, ac spiritualis mundus præstantior futurus est, nimirum jam expleta ea classe, quæ adhuc desideratur, vel etiam quatenus tunc angeli a conditione ad vitium ægre flexili ad eum statum immutabuntur, ut nullo jam modo ad malum incitari queant : vel etiam, quia tunc pleniorem et absolutiorem scientiam consequentur. Tertio illud tibi cavendum est, ne propriam ullam mali substantiam animo concipias. Neque enim vitium quasi animal quoddam subsistit : verum privatio boni, malum est. Nec vero ingenitum est, ut impii garriunt, bonæ illi et sempiternæ naturæ vitium honore exæquantes (si quidem utrumque horum principii expers atque ingenitum est) : nec rursus genitum. Etenim cum omnia ex Deo sint, quo modo malum ex bono esse queat? Verum quemadmodum Deus corpus quidem creavit, non autem morbum : sic etiam animam creavit, non autem peccatum. Verum anima ab eo, quod secundum naturam erat, transversa acta,

[3] Joan. XIX, 22. [4] Rom. VIII, 21.

(12) Quantæ olim auctoritatis fuerit hic liber patet ex Athanasio qui in epistolam quam scribit ad avum monachum cum Sapientia Salomonis et Sapientia Sidrachi, et Esther, et Judith, ac Tobia eum aggregat. Ruffinus etiam in suo Symbolo, quod exstat inter Hieronymi opera tomo IV, quamvis non canonicam, ecclesiasticam tamen auctoritatem huic libro tribuit.

Digitized by Google

vitio infecta est. Quod autem erat illud bonum, quo primum erat ornata? nimirum quod Deo indivulse affixa erat, nexuque charitatis ei conjuncta : a qua postcaquam excidit, variis et multiplicibus morbis labefactata est. Quam autem ob causam omnino mali capax creata est? propter arbitrii libertatem, quæ naturæ ratione præditæ maxime conveniebat. Ergo, ut jam a nobis dictum est, malum non viva et animata essentia est, verum affectio animæ virtuti contraria, quæ propter recessum ac prolapsionem a bono socordibus et torpidis hominibus innascitur. Quocirca non est quod extrinsecus malum circumspicias, aut primævam quamdam improbitatis naturam imagineris, verum unumquemque nostrum sibi vitii auctorem atque architectum esse intellige. Eorum enim, quæ fiunt, alia a natura nobis eveniunt, ut senectus et infirmitas : alia temere accidunt, velut fortuiti et improvisi casus, ut si quis puteum fodiens thesaurum reperiat : alia denique in nostro arbitrio posita sunt, ut iram ac cupiditatem libidinemque comprimere, vel iisdem succumbere. Quarum igitur rerum arbitrium penes te est harum causas exterius ne conquiras? verum hoc pro certo habeas id, quod proprie malum est, a libera et voluntaria a bono aversione originem ducere. Quarto crede Filium Dei propter te Filium quoque hominis extremis diebus, ut ait Apostolus [5], factum esse. Nam ii dies, qui medium tempus excipiunt, extremi dicuntur, quemadmodum primi, qui medium antecedunt. Atque etiam alio modo extremos dies eos vocat, qui in temporis illius, quod legali cultui constitutum erat, fine exstiterunt : de quo idem quoque Apostolus ait : *Posteaquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere* [6]. Ineffabili modo, quia sine viri semine, et supra naturæ captum. Citra ullas sordes : quia incorrupte et pure. Ubi enim est Deus, illic nihil sordidum et impurum est. Atque est totus Deus cum carne sua, et totus homo cum divinitate. Porro cum eumdem totum Deum et totum hominem esse ait, unam atque indivisibilem esse ipsius hypostasin ostendit. Ac totus quidem Deus perfectus est, non tamen in totum Deus (neque enim solum Deus est, sed etiam homo) : et totus homo perfectus, non tamen in totum homo : nec enim solum homo, sed etiam Deus est. Hæc enim vox, *totum*, naturam declarat; *totus* autem, hypostasin indicat, non secus atque hæc dictio, *aliud*, naturam ostendit, *alius*, autem, hypostasin. Quinetiam totus totum hominem assumpsit, hoc est, corpus et animam mente atque intelligentia et ratione præditam : ac totus toti unitus est, ut toti homini salutem afferret. Alioqui pars ea hominis, quæ ab eo assumpta non fuisset, incurabilis maneret. Hoc autem Theologo propter Apollinarium dictum est, qui humanitatem Christi mentis expertem esse nugabatur. Quoniam autem modo Deus perfectus et homo perfectus, et consubstantialis Patri ac nobis Christus dici constituique posset, si aliqua tantum divinæ naturæ pars alicui humanæ parti unita esset, ac non tota divinitatis essentia cum tota natura humana conjuncta et unita? Et quoniam Christus secundum hæc tria homo factus est, hoc est, secundum mentem, animam, et corpus : secundum eadem *tu* quoque deus efficeris, tametsi ille natura, tu autem gratia et adoptione. Neque enim ille ex parte humanitatem assumpsit; nec tu ex parte deus efficeris : idque ex assumptione liquido patet. Deo enim toto homini toti unito, ille, quidem plene perfecteque homo factus est, hic autem perfecte divinitatem est consecutus. Quemadmodum igitur Dominus corpus induens homo factus est : *sic* nos homines a Christo dii efficimur, per ipsius carnem assumpti. Et quemadmodum naturam *nostram* a morte excitatam esse, et in cœlum ascendisse, atque ad Patris dexteram sedere dicimus, *non* quod singulatim omnes ad vitam redierint, atque ad Patris dexteram sedeant, sed quia omnis nostra natura in Christi hypostasi revixerit, atque ad Patris dexteram sedeat (ait quippe Apostolus : *Conresuscitavit nos, et consedere facit eum Christo* [7]); eodem modo et in Christo divinitatem accepisse dicimur, natura scilicet nostra ex eo, quod a Christo assumpta est, divinitate consecuta. Tantum igitur Dominus homo factus est, quantum pars assumpta Deus. Quinto crede eum juxta Isaiæ vaticinium pro iniquitatibus populi ad mortem ductum fuisse [8], et revixisse, ac demum in cœlum receptum esse, ut omnes ad seipsum, quemadmodum se facturum recepit, trahat [9]. Sexto exspecta, et firma fide tene eum venturum esse, et ut apostolorum Petri et Pauli verbis utar [10], judicaturum vivos et mortuos, hoc est, tam eos qui adhuc vitæ luce fruentur, quam eos qui jam vita functi fuerint : vel tam justos, quam peccatores : vel tam animas, quam corpora : venturum autem, non jam carnem (quia naturalibus carnis affectibus obnoxius amplius non erit, velut fami, siti, fatigationi, cæterisque ejus generis infirmitatibus), non incorporeum tamen (quia naturales corporis proprietates nequaquam abjecerit, velut triplicem dimensionem, formam, et quantitatem, et cætera hujusmodi), ut et ob his, a quibus conflxus est, videatur, velut non incorporeus, juxta Zachariam dicentem : *Respicient ad me, in quem pupugerunt* [11]. Et juxta id, quod ait Joannes in Apocalypsi : *Ecce egredietur cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui ipsum pupugerunt* [12]. Erit itaque corpus illud augustius, ac divinius, ut et videri queat, et interim a crassitie alienum manet, utpote non jam caro, sed inter

[5] Rom. I, 2 seqq. [6] Galat. IV, 4. [7] Ephes. II, 6. [8] Isa. LIII, 5. [9] Joan. XII, 32. [10] II Tim. IV, 1; I Petr. IV, 5. [11] Zachar. XII, 10. [12] Apoc. I, 7.

Digitized by Google

carnem, et id, quod corpore vacat, mediam quamdam rationem habens. Septimo mortuorum resurrectionem exspecta. Octavo judicium; hoc autem est proprium internæ conscientiæ pondus aut levitas, ac legis libra, vitæque nostræ ad eam exactio. Nono retributionem, qua, justa mensura et uniuscujusque hominis operibus respondente merces sua cuique constituetur. Hæc porro retributio, iis qui animo et mente purgati fuerint, lux futura est, id est, Dei contemplatio, quam cœlorum quoque regnum nominamus : iis autem, qui mentem vitiis obcæcatam habuerint, caligo, hoc est, alienatio et aversio a Deo. Erit autem contemplatio hæc atque aversio ad modum et proportionem vel puritatis nostræ vel obscuritatis. Decimo super hoc dogmatum fundamento bona opera construe. Nam, ut est apud Domini fratrem Jacobum, quemadmodum corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est. Atque hæc sunt, quæ de fidei nostræ mysterio in vulgus efferri fas est. Ea autem, quæ reconditiora magisque mystica sunt, intra Ecclesiam post baptismum addisces : quæ et ipsa apud profanos homines tecta et occulta habebis, atque, inviolata custodies, non aliter atque ea, quæ impressa sigillo servantur.

Col. 426 A. *Cæterum illud ex me intelligas velim*, etc. Quod post baptismum ante altare collocaris, futuræ vitæ gloriam, et propinquitatem ad Deum indicat. Psalmodia autem, lætum ac festivum illius sæculi sonum. Lampades vero illam luminum gestationem, cum qua juxta Evangelicam parabolam [15], Christo sponso occurremus, velut sponsæ virgines claras fidei lampades habentes, ac copiosum bonorum operum oleum. Neque enim thalami illius nuptialis aditus, aut superbo homini et contemptori, aut inerti et negligenti patebit, aut denique ei, qui non ea quæ nuptias decet, elegantia, verum segniter et sordide vestitus fuerit : quamlibet quis, instar illius nuptiali veste minime indutus [16], seipsum fallat, ac spe animique cogitatione in hac vita seipsum cum ornate splendideque vestitis admisceat. Posteaquam autem divinum thalamum ingressi fuerimus, tum sublimiora et perfectiora mysteria nobis sponsus aperiet. Hoc enim est illa puris hominibus spe concepta et exspectata societas atque convictus, quo utinam digni habeamur, tam nos, qui hæc docemus, quam vos, qui discitis. Amen

[15] Matth. xxv, 1 seqq. [16] Matth. xxii, 12.

IN ORATIONEM XI, OLIM XLI.

Nicetæ Expositionem in orat. XI, quæ est in sanctam Resurrectionem, Græce et Latine jam dedimus post Orationes S. Gregorii Nazianzeni, *Patrologiæ* tom. XXXVI, col. 943.

IN ORATIONEM XLV, OLIM XLII.

ARGUMENTUM.

Hanc orationem, elaborate conscriptam, Arianzi (13), *quod avitum ipsius prædium erat, in lucem emisit, multis post annis, quam præcedentem orationem habuerat, cum jam Constantinopoli excessisset, ac patriarchatu abdicasset. Nam cum Dei lenitate et patientia plerique offenderentur, quod bonos viros in mœrore ac tristitia vivere, improbos contra secunda omnia habere permitteret, periculumque esset, ne paulatim ex incuria ad desperationem laberentur, eoque paulatim ruerent, ut nec resurrectionem, nec judicium, nec præmia ulla aut supplicia futura crederent : ex resurrectionis festo commodam occasionem nactus, præsentem doctrinam instituit, dubias et fluctuantes eorum sententias hac de resurrectione oratione constabiliens, atque hoc fidei caput plenissime et certissime probans : simulque etiam vim festi gratiamque prædicans, laudibusque prosequens, ac per anagogen cum Veteris Testamenti littera novæ legis spiritum commiscens, atque omnia hujus festi mysteria, quæ apud Hebræos celebrantur, singillatim exponens.*

Col. 623 A. *Super custodiam meam stabo, inquit*, etc. Habacuc propheta permultos esse videbat, qui ex providentia Dei offensionis occasionem acciperent, cogitantes, qui fieret, ut impios numinisque contemptores et sceleratos justis hominibus et imbecillioribus insultare, et veluti sese invicem effuso ac protervo ore aspernari sineret. Idcirco judicia divina attingit, atque ea quæ inquiri nefas est,

(13) *Arianzi.* In Reginæ codice mendose legitur ἐν Ναζιανζῷ, neque enim prædium paternum eam urbem vocasset? In meo autem exemplari scriptum erat Ἀζιανζῷ. Verum nescio quis litteram ν supra supposuit. Aiqui hæc littera nequaquam adjicienda erat, sed prius ζ in σ convertendum. Azianzum enim locus erat non multum a Nazianzo dissitus, in quo villam habebat Gregorius, quemadmodum testatur Gregorius presbyter in ipsius Vita.

Digitized by Google

curiose investigare conatur, his verbis utens: *Super custodiam meam stabo, et petram conscendam et contemplabor, ut videam quid in me loquatur Dominus, et quid respondeam ad redargutionem mei* [15]. Sensus autem verborum Prophetæ est hujusmodi: Animum ab omni mundana cura purum et integrum tuebor, et in firmissimam quamdam ac velut in sublimi loco positam cogitatione securitatem convolabo, atque illinc, quasi ex montis cacumine, oculis mentis inspiciam, quosnam ad me Deus sermones habiturus sit, quidque ipse dicturus sim, si coarguere me Deus instituerit, ut qui non satis caute ac prudenter hæc verba extulerim. Quare respicis ad contemptores? Tacebis, cum devorat justus impium? Atque hæc sunt Prophetæ verba, hæc verborum sententia. Theologus porro, orationem exordiens, illius verba ad præsens argumentum adaptavit. Quanquam hoc interest, quod Habacuc per custodiam mentis vigilantiam intelligit, per petram autem, firmitatem et constantiam. At divus Gregorius sacerdotalem potestatem, et contemplationem sibi donatam, custodiam vocat. Pontifices enim, qui Dei et hominum mediatores sunt, res hujusmodi quærere et contemplari suo jure possunt. Cæterum qui Gregorium per visionem, id quod nunc narrat, aspexisse aiunt, longe mihi a veritate aberrare videntur. Ipse enim ait sibi res hujusmodi inquirendi, atque tum mente informandi, tum etiam verbis enarrandi, a Spiritu sancto factam esse potestatem. Stabo igitur in potestate mihi data, atque inspiciam, seu contemplabor, quidnam oculis sese offert, ac rursus cognoscam, quid dicetur. Nam quemadmodum id, quod cernitur, visum requirit, ita, quod ore profertur, cognitione opus habet.

Pselli expositio. Super custodiam. *Custodia est animæ uniuscujusque hominis modulus, juxta quem certa proportione divinas visiones suscipit. Nam si quis altius per contemplationem se porrexerit, oberrarit.* Potestatem et speculationem. *Potestatem dixit, quoniam omnis anima ad divinam simplicitatem evecta, et cum ipsis divinis visionibus immediate congrediens, hujusmodi spectaculis libere et pro potestate utitur: atque ad audientium captum et proportionem sese demittens, et ea informat, quæ nulla forma exprimi queunt, et ea fingit, quæ nulla ratione fingi constituique possunt. Speculationem autem addidit, quia anima visiones divinas nequaquam voluntate metitur, verum intellectiva vi et facultate, ipsfusque purgationis modulo.*

Col. 625 A. *Et steti, ac speculatus sum: et ecce vir*, etc. Postquam dixit: *Stabo in custodia mea*, cum Habacuc, *et speculabor*, nunc ostendit se, quod proposuerat, fecisse. Libere enim, inquit, et pro arbitratu contemplationi animum adjeci. Et steti in sublimi loco, ex quo possem res hujusmodi intueri: atque ea vidi, quæ nunc commemorabo. A Deinde vero per descriptionem, quid viderit, quidque audiverit, narrat. Nam et personam describit, quia vir; et locum, quia in nubibus; modum, quia conscendens; et magnitudinem, quia sublimis; formam item, quia angelo similis; amictum, quia fulguri similis; habitum, quia manum extulit; vocem, quia buccinæ non dissimilis; ac denique sermones quos ille prolocutus est, qui se conspiciendum præbuit. Angelus porro hic est, non autem Christus, ut quidam existimarunt. Nam si Christus fuisset, dicendum ipsi fuerat: Quia ego a mortuis surrexi. Atqui dixit: Christus ex mortuis. Ex quo perspicue constat eum alium fuisse quam Christum. Jam idem quoque voce magna clamavit. Atque explicans Theologus quis- B nam is esset, qui clamorem sustulerat, optat sibi quoque vocem angelicæ parem dari. Quocirca angelum esse necesse est, qui hoc loco per orationis figmentum apparet ac verba facit. Virum porro eum nominat Gregorius, quoniam angelus haudquaquam, ut natura sua est, apparere solet: verum in hominem transformatus. Quod autem ipsum nubes conscendisse inquit, hoc ea ratione dicit, quia levis et sublimis angelorum natura est, per aerem mira celeritate currens. Ut autem perspicue ostendat Gregorius virum, de quo loquitur, angelum esse, subjungit, Aspectus ejus, ut aspectus angeli. Hunc porro talem depingit, qualem mulieres in sepulcro conspexerunt, nimirum candidam vestem gestantem. Quin majus etiam C quiddam indicat. Nam amictum fulguri comparat, et quidem ocissime percurrenti. Quidnam autem sibi vult, cum ait eum Orientem versus manus sustulisse? fortasse, ut per Orientem, Christi divinitatem exprimat. Nam et Lumen spirituale [16], et Sol justitiæ [17], et Oriens [18] in Scriptura Christus nominatus est. Atque etiam David Orientem Deo assignat his verbis: *Psallite Domino, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem* [19]. Vel etiam fortasse ut paradisum ad Orientem consitum, ac per Adæ transgressionem clausum rursus per Christi resurrectionem patefactum esse demonstret. Angelum autem inducit tonitrui ritu, vel potius buccinæ instar clamantem, ut ab omnibus exaudiatur: utpote qui omnibus salutis per Christum D acceptæ nuntium afferat. Dicere etiam quis possit hunc Theologum spectasse, ut per has omnes descriptiones formidabilem angelum repræsentet. Hujusmodi namque eum ostendit, tum a sublimitate, tum a magnitudine, a forma item et amicta ac voce. Adhæc multitudine angelorum eum cinctum introducit, idem videlicet Christi resurrectioni tribuens, quod in ipsius nativitate contigerat. Tum enim angelus Domini pastoribus astitit magnum illud gaudium annuntians, et repente facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum et dicentium, etc. Proinde nunc quoque

[15] Habac. II, 1. [16] Joan. VIII, 12. [17] Malach. IV, 2. [18] Luc. I, 78. [19] Psal. LXVII, 34.

Digitized by Google

angelus resurrectionis nuntium deferens inducitur, et angelorum exercitus Christum a mortuis revocatum concelebrans. Porro has omnes voces a prophetis mutuatus est Theologus. Nam et Daniel his verbis utitur : *Ecce stetit coram me ut aspectus viri*[20]. Et rursus : *Ecce vir amictus sacra stola, et vultus ejus sicut aspectus fulguris, et vox sermonum illius ut vox multitudinis populoris*[21]. Et apud Nahum sic scriptum habetur : *Aspectus eorum ut lampades ignis, et sicut fulgura discurrentia*[22]. Postremo de voce ad hunc modum Joannes Theologus loquitur : *Et audivi vocem magnam post me tanquam vocem tubæ*[23]. Nunc quid angelus clamet, audiamus : Hodie salus mundo tam visibili, quam invisibili. Quid vero invisibilis quoque mundus, hoc est angeli, salute opus habuerunt? Nam Lucifer, et ipsius gregales, nec ad meliorem mentem redierunt, nec salutem consecuti sunt : reliqui autem angeli, qui a Deo non desciverunt, salute nihil indigent. Quænam igitur salus invisibili mundo allata est? Nonnulli hoc loco per salutem incolumitatem et integritatem intellexerunt, quæ quidem tunc nobis contigit, cum per peccatum oppressi, rursus per Christi resurrectionem incolumitati restituti sumus; angelis autem, quia juxta evangelicam parabolam inventa ove, quæ aberraverat, aut drachma, quæ amissa fuerat, quod cœlestibus copiis decrat, expletum est. Angeli autem qui prius hanc rationem habebant, ut difficulter quidem et ægre ad malum moveri possent, post Christi resurrectionem id consecuti sunt, ut jam ne moveri quidem ad malum queant, non natura sua, sed gratia. Atque ita illis salus esse possit ipsa status confirmatio, non jam metuentibus ne in deterius mutentur, atque eam ob causam pereant. Vel fortasse duobus mundis salutem partam esse asserit, invisibili autem, ut eam prius quoque habenti, visibili autem, ut nunc eam per resurrectionem consecuto, ut sic hic verborum sensus, quod non jam angeli solum salute fruuntur, sed angeli atque homines, diversa tamen ratione : illi enim, quia ordinem suum servaverint : homines autem, quia per Christi resurrectionem revocati et erecti sunt. Quod si non undequaque mundus visibilis salutem accepit (quoniam ne omnes quidem homines fide præditi sunt, nec omnes præcepta servant), non est propterea, cur illud tanquam falsum explodas : Hodie salus mundo visibili. Siquidem ad Salvatoris scopum referenda est hæc oratio. Atqui quantum ad ejus voluntatem et intentionem universus mundus salutem accepit. Pro omnibus enim Christus mortuus est, et resurrexit. Si autem rei eventum spectemus, ii soli qui credi derunt, et mandata servaverunt, salutem assecuti sunt. Sed videamus, quæ sequuntur : Christus ex mortuis, supple Surrexit. Vos quoque igitur simul a peccatorum morte resurgite. Christus ad sese rediit, id est ad divinitatis suæ amplitudinem et dignitatem, qua propter dispensationem ad exiguum tempus spoliatus atque exinanitus fuerat. Receptus enim ad dextram Patris consedit. Redite igitur vos quoque ad veterem splendorem et dignitatem, ac divinæ imaginis decus. Quod autem ait : Ex mortuis, simpliciter eum redivivum apparuisse significat; quod vero sequitur : Ex sepulcro, vincula quoque rerum ad sepulcrum pertinentium eum perfregisse indicat, et advolutum monumento lapidem submovisse. Quocirca etiam apte et congruenter post hæc verba : Ex sepulcro, subjunxit. A peccati vinculis solvimini. Idcirco autem plurali numero dixit : Ex mortuis, et : Ex sepulcro, quia solus ex multis mortuis resurgens non amplius moritur. Adhæc, portæ inferni, contrario modo, atque prius solebant, aperiuntur, videlicet non ut mortuorum animæ inferantur, sed ut efferantur et extrahantur : *Et mors opprimitur*. Nam cum mors corpus a peccato liberum, et vivificum degustasset, nec in eo peccatum, quo ipsa alitur, offendisset, sublata et exstincta est, et quæ ab Adamo ad Messiam usque regnaverat, eadem post Christum corporibus nostris non amplius dominatur. Christus enim a mortuis excitatus viam resurrectionis ad immortalitatem morientibus novo more patefecit. Hoc autem differunt mors et infernus, quod illa corpora, hic animas detineat : *Et vetus Adam abjicitur, et novus perficitur*. Hæc ab Apostolo sumpsit, qui Ephesiis scribens, ait : *Edocti estis deponere veterem hominem, ac novum induere*[24]. Quo loco per veterem hominem qui deponitur, vitam sceleratam intelligit; per novum autem, qui perficitur, eam vitæ rationem, quæ omnibus virtutis numeris absolvitur. Cyrillus tamen per novum hominem et novum Adamum Christum significari putat, quem pie atque integre vivendo induimus. Ad quem sensum, quæ sequentur, commode referentur : *Si qua in Christo nova creatura, renovemini*, id est, Omnes qui flagitiis corrupti estis, et vetustatem peccando contraxistis, ac deinde nova creatura per baptismum facti estis per quotidianas virtutum progressiones atque incrementa renovemini.

Psellus. « *Et steti, et speculatus sum.* » *Verbum, Steti, animæ firmitatem et constantiam designat, atque immotum et ad deteriora immutabilem statum. Illud autem,* « *Speculatus sum,* » *accuratam et congruentem contemplationem et cognitionem, eumque impetum, quo animus ad ea fertur, quæ in cognitionem cadunt, significat. Sic enim is qui e rerum corporearum crassitie emergit, primum quidem mediam viam conficit, quæ et animalis dicitur : postea vero sublimiorem, quæ et spiritualis nominatur.* « *Et ecce vir conscendens nubes cœli.* » *Vir, quia nihil divinum muliebre est ac molle. Conscendens, qui in divinis nihil provolutum et abjectum,*

[20] Dan. x, 5. [21] ibid. 6. [22] Nahum II, 4. [23] Apoc. I, 10. [24] Ephes. IV, 21, 22.

Digitized by Google

Nubes, quia omnis fecunditas a præstantiorum et divinarum aquarum influxione promanat. Nam inferiora hæc æstu et siccitate plena sunt. Quod autem adjunctum est, Cœli, hoc mihi significare videtur, quod hæc visio nihil humile ac terrenum habeat : quoniam nubes quædam sunt, quæ altissimorum montium cacumina non superant, quemadmodum in meteoris Aristoteles docet, summos nonnullorum montium vertices commemorans, qui nec imbribus alluuntur, nec grandine verberantur : qualis videlicet est Olympus. Nubes autem cœli allegorice dicuntur angelici spiritus, sublimes et cœlestes, quibus alii spiritus insidentes, ea, quæ hic aut illic fiunt, ad homines hoc spectaculo dignos perferunt.

Col. 625. B. *Hæc quidem ipse dicebat*, etc. Atque hæc dicens inductus est angelus ille, mente et cogitatione informatus. Angeli autem eum circumstantes carmen illud modulabantur, quod prius cecinerant, cum Christus in terris, atque ex Virgine nascens cernebatur. Quid autem causæ est, cur, et eo tempore, et nunc, cantionem eamdem canunt ? nimirum quia ipsius Nativitas salutis nostræ principium fuit, Resurrectio finis. Cujusmodi autem erat illud canticum ? *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, in hominibus bona voluntas* [28]. Nam quemadmodum angeli, ordinem sibi attributum servantes, cum Deo pacem habent : ita nos miseri, postquam concupiscentias nostras Dei voluntati opposuimus, in hostium numero atque ordine apud eum haberi cœpimus. Verum hoc per Christum sublatum est. Ipse enim nobis, et pax et bona voluntas factus est, iniquitatem videlicet, inimicitiæ parentem, de medio tollens, atque eos prope vocans, qui procul remoti erant, Deoque et Patri per se conjungens, ac superiora cum inferioribus connectens, bonamque Patris voluntatem implens, quæ quidem nihil est aliud, quam fracti et conquassati Adami instauratio. Talis angelorum cantus, cum quibus ipse quoque hoc loquor. Atque utinam etiam vocem accipiam nihilo angelica inferiorem, sed ita claram, et altam atque canoram, ut ex omnibus terræ finibus exaudiri possit. Jam vero Paschatis nomen ter repetit, partim ut profusam animi lætitiam ostendat : partim etiam, quemadmodum ipse inquit, ut Trinitati honorem habeat. Solemnitatem autem solemnitatum, et celebritatem celebritatum Pascha vocat, ut præcipuam et primariam. Solent enim veteres excellentissimas quasque res ad hunc modum appellare, veluti Sancta sanctorum, et Cantica canticorum. Nam nisi Resurrectio exstitisset, nec Nativitas, nec baptismus, nec cætera Christi mysteria confirmata fuissent, fidemque fecissent. Verum quasnam hoc loco humanas festivitates appellat? Sunt qui existiment eum de festis in sanctorum honorem institutis loqui : cæterum revera hæc sunt accipienda de festis illis, quæ vel ob primum detonsam comam, vel ob acceptam uxorem, vel ob domum aut terram primum habitatam, vel ob alias similes causas celebrari solebant. Hujusmodi enim festa humi defixa sunt, ac deorsum et in terram volvuntur. At sanctorum festa ad Deum erigunt ac penetrant. Igitur non solum humana festa Paschatis festum superat et transcendit, sed et ipsas Christi festivitates non minus obscurat, quam sol reliqua sidera. Adeo præfulget hujus diei gratia.

Ibid. C. *Præclara quidem nobis quoque fuit*, etc. Præclara, inquit, etiam fuit, hesterna luminum celebritas, hoc est cœtus ille qui ad vesperam magni Sabbati celebrabatur. Pervigilem enim noctem traducebant, usque ad horam septimam cantantes, ac lampades accendentes, atque imminentem Servatoris nostri Resurrectionem exspectantes. Hunc porro cœtum celebrant alii privatim et domi, alii publice et in catholicis Ecclesiis. Omne genus hominum, viri, mulieres, senes, pueri, juvenes. Quod autem dicit, Ferme, quidam ad utrumque referunt, nempe ad omne genus, et ad omnes magistratu et dignitate insignes, ut sit sensus, parum abesse, quin omnes cujuslibet ætatis, et omnes honoribus ac dignitatibus præditi, noctem eam, quæ magnum Sabbatum excipit, celebrent. Probabile est enim et aliquam ætatem, et procerum quosdam huic congregationi minime interesse. Alii adverbium, Ferme, tantum cum omni genere hominum construunt, non autem cum eo etiam, quod sequitur : Omnes magistratu et dignitate insignes : ut sit sententia, omnes quidem fere, quovis genere censeantur, hoc festum agitare, ac omnes, qui dignitatibus ornati sint, citra ullam exceptionem et distinctionem hoc festum celebrare. Sunt rursus, qui adverbium hoc, Ferme, ab his verbis. Omne genus hominum, abstrahentes, cum his verbis : Omnes magistratu et dignitate insignes, connectendum putent. Quorum hic sensus est : Omne quidem hominum genus, id est, masculi et feminæ, ætate florentes et effeti ac decrepiti, sine ulla exceptione festam hanc noctem agunt : at non item sine exceptione omnes in dignitatum gradu locati, sed ferme omnes, utpote paucis quibusdam proceribus congregationem hanc aspernantibus. Referens. Gr. ἀντίτυπος. Quæ vox *duplicem* significationem habet. Nam et pro contraria figura accipitur. Sic enim Serpens æneus *suspenditur, non ut* typus Christi, sed ut antitypus : et pro æquali figura, ut hoc loco. Vespertina enim, inquit, *luminum* celebritas magno lumini figura respondebat. Hoc autem lumen dividit Theologus in cœleste *et super*cœleste, ac rursus supercœleste dividit in lumen angelorum, et lumen sanctæ Trinitatis. *Angeli* porro, quantum ad Trinitatem, secundæ lucidæ naturæ rationem obtinet : utpote qui ab *ea* splendorem accipiant, juxta iridis exemplum, hoc est, arcus illius cœlestis, quem sol in humidas et tra-

[28] Luc. II, 14.

Digitized by Google

quibus atque pacatas nubes incidens progignit, quantum autem ad nos, prima natura sunt : quatenus ipsi immediate, homines vero intermediis angelis collustrantur. Dividitur autem et communicatur omne lumen ab invisibili lumine sanctæ Trinitatis, indivisibili quidem si essentiam spectemus (nec enim in divinam naturam cadit divisio), divisibili vero quantum ad vim et facultatem. Vires enim agendique facultates dividit Deus. A qua lumen omne productum est, sive quod angelis inest, sive quod hominibus, sive quod Soli, sive quod astris Præclarum autem et honorabile est illud lumen, quod in iis lucet, tum aliarum materiarum comparatione, tum quia primi luminis figuram gerit. Sed enim, quod dicere instituebat Oratio, quanquam pulchra esset hesterna lucernarum gestatio, hodierna tamen illi pulchritudine antecellit. Heri enim lampadum lumen Christi magni luminis Resurrectionem prænuntiabat : at hodie non Resurrectionis signa et indicia, verum hanc ipsam Resurrectionem solemni festo prosequimur, totum mundum συνάγουσαν, hoc est, sibi conciliantem, vel ad unam fidem colligentem : quod propter resurrectionem omnibus certissime persuasum fuerit, Christum Deum esse, vel, mundum totum, hoc est, fidelium cœtum conjungentem celebrandi festi causa.

Col. 626 A. *Enimvero alius aliud quiddam huic*, etc. Alius, inquit, aliud quoddam spirituale Deoque gratum munus hujus solemnitatis tempori afferat, prout ipsius facultates tulerint. Sic enim in Deuteronomio scriptum est : *Non apparebis coram Domino tuo vacuus, unusquisque secundum facultatem manuum*[16]. Nam dignum munus, nec ulla ex parte mancum et imperfectum offerre, tantum est, ut ne angeli quidem id assequi possint. Neque enim ipsis plena Dei laudatio concessa est, qui tamen primi intellectuales dicuntur, si animarum nostrarum ratio habeatur, quæ et ipsæ intellectuales sunt, sed angelis posteriores supernæ gloriæ spectatores, utpote Deo assistentes, ipsumque intuentes. Testes autem divinæ gloriæ, utpote ipsi quoque clari et illustres, ac per splendorem suum Creatoris majestatem testatam reddentes, vel etiam ut gloriam quam cernunt hominibus nuntiantes. Hoc autem loco per angelos omnes in universum cœlestes classes et ordines intelligit. Alius igitur, ut jam dixit, aliud quidam afferat : nos vero orationem conferamus, idque pluribus de causis. Primum quoniam nihil sermone præclarius habemus, tum quia Christus, cujus laudes prædicare instituimus, præter alia, nomina, Verbum quoque appellatur. Postremo quia natura beneficio affecta sermonis est particeps. Quare congruum munus est Verbo Christo laudatoria oratio, a natura loquendi facultate prædita proficiscens.

Ibid. B. *Hinc autem exordiar. Facere enim nequeo*, etc. Optimo, inquit, jure a Deo orationem auspicabor. Quoniam enim in animo habeo huic magno Resurrectionis diei hos sermones sacrificare, atque ipsi Christo magno sacrificio (Christus autem utrumque est, nempe Deus et homo, quorum alterum semper est, alterum postea nostræ salutis causa factus est), prius mihi faciendum est, ut de divinitate disseram, atque ita ad explicandum humanitatis assumptæ consilium accedam. Proinde quoniam divina est hæc oratio, nec fas est eum, qui purus non sit, rem puram attingere, agedum videte, quicunque hæc audituri estis, atque hujusmodi delicias percepturi, ut intellectuales animæ facultates purgetis : primum quidem mentem, per quam Deum, et capere, et videre possumus, atque angelis conjungimur : deinde intellectum, per quem dogmata examinamus, ac veritatem disquirimus. Sint etiam aures puræ, utpote divina verba excepturæ, eaque ad intellectum dijudicandi causa transmissuræ. Sic enim futurum est, ut non cibo pereunte, sed deliciis non effluentibus expleti, discedatis. Porro orationi nostræ sua virtus constabit, ut nec intra modum subsistat (nec defectu suo auditores damno afficiat) nec rursus modum excedat, (ne molestiam pariat, orationis enim redundantia inimica est auribus), sed mediocritatem impleat, simulque et compendiosa sit et plenissima.

Col. 626 C. *Deus et semper erat*, etc. Quoniam libertas hominum, pro qua instituta est præsens oratio, B. Trinitatis opus exstitit (*Pater* enim voluit, Filius effecit, Spiritus sanctus cooperatus est), eam ob causam ab eo nomine, quod tribus his commune est, Theologus exorditur, quod quidem Deus est. Ac de tribus, ut inseparabilibus, quantum ad divinitatem, naturam et potentiam, disputatione habita, ita demum ad incarnationis Christi materiam descendit. Porro de divinitate disserens, ait : Deus et erat semper, et est, et erit. Tria tempora præteritum, præsens, et futurum Deo tribuit, quæ quidem nulli creaturæ convenire possunt. Angelus enim est quidem et erit : at non item semper erat, sed essentiæ initium habuit. Ex hominibus autem alii hesterno die erant, alii hodie, alii, qui nunc in rerum natura non sunt, crastino die erunt. Hæc enim est generis nostri conditio. Eadem de omnibus aliis creaturis dici possint. Postea, cum animadvertisset Theologus, quod verbum, Erat, de eo prædicatur, quod præteriit, nec hodie est verbum item erit, de eo quod futurum est, nec dum exsistit: corrigit quod dixerat, aitque verbum præsentis temporis, Est, Deo magis congruere. Erat enim et Erit fluxi hujus temporis segmenta sunt, ac fluxæ naturæ conveniunt. Nam ut fluxum et labile est tempus, ita etiam ea, quæ tempore, quod motus circumscriptione definitur, continentur. At Deus semper est, nec quidquam ei, vel præterit, vel futurum est. Atque in hunc sensum Plato in *Timæo* locutus est, his verbis : Erat et erit, temporis sunt species :

[16] Exod. xxiii, 15; Deut. xvi, 16.

Digitized by Google

quas non recte nec prudenter sempiternæ essentiæ tribuimus. Huic enim Est solum vere convenit. Hæc autem verba : Erat et Erit, ad eam generationem nativitatemque pertinent, quæ tempori subjecta est. Hæc Plato. Noster autem Theologus testimonium quoque profert ex Exodo, quod Deus est. Hoc enim modo, inquit, seipsum nominat, cum in monte Mosi oraculum edit, id est, colloquitur, et mandata dat. Nam cum Moses in Ægyptum mitteretur, quærebat : *Si interrogaverint me : Quis te misit : quid dicam ad eos?* Deus autem, qui mittebat, respondit : *Ego sum ens*[27]. Ac recte profecto Deus ens dicitur. Nam juxta magnum Dionysium, non certo modo ens est, verum simpliciter et incircumscripte, ut qui totum id quod est, in seipso complexus ac præamplexus sit. Quo etiam nomine Rex sæculorum dicitur, quia in ipso et circa ipsum est, quidquid est ac subsistit. Nec vero ait : Erat, aut erit, aut fuit, aut sit, aut fiet, imo neque est, sed iis quæ sunt, essentia ipse est, ipseque est sæculum sæculorum, et sæculis antiquior. Quibus verbis consona sunt, quæ Theologus ait. De Deo enim verba faciens, sic loquitur : Universum id quod est, in se complectitur. Non enim, quemadmodum nos juxta præsens tempus sumus, ac vivimus (præteritum enim ac futurum partim emisimus, partim nondum habemus), sic etiam Dei essentia in tempora divisa est ; verum universam essentiam complectitur. Quod nec principium habuit, nec finem habiturum est. Id quoque merito. Nam quod principio caret, hoc nec unquam esse desinet. Non tamen inverso modo dicere possumus quod nunquam finem habiturum est, idem ne principium quidem habuisse. Etenim angeli immortales quidem sunt per gratiam, nec unquam esse desinent : ortum tamen habuerunt. Mox per similitudinem subjungit Theologus : Velut pelagus quoddam essentiæ immensum et interminatum. Immensum dicit, quia principio et fine caret. Nam quæ principium et finem habent, finita sunt, ac sub tempus cadunt. Deus autem supra tempus est. Interminatum autem, quia nec loco, nec definitione ulla ipsius naturam declarante circumscribitur. Postquam igitur dixit Immensum et Interminatum, utrique adjectivo contrarium suum opponit. Immenso enim respondet, id quod ait : Omnem temporis cogitationem superans ; nam quod tempore minime circumscribitur, immensum est. Interminato autem id quod ait : Omnem naturæ cogitationem excedens ; est enim interminatum, quod nec loco, nec definitione, ipsius naturam explicante, comprehenditur. Deus igitur, inquit, excedit omnem cogitationem, quam quisquam de tempore, vel natura quadam, inire queat, mente sola adumbratum. Neque enim in nobis organum ullum habemus, quo Dei speciem concipere queamus, non sensum (nec enim Deus sensile quiddam est, ut sensibus subjaceat), non vires aut celeritatem : tardissimus enim est, qui celerimus esse videtur, si cum Dei velocitate comparetur, qui longissimis intervallis omnia post se reliquit, ut nec comprehendi quidem possit, verum sola mente adumbretur.

Nec mirum. Mens enim, ut imago Dei contemplationem illius concipit : cujus summam tenuitatem declarans Gregorius, adumbrationis verbo usus est. Non enim dixit : Effingitur (quod perfectius est), sed, Adumbratur. Ac ne hic quidem constitit : verum insuper adjecit, Perobscure. Tametsi enim lumine tanquam vestimento amictus est Deus, tenebras tamen latibulum suum posuit, quandoquidem ipsius natura nulla ratione percipi atque comprehendi potest. Perexigue autem, id est, brevissime, et ad exiguum quoddam temporis momentum. Nam quod mente leviter adumbratum est, celeriter avolat. Porro levibus lineamentis adumbratur Deus, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum. Ait enim magnus Dionysius, Deum, quantum ad essentiam nec intelligi, nec comprehendi posse ; verum ex effectis laudari debere. Eadem hic quoque dicit Theologus. Quod enim ille dixit, quantum ad essentiam, hic, *quantum ad ea quæ in ipso sunt*, dixit. Quæ autem ille effecta, hic circumstantias appellavit. Opifex enim causa est : effecta autem, illius opera. Deus igitur, non per ea quæ in ipso sunt, percipitur, *id est*, per suam essentiam ; sed per ea quæ circa ipsum, hoc est, per creaturas. Nam ex magnitudine atque excellentia creaturarum, ut ille, inquit, adhibita proportione, parens earum, effectorque perspici atque intelligi potest. Circa ipsum autem sunt, tum creaturæ, tum provida ipsius consilia. Quamobrem existimandum est unumquodque eorum quæ de Deo enuntiantur, non, quid sit quantum ad essentiam, indicare, verum aut, quid non sit, ostendere, aut relationem quamdam ad aliquid eorum, quæ ab eo distinguuntur, aut denique quidpiam eorum quæ naturam vel actionem comitantur. Nec vero ex omnibus nominibus, quæ de Deo prædicantur, ullum æque proprium videtur, atque Entis nomen, quod ipsam quidem essentiam *indicat*, *non autem* quænam ea sit. Secundum nomen, Deus est, quod actionem significat. Θεὸς enim *dicitur vel a verbo* θέειν, id est, *currere*, et res universas confovere, vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι τὰ πάντα, *id est*, *quia omnia spectat*. Neque enim quidquam eum latere potest, conspectumque ejus effugere. *At* ἀναρχὸν et ἄκτιστον et ἀσώματον, id est, *principii expers*, et *increatum*, et *incorporeum*, quid *non sit*, *declarant*, hoc est, quod nec principium habuerit, nec creatus fuerit, nec corpus sit. Jam vero bonum, *justum* et sanctum, naturam quidem comitantur ; cæterum ipsam naturam haudquaquam operiunt. *Atque his* nominibus Deus appellatur, ut auctor bonitatis ac sanctitatis et justitiæ. At hæc nomina, *Dominus*,

[27] Exod. III, 13, 14.

Digitized by Google

et Rex, et Opifex, ac cætera ejus generis, relationem ad ea quæ ex adverso respondent, ostendunt. Subditorum enim Dominus dicitur, et eorum qui sub regno sunt, Rex, et rerum conditarum Opifex seu Conditor. Quonam autem modo ex his, quæ circa ipsum sunt, Deus adumbratur? Alia, inquit, atque alia imaginatione ad unum aliquod veritatis simulacrum exprimendum collecta. Ex his enim rebus, quas oculis cernimus, species quasdam et imagines de Deo accipimus. Ut cum dicimus : Quod sol in sensibilibus, hoc Deus in intellectilibus. Nam quemadmodum ille visibilem mundum illuminat : eodem hic modo invisibilem. Rursus quemadmodum ille eos qui aspiciunt, claros efficit : ita hic divinos et deiformes reddit. Præterea quemadmodum simul et corpus solis, et radius et lumen : simili modo Pater, Filius, et Spiritus sanctus. Et quanquam utrique causa est Pater : non tamen antiquior est, non hercle magis quam sol illis tempore prior. Adhæc quemadmodum lumen ex igne, sic Filius ex Patre. Atque, ut uno verbo dicam, quæ in nobis sunt, ea, quæ supra nos sunt, intelligimus atque imaginamur; in nobis enim, et mens est, et sermo, et spiritus. Hæc autem tria, inseparabilia sunt et æqualia. Et quidem mens sermonem impatibili modo gignit, sermo autem sine spiritu ex mente progredi nequit. Ita fit, ut quanquam in nobis tres sunt hypostases, unus tamen homo sit juxta id, quod in tribus hypostasibus intelligitur, eo quod mens et sermonem et spiritum habeat. Eodem modo Pater, Filius, et Spiritus sanctus tres quidem personæ inseparabiles sunt, unus autem Deus. Et Pater citra passionem Filium gignit : Filius rursus sine Spiritu non est, sic alia quædam species ex alia re ad unum veritatis simulacrum colligitur. Porro imaginationis exilitatem simulacri nomen docet. Nec enim in rebus creatis ulla imago potest inveniri, quæ in seipsa sanctæ Trinitatis modum per omnia referat. Nam quod creatum est et compositum, et fluxum, et mutabile, et circumscriptum, quo tandem modo divinam essentiam ab omnibus his rebus remotam, atque essentiam omnem superantem perspicue declarabit? Veritatis autem simulacrum dixit, propterea quod Deus sit, etiamsi id non sit quod de ipso imaginamur. Duplicem enim significationem habet nomen simulacri. Quandoque enim de eo dicitur, quod substantia omnino caret, ut de umbra et speculo. Nonnunquam autem de eo, quod veritatis cujusdam est particeps, ut hoc loco. Quoniam vero simulacrum aperte cogitari ac percipi non potest, ideo cum de Deo Theologus dixisset, quod priusquam teneatur, effugit, id autem quod tenetur, intellectu perceptum esse necesse sit, subjunxit id quod magis admirandum est, quod priusquam intelligatur, cursu se proripit. Deus enim non modo non tenetur intellectu perceptus : sed ne perfecte quidem cogitari atque intelligi potest : verum simul atque intelligi cœpit, abscedit, atque, ut diximus, vel celerrimam mentem antevertit, adeo ut nulla ratione comprehendi queat. Tantum principem nostri partem, eamque purgatam collustrans, etc. Quod enim est oculus in corpore, hoc mens in anima. Ut igitur ad fulgur emicans prospiciendum oculis sanis est opus : sic etiam ad hoc, ut Dei contemplatione circumlustremur, mens pura et integra requiritur. Nam ut in sordido et impuro speculo vultus imago repræsentari non potest, sic nec in fœda et squalida mente Dei splendor : eoque magis quia fulguris celeritatem imitatur, et confestim avolat, atque eum capere adnitentes præterit. Spem enim injicit quasi mox comprehendendus : interim tamen incomprehensibilis manet. Meo quidem judicio, ut quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat (quod enim nullo modo percipi potest, nec vel per ea quæ in ipso sunt, vel quæ circa ipsum comprehendi, id nec sperat quisquam fore ut capiat, nec capere adnititur), quatenus autem capi nequit, admirationem sui excitet, eaque de causa[4] desideretur, et purget, ac deiformes efficiat : atque ita jam cum familiaribus nulla re intermedia colloquatur (et si hæc audacter a me dicuntur), Deus naturalis diis per adoptionem et gratiam unitus et copulatus per actionem, innotescens autem per contemplationem. Ac tantum fortasse, etc. Hoc tantum, non id significat, quod quantum ipsi Deum cognoscunt, tantum ipsi a Deo cognoscuntur. Ille enim cognitionis infinitum est pelagus : horum autem, ut natura, ita etiam cognitio finita est. Verum quoniam duplicem Deus scientiam habet, alteram qua secundum naturam cuncta cognoscit, juxta illud : *Qui novit omnia, antequam oriantur* [27a]; alteram, qua eos, qui ipsi totos se addixerunt, familiares habet : quo sensu ait Scriptura : *Novit Dominus vias justorum* [28]. Et alio loco : *Novit Dominus qui sui sunt* [29]; divinas videlicet suas notas in eis salvas et incolumes agnoscens. Ac proinde ad Mosem quidem ait : *Novi te supra omnes* [30]; ad alios autem : *Non novi vos* [31]. Hic igitur juxta significationem cognitionis nomen accipitur : quoniam tantum innotescit hominibus Deus, quantum jam familiariter iis jungitur, qui per virtutem ipsi adjuncti sunt. Nam pro ratione ascensus ipsorum ille descendit; et quantum homo Deo appropinquat, tantum etiam homini Deus innotescit, nimirum juxta proportionem puritatis, quæ unicuique inest, sui cognitionem impertiens. Hoc autem ab Apostolo accepit Gregorius, sic ad Corinthios scribente : *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum* [32]. Quem locum sic exposuit Chrysostomus : Quia nunc quidem Deus ad nos accur-

[27a] Dan. XIII, 42. [28] Psal. I, 6. [29] Num. XVI, 5; II Tim. II, 19. [30] Exod. XXXIII, 12. [31] Matth. XXV, 12. [32] I Cor. XIII, 12.

Digitized by Google

rit, tunc autem ipsi ad eum accurremus. Quod si quis in ea sententia est, ut his verbis : *Tunc cognoscam, sicut et cognitus sum*, comprehensionem ipsam significari existimet ; sciendum est hoc adverbium καθὼς, cum de Deo et nobis dicitur, non eodem modo accipiendum esse ; exempli causa, ait Scriptura : *Sicut miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se* [33]. Atqui commiseratio Dei commiserationem hominum incomparabiliter excedit. Et rursus : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est* [34]. Et tamen nullus est mortalium, qui ad hujusmodi perfectionem aspirare possit. Item alio loco : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [35]. Atqui non eadem est missionis ratio. Ille enim, ut lumen a sole, sic a Patre missus est, unam atque eamdem cum eo habens substantiam ; at discipuli, ut servi a Domino missi sunt. Ad eumdem quoque modum hæc Apostoli verba : *Cognoscam sicut et cognitus sum*, perfectam quidem fore tunc nostram cognitionem indicant, non tamen sine ullo discrimine talem qualis est in Deo. Imo vero tantum inter utramque cognitionem interesse necesse est, quantum inter divinam naturam et nostram intervallum interjectum est. Ac videte quo nos spiritualis et theologica gradatio subvexerit. Etenim ab incomprehensibilitate divinæ naturæ, velut a primo quodam scalæ gradu, ad admirationem, quasi ad secundum gradum evecti sumus, ab admiratione rursus ad vehementius desiderium conscendimus ; tum a desiderio ad purgationem sublati sumus ; hinc porro ad Dei similitudinem subducti, ac postremo eo pervenimus, ut cum Deo familiariter colloquamur, eumque per unionem perfectius cognoscamus.

Psellus. *Deus diis unitus... Quicunque corporis molem crassitiemque superarunt, cognoscentes quod mens duntaxat sunt, non ob ullam aliam causam, quam ob generationem, humanique generis propagationem, corporis opera usi, mentemque suam a vitiorum labe purgarunt, atque ad primæ mentis rerumque omnium effectricis exceptionem congruam idoneamque reddiderunt, his unitur Deus. Nam cum mens pura atque incorrupta sit, cum mente, nulla re intermedia, colloquitur, ac per eam cum anima consuetudinem habet : quemadmodum rursus per hanc corpori adjungitur. Cæterum unitur, non ut ille est, sed prout nos unionis illius capaces sumus. Atque hinc demum innotescit. Neque enim alio modo quisquam Deum cognoscere potest, nisi ad eam animam suam resolverit, in eaque ipsum susceperit.*

Col. 627 B. *Immensus igitur est Deus*, etc. Rursus sermonem de Deo Theologus repetit, eumque immensum esse pronuntiat, ut qui nullis temporis finibus interseptus sit, nec tempore, nec loco, nec comprehensione, ac cognitione circumscribatur, atque ob naturam quidem supra rerum universitatem esse (neque enim concipi ullo modo posse) ob providentiam autem in universo esse. Hac enim universam rerum molem indigere. Enimvero immensus quidem est Deus, non ut numerus aut magnitudo : utrumque enim horum principium habuit. Contemplatu autem difficilis, nempe secundum ea, quæ circa ipsum sunt, id est, quatenus ex effectis cognoscitur. Nam hæc quoque propter imbecillitatem nostram obscure intelligimus. At vero istud plane comprehendi potest, ipsum immensum naturaque incomprehensibilem esse. Communibus enim omnium animi notionibus insitum est, quod Deus tum tempore, tum potentia infinitus sit. Etenim, ut rem brevi complectar, Deus, et incomprehensibilis est et comprehensibilis, et ægre comprehensibilis. Primum quantum ad naturam, alterum quantum ad immensitatem, postremum quantum ad ea, quæ circa ipsum sunt : quamlibet Eunomius existimet, simplex Deus sit, eum contemplatu difficilem non esse, verum aut omnino incomprehensibilem, aut prorsus comprehensibilem, utpote individuum suique omnino similem : In compositis enim, inquit, accidere potest, ut pars quædam percipiatur, quædam incognita maneat, at non item in simplicibus. Cui sic respondendum est : Simplicitas nequaquam Dei naturæ est, Eunomi, ut vel plene, vel nullo modo percipi possit : sed aliud est divina natura, aliud simplicitas, quæ circa naturam consideratur : quemadmodum videlicet et in compositis, aliud natura est, aliud compositio, quæ circa ea cernitur. Quocirca quærendum est quidnam sit Deus, qui simplex natura est, id est quærendum est prius, quid sit Deus secundum naturam, quam ut loquamur de simplicitate, quæ eam sequitur.

Psellus. *Immensus itaque est Deus, nec fine interseptus, nec cognitione perceptibilis, quantus est, nec loco circumscriptus, nec corporea ratione direptus. Et contemplatu difficilis quantum ad situs eorum, qui illuminantur. Nam, ut scribit magnus Dionysius, nec si qua est eximia et selecta hierarchia, ipsa tamen pro potestate speculationibus utitur, solutis ac liberis mentis conceptionibus Deum apprehendens.* Quamlibet aliquis existimet, etc. *Quoniam doctrina quædam gentilis philosophiæ illi adversabatur, hæc ex adverso statuit, ac perquam acute dissolvit. Tradunt enim, Platonici præsertim, nihil simplex partim comprehendi posse, partim comprehendi non posse : verum sive corpus illud sit, substantiam habens similaribus partibus constantem, sive etiam quiddam incorporeum, quisquis illius partem perceperit, totum quoque percepisse. Verum simplicitas Dei natura non est, etiam si simplex sit, quemadmodum nec in nobis naturæ rationem habet, quod compositi sumus, verum id naturam circumstat, qualiscunque tandem illa est.*

[33] Psal. cii, 13. [34] Matth. v. 48. [35] Joan. xx, 21.

Digitized by Google

Ibid. *Jam vero, cum immensitas bifariam*, etc. A Postquam Theologus Eunomianorum objectionem solvit, ad propositam de divinitate disputationem redit, ac de immenso disserens, ait immensum id dici, quod, tam principii, quam finis ratione immensum est. Nam quod hos duos temporis terminos superat, nec in his invenitur, proprie immensum est, id est, quod et principio et fine caret. Quoniam autem supra pelagus dixerat, commode hic quoque profundi meminit. Ait enim, cum in supernum profundum et impermeabile principii pelagus mens humana aspexerit, Dei principium investigans, nec deinde habeat, ubi pedem figere ac consistere possit, quod in hac de Deo imaginatione nec finem ullum, nec principii, ex quo originem duxerit, circumscriptionem ullam inveniat, hujusmodi im- B mensum, anarchum, id est, principio carens appellat. Etenim quod a nullo principium habet, immensum est. Cum autem ad inferiora hæc et posteriora aspectum retulit, eo quod ne hic quidem mens certam firmamque sedem habeat, in qua consistat, immensum hoc immortale interitusque et mutationis expers appellavit. Quod enim nusquam desinit, immortale est. Rursus cum mens utrumque contraxerit, superius, inquam, et inferius, hoc est, principii expers, et finem nesciens, tum vero Deum æternum nominat. Æternum autem dicitur, auctore Dionysio, non modo quod ortum non habuit, ut Deus, sed etiam quod morti et corruptioni atque interitui obnoxium non est, ut angeli atque animæ. Et quidem cum de Deo, qui proprie et semper C est, sermo habetur proprie quoque αἰὼν, id est, ævum dicitur, quasi ὁ ἀεὶ ὤν, id est, *qui semper est* : at de angelis et animabus haudquaquam proprie dici potest. Ævum enim illorum principium habuit, verum finem habiturum non est. Quocirca partim ævi participes sunt, quia incorruptibiles sunt et immortales : partim temporis, quia in rerum creatarum classe sunt. Atque ut hanc rem dilucidius explicemus, sciendum est hujus nominis multas esse significationes. Nam et uniuscujusque hominis vita ævum dicitur, et mille annorum numerus et tota hæc præsens vita, et futura etiam æternitas. Rursus ævum tempus dicitur : *Nec pars ulla temporis, solis mensura et motu definita*, id est, D diebus ac noctibus constans, sed ille quasi temporalis quidam motus et intervallum quod simul cum iis quæ æternitatem habent, extenditur. Additum est autem : Quasi, quia exactam ævi descriptionem afferre non possumus. Nam quod iis rebus, quæ tempori subjectæ sunt, tempus est : hoc æternis ævum est. Etenim ante mundi creationem, cum ne sol quidem esset, qui diem a nocte divideret, non erat ævum mensurabile, sed veluti quidam temporarius motus, atque intervallum, quod simul cum æternis rebus protrahebatur. Atque hac consideratione ævum unum est, juxta quam Deus quoque, αἰώνιος, id est, æternus seu sæcularis dicitur, atque etiam προαιώνιος, id est, ævo seu sæculo prior. Nam ipsum quoque sæculum fecit. Porro inter ævum et tempus hoc est differentiæ quod ævi quidem proprietas est antiquitas et immutabilitas (nec enim dierum noctiumque mensura definitur, sed eodem modo semper se habet), tempus autem vocatur, quod in generatione, et corruptione, et mutatione est, atque alias alio modo se habet.

Psellus. *Prisci philosophi solius motus circularis mensura ævi cogitationem definitam esse censuerunt: quod perfectus sit hic motus, cujusmodi ævum etiam est. At Porphyrius, et eo antiquior philosophus Plotinus, novam quamdam de ævo doctrinam prodiderunt. Immobilibus enim et distantia carentibus formis illud attribuentes, omnia quoque motus et distantiæ expers esse docuerunt, scite sane et significanter, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι, id est, ab eo, quod semper sit, hujus nominis etymologia deducta. Quemadmodum enim, inquiunt, a formis quæ materiam asperant, præteritum et futurum abstracta sunt : sic etiam ipsorum mensura, hoc est, ævum, æque ab his remotum est, atque id quod est, manet, nimirum præsens. Hoc igitur dogma nullo modo comprobat Theologus. Nam si ævum hujusmodi rationem habet, ut nullam omnino mensuram admittat, nec intervallum ullum partibus quoque careat necesse est. Ex quo illud sequetur, sæcularia omnia in puncto conclusa esse : tale enim est, id, quod partibus caret. Quo quid stultius fingi possit? Jam ne mundus quidem intellectilis ævum est, ut nonnullis videtur. Æviternus enim est. Porro æviternum per ævi participationem dicitur. Nec vero firmus et æquabilis illius status ævum est, qui intellectilis mundus* (14) *est. Quin etiam, et unum est, et multa : unum quidem, quantum ad ipsius naturam ; multa autem, quantum ad nostram intelligentiam, animique conceptionem. Individuum enim est, vimque plurimam habet. Quare si quis ipsum ut essentiam quamdam cogiteverit vitam identitatemque habentem, tum cogitationem ac stabilitatem, illam quidem, quantum ad vitalem speciem, hanc autem, quantum ad identitatis immutabilitatem : rursusque identitatem ac diversitatem ita consideraverit, ut in altera quidem partium æqualitatem spectet, in altera autem eam differentiam, qua ab omnibus aliis rebus sejungitur, tum hæc mul.a contraxerit, facultatesque et potentias in essentiam concluserit, atque omnia quasi unum fuerit contemplatus, ille procul dubio perspexerit. Est enim ævum, ut crassiori Minerva definiam, illuminatum illud ab intellectili mundo spatium* (15), *individuum quantum ad temporis partes, et immutabile, quod nec præteritum habet, nec futurum, et cum quo in solo præsenti universitati rerum indita est essentia. Id*

(14) *Mundus intellectilis.* Κόσμος in Græco Pselli deest, sed hoc substantivum desiderari apertissime liquet ex iis quæ mox sequuntur.

(15) *Illuminatum illud spatium* [Hoc quoque loco substantivum deest, spatium vel intervallum ponendum existimo, nam de ea re illic tractat.

Digitized by Google

igitur quod nec præteriit, nec futurum est, sed semper est, αἰὼν dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ ἐν τῷ ὄν εἶναι, id est ab eo quod semper in ente sit, nomen ducens. Atque hujusmodi sunt cœlestia. Æternæ enim eorum, et essentiæ sunt, et actiones. Sublunaria autem omnia generationi et mutationi subjecta sunt. Et quemadmodum cum iis quæ motu carent, ævum simul constitutum est : sic etiam cum iis quæ moventur, tempus, quod semper fluit, et eodem cum his motu cietur. Hujus partes duæ sunt præteritum et futurum. Nam præsens nusquam est. Posteaquam vero duorum quorumdam a nobis mentio facta est, nempe et eorum, quæ, tam essentia, quam actione stabilia sunt, cujus, generis sunt intellectilia, et eorum, quæ secundum utramque moventur, nihil autem in rerum natura vacuum est, quin potius in omnibus contrariis nexus quidam ac media, sunt : igitur horum media sunt, ut partim in ævo sint, partim in tempore? Hujus modi cœlum est, et ea quæ luna sublimiora sunt. Horum etenim substantia quidem æterna est, quippe quæ nec intereat, nec augeatur, nec obteretur, aut immutetur : actus autem sub tempus cadit. Nam cum universus mundus moveatur alia ipsius pars super horizontem eminet, alia medium cœlum tenet, alia ad Occidentem tendit, alia infra terram fertur. In eodem quoque genere est anima. Nam ut æterna est ipsius essentia, ita actus sub temporis mensuram cadit. Neque enim repente ea, quæ quærit, perspicit : verum et finem sibi proponit, et principia quasi fundamenta jacit atque, ab his ad illum procedit.— Nec tempus. Aristoteles adversus veterum Academiam disputans, ac cum ipso etiam Platone contendens, æternum tempus, atque ex utraque parte infinitum constituere videtur. Nam Plato, ipsum veritatis scopum feriens, et cœlum creatum fuisse affirmat, atque a quodam temporali puncto conversionis et convolutionis principium accepisse, cumque eo et tempus et naturam simul condita fuisse. Aristoteles autem et cœlum, et motum, et tempus increata esse astruit. Hanc enim interrogationem affert. Tempus vel in tempore est, vel non. Si in tempore non est, habeo quod quæro : si autem est in tempore, de illo quoque tempore idem rursus quæro. Nam nec temporis tempus investigare atque exquirere, ulla unquam fatigatione desistemus, nec illud in immensum unquam progredi desinet. Hoc est Aristotelis argumentum. Quod autem hæc quæstio hujusmodi non sit, ut explicari ac dissolvi nequeat, hinc quispiam intellexerit, quod tempus nec in tempore est nec rursus temporis expers. Deus enim simul atque cœlum producere voluit, voluntas illa in opus exiit, ac citra tempus universa rerum machina constructa est. Non tamen idcirco temporis quoque expers est : quoniam cum prius non esset, postea creata et constituta est. Eadem est temporis ratio. Quatenus enim cum prius non esset, postea conditum est, minime increatum et temporis expers est. Quatenus autem non per protractionem in esse prodiit, hac minime ratione temporis expers dici possit : quandoquidem et alia, cœlum videlicet, terram, mare, solem, lunam et reliqua sidera increata dicere quispiam possit, quia per temporalem protractionem producta non sint. Hoc enim hominibus convenit. Quare æquivoca significatione horum verborum, non in tempore, imposturam facit, qui hoc modo argumentatur. Duplici enim modo aliquid intelligitur in tempore non esse, vel quia sempiternum sit, vel quia nequaquam per temporalem protractionem in rerum naturam prodierit. Ex quo efficitur, ut alia ratione, qui extra tempus est, in tempore sit : quia videlicet non ab æterno sit ; alia autem in tempore non sit, quia summus omnium rerum Architectus ad ejus productionem tempore minime opus habet. Quin etiam in rebus humanis nonnulla sunt, quæ sine temporis mora gigni solent, ut lactis concretio seu coagulatio, et superficiei aquarum congelatio. Non enim particulariter ac paulatim concrescunt, sed confertim et repente, et non quemadmodum ipsi consuevimus. —Quasi temporalis quidem motus et intervallum. Ne divinum horum verborum sensum surda prorsus aure accipimus, liceat nobis pro animi arbitrio eam fictione fabricari, quod magnus Gregorius re intellexit. Tollantur itaque nobis et cœlum, et sol, et luna, omnisque siderum motus : nos autem in loco per figmentum habitemus. Annon rursus intervallis distinctam vitam habemus? quod si intervallis distinctam, utique et in mensuram cadentem. At cujus tandem rei mensura describemur? An solis? Atqui ille sermone nostro sublatus est? An lunæ? Atqui ipsa quoque a nobis avolavit. An aliorum siderum cursibus? Ubi tandem illa fixa erunt, aut movebuntur? In cœlo? Atqui fictrix oratio hoc quoque stellis spoliatum in nihilum resolvit. Talis igitur motus noster, et vita, nec tempus est, nec temporis pars ulla, sublatis nimirum his rebus, quibus tempus conficitur. Atque interim tamen in motu et intervallo sumus. Hoc igitur veluti temporalis quidam motus est et intervallum. Hoc æternis ævum est. Qui de rebus divinis apud gentiles accuratissime disputarunt, quorum vertex et coryphæus est, Proclus τὸ ἀΐδιον, id est, æternum, in duas partes dividunt, alteram quidem partem eamdem esse statuentes cum ævo, seu sæculo, ut simul universum sit, temporali protractione nequaquam terminabile. Atque in hac æterni parte mentem quoque collocant, nonnulli etiam animam. Nam et quantum ad essentiam, et quantum ad actum, utraque æterna est. Neque enim essentiæ earum pars alia progenita est, alia progignitur, alia progignetur, neque in earum actu quidquam deficit, verum utraque harum et essentia et actu perfecta. Progressionem itaque per similitudinem et dissimilitudinem fieri necesse est. Quid igitur? Ab eo quod secundum utramque rationem æternum est, hoc est, secundum essentiam et actum, ad id quod neutra ratione æternum est, proficiscetur oratio, ad id videlicet, quod creatum est, et fluxum et caducum, cujusmodi nostra individua sunt. Nos enim nec æternam essentiam habemus, nec actum particulatim augemus. Verum alio

Digitized by Google

quidem nunc facimus alia jampridem effecimus; ac postremo ad alia rursus facienda præparamur. Verum id ordo non est, nec progressio per similitudinem decurrens. Proinde inter ea quæ omnino æterna sunt, et ea quæ corruptioni prorsus obnoxia, naturas quasdam interjectas esse necesse est, quæ naturam quidem æternam habeant, cæterum secundum tempus agant. Atque ad hunc modum provecta disputatione, in medio ordine cœlum, totumque æthereum ornatum locant, quem scilicet quantum ad essentiam æternum esse asserunt, quod universum complexus immortalis maneat : cæterum æternitatem quantum ad actum haudquaquam illi tribuunt. Neque enim totum suum motum secum simul collegit, sed per omne tempus simul movebitur. Atque ita de æterno philosophi profani disseruerunt. At magnus Gregorius hæc velut fabulosa missa faciens, posteaquam semel ex sacra Scriptura didicit fore, ut et stellæ cadant, et cœlum quasi vertigimem patiatur, in oratione quadam his verbis utitur : Anarchum id est, quod antiquius principium nequaquam sortitum est; æternum autem, quod a causa progressum fine haudquaquam concluditur. Hinc constat id quod anarchum est, æternum etiam esse; quod enim a causa profectum non est, quo tandem modo emori, aut omnino interire poterit? Nam quod interit, hoc interitus causam habet, quod a causis abscedat, quemadmodum quod ab altero movetur, moveri cessat. Quonam, inquam, modo quod causa caret, interire poterit? Nec enim seipsum deseret, ut sic a seipso abscedens, exitium sibi atque interitum accersat. Quocirca quod principio caret, procul dubio æternum quoque est. At non e converso, quod æternum est, idem quoque principio vacat. Anima enim et mens æternæ sunt, quia immortales, nec tamen principii expertes. Omnia siquidem a prima causa orta sunt. Jam vero æternum et immortale hac ratione differunt, quod æterni nomen generalius sit, immortalis autem specialius. Nam juxta gentilium philosophorum sententiam, de quibuscunque immortale prædicatur, de iisdem quoque æternum : at non contra omnibus æternis immortale quoque adjungitur. Immortalia enim, inquiunt, ea dicuntur, quæ vitam habent, cujusmodi mentem atque animam esse diximus, ac naturas post Deum proximas. At cum cœlum fine carere dicunt, non immortalem illi naturam tribuunt, sed æternam. Mors enim vitæ est privatio. Quæ autem vita nequaquam prædita sunt, quomodo morientur? Verum juxta nostrates theologos unum idemque est æternum et immortale.

Col. 627 C. *Atque hæc nobis in præsentia de Deo*, etc. Hic, inquit, oratio de Deo finem habeat. Neque enim de Deo tractare proposuimus : sed de incarnationis consilio et œconomia disserere. Œconomia autem, cum de hominibus agitur, est tractatio atque administratio rerum, utilitatis scopum sibi proponens : cum autem de Deo sermo habetur, est voluntaria magnitudinis propriæ demissio. Porro cum Deum dico, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum dico. Divinitas enim in his tribus personis est, nec vel supra hæc extenditur, ne multos deos ethnicorum more introducamus, nec infra tres personas contrahitur, ne divinitatis inopia degravemur, unam tantum in Deo personam agnoscentes, quemadmodum Judæi. Quanquam enim gentilismo seu paganismo judaismus opponitur, at malum tamen in utroque reperitur. Gentilismus enim propter deorum multitudinem excessui similis esse videtur; judaismus autem defectui, utpote una persona divinitatem circumscribens. Excessus porro et defectus, tametsi inter se contrarii sint, uterque tamen in vitio est. At virtus est mediocritas, in eo posita, ut sanctam Trinitatem credamus ac confiteamur, atque, tum Judaicam unius personæ assertionem fugiamus (id enim defectus est, et divinitatis inopia), tum gentilem deorum multitudinem, quæ quidem excessus atque exuberantiæ rationem habet. His autem verbis et Arii divisionem, et Sabellii contradictionem evertit. Etenim Arii doctrina non dissimilis est gentilismo, propterea quod majorem Patrem, et minorem Filium, atque eo etiam rursus inferiorem Spiritum sanctum astruat. Sabellii autem opinio judaismi similitudinem gerit, quoniam unam tantum in Deo personam esse asserit, ac tres personas confundit.

Col. 630 A. *Sic nimirum Sancta sanctorum*, etc. Sic, inquit, profligata judaica unius personæ assertione, atque ethnica deorum multitudine, venerandæ essentiæ personæ introducuntur, quæ per excellentiam aut complexionem Sancta sanctorum appellantur, vel potius quia oculorum aspectum fugiunt. Quemadmodum enim in veteri tabernaculo, quod fixerat Moses, interior pars illius, quam Sancta sanctorum vocabant, velo tegebatur atque operiebatur : sic etiam tres unius divinitatis personæ fulgore illo splendoris ex ipsis exsiliente, quasi obducto quodam velo operiuntur, ac ne ab ipsis quidem Seraphim senas alas habentibus spectari queunt. Verum, ut grandiloquus Isaias ait [96], duabus quidem alis facies earum obtegunt, duabus autem pedes, reliquis denique duabus volant ac clamant, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus*, triplici sanctificatione in unam dominationem coeunte sanctam Trinitatem collaudantes. Ex eo etenim quod tertio vocem illam, *Sanctus*, repetunt, tres personas indicant. Ex eo autem quod semel duntaxat *Domini* vocem subjungunt, unam divinitatem declarant; quemadmodum et magnus Athanasius docuit.

Ibid. *Quoniam autem bonitati minime satis*, etc. Cum ait Theologus : Non satis erat, sed oportebat, non eo sensu hoc dixit, quod ulla re Deus indigeat, verum ut exuberantem Dei benignitatem ob oculos ponat, ac beneficentiam quasi necessariam ostendat, Moveri autem Deum dixit non simpliciter, sed sua ipsius contemplatione. Sex enim modis aliquid mo-

[96] Isa. VI, 2.

Digitized by Google

vetur, per generationem, corruptionem, augmentum, decrementum, alterationem et localem mutationem. Atqui Deus nec nascitur, cum sempiternus sit, nec occidit, utpote æternus; nec augetur, perfectus enim est; nec decrescit, est enim immutabilis; nec alteratur, qualitatem enim non habet; nec locali modo ex alio loco in alium commigrat; quo enim commigraret, qui omnia implet? Motum autem hic Theologus vocavit Dei in sese collectionem et intelligentiam, præter eos sex modos quibus aliquid moveri Aristoteles docuit. Movebatur enim Deus, seu pulchritudinis splendorem perspiciens. Movebatur autem intuens mundi formas, quas in magnis suis cogitationibus mens mundi fabricatrix constituerat. Posteaquam autem bonus ille non satis habuit seipsum contemplari : verum ob bonitatis exuberantiam quædam esse voluit, quæ beneficio afficerentur, ac bonitatem ipsius participarent (hoc enim significat id quod ait : Diffundi ac propagari bonum oportebat, id est, unum Deum pro ratione eorum, qui ipsius capaces essent, per bonorum communicationem multiplicari), ob hanc causam mundum universum producit, non ob necessitatem aliquam, ut nonnulli blaterarunt, verum propter summam bonitatem. Ac primum quidem angelos et cœlestes spiritus cogitavit. Conveniebat enim intelligibilem naturam ante sensibilem procreari. Atque cogitatio illa opus exstitit, quemadmodum ad Deum Judith dicebat : *Cogitasti* enim, inquit, *atque eodem momento tibi præsto fuerunt omnia, quæcunque fecisti* [37]. Atque in Psalmis habetur : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [38]. Per Verbum quidem seu Filium Dei angeli creati sunt : cæterum a Spiritu sancto sanctitatem acceperunt, ac perfecti sunt. Ac proinde a sancta Trinitate facti sunt, Patre nimirum cogitante, Filio fabricante, ac Spiritu perficiente. Atque ad eum modum splendores secundi creati sunt, quantum videlicet ad præfulgentem claritatem beatæ Trinitatis, a qua per participationem collustrantur. *Primi splendoris administri.* Prima enim fulgida natura Deus est, qui angelos ex nihilo produxit, juxta imaginem suam eos creans, incorpoream, inquam, naturam, quasi spiritum quemdam, aut ignem materia vacantem, quemadmodum inquit David : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis* [39]. Quibus verbis levitatem, et mentis ardorem, atque aciem celeritatemque circa divinam naturam et ministerium describit, atque ostendit eos in sublime ferri, et ab omni crassa et terrena cogitatione liberos esse. Ac vellem quidem, inquit, mihi dicere liceret angelos ad malum prorsus immobiles esse, utpote Deo appropinquantes, ac circa medium illius lumine coruscantes (nos enim intermedia angelorum opera illuminamur), verum ut eos potius ægre mobiles dicam, mihi persuadet Isaias dicens : *Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris* [40]? Nam cum ille clarus ab omnium rerum Conditore creatus esset, ac propter splendorem Lucifer nominaretur, posteaquam adversus Deum, a quo conditus erat, efferri atque insolescere cœpit, ut est apud Isaiam, seque ipsi opponere cupiens, dixit : *Ascendam in cœlum : super astra cœli ponam thronum meum : conscendam nubes, et ero similis Altissimo* [41]; propria voluntate ob hujusmodi superbiam caligo factus est ac nominatur. Quamvis enim ob incomprehensibilem naturæ rationem Deus quoque ipse caligo dicatur, juxta illud : *Posuit tenebras latibulum suum* [42], non tamen caligo est nec fuit. At diabolus et caligo factus est, et eo nomine vocatur. Sic enim eum vocat Joannes Theologus : *Tenebræ lucem non comprehenderunt* [43], id est, adversaria potestas Christum nequaquam superavit. Quocirca angelos immutabiles dicere vereor, cum cogito hunc Luciferum, qui bonus erat, arbitrii libertate et plena voluntate ex naturali bono in id, quod præter naturam erat, degenerasse, atque etiam rebelles angelos illi subjectos, qui quidem vitii architecti dicuntur, non quod ei substantiam dederint (neque enim ulla est mali substantia), sed quod primi malum seu improbitatem commiserint. Atque etiam Theologus, postquam dæmones improprie vitii architectos nominavit, ne quis illud substantia præditum esse existimaret, hanc suspicionem mitigavit, cum addidit, eos per fugam boni conditores mali fuisse, his verbis propemodum hoc dicens, malum, seu vitium, *non esse substantiam*, sed virtutis privationem, ut caligo luminis est recessus. Quemadmodum igitur qui lucem fugit, in tenebris versatur, ita dæmones, posteaquam a bono recesserunt, in malo relicti sunt. Nec vero malum tantum effecerunt, sed nobis peccati quoque auctores exstiterunt, utpote Deo adversantes. Huic enim non sufficiebat sua ipsius duntaxat contemplatione moveri, sed diffundi bonum oportebat, ut plura essent quæ beneficio afficerentur. Hoc enim summæ bonitatis erat cupientes pluribus benefacere. Contraria igitur ratione summa est dæmonum perversitas, qui non modo arbitrii libertate ac voluntate mali facti sunt, sed alios etiam malos reddere ac perdere conantur.

Psellus. Quoniam autem summo illi bono. *Veteres ac primi philosophi, addubitantes quodnam Deo nomen commode tribuerent, Deum, et Unum, et Bonum, tria hæc, inquam, incorruptibilis naturæ nomina produxerunt, nihil eam esse asserentes nisi Deum, nihil autem Deum, nisi bonum, idque idem esse quod unum, quippe et eorum* (15), *quæ sunt collectivum, atque ad unius participationem ea adducens. Unum enim, unione et monade atque unitate excel-*

[37] Judith IX, 4. [38] Psal. XXXII, 6. [39] Psal. CIII, 4. [40] Isa. XIV, 12. [41] Ibid. 13. [42] Psal. XVII, 12. [43] Joan. I, 5.

(15) *Eorum quæ sunt.* Lego enim τῶντε ὄντων, non θεώντων, ut in Græco codice.

Digitized by Google

tentius est. Unitas siquidem unius est particeps. Quod autem particeps est eo inferius est, cujus est particeps. Jam unio unitatum conjunctio est. Quod autem ex unitatibus conficitur, haudquaquam pure unum est, atque etiam multitudinis rationem habet. Porro unum multitudine præstantius. Postremo monas, si quis proprie loqui velit, nequaquam idem est, quod unum, sed passio quædam, aut habitus unius. Mansionem enim quamdam et constantiam unius declarat. Unum enim solum multiplicatum, unum rursus est. At Dei nomen, cum propria essentia cuncta implere demonstrat. Proinde bonitas Dei qualitas non est, sed hoc ipsum Deus, et unum. Quid enim Deus aliud est, quam summum bonum primaque illa causa per quam reliqua quoque bona efficiuntur? Sua ipsius solum contemplatione moveri, *hoc est, converti ac colligi ad seipsum, utpote nulla re superiore loco posita, ad quam subvehi possit, quemadmodum anima ad mentem, mens autem ad Deum. Nam compositorum et corporeorum nihil in seipsum colligi dicitur. Quonam enim modo corpus ad sese colligeretur, cum simplicitate careat? atque etiamsi quid corpore careat, non tamen propterea statim in sese colligi poterit. Quonam enim modo qualitates in sese colligi queant, cum propriam essentiam non habeant? Illud vero scire operæ pretium est, quod in his rebus, quæ finitæ ac circumscriptæ sunt, imperfectus motus est, in quibus nimirum motus ipse finem spectat. Exempli gratia: Motus glebæ a partibus superioribus ad inferiores imperfectus est: quoniam eam, cum ad centrum terræ pervenerit, finem motus habere necesse est. Consimiliter si quid ex inferiori loco sursum versus moveatur, imperfectus quoque hic motus erit. Ignis enim aut aeris partem in integra sua elementa desinere necesse est. Hic vero motus non in finem ullum desinit, quin potius ipse id, quod agitatur, maxime perficit. Quare nullo modo imperfectus dicendus est. Imperfecta quidem est nostra gignendi ratio, quandoquidem fœtum perfractis maternis vinculis in lucem exire, ac finem nascendi facere necesse est. At non item imperfecta Verbi Dei generatio, quoniam nullo fine circumscribitur. Enimvero Aristoteles inter motus imperfectos cœli conversionem numerandam censet: verum elementorum quidem motus imperfectos esse asseruit, cœli autem motum perficiendi potius corporis sui vim habere pronuntiavit. Quam autem causam affert? Quoniam, inquit, lapidem agitatum ad terram delabi, et aerem in locis concavis inclusum ad integrum suum elementum subrigi oportet. At cœlum, finito motu, quo tandem loco consistet?*

Col. 630 C. *Sic igitur atque ob has causas mundus is*, etc. Sic, inquit, id est, primo ordine atque ad unam cogitationem, et sola bonitate ductus, angelos creavit. Modesti autem hominis est dicere, quantum quidem ipse de his rebus philosophari queo, cujus cum parva et imbecilla sit oratio, magna tamen et ardua metiri atque exquirere aggreditur. Hoc enim significat verbum σταθμᾶσθαι. Deinde intellectili mundo producto sensilem rursus mente concipit Deus. Nam opificiorum quidem rationes apud ipsum semper erant, utpote simul omnia semper cognoscentem: tunc vere animo concepit angelos spiritus, nimirum ut eos produceret, quando jam conveniebat. Mens enim, hujus universitatis parens, omnia quidem parturiebat: postea autem parturitione illa tempestive sese proferente intellectilis mundus primum detectus est: ac deinde hic ex materia et forma constitutus, qui etiam ob hanc causam materialis et aspectabilis dicitur. Est autem mundus, ut inquit magnus Basilius, et ante eum Aristoteles, coagmentatio ex cœlo et terra naturisque intermediis: ut autem Nazianzeno placet, etiam coagmentatio et concretio. Coagmentatio quidem, ut ex his constitutus et expletus; concretio autem, quasi permistio, propter elementa quæ non solum propria loca habent, sed inter se quoque commiscentur. Quoniam autem quidquid laudatur, vel secundum propriam naturam laudatur, vel secundum relationem quam ad alterum quiddam habet, idcirco Theologus mundum laudibus vehens, omnem œconomii naturam summatim complexus est, cum dixit, partem unamquamque mundi, et per se laudabilem esse, et concinnitatis, qua cum altero juncta est, ratione. Et quidem concinnitatis verbo demonstrat partes mundi nequaquam inter se adversari: per concentum autem, docet non modo sibi invicem non adversari, sed pulcherrime etiam inter se cohærere. Connectuntur enim alia aliis, ac suaviter et tranquille communicant. Quemadmodum enim in cithara ex diversis quidem fidibus, cæterum ad unius cantilenæ perfectam modulationem concinentibus, harmonia conficitur: eodem modo in hoc mundo diversæ quidem sunt species, sed tamen ad hujus complementum concordes et consonæ. Omnia enim ipsi congruentem utilitatem præbent, et licet locali situ distincta sint, ut elementa, tamen cognatis relationibus inter se connexa et concreta sunt, alia re videlicet ad aliud quiddam pulchre quadrante, terra nimirum cum aqua (utriusque enim communis est gravitas, et frigiditas): aqua rursum cum aere (perspicua enim atque humida est aqua, quemadmodum et aer): aere item cum igne sive cum æthere: calida enim et levia hæc elementa sunt. Atque omnia invicem ad mundi constitutionem sibi mutuo conferunt, etiam quæ maxime contraria videntur. Nam quod ait: Atque omnibus ad omnia, sic intelliges. Quemadmodum in terra non solum est siccitas et crassities, sed etiam humor, et aer, atque etiam ignis: sic et in aqua, et reliquis elementis, omnia reperies. Ergo si, vel separatim unumquodque consideraveris, vel mutuam relationem qua inter se quadrant, tum excellentem, inquit, omnium mistionem, tum omni oratione præstantiorem distinctionem esse perspicies. Verum ut ad institutum revertamur, Deus, intelligibili essentia creata, hoc est, cœle-

Digitized by Google

tibus virtutibus et ordinibus, sensibilem quoque naturam condidit, cœlum videlicet ac terram, et ea quæ his continentur, ut ostenderet se non modo cognatam et propinquam sibi naturam efficere posse (congrua autem et cognata Deo est ea, quæ rationem habet, atque intellectu solo comprehendi potest) : sed et longissime semotam, eam scilicet, quæ sub sensum cadit, ac potissimum quæ anima caret. Quanquam enim omnia divinæ bonitatis aliquid habeant, tamen quæ vita carent, hactenus ea fruuntur quod sunt ; animantia autem, quatenus et sunt, et vitam habent ; homo vero, quatenus et hæc, et rationem insuper habet ; at angelus propinquior adhuc est Deo, quippe intellectualis, et sola mente perceptibilis.

Col. 630 D. *Enimvero mens jam et sensus*, etc. Per mentem hoc loco intelligibilem mundum, hoc est angelos, significat ; per sensum autem, sensibilem, aitque : Hi duo mundi inter se discreti intra proprios fines consistebant, hoc est, peculiari modo, atque impermiste creati, naturæ suæ fines haudquaquam excedebant. Manebat enim intellectilis mundus in suo fine, nimirum ut intellectilis solum esset : ac rursus sensibilis in sua permaneret natura, tantumque sensibilis erat. Porro uterque bonitatis et potentiæ Filii Dei creatoris sui magnificentiam in seipso ferebat atque ostendebat, ac per constructionem sui atque ordinem tacitis vocibus opificem prædicabat, juxta illud : *Cœli enarrant gloriam Dei* [45] ; atque etiam juxta id quod scriptum est in libro Sapientiæ : *Ex magnitudine et pulchritudine rerum creatarum, collatus cum eis earum effector, ac fabricator conspicitur* [46]. Igitur hi duo mundi inter se disjuncti erant ac circumscripti. Nondum autem utriusque temperamentum ullum erat, aut contrariorum mistura. Contraria enim sunt mens et sensus, idque quod materia constat, et quod materia caret. Idcirco autem *temperamenti* verbo usus est, quia per omnem hominis vitam animus a corpore dividi et separari non potest. *Misturæ* vero nomen adjecit, propter eam separationem quam mors affert. Nam quæ temperantur, separationem nesciunt, ut vinum et aqua : quæ autem miscentur, possunt separari, ut triticum et hordeum. Porro hæc contrariorum mistura majoris sapientiæ Dei signum editura erat, atque argumento futura, quod varias etiam et multiplices naturas efficere posset, ac profusæ ipsius bonitatis specimen exhibitura.

Psellus. Mens et sensus. *Parentem hujus universitatis selectam et principem mentem esse, vel potius Deum, et Bonum, et Unum, omnia quæ sunt, et nihil eorum quæ sunt, et supra ea quæ sunt, et in iis quæ sunt existimamus. Ergo in hoc uno omnia inerant, tam intellectilia, quam sensilia, nec separatim, nec confuse. Neque enim, ut illa, sed ut ille, hujusmodi unio erat. Igitur cum omnia in Uno, quod ante omnia est, simul essent, postea processerunt ac distincta sunt. Porro mentis nomen nonnunquam de anima quoque ipsa, et intelligibilibus naturis, quæ eam superant, prædicatur : interdum autem proprie de simplici atque indivisibili natura dicitur, ut hoc loco. Nondum enim anima erat, quandoquidem nec homo. Missæ enim fiant naturales hæ atque vegetativæ, quæ improprie animæ nomen sortita sunt. Anima siquidem vis est organici corporis : ac plantæ nequaquam sunt organicæ, sed naturales duntaxat. Quod autem mentem omnem ac sensum omnem a prima mente procreata esse ait, carpere atque insectari mihi hoc loco videtur, cum Platonicas imposturas, tum ea quæ Jamblichus et Porphyrius et Proclus de cœlestibus sphæris vane atque inepte disseruerunt. Omnia enim, quæ luna superiora sunt, anima prædita esse pronuntiarunt. Theologus autem nondum exstitisse animam docet, cum jam sphæræ omnes creatæ essent. Jam vero hic opificii modus diversus est ab eo, quem Græci philosophi introducunt. Nam illi, nec Deum, nec naturam, immediate quidquam facere asserunt, ac proinde nec post mentem protinus sensum gignunt, sed primum deiformem mentem, deinde particularem, nec divinæ mentis participem, post animam mentis compotem, tum simpliciter animam, postea naturam, atque ita postremo sensum. At magnus hic Pater summis naturis procreatis ita demum medias a Deo productas esse ait. Etenim ut illi rationem ineunt, natura ordini subservit Deus : ut autem docet hic auctor, ratio quam in rerum creatione tenuit, naturæ leges superat.*

Col. 631 A. *Hoc igitur cum artifex Verbum*, etc. Quoniam, inquit, contrariorum permistionem fieri oportebat, ac veluti commissuram quamdam et colligationem visibilis et invisibilis naturæ, talem hominem condidit Filius Dei, animal unum ex duabus naturis compositum atque conflatum, corpus quidem ex terra, quæ jam creata erat effingens, a seipso autem spiraculum inserens. Quod autem dicit, *a seipso*, non idem significat quod a sua substantia, quemadmodum nonnulli dicere ausi sunt, sed ab effectrice et fabricatrice sua potentia. Corpus enim ex subjacente materia, animam autem a nulla re sumpsit, sed ex nihilo creavit. Multis autem nominibus appellatur anima. Dicitur enim spiraculum, juxta illud : *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ* [47]. Dicitur etiam anima, ut hoc loco : *Et factus est in animam viventem* [48]. Item imago Dei vocatur, juxta illud : *Ad imaginem fecit eum* [49]. Porro illud : *Ad imaginem* ; intelligendi vim arbitriique libertatem ostendit ; *ad similitudinem* autem, virtutis, quoad ejus heri potest, imitationem. Intellectualem autem animam Theologus dixit, ad differentiam animæ brutorum animantium, quæ sensibilis est. Sic igitur Dei Filius hominem fabricatus, quasi alium quemdam mundum ab eo qui aspectu sentitur, ipsum in eo collocat, magnum nimirum in parvo. Democritos enim,

[45] Psal. xviii, 1. [46] Sap. xiii, 5. [47] Gen. ii, 7. [48] Ibid. [49] Gen. i, 27.

Digitized by Google

cum mundo in oculorum sensum cadente hominem comparans, μικρὸν κόσμον, id est *parvum mundum*, eum nominabat, velut ex mundi elementis constantem. At contrario plane modo magnus mundus homo dicendus est, utpote qui et ea omnia habeat, quæ sensibilis mundus, ac præterea intellectualem et rationalem animam, ob quam et angelus quoque alius est, Dei adorator, mistus ex duabus naturis, visibilem quidem naturam, in sensum cadentem, oculis cernens : intelligibilia autem ac cœlestia non cernens, sed iis initiatus, et eorum quidem, quæ a Deo in terra condita sunt principatum gerens, ipse autem Dei imperio subjectus, mortalis immortalisque naturæ confinis. Medius inter magnitudinem et humilitatem, vel ut inter immortalitatem et mortalitatem positus, ac nec hoc proprie, nec illud (utrinque enim libratum eum Deus creavit, videlicet observans utram in partem propendeat) vel ut simul et magnitudinis naturæ intellectilis et humilitatis naturæ sensibilis particeps. Atque idem spiritus et caro est. Spiritus quidem anima est propter gratiam, ut immortalis sit, tantique beneficii auctorem laudet : caro autem propter superbiam, ut per corpus patiatur, ac patiendo submoneatur, quod terra est, atque ita, si quando propter mentem efferatur, propter terram dejiciatur. Animal in præsenti quidem vita per certam providentiam vivens et gubernatum : ad futurum autem sæculum transmigrans. Quod si quis dicat : Quomodo igitur Adamus, nondum lapsus, talis effectus est (nondum enim mortis sententia in eum pronuntiata fuerat) ut propter corpus mortalis esset, et propter animam immortalis? Dicendum ideo factum esse, quia Deus futuram ipsius transgressionem, mortemque ab ea promanantem, præsciebat, tametsi medium inter immortalitatem et mortalitatem ipsum creaverit. Vel etiam propter universam Adami posteritatem, vel ut illius naturæ participem, hæc verba protulit Theologus. Extremum, inquit, mysterii, hoc est, ut homo nutu et subvectione ad Deum deus efficiatur. Deum autem fieri, est illuminationis divinæ participem fieri : non autem ad divinam essentiam migrare. Porro hominis ad Deum subvectio, industriæ ac sedulitatis hujus vitæ opus est : divinitatis autem consecutio, futuri sæculi præmium. Nam cum in Dei materiæque confinio positi simus, si quidem ad materiam declinemus, crassi ac materiales : si autem ad Deum tendamus, divini atque adeo dii nominamur. Eo etenim mihi tendit exigua hujus vitæ cognitio veritatisque perceptio, ut Dei claritatem videam, eaque afficiar. Quemadmodum enim id quod igni propinquum est, eamque naturam habet, ut patiatur, flammam concipit : sic etiam animi in hac vita ad Deum evectio atque conjunctio futuræ vitæ deificationem nobis conciliat, dignam Deo, qui animam cum corpore quasi vinculis astrinxit, ac per mortem separat, rursusque in resurrectione excellentius, quam primo illo nexu, constricturus est, quia jam nec ulla solutio, nec conjunctio futura est.

Col. 631 B. Illud ut maneat, etc. *Anima in stabilitate et constantia atque identitate condita fuerat : corpus autem in mutatione atque alteratione. Atque ut in genere dicam, corpus quidem affectibus antea haudquaquam vitiosis subjectum erat : anima autem ab hujusmodi etiam affectibus immunis erat. Proinde anima in seipsa, velut in exemplari Creatoris sui imagine, divinas formas conspiciens, Conditorem suum celebrabat atque laudabat, vel per propriam constantiam et immutabilem identitatem, eamdem quoque de opifice suo opinionem habebat. Homo igitur, hoc est, illa corporis animæque mistura, cum omnia sua ipsius causa facta esse cerneret, ad hunc morbum fortasse impellebatur, ut se æqualem Deo esse existimaret. At corpus ex altera parte depressum, propriisque affectibus abstractum, a cœlestibus avulsam animam deorsum retrahebat, atque in suum præcipitium urgebat et impellebat. Ac tum scilicet homo, se animæ dignitatem non a se habuisse, sed Creatoris beneficio accepisse cognoscebat. Proinde, dum insolentius efferebatur, a corporeis afflictionibus commonefactus, sentiebat se magnitudine gloriari, id est, quod animæ magnitudinem præstantiamque eximio Conditoris sui beneficio accepisset.*— (16) Animal hic varie gubernatum, atque alio demigrans. *Nam, ratione præscientiæ, etiam quæ nondum facta erant, in eodem loco, quo ea, quæ fiebant aut facta fuerant, apud Deum censebantur.* Varie gubernatum. *Gr.* οἰκονομούμενον. *Œconomia autem est, ejus, quod dispensatur ac regitur, varia multiplexque gubernatio, ad ejus commodum utilitatemque a dispensante instituta. Nam nos quoque mœroribus et voluptatibus gubernamur, secundarum rerum adversarumque casibus, timore et audacia, paupertate et divitiis, cæterisque hujus generis ; ac postea ad alteram vitam migramus.* — Et quod mysterii extremum est, *id est, caput et summa totius humanæ vitæ dispensationis ac migrationis. Porro nutus et subvectio ad hujus vitæ dispensationem referenda est : divinitatis autem adeptio, ad posteram vitam. Mentis enim ad Deum subvectio, industriæ opus est, et virtutum cultus : deificatio autem, omnis actionis et contemplationis est terminus. Quare non simplex est ista animi ad Deum inclinatio. Proinde operæ pretium est cognoscere quot res inter nos ac Deum interjectæ sint. Primum inaccessibilis illa caligo, quam vix unquam quidam ex eorum, qui ratione præditi sunt, ordine prætergressi sunt : deinde angelicæ virtutes, post caliginem illam proximæ, quæ ab uno prodeunt, et unitates dicuntur, tum mens dimidiata, in quam illæ terminantur: postea particulares quædam mentes, mox animæ, tum naturæ et corpora, ac postremo materia. Is igi-*

(16) Hæc videntur esse Pselli.

Digitized by Google

tur, qui divinitatem adipisci partit, primum se ad animam convertat et colligat necesse est, deinde per eam ad mentem, rursus per mentem ad ea quæ superiora sunt, ac demum per ea ad Deum tendat. A. nec qui ad animam seipsum converterit ac movetit, divinitatem consecutus est, nec qui ad mentem. Verum ille animalis homo efficitur, nec capit quæ sunt spiritus; hic vero, intellectualis quidem sed nondum Deus. Quod si per mentem in arcanam illam caliginem penetraverit, ac cum Deo versetur, tum vero id Deum jam fieri et divinitatem assequi, et Dei splendorem intueri, ac juxta illam effingi atque efformari dicitur. Quoniam autem naturæ, ut par erat, mentionem fecimus, agedum de ea nonnihil disseramus. Natura itaque præter alias multas ipsius significationes, est principium motus et quietis ejus, in quo primo inest per se, et non per accidens. Hoc enim unicuique rerum naturalium affert natura, ut in seipsa motus principium, eademque modo quietis quoque finem habeat. Crescunt enim plantæ, ut ab his incipiamus, motus principium in seipsis habentes ac crescere desinunt, sive naturali cessantes. Idem de homine dicendum, et equo, et bove, et sphinge, et formica, et ape, et ut brevi complectar, de omni animali, sive reptili, sive natatili, sive volatili. Atque ipsa etiam quatuor elementa moventur et quiescunt. Nam et ignis et aer suapte natura sursum moventur, et cum ad propria loca pervenerint, moveri desinunt: at rursus terra et aqua, motum suapte natura deorsum vergentem sortitæ, ad centrum vergunt, et cum ad universi medium pervenerint, in seipsis conquiescunt. Hæc de natura tradit Aristoteles. At si Orpheo credimus, et Platonicis, et Lycio philosopho de natura pertractanti, et eo antiquiori Chalcedonio Jamblicho Pythagorico, natura Dei ars quædam est. Triplicem porro ille in universum artem habet. Prima ipsi insita est, nempe qua omnia efficit, ac fabricatur, quam ideam Plato nominavit, nos mentem a nulla causa ortam, nec ulla oratione explicabilem vocamus. Altera, tametsi illinc oriatur, non tamen ei semper adnexa est, sed eo tempore, quo ad eum revertitur. Tertia autem et postrema Dei ars ea est, quæ inferiori quidem loco numeratur, quam anima, cæterum corporibus dominatur, eaque et gignit, et alit, et auget, et movet, et perfecit, ac denique quietem iis affert. Atque ea materiales rationes habens eorum quæ facit, easque modo quodam intelligens, nequaquam ad se refert, nec ad proprium essentiam convertit, sed corporibus inseparabiliter adhæret, in ea penetrans, nec revertens. Ars hæc igitur apud philosophos eos, quos commemoravimus, natura nominata est. Hæc Plato cum cœlo et tempore progenita esse censet. Neque enim prius exstitisse, quam cœlum creatum esset. Primum enim id esse necesse est, quod corpus ac reliqua complectitur: at corpora omnia, quæ post cœlum creata sunt, post naturam et infra naturam creata sunt, rursusque, naturæ lege intereuntia, corruptioni obnoxia sunt. Cœlum autem, si quis optime considerare voluerit,

A nec initium naturæ conditum est, nec natura corrumpetur. — Et Dei claritatem et videam et sentiam. Res divinæ corporaliter utcunque perspiciuntur, atque earum trajectiones mediæ sunt. Quemadmodum autem id fiat, duæ sunt sententiæ, altera nostra et christiana, altera eorum qui apud ethnicos doctissimi habiti sunt, utraque mihi exponenda est. Nostra itaque hoc modo se habet. Deus, quidquid tandem est, incorporeus est, immutabilisque et alterationis expers manet: nos autem circa eum commutamur. Nam quemadmodum unam eamdemque vocem, in monticuli atque loco diffusam, alii verum audiunt, alii minime: atque ex iis qui audiunt, alii clarius audiunt, alii obscurius; ac rursus ex his qui non audiunt,

B alius idcirco non audit, quia procul remotus esset, alius quod auris meatum obstructum haberet nimirum concreta circa partem illam pituita, alius quia res alias ageret: quemadmodum item sole in meridionali linea stante calices quidem et noctuæ exiguum quiddam atque obscurum lucis radium admittunt, homines autem, et elephanti, prout quisque affectus est, uberius vel parcius illuminatur: eodem modo nos quoque circa Deum immutabilem permanentem, prout quisque afficitur, commutamur. Quocirca Petrus, et qui tum aderant, igneas illas linguas conspicati sunt: non quod similis linguæ divina figura sit, sed quia circa linguam futura erat Spiritus operatio. Atque hæc ex doctrina nostra depromptimus. At gentiles philosophi, quorum postremus lampadis gestator et hierophantes Proclus fuit,

C in tria hæc divinam evocationem partiuntur. Atque aliam ipsius partem αὐτοπτικὴν vocant, aliam ἐποπτικὴν, aliam ἐνθεαστικήν. Si quis igitur animo intelligentia et nitore ac splendore fruentum illud, ut natura est, perspicit, ipse utpote evocator et spectator αὐτόπτης dicitur. Si quis autem imaginario animæ vehiculo res divinas cogitatione informet, ab altero profano theologo ad id incitatus ἐπόπτης hic vocari potest. At si, nec mente, nec imaginatione speculetur, sed oculis solis divinas quasdam visiones per aerem delatas inspiciat, is ἐνθεαστής dici possit. Nam corporeum quoque lumen divinis rebus substratum esse, affirmant, quod quidem arripiunt, alii nullo negotio, ea scilicet naturæ bonitate præditi,

D qua et Socrates et Plotinus fuerunt, alii ad certas circuitiones, ad lumen lunæ fortasse mentis emotionem sentientes: Ægyptii autem, ut ferunt, vel tarto, sic enim vocant, oculos oblinentes, vel thuris liquore, vel bdellio: Assyrii vero, tesseris quibusdam, infandisque nominibus mysticisque litteris in sacerdotalibus bracteis seipsos sanctificantes, substratum illud incorporeis copiis lumen perspexerunt. Hæc Porphyrius, et Jamblichus, et ille prodigiosorum verborum architectus Proclus nugati sunt. Nos autem, ne theologicæ speculationis, quæ in his verbis lucet, Dei claritatem et videam et sentiam, omnino expertes simus, hoc exemplum proponamus. Sit quidam, qui ascendere ad solem paret, ut illius radiis splendidius illuminetur. Hic, in actu quidem erit, dum conscen-

Digitized by Google

det, pennas utroque lateri imponens (aut si quid aliud excogitaverit) prosiliens ac scipsum movens. Ac tantisper quidem pennas movebit, atque eodem motu agitabitur, quo ad splendidum ipsum orbem provectus fuerit. Post vero, cum solem ita subierit, ut non longius, quam palmi intervallo ab eo distet, utrum tandem ipsius actioni tribuendum erit, quod illo collustretur, annon potius actio cessabit, ac patiendi initium faciet? Ita procul dubio. Eadem igitur nostra quoque est ratio. Nam quantum ad virtutum cultum atque studium, activam habemus facultatem, quantum autem ad vim divinitatis sentiendam, passivam.

Col. 631 C. *Hunc arbitrii libertate donatum*, etc. *Quicunque tandem paradisus*, sive intellectilis sive sensibilis. Quanquam mihi videtur, quemadmodum homo intelligibilis simul et sensibilis creatus fuerat, ita etiam ejus sacratissimum delubrum intellectile simul ac sensile fuisse, duplicemque speciem habuisse. Nam homo corpore in loco maxime divino habitans, in loco incomparabili quantum ad animam commorabatur. A Deo porro id honoris consecutus est, ut arbitrii libertate donaretur. Idcirco autem ei liberum arbitrium datum est, ut bonum non minus, etc. Id est, ut bonum, quod gereretur, commune esset, nec Deo tantum, sed homini quoque ascriberetur : illi quidem, ut naturæ humanæ virtutum semina inserenti, et ut adjuvanti; huic autem, ut eligenti et facienti. Omne enim recte factum utriusque commune est, nempe et facientis, et Dei. Deus enim facultates et instrumenta suppeditat : homo autem actione sua rem præclare conficit. Ille semina mandat : hic agricolæ munere fungitur. Nam cum in paradiso propter opera bona collocatus esset, nisi arbitrii libertatem habuisset, nequaquam ex voluntate agere videretur. Enimvero sensilis paradisus quisnam sit, ex Genesis historia perspicuum esse queat. *Plantavit* enim, inquit, *Deus paradisum in Eden ad Orientem* [49]. At Gregorius historiam ad allegoriam traducit, atque per intellectilem quidem paradisum, cœlestem vitam intelligit, vel animæ puritatem et claritatem : per plantas autem, immortales rationes et divinas cogitationes, quarum aliæ tenuiores sunt, aliæ perfectiores. Porro quod scriptum est, nudum hominem fuisse, trifariam exponit. Nudus enim, inquit, erat, quantum ad morum simplicitatem, nondum enim fraus ac versutia et malitia admissa fuerat. Nudus etiam quatenus vestibus et tecto carebat : postea enim et vestimenta et tecta excogitata sunt. Differt autem integumentum a munimento sive propugnaculo : quod illud tegendi corporis causa inventum sit, ut vestimenta : hoc autem custodiæ ac tutelæ causa, ut arma et instrumenta ad vim arcendam instituta. Talem enim esse conveniebat eum qui a Deo creatus esset, hoc est, innocentem, simplicem, cura et sollicitudine vacuum, ab affectibus alienum. Maximum enim tranquilli animi, atque ab omni affectu puri et liberi argumentum est, nudum esse, nec erubescere. Ac Deus homini legem dat, quasi materiam et facultatem liberi arbitrii, ut in ea virtus eluceret. Lex autem præceptum erat, etc. Scriptum est enim : *Et præcepit Dominus Deus Adæ dicens : Ex omni ligno, quod est in paradiso, comedes : de ligno autem scientiæ boni et mali non comedes. Quacunque enim die comederis, morte morieris* [50]. Arbor autem illa erat scientiæ boni et mali. Nam cum ex ea comedisset Adam, suamque nuditatem sensisset, tum demum intellexit, quod bonum quidem erat præcepti observatio, malum autem transgressio. Duplicem autem scientiam esse dicimus, alteram, quæ res antecedit, quam et dijudicativam appellamus : alteram, quæ res ipsas comitatur, ac realis dicitur. Ea igitur, quæ discernendi ac dijudicandi vim habet, ante degustatam arborem præditus erat Adamus. Ipse enim et brutis animantibus et uxori nomina per conjecturam imposuit. Ac realem degustata arbore insuper adeptus est. Quodnam autem esset lignum illud interdictum, Scriptura quidem non indicavit : cæterum nonnullis eam ficulneam fuisse placuit, ex cujus etiam foliis post præceptum violatum primi parentes sibi vestes consuerint. Ac propterea scriptum esse : *Et maledixit Dominus ficui* [51]. Arborem autem vitæ esse aiunt, eam vim habentem, ut vitam afferat : quæ quidem ab iis solis, qui vita digni sunt, nec morti subjacent, edi potest. Jam quoniam spiritualem paradisum constituimus, ac per eum cœlestem vitam intelleximus, lignum quoque illud omne, ex quo manducare nobis præceptum est, ita explicare possumus, ut dicamus, nobis per illud divinæ contemplationis delicias significari. Deus enim universum est, in quo, et per quem, sunt omnia. Qui etiam lignum vitæ nominari potest, quoniam divinæ participationis dulcedo iis qui ea fruuntur, vitam nulla morte interruptam impertit. Tum autem lignum scientiæ boni et mali multiplicis contemplationis disquisitio exponi queat, hoc est propriæ naturæ agnitio, quæ quidem, ut perfectis et in divina contemplatione altissime provectis bona est, ita iis qui summo et soli bono nondum firmiter et constanter assident, noxia est, utpote quos propter infirmam atque instabilem in bono mansionem corporis cura ad se retrahere variisque negotiis implicare solet. Vel, si mavis, per omne lignum eam divinæ potentiæ agnitionem intellige, quæ ex rerum creatarum consideratione comparatur, quemadmodum ait Apostolus : *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* [52]. Omnium autem ejusmodi cogitationum excellentissima et altissima est illa, quæ in creationis nostræ ratione versatur. *Mirabilis* enim,

[49] Gen. II, 8. [50] Gen. XVI, 17. [51] Marc. XI, 13. [52] Rom. I, 20.

Digitized by Google

inquit, *facta est scientia tua ex me*[83], hoc est, ex mei constructione. Hæc autem cognitio Adamo periculosa erat, nimirum recens creato atque adhuc imperfecto. Quin etiam per lignum vitæ ascensus ille significari potest, quo ex omnibus rebus sensibilibus ad Deum provehimur; per lignum autem scientiæ boni et mali sensibilis et voluptuarius cibus, qui tametsi dulcedinem afferre videatur, tamen revera percipientem malis immergit. *Ex omni* igitur *ligno quod est in paradiso comedes*, hoc est, per omnes res creatas ad me Creatorem evehere, atque unum ex omnibus rebus fructum collige, me videlicet, qui vera vita sum: *Ex ligno autem scientiæ boni et mali ne comedatis. Quacunque autem die comederitis, morte moriemini.* Naturaliter enim sensibilis cibus id quod effluxit, replet; nec fieri potest, ut is incorruptibilis permaneat, qui sensibilis alimenti particeps est. Præter hos etiam modos aliter lignum vitæ exponere possumus, ut præceptum illud a Deo datum significet (lignum etiam vitæ est et justitia omnibus ipsam amplectentibus); scientiæ autem lignum discretionem boni et mali designet. Primum igitur simpliciter et sine ulla discussione Adamo faciendum erat, ut legi divinæ pareret, donec ad perfectum virtutis habitum perveniret, atque ita demum Dei munere boni ac mali dijudicationem acciperet, quod quidem lignum est scientiæ boni ac mali. Neque enim ei qui tenero est intellectu, periculo vacat dijudicatio, quod crassam atque affectibus commotam et voluptuariam rationem habeat. Quoniam igitur Adamum per simplicem, omnique dijudicatione carentem obedientiam Deo conjungi oportebat, ac per hujusmodi conjunctionem divinitatis opus eo tempore, quo Deus verus et naturalis voluisset, accipere, rerumque omnium veram cognitionem et judicium atque immortalem vitam: simplicis porro ipsius obedientiæ experimentum capi oportebat, propterea Deus præceptum ei dedit, ne ex scientiæ ligno gustaret, hoc est, ne proprio judicio fideret. Verum cum diabolus sub serpentis specie ipsum esset adortus, ac dixisset: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum*[84], si comederitis, proprio judicio acquievit, ac bona res illi esse divinitatis adeptio et scientia visa est, nec illud secum reputavit, quod omnia quidem bona sunt, verum suo tempore, quodque id quod accepturus erat, præripere non oportebat præter ejus voluntatem et sententiam, qui non modo dedit ut simus, sed etiam ut beate vivamus. Et vidit quod esset bonum, et comedit: atque ea mentis abstractione, qua ad Deum natura ferebatur, spoliatus est. Et aperti sunt oculi eorum, scilicet corporales atque animi affectus commoti sunt. Et cognoverunt quod nudi essent, et erubuerunt, atque a Deo avulsi sunt, ac velut pueruli voluptatis illecebris lenociniisque capti sunt: atque a ligno vitæ expulsi et mortales facti sunt. At enimvero hoc loco Deo invisus Porphyrius propter hoc scientiæ lignum Deum alterutrius peccati reum peragere conatur. Hoc enim dilemmate utitur: Aut arbor illa perniciose consita est, utpote hominibus mortem allatura: aut si recte plantata est, maligne certe atque invide prohibita est, nimirum Deo scientiam hominibus invidente, vecordesque eos esse cupiente. Hanc igitur objectionem diluens Gregorius, Ne in hoc lignum, inquit, impii manus injiciant, nec serpentem imitentur. Nam ille quoque Deum hominibus scientiam ac divinitatem invidere dicebat. Nec enim male plantata est hæc arbor, nec maligne interdicta: verum natura quidem bona erat (*vidit enim Deus omnia quæ fecerat, et erant valde bona*[85]), usu autem et bona erat et mala; bona, si congruo tempore percipieretur, secus autem, si præmature decerperetur. Etenim, ut intellectu et contemplatione assequor, hæc arbor cogitatio seu contemplatio quædam et notitia perfectior erat, sublimiorque scientia, quam conscendere ii soli tuto possunt, qui, ut ait Apostolus[86], pro consuetudine sensus exercitatos habent ad discretionem boni et mali. Contra autem ea minime bona teneris adhuc et rudibus animis, quemadmodum nec solidus cibus infantibus. Dentes enim recens natos convellit gravissimeque lædit.

Col. 631 C. PSELLUS. Lignum scientiæ. *In primi parentis anima velut in divinissimo quodam horto omnes scientiæ species consitæ erant. Ex quibus aliæ velut in orbem stabant: duæ solæ in media animæ parte insitæ erant. Per eas igitur, quæ in orbem plantatæ erant, ad esum accommodus virtutum fructus indicatur, quem percipere Adamum oportebat, animæque sensoria suavitate perfundere. Harum autem, quæ in medio stabant, altera rerum creatarum contemplationem designat, nimirum ea quæ scientiæ boni et mali nomen habet: altera ipsius Dei cognitionem perceptionemque significat, quæ quidem lignum vitæ appellatur. Proinde non statim scientiæ ligno manus admovere debebat Adamus, nec creationis rationes et consilia pervestigare, nec ad judicii et providentiæ difficiles cogitationes confestim accedere; sed virtutes sedulo prius colere, atque ex plantis externis et superficiariis comedere, tumque ad sublimiora sese conferre, ac primum quidem rerum creatarum causas inquirere, atque ea re absolute intellecta speculando quasi ulterius progredi, vitæque lignum degustare, sicque jam pure cum Deo ipso colloqui. Idcirco enim hæ duæ arbores in medio paradisi erant, quia post exactam et absolutam rerum creatarum cognitionem protinus exoritur vitæ contemplatio.*

IDEM. *Arbor vitæ sapientia divina est, uniformis,*

[83] Psal. CXXXVIII, 6. [84] Gen. III, 5. [85] Gen. I, 31. [86] Hebr. V, 14.

Digitized by Google

inquam, et immutabilis illa scientia (17) *per quam immortalitas animæ comparatur. Arbor autem scientiæ boni et mali prudentia media est, per quam ea quæ naturam contrariam habent, dijudicantur. Consimili modo unaquæque ex illis arboribus potentia quædam animæ erat, ad pietatem ducens, quarum prius participem fieri Adamum oportebat, atque ita ad dijudicationem accedere. Quandoquidem enim malum haudquaquam nudum et apertum proponitur, sed illud specie quadam boni circumlitum atque velatum amplecti malumus, quam Deo adjungi : ob eam causam ii, quibus hoc accidit, a veritatis perceptione arcentur, ne per vitæ participationem immortales effecti, immortalem quoque improbitatem habeant. Enimvero potentiarum et facultatum nobis inditarum altera plane mascula est; nempe mens, altera feminæ non absimilis, nimirum sensus quem etiam ille vitii artifex oppugnare aggreditur ac deludit, sensusque vicissim menti imposturam facit. Illa porro divina potentia, qua indutus erat, spoliatur, ac divina scientia, quasi paradiso quodam, pellitur, flammeusque gladius, hoc est, potentia a Deo constituta, ipsum custodire jubetur. Jam vero inter, Morte moriemini, et simpliciter, Moriemini, hoc mihi discriminis esse videtur, quod is morte moritur, qui pestiferis animi conceptionibus velut emoritur; simpliciter autem moritur, qui naturæ mortis tributum pendit. Quod autem singulari numero Deus esu arboris interdicit, plurali autem pœnas transgressionem secuturas subjungit, hoc mihi ostendere videtur, quod quamdiu in bono sumus, unitatem* (18) *nostram in eo qui unus est, servamus, nimirum Deo adjuncti : cum autem in malum prolapsi sumus, tum vere procul a Deo removemur, ac pro uno multi sumus.*

Col. 634 A. *Postquam autem diaboli invidia*, etc. Ad incorruptionem quidem et immortalitatem Deus hominem creaverat; verum *invidia diaboli*, quemadmodum est apud Salomonem, *mors intravit in mundum* [87]. Invidiæ enim æstu adversus hominem percitus est, propter tantum ipsius honorem et dignitatem, ac præsertim quia apostatæ quoque sedem in cœlo impleturus erat. Sed causas enumeremus, ob quas paradiso excidit Adamus. Prima causa fuit diaboli invidia; altera serpens, illius administer; tertia, mulieris simplicitas; quarta viri erga uxorem benevolentia; quinta, ipsius in propulsanda suavis illius cibi violentia imbecillitas; sexta, mandati oblivio, atque hanc secuta manducatio. Has omnes causas ordine exposuit Theologus, primorum parentum nomine causam dicens, atque ait : Diabolus invidia motus est, atque hinc duplex fuit assultus. Serpens enim, recta consulere existimatus, mulierem, ut molliorem, in fraudem impulit. A Mulier rursus, cum ob promissionem (quia videlicet sola a Deo auxiliatrix viro data fuerat) minime mentiri existimaretur, facilius illi, quod voluit, persuasit, atque ita oppugnata oppugnavit. Per id autem quod dicit utrumque oppugnatum fuisse, plurimum de accusationis criminisque gravitate detrahit. Postea cum per exclamationem dixisset : O meam infirmitatem! dictionem hanc exponens, ait se primi parentis cladem suam ducere, et quia infirmitas illa ab ipso ad universum hominum genus promanavit. Infirmitati autem cladem adjunxit. Infirmitate enim correptus est, voluptati non resistens, atque ita superatus. Purgatio autem quædam primi parentis est infirmitas. Eam porro escam, tametsi dulcem, amarulentam nominavit, ut amara pœna multatam. B Amara enim mors est, et tristitia, quæ eam antecedit, atque usque ad eam perpetuo excruciat. *In mœroribus* enim, inquit, *comedes terram omnibus diebus vitæ tuæ* [88]. Fortasse etiam per mortiferam hanc arborem, bonum simul et exitialem fructum habentem, peccati natura significatur. Quoniam enim voluptas quædam vitium omne præcedit, idcirco fructus ille bonus vocatur, quod videlicet per erroneum et falsum boni judicium his, qui summum bonum in voluptate ponunt, talis videatur; at vero malus postea per amaram illius manducationis digestionem invenitur. Adamus igitur ob violatum præceptum exsulat, tum a ligno vitæ, hoc est, Dei contemplatione, tum a paradiso, id est, cœlesti vitæ ratione, tum ab ipso Deo, hoc est, ab ea animi C libertate et licentia, quam apud Deum habebat. Ejecit enim, inquit, Deus Adam, et collocavit eum ante paradisum voluptatis. Et quidem scientiæ lignum certamen et exercitatio erat liberi arbitrii. At lignum vitæ, planta quædam erat, vim donandæ immortalitatis habens. Hujusmodi namque est Dominicæ quoque crucis lignum. Allegoriçe etiam ficulnea folia ex quibus primi parentes subligacula sibi fecerunt, ærumnosæ hujus vitæ asperitatem designant. Atque etiam pelliceæ vestes quas Dominus Adamo ipsiusque uxori fecit, mortalitatem carnisque crassitiem significant. Corpus enim Adami a principio tenuius erat et mollius, nec omnino mortale, sed mediæ cujusdam conditionis inter mortale D et immortale. At post transgressionem, quemadmodum pellis crassa est, et mortua, ac dura, ita caro etiam crassa, et gravis, et mortalis ac dura et refractaria. Et comederunt, inquit, et cognoverunt quod nudi erant [89]. Quoniam enim scientiæ illud lignum erat, primum suam ipsorum turpitudinem cognoverunt, atque intellexerunt quod bonum quidem erat mandati observatio, malum contra transgressio, ac deinde a facie Dei se furtim subduxerunt. Etenim ante peccatum admissum, animæ et

[87] Sap. II, 24. [88] Gen. VIII, 17. [89] Ibid. 6, 7.

(17) *Immutabilis illa scientia.* Legendum enim in Græco Psselli, ἀπαράλλακτος, non ἀπαρέγκλιτος.

(18) *Unitatem.* Lego enim, τὸ ἓν ἡμῶν, non ἐν ἡμῖν, ut codex Græcus habet : id quod proxima linea satis ostendit.

Digitized by Google

corporis oculos in Deo et paradiso occupatos habentes, nuditatis sensu minime afficiebantur; at post perpetratum peccatum conversis et collectis ipsorum oculis (quod conscientiæ munus est) corporeis quidem nuditatem perspexerunt, spiritualibus autem bonum ac malum perviderunt. Turpitudinem autem genitalium corporis membrorum intelligit, a qua etiam pudenda dicta sunt. Hac porro de causa circa eas partes pudore affecti sunt, quia post transgressionem primum in eas ferri ac stimulari cœperunt. Acerrimus enim circa eas est hominis affectus. Quippe et pueri, simul atque mente paulo solidiore esse incipiunt, pudore suffunduntur, atque has partes obtegunt. At quoniam semel prolapsus homo, si moriendi necessitati obnoxius non fuisset, maximum damnum accepturus erat, nimirum peccatum operans, hic quoque beneficio afficitur. Quod autem est hoc beneficium? mors. Quid ita? quia peccatum sistit atque intercidit. Quanquam enim mors pœnæ rationem habet, utpote vitam exstinguens : tamen in misericordiam recidit, immortalem esse peccatorem non sinens. Neque enim expediebat hominem, nondum tentatione probatum et exploratum, immortalitatem consequi, ne in superbiam et diaboli judicium prolaberetur. Ille enim propter naturæ incorruptibilitatem, posteaquam a Deo libera voluntate decidit, inflexibilem et immutabilem in malo firmitatem habuit. Quamobrem hominem probari antea, et experimento per mandatum perfici oportebat, atque ita pro virtutis præmio immortalitatem accipere. Nam cum medius inter Deum et materiam creatus esset, in ea causa erat, ut siquidem divinum mandatum observaret, naturalemque ad res creatas relationem et affectum excuteret, Deo sese uniens, immutabilem in bono constantiam atque habitu confirmatam acciperet : sin autem per transgressionem magis ad terram et materiam ferretur, mentemque a Deo abstraheret, corruptioni obnoxius futurus esset, ac muliebri congressu opus haberet, atque ob vitæ cupiditatem jucundissima quæque, velut eam tuentia, complecteretur ac cupiditatem quidem a Deo ad materiam, iram autem a vero salutis hoste ad gentilem suum contribulemque transferret.

Col. 634 B. *Multis autem prius modis propter multa peccata*, etc. Prius inquit, castigatus, id est, ante humanitatem a Christo assumptam, pluribus correptionibus exploratus est, non ipse solum Adam, sed omnes ejus posteri. Castigatus est autem et diversis temporibus et diversis de causis, Adam enim ante omnes per sermonem eruditus est (Deus enim cum eo collocutus est), et violati præcepti pœnas pependit. Cain autem post illum gemitus atque tremoris pœna ob fratrem interemptum affectus est. Postea, tempore Noe, homines aquarum inundatione puniti sunt, quod voluntas eorum omnino depravata esset; mox, in illa turris exstructione, linguarum confusione ac divisione, propter eorum amentiam; deinde Sodomitæ igne, imbre, ac civitatum deflagratione, propter libidinis obscenitatem. Tum illi, qui temporibus Mosis exstiterunt, lege scripta, quia impietati Ægyptiacæ assueverant, eruditi sunt; posthæc prophetarum tempore propheticis ipsis hortamentis. Jam vero permulti beneficiis et comminationibus ac plagis eruditi sunt, atque ante alios Adam. Hunc enim Deus beneficio affecit, nimirum in paradiso constituens : atque eidem minabunde denuntiavit fore ut moreretur, si scientiæ lignum attigisset : ac postremo in peccatum prolapsum mortis sententia percussit. Jam vero eruditi sunt homines bellis, victoriis, et cladibus, veluti Hebræi ex Ægypto egressi. Nam cum bellum adversus multas nationes gererent, nonnunquam vincebant, nonnunquam etiam vincebantur. Eruditi sunt signis cœlestibus, ut cum stetit sol tempore Josue filii Nun : signis aeris, ut in illis plagis Ægyptiacis, cynomyia, grandine, tenebris (quo etiam referri debet illa nubis columna interdiu fulgens, et nocturna ignis columna, quibus Israel ducebatur et illuminabatur); signis ex terra, ut in illis fluminibus, quæ in sanguinem convertebantur, in ciniphibus, et vesicis, et ranis; signis ex mari, ut in illa maris Rubri trajectione; hominum, urbium, gentium inseparatis mutationibus, hominum nempe, ut temporibus Samsonis, Davidis, Salomonis, Nabuchodonosoris, complurium aliorum (illi enim partim mirabiliter floruerunt, partim calamitatibus affecti sunt), atque utrumque præter spem et exspectationem; urbium, ut Jerusalem, aliarumque multarum, quæ cum diuturno tempore claruissent, funditus postea deletæ ac desertæ sunt; gentium, quemadmodum regnum Medorum ab Assyriis eversum est, Assyrii rursus a Persis oppressi, Persæ itidem a Macedonibus, Macedones denique a Romanis. Per hæc igitur omnia disciplinarum genera, quæ commemoravi, unum id agebatur, ut peccatum, quod multipliciter et late fusum erat, atque hominem misera servitute premebat, de medio tolleretur. Postremo vero efficaciori opus erat medicamento, quia videlicet peccata et morbi ingravescebant, virque medicam manum admittebant. Nam et mutuis cædibus homines sese conficiebant, et eo audaciæ prorumpebant, ut adulteria committerent, et pejerarent, et nefario Sodomitarum scelere seipsos devincirent, et, quod tempore quidem postremum, criminis autem atrocitate primum est, simulacris divinos honores tribuerent, atque adorationem a Creatore ad creaturas transferrent, et colerent ac servirent creaturæ potius quam Creatori [60].

Col. 634 C. *Quæ quoniam majus auxilium*, etc. Horum verborum : *Hæc quoniam majus auxilium requirebant, majus etiam acceperunt*, is sensus est : Prius quidem homines, moderatius tolerabiliusque

[60] Rom. I, 25.

Digitized by Google

peccantes, auxiliatricem legem habebant, et prophetas concionatores, ac per signa corripiebantur. Posteaquam autem ipsi in gravissima scelera proruerunt, majori quoque auxilio opus habuerunt. Majus porro auxilium, et lege, et prophetis, et signis, Filius Dei erat, qui ad imaginem suam, hoc est ad hominem imagine ipsius insignitum, venit. Non solum autem ad imaginem Dei factus homo dicitur, sed et imago Dei in Scriptura nominatur. Scriptum est enim in Sapientia Salomonis : *Deus propter incorruptionem et immortalitatem hominem creavit atque imaginem æternitatis suæ fecit eum* [61]. Venit igitur ad suam imaginem ipse Dei Filius, juxta illud Isaiæ : *Non legatus, non angelus, sed ipse Dominus* [62], qui, ut ait Joannes : *In principio erat Verbum* [63]. *Sæculis antiquior.* Temporis enim creator tempori haudquaquam subest, utpote per quem etiam Pater sæcula fecerit, ut est apud Paulum [64]. *Invisibilis.* Deum enim nemo unquam vidit [65], hoc est, Dei naturam. *Incomprehensibilis*, id est, vix comprehensibilis. Nam illud quoque simulacrum, quod ex operum ipsius imaginatione quadam colligitur, priusquam recte teneatur, fugit. Vel incomprehensibilis, idem est, quod interminabilis, et incircumscriptus, ac mentis captum excedens. Neque enim intellectu concipi nec circumscribi potest. *Incorporeus.* Hoc a Theologo adjectum est propter incarnationem et humanitatem Christi, ad quam mox perventurus est. *Illud ex principio principium.* Principium enim omnium quæ sunt, Pater est, ut causa : principium quoque est Filius, ut causæ consors. Ad Patrem enim David verba faciens, ait : *Tecum principium* [66]. Est igitur Filius principium ex principio, id est, ex Patre. *Illud ex lumine lumen.* Joannes in Epistola sua prima ait : *Deus lux est* [67]. Et Christus de seipso : *Ego sum lux mundi* [68]. Atque hinc Patres illi qui sacrosanctum Symbolum ediderunt, doctrinam salutarem mutuati sunt, ac dixerunt : *Lumen de lumine*, Filium ex Patre profulgere, ut incorpoream et simplicem eam generationem ostenderent; rursus hæc verba apposuerunt : *Ex ipso, et in ipso*, ut uterque peculiari modo subsistere intelligatur. Pater enim Pater est, et non Filius : Filius item Filius, et non Pater : et in identitate naturæ propria est utriusque essentia. *Fons vitæ et immortalitatis.* Hæc quoque a prophetis sumpta sunt. Jeremias enim ita loquitur : *Dereliquerunt fontem aquæ Dominum* [69]. Et David : *Apud te est fons vitæ* [70]. Quin etiam Christus de seipso ait : *Ego sum via, veritas, et vita* [71]. Fons autem dicitur ob perennitatem; vita autem ut fons vitæ, non tantum brevis hujus et tempore perituræ, sed etiam sempiternæ. Hoc enim declarat dictio illa *Immortalitatis*, quam adjicit. *Archetypi expressio*, id est, similitudo, signaculum, ac velut expressa effigies Dei. Ἐκμαγεῖον autem dicitur a verbo ἐκμάσσειν, id est, *exprimere*, et quasi haurire formam. Forma autem, cum de divinitate agitur, naturam significat. *Immotum illud sigillum*, id est, quod non alteratur, nec ad aliam formam commutatur. In carminibus autem sigillum motum habens dicitur Filius, hoc est, vivens. Ita diversa ratione utrumque est. Nam quatenus natura firmus et immutabilis est, immotum signaculum dicetur Filius; quatenus autem signaculum illud nequaquam mortuum est, sed vivum, mobile vocabitur. Sigilli autem nomen a Scriptura sumptum est. *Hunc* enim, inquit, *Pater signavit Deus* [72]. *Per omnia similis imago.* Filius Patris imago dicitur quia ex Patre est : non autem contra Pater ex ipso. Hæc est imaginis natura, ut sit exemplaris imitatio. Cæterum hic luculentius se res habet. Etenim in imaginibus arte factis imago motu caret, cum exemplar vitæ sit præditum, ac moveatur. At hic imago, et vivi est archetypi, et viva ipsa, longeque majorem similitudinem habet, quam sit ea, qua Seth Adamum refert, vel qua quidquid gignitur, id a quo generatur exprimit. Ea enim est simplicium natura, ut non partim similia sint, partim dissimilia, sed totum totius figura sit, atque identitatis potius quam similitudinis rationem habeat.

Patris et terminus et ratio. Hoc modo Filius appellatur, ut Patrem ostendens ac definiens, hominibusque conspicuum reddens, quod Pater sit atque etiam quia citra ullum affectum ac profluxionem ab eo genitus est, quemadmodum ex mente sermo. Sic enim se habet ad Patrem Filius, quemadmodum sermo ad mentem, non solum ob generationem omni affectu vacantem, sed etiam propter connexionem. Neque enim a Patre Filius separari potest, quemadmodum nec sermo a mente. Tum etiam ita propter vim enuntiativam vocari potest; nam ut sermo parentem suam mentem profert et enuntiat, ita Filius Patrem. Possunt etiam hæc duo ὅρος et λόγος pro eodem accipi : quandoquidem et definitio λόγος dicitur, ut eum ita loquimur : Definitio hominis est, animal ratione præditum, et mortale. Quam igitur rationem habet definitio ad definitum, eamdem Filius ad Patrem. Ipsum enim declarat quemadmodum definitio, id, quod ab ea definitur. Quamobrem etiam Christus dicebat : Qui me intellexit (hoc enim significat : *Qui vidit me*) Patrem quoque intellexit [73]; paternæ siquidem naturæ compendiosa demonstratio est Filius. Omnis enim proles parentis sui tacita est ratio sive definitio. Hic igitur Dei Filius ad suam imaginem, hoc est, ad hominem, quem ad imaginem suam creavit, accedit, ac propter carnem humanam, carnem assumit, et propter animam, quam divina insufflatione acceptam homo caligine obduxerat et labefactaverat, rationalem et intel-

[61] Sap. II, 23. [62] Isa. LXIII, 9. [63] Joan. I, 1. [64] Hebr. I, 2. [65] I Joan. IV, 12. [66] Psal. CIX, 3. [67] I Joan. I, 5. [68] Joan. VIII, 12 [69] Jerem. II, 18. [70] Psal. XXXV, 10. [71] Joan. XIV, 6. [72] Joan. VI, 27. [73] Joan. XIV, 9.

Digitized by Google

lectualem animam accipit, ut sic per carnem assumptam Adæ carnem peccati sordibus inquinatam repurget, per animam autem, ejusdem animam, atque ita totus toti mihi salutem afferat, quandoquidem totus Adam lapsus est. Hæc autem ait Gregorius adversus Apollinarii hæresin depugnans, qui Christum carnem, et mente, et anima vacuam habuisse affirmabat : quod divinitatem pro mente atque anima sufficere existimaret. Eodem quoque pertinent quo sequuntur. Per omnia enim, inquit, homo plenus ac perfectus efficitur, duntaxat excepto peccato. Peccatum enim, non a natura, sed a voluntate originem habet. Quamobrem Dominus naturalia omnia suscipiens, peccatum, ut a natura alienum, non accepit. Ait enim Apostolus : *Habemus pontificem tentatum per omnia pro similitudine, absque peccato* [76]. Quonam autem modo peccato solo excepto plenus ac perfectus homo sit ? Nimirum quia et humana conditione sublimior illi fuit conceptio, utpote seminis expers, et nativitas, ut corruptionis nescia. Neque enim soluta sunt virginitatis signacula : quandoquidem generatio per corruptionem progrediens peccato accepta referenda est, quemadmodum ait David : *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea* [75]. Post transgressionem enim Adamus, libidinis œstro concitus, uxorem suam Evam cognovit, eaque concepit ac peperit. Sic peccatum conceptionis causa est, conceptio nativitatis, atque ita utraque sub peccato est. Quoniam autem nativitatem, quemadmodum et beneficentiam erga genus humanum, præstantem et admirabilem esse oportebat, ex puella Virgine nascitur. ut, quatenus nascitur, nuptias ac generationem honoret (*honorabile* enim *connubium et thorus immaculatus* [76]) ; quatenus autem ex Virgine, virginitatem præferat, ut matrimonio excellentiorem. Conceptus est igitur, hoc est, in Virginis prægnantis utero gestatus, quæ quidem per Spiritus sancti superventionem, tam animo, quam corpore præpurgata erat. Per ipsum enim ab eo peccato expurgata est, quod ex nativitate secum trahebat, nimirum a primo parente profluxum, atque ad universum ipsius genus fusum et propagatum. Sic enim angelus eam allocutus est : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* [77]. Verum ut ad rem redeamus, virgineo quidem utero gestatus est Dominus, prodiit autem ac prognatus est cum carne assumpta, unus exsistens ex duabus naturis, carne nimirum et spiritu, id est, divinitate et humanitate, contrariis quidem inter se, hoc est, diversis (quatenus altera pars divina erat natura, altera humana) in unam Dei personam concurrentibus. Nam propter hypostaticam duarum harum naturarum unionem, unus cum humanitate assumpta Christus natus est, non quidem unus natura exsistens, sed coitione et concursu duarum naturarum in unam hypostasin. In ea enim Verbi Dei persona, quæ prius erat, animata ipsius caro creata eamdem hypostasin habuit, ac partes illæ congressæ atque conjunctæ post hujusmodi concursionem indivisibiles manserunt : non quod animo et cogitatione earumque diversitate separari nequeant, sed quod re et actu nullo modo discerni ac dividi possint. Unus enimvero ex duabus naturis natus est : quarum altera, nempe divina, humanam divinitate donavit ; altera autem, hoc est humana, divinitatem a divina accepit. Cum autem dixisset Gregorius, Deum assumpta carne natum esse, atque eumdem cum assumpta humanitate natum, Filium unum esse, non duos, admiratione correptus, ac velut stupore perculsus addubitat, utrum concurrentes hæ naturæ contemperatæ sint, an potius commistæ. Nam si contemperatæ sunt, confusas quoque eas esse necesse est (sic enim fert natura earum rerum, quæ contemperantur, ut vini et aquæ) : sin autem solum commistæ sunt, necessario sequetur, eas etiam aliquando actu dividi. Hæc enim eorum quæ inter se miscentur, natura est, ut tritici et hordei. Atqui neque confusæ sunt, et tamen semel congressæ indivisibiles manserunt, differentiam suam etiam post coitionem ac concursionem servantes. Proinde nova et plane stupenda fuit illa in uno Christo temperatio, duarumque inter se pugnantium naturarum commistio. Quocirca cum Theologus non posset, vel misturam solum dicere, vel simpliciter contemperationem, utraque voce necessario usus est, idque cum additione. Alteram enim novam dixit, alteram admirandam. Illic enim mistio confusionem nescit, nec tamen divisioni subest : quod profecto mirandum est. Utraque igitur utrique adjuncta mistio, nempe temperatio, perfectam, numerisque omnibus absolutam doctrinæ explicationem servat. Nunc, quæ sequuntur excutiamus : *Qui est, fit*, etc. Diversis modis id quod est, fieri dicitur. Primo, cum, corrupta præexsistente substantia, aliud quiddam ex ea factum est. Qua significatione ovum avem fieri dicimus, et lac caseum, et lutum testam, et arenam vitrum. Altero modo, cum, incolumi et immutata manente substantia præexsistente, per accidens aliquid præterea efficitur : quo sensu dicimus ex ære statuam factam esse. Salva enim et incolumi manente substantia æris, forma insuper accessit : sic etiam hominem justum et sanctum factum esse dicimus. Tertio modo, cum, præcedente substantia integra manente, alia substantia insuper assumitur : juxta quam significationem armatum factum esse militem dicimus. Atque in hoc tertio significatu verba hæc intelligenda sunt. *Qui est, fit.* Cum enim esset Deus, homo etiam factus est, ac militis more carnem induens, naturæ nostræ hostem oppressit. Porro hæc verba : *Qui est, fit, et increatus creatur*, ea

[76] Hebr. IV, 15. [75] Psal. L, 7. [76] Hebr. XIII, 4. [77] Luc. I, 3.

Digitized by Google

figura proferuntur, qua propter hypostaticam identitatem, mutuumque alterius in alteram transitum, utraque natura alteri proprietates suas communicat. Qua ratione nobis de Christo ad hunc modum loqui licet : *Hic Deus noster in terra visus est* [78]. Et : Hic homo increatus est, et ab affectibus alienus, atque incomprehensibilis; quemadmodum hoc quoque loco dixit Theologus : *Qui est, fit, et increatus creatur.* Enimvero cum qui est, fieri : et eum qui increatus est, creari, tametsi mirabile est, non tamen id secundum mutationem accipiendum est, verum secunpum assumptionem. Nam id quod erat manens, id quod non erat assumpsit. Quod autem inquit, cum qui nullo loco capi ac contineri potest, contineri, hoc vero vita arcanum est et difficile, ut nulla ratione explicari queat, nec aliud quidquam dici potest, quam quod ob excellentem potentiæ magnitudinem, hoc perfectum est. Atque etiam modum hujus comprehensionis exponit. Anima enim, inquit, inter divinitatem corporisque crassitiem media intercessit, hoc est, interposita anima Deus cum carne junctus est. Anima enim propter imaginis dignitatem atque intelligendi vim Deo conjunctior est. Ac proinde hæc prima, ut materiæ expers, divinitatis particeps facta est, ac per eam etiam caro. Neque enim fieri aliter potest, quin quod hypostatica unione conjunctum est, divinitatis gloriæ sit particeps. Ita media interjecta erat anima inter divinitatem et carnem, ac per eam cum ipsa quoque carne unita est divinitas. *Crassitiei* autem vocabulum adjunxit Gregorius, ut ineffabilem Dei humilitatem ac dejectionem ostenderet, qui tanto amore homines complexus est, ut eorum causa cum materia conjungi non dubitaverit : *Qui alios ditat, pauper efficitur :* non quantum ad pecunias, sed quantum ad carnem humanam. Pauper enim caro est, ut multis rebus ad sui conservationem opus habens. Contra dives est divinitas, ut nulla omnino re indigens. Hæc autem verba ex secunda ad Corinthios Epistola mutuatus est, in qua sic scriptum est : *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter vos egenus factus est, cum dives esset, ut vos ejus paupertate divites essetis* [79]. Atque hæc quidem ex illo loco sumpsit. Ipse autem adjunxit, atque exposuit quæ sint hæ divitiæ quas consecuti fuimus, nimirum divinitas. Qui plenus est, ut Deus, evacuatur, utpote homo factus. Inanitionem autem vocat submissionem illam divinæ gloriæ, ac sublimitatis abjectionem. Exinanitus autem esse dicitur, ut ante inanitionem in natura sua plenitudinem habens, quatenus Deus consideratur. Hæc vero omnia non mutationis, sed assumptæ humanitatis ratione intelligenda sunt. Quod enim erat, et quæ habebat, propter instaurationis generis humani consilium, occultans ea quæ non erat, nec habebat, assumpsit, ut perfectionis illius ipse particeps fiam, nimirum deus quoque factus. Porro inanitionis nomen ex Pauli ad Philippenses Epistola sumptum est, ubi sic de Christo scribitur : *Seipsum exinanivit, formam servi accipiens* [80]. Plenitudinis autem nomen ex Joannis Evangelio : *De plenitudine enim ipsius*, inquit, *nos omnes accepimus* [80*]. Erat autem summæ potentiæ argumentum illa inanitio. Eximiæ enim atque exuberantis cujusdam potentiæ erat excelso illi, tantopere humiliari potuisse. Quocirca cum admiratione hæc connectit Theologus, dicens : Quænam hæ divinæ bonitatis divitiæ, et copiæ bonitatis Dei? Quodnam me circumstat mysterium? arcanum et occultum. Quasi diceret : Quid sibi vult Deus, quod carnem meam accipit? Postea dubium illud, quod cum admiratione extulerat, solvit, atque ait : Imaginem accepi, nec eam sartam tectamque habui, verum per peccatum labefactavi. Ob hanc causam Christus, videns, quidquid de suo in meo corpore collocarat, id totum a pestifero peccato deleri, carnis meæ fit particeps ut, supplens id quod mihi deerat, imaginem, id est animæ dignitatem, incolumem tueatur, ac per suam a mortuis resurrectionem carni immortalitatem afferat. Quin etiam præsens hoc consortium, quo nobiscum, propter hypostaticam unionem, jungitur, priori illo admirabilius est et sublimius. Tum enim unio ratione imaginis erat : nunc autem ratione hypostasis. Adhæc deiformis tunc quidem per imaginis consortium homo efficiebatur : nunc autem per unionem hypostaticam non deiformis solum, sed etiam deus : quemadmodum noster idem auctor alio loco, de humanitatis assumptione loquens, ait : Audenter quoque dico, σύνθεον condeum.

Col. 634 C. Psellus. *Patris terminus et ratio* (*Gr.* ὅρος καὶ λόγος). *Divinus hic doctor, in omnibus Aristotelis et Platonis voluminibus accuratissime versatus, nunc hoc, nunc alio modo de iisdem rebus disserit. Quoniam enim illi nunc causam effecti rationem esse aiunt, nunc contra effectum causæ, ad quam vult sententiam et † prout animi sensa cum oratione congruunt* (19), *eorum philosophia abutitur. Ne longius eamus, et Plato, et Aristoteles, et magnus Jamblichus animæ rationem esse censent eam vim, quæ per se movetur. Nec tamen illa vis animæ causa est, verum anima potius vis illius, qua per se agitatur. Causam porro intelligo non ut separatam, sed ut simul exsistentem. Mens enim motu caret : corpus autem aliunde movetur. Proinde inter hæc contraria medium quiddam intervenire necesse erat. Id igitur est anima, cujus ratio vis illa est, qua*

[78] Baruch III, 38. [79] II Cor. VIII, 9. [80] Philipp. II, 7. [80*] Joan. I, 16.

(19) *Animi sensa cum oratione congruunt.* G. καταλλήλως ἔχει τῷ λόγῳ τὸ νόημα. Ego tamen hic mendum esse suspicor, ac legendum τὸ λόγου δνομα, ut velit Psellus Gregorium in eo sensu qui illi commodior atque congruentior videatur, τοῦ λόγου nomen accipere.

Digitized by Google

suopte motu cietur. In iis igitur in quibus λόγος *rationem significat, illis et causa est, et ratio eorum, quorum causa est. Exempli causa, cervo ea causa est, cur diutissime vivat, quia felle caret, aquilæ item siccitas. In iis autem, in quibus* λόγος *non causam sed naturæ connexionem significat, in his effectum quidem illud est, id autem, cum quo est, nullam causam agnoscit. Quocirca Patris* λόγος *est Filius, non ut illius causa, sed ut ejusdem cum Patre naturæ. Hoc autem inter terminum seu definitionem et rationem interest, quod definitio id, quod definitur, terminat, nec fieri potest ut definitio id, quod simul cum ea terminatur, superet : at* λόγος *connexionis non terminationis significationem habet. Quid igitur, dicet aliquis, Paterne Filio terminatus est, siquidem Filius ipsius est terminus, ideo ut paterna natura Filii natura conclusa ac circumscripta sit? Ita procul dubio. Quamvis enim paternæ essentiæ nullus omnino sit terminus, quemadmodum nec duarum aliarum personarum : appellationis tamen Patris terminus est Filius. Cum enim hæc nomina ex eorum classe sint, quæ ad aliquid referuntur, mutuo se terminant : idcirco Patri quoque terminus est Filius. Pater siquidem Filii pater est, atque is, qui paternum nomen audivit, una etiam Filium animo et cogitatione complexus est, eamque relationem, qua Pater Filium respicit, simul absolvit. At in demonstrationibus et argumentis terminus haudquaquam eamdem animi conceptionem suggerit, verum quemadmodum in illis longe diversus est* λόγος *ab eo, de quo hic agitur : ita etiam termini valde dissimiles. Illic enim terminus effecti sui causa dicitur, quoniam quisquis effectum definire parat, causam ipsam protinus ad ejus definitionem assumit. Quoniam enim omnia argumentis confirmantur, argumenti autem fundamentum est terminus, idcirco causæ effectorum suorum termini sunt. Quo in genere illud est, quod congelationem et spissitudinem coaguli terminum et rationem esse, itemque foliorum latitudinem rationem esse vineæ, cur folia amittat, inquit Aristoteles, atque universum causas effectorum suorum rationes ac terminos esse pronuntiat.*

Col. 635 B. *Sed quorsum hæc?* etc. Postquam de divinitate satis copiose disseruit Theologus, cum de immensa et incomprehensibili Dei natura tractaret atque etiam de naturalium rerum ratione disputavit, cum de intellectili et sensibili modo verba faceret, multaque etiam de homine dixit, nimirum quo modo manu Dei creatus, et paradisi deliciis cumulatus sit, primam legem acceperit, quaque pœna ob contemptum et violatum mandatum multatus fuerit, quodque præterea res ipsius eo statu essent, ut magno quodam auxilio opus haberet, quodque ob eam causam omnis Salvatoris nostri œconomia et humanitatis assumptio contigisset, quandoquidem pars illius resurrectio quoque erat, ob quam Paschæ festum celebramus, et de cujus laudibus hanc orationem Theologus instituerat, post divinitatis et naturæ atque incarnationis disputationem recte jam atque ordine ad propositum argumentum accedit : atque inducit quemdam ergo hoc festum ardentiori studio affectum, ac de eo solum, et loqui, et audire cupientem, et propterea his verbis utentem : Quod tandem horum verborum operæ pretium est? Quin tu has ambages mittis, ac juxta vetus adagium, quo ii notantur, qui longius, quam deceat, evagantur, equum ad metam stimulas? id est, intra flexum et curriculum subditis calcaribus concitas, ac per gyrum cursitare desinis? Ad institutam materiam orationem transfer, ac nobis hujus festi mysteria enarra. Idcirco enim hic sedemus, ut ea ex te audiamus. Hæc sub aliena persona prolocutus, ita se facturum pollicetur, tametsi a proposito argumento orationem auspicatus non sit, sed paulo altius exordium duxerit, hoc est a divinitatis philosophiæque naturalis pertractatione : nam ut altius initium dicendi sumerem, inquit, me coegerunt, tum amor, tum ratio. Amor quidem, quoniam Dei meminisse, amabile mihi est ac dulce, et jucundum. Caput enim et summa festi, memoria Dei est. Ratio autem, quoniam ea rerum a principio gestarum narrationem ordinemque postulabat. Etenim ob Salvatoris Resurrectionem Pascha celebramus. Salvator autem juxta humanitatem mortuus est : homo porro factus est propter hominem, quem ipse ad imaginem suam condiderat. Quare Creatoris Deique primum, ac deinde creaturarum, in quarum numero homo etiam erat, mentionem a nobis fieri oportebat, tum mysterii assumptæ humanitatis, atque ita demum ad ea quæ festi propria sunt, venire. Nec vero alienum ab hoc tempore fuerit, quid Paschæ nomen significet, explicare. Nec enim supervacaneum erit hoc additamentum orationi nostræ adjectum, sed elegans atque utile. Hoc igitur Hebræi sua lingua Pascha nominant, quod, si interpreteris, *transitum* sonat : juxta historicum quidem sensum, quia ipsi ex Ægyptiaca servitute in libertatem vindicati, in Palæstinam, hoc est Jerusalem, transierunt (hanc enim Chananæam Theologus vocat, quod in ea Chananæi prius habitarent); juxta allegoricum autem sensum, quoniam nos quoque de vitio ad virtutem demigramus, atque a terrenis rebus ad supernas, regnumque cœleste, quod nobis Deus, ut Palæstinam quondam Hebræis, pollicitus est. Atque ea est hujus nominis significatio. Quidam autem ἀπὸ τοῦ πάσχειν, id est, ab eo quod Christus propter nos passus sit, hoc festum Pascha appellatum esse existimantes, hanc vocem inverterunt, φ litteram aspiratam in tenuem π, ac rursus litteram κ in χ mutantes. Ac postea consuetudo pervincens, hanc vocem ut sanctiorem corroboravit, antiquata atque abrogata priori dictione.

Col. 638 A. *Enimvero legem universam*, etc. Allegoriee hujus festi mysteria explicaturus, in genere loquitur, aitque non modo illas Veteris Testamenti de Paschæ festo leges futurorum adumbrationem

Digitized by Google

fuisse, sed universam quoque legem umbræ ratio- A nem habere. Apostolus enim, de legalibus sacerdotibus loquens, exemplari atque umbræ eos deservire inquit, ac rursus legem futurorum bonorum umbram, non autem ipsam rerum imaginem habuisse testatur [84]. Quin ipse quoque Deus, cum de his rebus leges dictaret, Mosem alloquens, legales cæremonias figuram nominabat : *Facies enim omnia*, inquit, *juxta figuram tibi in monte ostensam* [84*]. Nec vero frustra posita sunt hæc adverbia, *temere*, *inconsiderate*, *abjecte*. Temere enim fit, quod frustra et sine ulla utilitate fit. Inconsiderate autem, quod sine ulla justa causa. Abjecte denique, quod humiliter et exiliter ac sordide. Nihil igitur temere, nec inconsiderate, nec abjecte indictum atque imperatum est : quandoquidem, et qui hæc indixit, B sapientia ipsa est, et minister sapientia instructus, tametsi congruentem unicuique umbræ ac figuræ speculationem excogitare nequeamus, id est, expositionem atque allegoriam. Quis enim contemplare atque explicare queat, quare arcam ea figura exstrui Deus præceperit, atque ex tali materia, tali mensura : quidque hoc sibi velit, quod a Levitis, id est sacerdotibus, qui sacerdotali et legali cultui, ac religioni ministrabant, ipsa gestaretur : quid item sacrificia et purgationes atque oblationes significent ? Porro per sacrificia, omnia quæ immolari solebant, intellige, ut oves, boves, vitulos, turtures, columbas. Per purgationes autem, purificationes eas, quæ per sanguinem aut C cinerem fiebant, ac pollutos et inquinatos purgabant : per ἀφαιρέματα denique, partes eas, quæ a victimis extrahebantur, quod genus erant pectusculum, dextrum brachium, et fibra hepatis. Nam hujusmodi mysteria iis duntaxat nota sunt, qui virtute Mosem exprimunt, aut non longe ab illius præstantia et eruditione remoti sunt.

Ibid. B. *Nam in ipso quoque monte Deus hominibus*, etc. Hic allegoricum expositionis campum ingredi incipit. Anagogice enim Mosis ad montem ascensum intelligit. Ut enim mons terra superior est, cœlo autem longe inferior : eodem modo nos quoque a terrenis et corporeis rebus subvehi necesse est : Deum autem descendere. Verum non quanta subjectio nostra est, tanta quoque Dei D depressio est, sed, ut a nobis dictum est, secundum proportionem montis et cœli. Quocirca hæc quoque visio Dei in monte designatricem vim habet. Idcirco enim descendit Deus, ac Mosem subvexit, ut discamus, quoties homo Deo conjungitur partim Deum ut excelsum, atque omnibus rebus superiorem descendere non gravari, partim etiam hominem, humi atque in rebus abjectis et terrenis provolutum in sublime trahere. *Ut incomprehensibilis ille concipiatur*, id est, ut is qui omnia implet, paulum a natura creata capi possit. Verbo autem φαντάζεται usus est, id est, *obscure videtur*. Nubes enim tantum cernebatur, et caligo, et ignis, et fumus. Deum enim revera nemo unquam vidit : quo enim modo videri posset, qui forma caret? Vide autem quam accurate atque exacte loquatur Gregorius. Cum enim dixisset partim Deum descendere, haudquaquam subjunxit, partim nos ascendere, sed, partim nos ab eo subvehi. Quibus verbis hujus quoque nostri ascensus Deum auctorem esse declarat. Scriptum quippe est in Exodo : *Et vocavit Dominus Mosem ad verticem montis* [85]. Et iterum : *Ascende ad me* [85*]. Nec vero Deo id imbecillitatis tribuendum est, quod totus a nobis capi nequit, verum providentiæ potius. Quatenus enim nobis tutum est, ac possibile, tantum etiam concipitur. Quod autem superius imaginationem et conceptionem dixit, idem nunc περίνοιαν vocat, hoc est, particularem operum Dei cognitionem. Nec enim Deus secundum naturam suam, sed secundum opera sua et creationem mente adumbratur : terreni autem hujus corporis moles, inquit, mentisque etiam nostræ crassities, nimirum cum corpore constrictæ, ac proinde corporis crassitie quodammodo impletæ, ne perexiguam quidem Dei cognitionem accipere potest, nisi divinitus adjuvetur, ac velut manu ducatur, nempe per Dei descensum hominisque subvectionem, quemadmodum olim in monte contigit. Tunc enim haudquaquam eodem loco atque ordine digni habiti sunt, sed diverso, quatenus, ut opinor, purgatam mentem attulissent. Nonnulli etiam omnino expulsi sunt, qui videlicet vitæ turpitudine et obscenitate pecudes et belluas referebant. Dixit enim ad Mosem Dominus : *Ascende ad me, tu, et Aaron, et Nadab, et Abiud, et septuaginta e senioribus Israel, et adorabunt a longe Dominum, et appropinquabit Moses solus ad Deum : ipsi autem non appropinquabunt* [85]. Et rursus : *Descendens contestare populum, ne forte appropinquet, ut me videat, et cadat ex eis multitudo* [85]. Et paulo inferius : *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur* [85]. Non tanget illum manus, verum lapidibus obruetur, vel jaculo confodietur, sive homo, sive jumentum, non vivet. Atque hæc in Exodi libro ita habentur. Quod autem theologus eodem statu atque ordine omnes haudquaquam dignos habitos fuisse commemorat. Ordine quidem dicit, quia in annumeratione primo loco Mosem constituit, deinde Aaronem, mox septuaginta seniores. Statu autem, quoniam ascendentes, sic steterunt, ut vocati erant. Belluinos autem nominavit, allegorice, ut opinor, jumentum exponens, de quo eodem Exodi libro fit mentio. Nam quanquam jumentorum nomine proprie mansueta et domestica animalia significentur, ferarum autem nomine agrestia appelleutur, Scriptura tamen plerumque jumenti nomine feras quoque agrestes complectitur, ut apud Psalmistam : *Insuper et pecora campi* [86]. Perspicue

[84] Hebr. x, 1 seqq. [84*] Exod. xxv, 40. [85] Exod. xix, 20. [85*] Exod. xxiv, 1. [85] Ibid. [85] Exod. xix, 12. [85] Ibid. [86] Psal. viii, 8.

Digitized by Google

enim constat illic de omnibus quadrupedibus agi. Ac rursus bestiæ appellatione mansueta etiam animalia designantur, ut in illo loco : *Et creavit Deus de terra omnes bestias agri, et omnia volatilia cæli* [87]. Enimvero, si exacte loquendum est, belluinos quosdam vocans Gregorius, non ad Vetus Instrumentum, sed ad divum Paulum mihi respexisse videtur, sic ad Hebræos scribentem : *Etiamsi bestia tetigerit montem, lapidibus obruetur* [88], quod quidem in Veteri Testamento ad verbum expressum non invenitur. Nisi quis forte dixerit Apostolum, hæc verba audientem : *Etiamsi jumentum in montem ascenderit, non vivet* [89], jumenti nomine belluas quoque intellexisset. Cæterum illud sciendum est, quod, quoniam in nobis duplices affectus sunt, ira videlicet et cupiditas, ideo a divina contemplatione submovebantur, tum ii qui ferarum ritu agrestibus et iracundis moribus præditi erant, tum qui pecudum more in terram pastus gratia provoluti erant, ac turpiter et fœde cupiditatibus serviebant.

Col. 638 C. *Nos tamen media quadam via inter eos*, etc. Quandoquidem virtus in mediocritate, excessus autem et defectus in vitio positi sunt, propterea Gregorius allegoriam ingressurus, facturum se pollicetur, ut media quadam via ingrediatur, id est, ea tantum ad allegoriam accipiat, quæ eam admittunt : reliqua autem eo sensu intelligenda relinquat, quem littera primo fronte offert. Omnia enim, quæ veteri lege continentur, corporeo duntaxat modo ac secundum litteralem et dilucidum sensum interpretari, est crassorum et stupidorum hominum, atque ad contemplationem prorsus inertium atque torpentium, Judæisque similium. Illi enim universam legem juxta litteram intelligunt, nec spirituali sensu quidquam accipiunt. Contra, omnia vel minutissima quæque allegorice exponere, curiosi est ingenii, atque in anagogiæ ratione, nec modum, nec mediocritatem tenentis. Idque sane ridiculum est, ac plane somniorum conjectore dignum. Omnia enim somnia in signis atque umbris consistunt. Quicunque igitur omnia ad anagogicum sensum referunt, somnia interpretari videntur. Porro litteræ mordicus adhærere, nec unquam sublimius assurgere, defectus est (20) : e diverso omnia ad allegoricum sensum trahere excessus, atque utrumque vitiosum. At in ea re decorum servare, mediocritas est et virtus, neque id absurdum est, ut, litteralis et historici sensus pertinax amplexus, nec ridiculum, ut somniatrix, illa cuncta allegorice explicandi ratio.

Quandoquidem enim nos, ab initio, etc. Difficilis A et obscura hujus loci videtur esse sententia, quia longis hyperbatis concisa est hæc periodus. Hunc autem sensum habet. Existimamus, inquit, quoniam usque ad idololatriam prolapsi eramus, atque excitari nos erigique oportebat, idcirco nobis veterem legem datam esse, cum alia permulta præcepta, quæ nos ab idolorum cultu abducebant, complectentem, tum ea etiam, quæ ad sacrificiorum rationem pertinebant. Atque hujusmodi sensus est. Nunc singula excutiamus. Per peccatum, inquit, jam inde a principio corruimus, id est, ex quo tempore primus parens prolapsus est, ac per voluptatem decepti atque in fraudem impulsi sumus, non per primam illam solum (scriptum est enim, quod bonum erat lignum ad vescendum, et gratum B oculis ad videndum, et pulchrum ad intelligendum [90]) sed eam etiam, qua peccatum omne perfusum est. Voluptas enim peccatum omne antecedit, nosque ludificatur, et in fraudem inducit, ac velut pisces inescat. Et quidem ita misere circumventi sumus, ut ad idololatriæ crimen prorueriimus, atque ad nefarios cruores, qui nefarii dicuntur, quod scelerate ac nefarie dæmonibus offerantur : vel etiam nefarios eos vocat propter homines sacrificii causa mactatos. *Immolaverunt* enim, inquit, *filios et filias suas dæmoniis* [91]. His igitur malis affectos revocari nos a Deo oportebat, utpote a recta via aberrantes, atque in antiquum statum restitui, hoc est, ad Dei cognitionem, ante C idololatriam in animis nostris lucentem, et quidem restitui, non propter opera nostra, nec enim ulla habebamus, sed juxta illam apud Lucam Zachariæ prophetiam, propter *viscera misericordiæ Dei nostri* [92], tanti manus suæ opificii jacturam facere non sustinentis. Tantum autem dixit non quantitate, sed qualitate : Magna enim res, inquit, homo, ac præclara et eximia res, vir. Quem sublimioris etiam sapientiæ specimen vocavit, et magnum mundum in parvo : idque non ea tantum ratione, quia ea omnia habet, quæ sensibilis hic mundus, ac præterea ratione instructus est : verum etiam quia mundus propter ipsum conditus est. Quod autem alicujus causa factum est, inferius est eo, propter quod factum est. Homo autem divinæ D manu effectus est, juxta id quod scriptum habetur : *Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me* [93]. Quo loco manus, ut Deo dignum est, intelligendæ sunt, nimirum pro fabricatione Dei. Quoniam igitur instaurari, atque ab errore revocari hominem oportebat, quo tandem modo id fieri decebat ? prudenter certe et provide. Nam quemadmodum medicus vulnus abstergere, aut alio modo purgare cupiens,

[87] Gen. I, 24,25. [88] Hebr. XII, 20. [89] Exod. XIX, 13. [90] Gen. III, 6. [91] Psal. CV, 37. [92] Luc. I, 78. [93] Psal. CXVIII, 73.

(20) August. *lib.* XVII *De civit. Dei*, cap. 3 : « Mihi sicut multum videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum (scilicet sacrarum) aliquid aliud præter id quod eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur : ita multum audere qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt. »

Digitized by Google

si asperius manum admoveat, non modo non purgabit, sed etiam dolorem augebit et exulcerabit : sic etiam animam vulneribus oppressam, nisi quis scite et leniter attrectaverit, non modo nihil eam juverit, sed insuper etiam læserit, ac pervicaciorem effecerit. Proinde violentior medicina repudianda et rejicienda erat, utpote quæ non solum homines non flexisset, sed novo etiam vulnere affecisset, ac scelerate viventibus ad peccandum impudentiam addidisset, propter contractum temporis diuturnitate tumorem, id est, propter inveteratam peccandi consuetudinem in naturam conversam. Consuetudo enim atque habitus propemodum naturæ vim habet. Quocirca ad vitæ correctionem moderatiore quadam vitæ ratione revocandus erat : quæ quidem non subitam sanitatem efflagitat, verum sensim ac paulatim ægrotum ad eam reducit. Nam intortus quoque ramus subitam ab obliquitate in rectum inflexionem haudquaquam sustinuerit. Quin potius, si quis repente eum per vim subrigere conetur, citius ipsum perfregerit, quam direxerit. Quin etiam equus ferox et indomitus, miræque magnitudinis, atque ætatis ardore insolens haudquaquam frenum admiserit, nisi poppysmis demulceatur. Poppysmus autem, equinæ permulsionis genus est. Quod nomen per onomatopœiam ductum est ab eo sono, quod ex equisonum ore manat, cum equos adulabundo contactu delinire student. Ac proinde, id est, quoniam asperitate posthabita leniorem ac molliorem curandi hominis rationem eligi conveniebat : *Lex nobis in auxilium*, ut Isaiæ verbis utar, *data est* [91]. Facilis enim et blanda est legis curatio, leniter nos ab errore abducentis, atque ad veritatem reducentis. Ac nobis muri cujusdam et maceriæ vicem præbet. Quemadmodum enim maceria impedimento est, quominus, qui intra eam sunt, cum externis jungantur : sic etiam lex septum quoddam erat, inter Deum atque idola interjectum : atque ab idolis quidem nos abducebat, ad Deum autem reducebat. Ac mihi, quæso, Dei consilium et providentiam considera. Quoniam enim nos, et bruta animantia sacrificabamus, idque idolis, quanquam sacrificia ipsa tollere atque abrogare vellet Deus, seseque nobis, ut integram sanitatem consequeremur, cognoscendum præbere ; tamen subitam mutationem ægre admitti cognoscens, ad infirmitatem nostram se demisit, ac duobus malis propositis, altero quidem graviore, nempe Dei ignorantia, altero autem leviore, nimirum cruentis sacrificiis, id quod levius erat, hoc est, sacrificia, infirmitati nostræ concessit, ut, quod majus erat, acciperet, hoc est, ut ipsum verum Deum cognosceremus, ac postea commodo tempore sacrificia quoque ipsa tolleret, atque id adorationis genus, quod in spiritu et veritate consistit [92], introduceret. Idcirco nequaquam omnia, quæ volebat, simul constituit, sed sapienter atque industrie per subtractiones paulatim factas nos immutavit. Idolorum enim cultum prius sustulerat, et sacrificia quoque ipsa sublaturus erat, atque a sacrificiorum nidore ac sanguine ad incruentum sacrificium cultumque rationalem et evangelicum animos nostros traducturus. Quando autem id facturus? nimirum cum nos ad obedientiam satis assuefactos et exercitatos, atque jam recte ac præclare mandato eo, quod acceperamus, perfunctos invenisset. Quidnam autem illud? nimirum perfectum idolorum contemptum, post quem victimas etiam, quæ ex legis præscripto offerebantur, aboleri oportebat. Priusquam enim primo præcepto morem gessissemus, superfluum fuisset secundum tradere.

Col. 639 C. *Sic igitur atque his de causis lex scripta*, etc. Mosaicam legem, scriptam vocat Theologus ad differentiam legis non scriptæ, quæ Adamo, iisque, qui ab eo originem duxerunt, diversis temporibus data est. Vel etiam ad discrimen constituendum inter eam et Evangelium : quod etiam ipsum nullis litteris consignatum sanctis apostolis traditum est. De quo etiam Deus per Jeremiam dicebat : Hoc est testamentum et fœdus, quod cum illis feriam dans leges, in mente et in corde eorum inscribam eas. Igitur lex scripta ita est data, ut commemoravi, atque ob has causas, quas protuli, hoc est, quia periculosa et periculosa erat asperitas, lenitas autem utilis, atque ad tractandos animos apposita. Atque insuper introducta, hoc est, præscripta est lex, ut ejus lectione ad Creatoris agnitionem excitaremur. Eodem modo sacrificia propter sacrificantium infirmitatem concessa sunt. His enim assueti, haudquaquam ea statim abjicere potuissemus. Atque hæc sacrificiorum est ratio, id est, causa, ut quidem mea est ratio, hoc est, ut ipse cognosco. Hæc autem figura a rhetoribus extenuatio dicitur, qua cognitionis ac doctrinæ suæ tenuitatem prætendit, tanquam scilicet alius quispiam fortasse sublimiorem causam animo concipere ac proferre queat, quam sit ea quam ipse produxit. Ergo hæc quidem sacrificia ob has rationes permissa sunt. Ut autem immensam divinæ sapientiæ profunditatem intelligas, omnia sapienter ac supra hominum cogitationem facientis, atque ut uberes et luculentas impervestigabilium (hoc est, quæ non modo non cognosci, sed ne inquiri quidem possunt, ipsius judiciorum et consiliorum divitias cognitas habeas, ne ipsa quidem sacrificia paulisper concessa, mysterii omnis expertia reliquit (Gr. ἄνιερα, id est, nihil sacrosanctum et spirituale atque allegoricum habentia) nec inutilia, id est, ad nihil sublimius conferentia et utilitatem afferentia, nec in nudo et simplici sanguine defixa. Nudus autem sanguis dicitur, qui simpliciter et juxta sensum funditur, nec mysterii quidquam abstrusum ac reconditum habet. Quod genus sunt

[91] Isa. VIII, 20 sec. LXX. [92] Joan. IV, 24.

Digitized by Google

gentilium sacrificia. Horum enim sanguis nudus tantum erat, quippe qui nec per Spiritum sanctificaretur, nec alterius sacrificii figuram gereret, quin potius fœdus et satanicus atque exitialis esset. Quod autem sapientiæ profunditatem ait, atque impervestigabilia judicia Dei, hoc ab Apostolo sumpsit, qui ad Romanos scribens, his verbis utitur : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam imperscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* [96] ! Et in Epist. ad Ephes. : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare impervestigabiles divitias Christi* [97]. Sed jam ad sacrificia redeamus, ac cum Theologo dicamus, Deum, cum hæc permisisset, haudquaquam infrugifera ea reliquisse, verum in his Christi mysterium velut in figura defossum atque immistum fuisse. Figura enim mysteriorum Christi a Scriptura appellata sunt, victimæque illius, quam magnam et immactabilem Gregorius vocat. In quo animadvertendum est, quod magnam dicit, non autem majorem, ut comparationem omnem cum altera quadam fugiat. Victimam autem, quod pro mundo cæsa sit, quantum ad humilitatem : immactabilem denique, quantum ad primam naturam, hoc est, divinitatem, quæ nec passa est, nec immolata. Prima autem, natura divinitas dicitur, tum ut principium, tum ut aliarum naturarum causa, tum etiam postremo ut humanitate præstantior. Cum autem unum atque eumdem Christum mactatum simul atque immactabilem dixisset, idque ænigmati cuidam simile esse sentiret, subjunxit : Ut ita loquar, his verbis scilicet, quod durius atque audacius dictum videri poterat, emolliens. Ac mihi, quæso, incomparatas hasce comparationes expende. Primum victimam Christum nominavit, non majorem, per comparationem, sed magnam simpliciter, deinde immactabilem, postea totius orbis terrarum sempiternam expiatricem, non autem parvæ cujusdam partis, neque ad certum ac breve aliquod tempus, quemadmodum legalia illa sacrificia, quæ solam Judæorum regionem, hoc est, perexiguam orbis particulam lustrabant, atque ad breve quoddam tempus, et certis fugitiis expiandis instituta erant. Deinceps enimaliis aspersionibus atque expiationibus opus erat.

Col. 639 C. *Proinde agnus quidem, accipitur*, etc. Proinde, id est, quia legalibus sacrificiis Christi, magni sacrificii, figuræ inspersæ erant. Scriptum est enim in Exodo : *Accipiat unusquisque agnum perfectum, masculum, anniculum* [98]. Quod autem ait immaculatum, in Exodo non habetur, sed ex Levitico sumptum est. Ubi permultæ de sacrificiorum ratione leges exstant. Igitur ad Christi figuram agnus accipitur, propter simplicitatem et innocentiam. Neque enim, etiam cum ad necem trahitur, vociferatur, nec, cum tondetur, clamat. Eodem modo Christus, ut est apud Isaiam, *tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus innocens coram tondente se obmutuit : sic non aperuit os suum* [99]. Nec vero propter innocentiam solum agnus assumitur, sed etiam quia, quemadmodum ovis indumenta ea quæ ex lana contexuntur, nobis suppeditat : sic etiam Christus, nostræ salutis causa mactatus, indumentum nobis efficitur, et quidem ita efficax, ut immortalitatem afferat, nempe per baptismum. Illud autem incorruptionis indumentum, ex Octabibio Clementina sumptum est, ubi hæc verba sunt : Ut dignos eos habeat lavacro regenerationis, quod incorruptionis indumentum est. Enimvero perfecta ovis, quod ad realem sensum attinet, ea est, quæ annum unum explevit (agni siquidem unius anni spatio in integram ætatem adolescunt) ; allegorice autem quoniam Christus quoque et perfectus Deus et perfectus homo est. Nam nec divinitate quidquam perfectius, utpote a qua perfectio ad alia omnia promanet : divinitatis porro signa omnia in Christo elucebant. Quin etiam humanitas, divinitate peruncta, id facta est, quod ea pars, a qua peruncta est, hoc est, divinitatis socia, non quidem natura, sed divinitatis consecutione, quemadmodum et ferrum ignitum ignis dicitur non natura, sed inflammatione. Neque enim a propria natura migravit. Rursus etiam pio sensu Dominica caro Deus dicitur propter summam unionem. Quin ob hanc quoque causam perfectus est Christus, quia nulla in eo justitiæ pars desideratur. Ita namque de seipso loquitur : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam*[1]. Tum : *Sit*, inquit, *masculus agnus ;* mas etenim femina perfectior, et principatu dignior. Sic nimirum Christus quoque naturæ rex est, ut mas feminæ, ac proinde totius humanæ naturæ, quasi nubilis cujusdam puellæ solus sponsus est, qui animis nostris cognitionis divinæ semina insevit. Præter has etiam causas hanc quoque adducit Gregorius, cur Christus agnus masculus sit, nimirum quia pro Adamo potissimum oblatus est. Illud autem potissimum ostendit eum mulieris quoque causa oblatum fuisse, etsi potius pro viro, quoniam ipse quoque gravius peccaverat, ut qui et firmiori animo præditus esset, et mandatum accepisset. Firmior itaque muliere Adamus : firmior autem ac robustior Adamo Christus. Ille enim a peccato superatus est : Christus autem peccatum fregit, et profligavit. Quare non abs re pro robusto robustior mactatus est. Quid ita ? quoniam, inquit, Adamus primus in peccatum incidit. Atqui mulier prior peccavit ? Est quidem ita. Verum quia naturæ imbecillitas peccatum ipsius levius reddebat, totum crimen Adamo assignatum est. Atque hæc prima est ratio, cur Christus masculus dicatur. Altera est, quia Christus nihil in se femineum habet, hoc est, molle et solutum ad voluptatem, ac ne tantillum quidem ad vitiosum ullum affectum elanguit. Tertia, quia insignis est Christi potentia : hanc enim violentiam vocat, qua adhibita præter naturæ leges

[96] Rom. xi, 33. [97] Ephes. iii, 8, 9. [98] Exod. xii, 4,5. [99] Isa. liii, 7. [1] *Matth.* iii, 15.

Digitized by Google

virginitatis claustra aperuit, virili congressu nequaquam rescrata. Virginea autem et materna conjunxit propter rei miraculum. Hæc enim duo, nempe virginitas et partus, hic concurrerunt. Jam Christum quoque masculum Isaias nominat, cum ait : *Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium, ac priusquam partus dolor venisset effugit, et masculum peperit* [1]. Prophetissa enim, erat Deipara, utpote de se vaticinata ; *Ecce enim*, inquit, *beatam me dicent omnes generationes* [2]. Atque erit, inquit, anniculus vel quantum ad tempus, ne ut imperfectus rejiciatur, si nondum annum vitæ tempus expleverit : vel quia anniversarium Paschæ festum celebraturi erant, id est singulis annis, utpote bona nobis per passionem comparata lucrifacientes. Anniculus etiam agnus ob eam causam assumitur, quia novus in terra est Dominus, nec vetustatis humanæ quidquam habens. Quamobrem si quis divinitatem beneficio et gratia concessam Domino Jesu fuisse, ac non veram esse asserit, ille masculum agnum pro se mactatum non habet. Consimili modo si quis senii ac vetustatis humanæ quidquam ad Christum refert, hic anniculum non habet. Quin etiam anniculus Christus dicendus est, ut sol justitiæ, juxta illud Malachiæ : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ* [3]. Quo loco sol Christus dicitur, primum quia spirituales nostros sensus, mundumque omnem intellectilem collustrat ; deinde quia causa est, cur omnia sint, et gignant, et crescant, ac fructum proferant. Tum quia et præsentia sua lucem, et absentia tenebras affert. Adhæc quia tempora efficit, hoc est, animæ virtutes. Tum quia ad utilitatem omnia dispensat, non secunda tantum et prospera, verum etiam quæ acerba videntur, non secus ac sol hic aspectu sensibilis, non veris duntaxat et æstatis causa est, sed autumni et hiemis. Et quemadmodum prius lumen conditum est, deinde illa luminis domus, hoc est solis corpus : sic Christus lux illa vera, secundum divinam suam naturam prius erat, secundum posteriorem autem humanitatis et carnis assumptionem solis corpori comparari potest. Atque ob eas causas sol Christus nominatur : justitiæ autem, ut omnem in seipso tam divinam quam humanam virtutem complexus. Vel quia justitiæ omnis mortalibus est auctor, quoniam ad eum referendum est quidquid ab hominibus recte ac cum laude geritur. Est et alia causa, cur Christus sol appelletur, nimirum ut temporum creator, quemadmodum hic quoque sol noster anni effector est. Atque ut hic anno vertente, ad idem punctum, a quo cursum auspicatus fuerat, revolvitur : eodem modo Christus a divina gloria citra egressionem egressus, dispensationis suæ cursu peracto, rursus ad seipsum reversus est, hoc est ad pristinam gloriam et potentiam. Hinc igitur Christus profectus est, atque huc venit, hoc est ex Patre et cœlo, quo confecto salutis nostræ negotio, se recipit.

A Et quemadmodum sol quantum quidem ad lumen attinet, circumscribi non potest, quantum autem ad orbem suum, circumscriptus est : sic Christus, quantum ad divinitatem nullo modo circumscribi potest, quantum ad partem visibilem, id est, ad carnem, circumscriptus est. Atque etiam Christus benedicta corona benignitatis est, juxta illud Davidicum : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* [4]. A sole quidem annus, ab anno autem corona transsumpta est (quadripartitis enim temporibus circulus anni cinctus est) a corona rursus æqualitas : corona enim propter circulum æqualis est. Corona itaque Christus est, utpote credentium animos exornans atque condecorans. Annus autem benignitatis, tempus illud erat, quo Christus bonitate motus, Evan-
B gelium promulgabat, quemadmodum de eo Isaias inquit : *Evangelizare pauperibus misit me, vocare annum Domini acceptabilem* [5]. Ergo corona omni ex parte sibi æqualis est. Etenim si quis lineam a superna circumferentia ad inferiorem duxerit, ac rursus transversim idem fecerit, æqualia intervalla reperiet. Similis item sibi corona est, quia omni ex parte similis ipsius figura cernitur : undiquaque enim rotunda cernitur. Proinde et Christus, quantum ad humanitatem, benignitatis corona dicitur, ut ex omnibus virtutibus conflatus, nec ullum bonitatis justitiæque finem habens, cujus justitiæ propria est æqualitas, id est, ut nec excedat, nec deficiat. Nam excessus et defectus, non a virtute nec a justitia oriuntur, sed a vitio et injustitia. Et quemadmodum
C sol quantitate æqualis est, ut nec augescens nec decrescens, qualitate etiam similis, ut qui nec seipso calidior, nec frigidior fiat : sic divina illa et immutabilis natura neque secundum quantitatem, neque secundum qualitatem, neque secundum ullam aliam motus speciem movetur. Proinde et æqualis est Christus, ut nec ad excessum declinans, nec ad defectum, sed omnem virtutis æqualitatem habens : et item æqualis, ut nihil contrarium in seipso ostendens, aut aliis suggerens, verum similia omnia tum faciens, tum docens. Nec vero ob has duntaxat causas sol Christus dicitur, sed etiam ut virtutum circulum progignens. Virtutum enim semina nostris animis insita fovet, atque ad fertilitatem
D movet, non secus atque sol sensibilis quatuor anni temporibus vires quasdam inserit, per quas fructus terræ maturescunt, ac perficiuntur. Illud autem notandum, quod Gregorius non dixit Deum virtutes creare, sed ζωογονεῖν, id est, progignere, vel potius ad vitam producere, ut intelligamus virtutem quidem natura nobis inesse, verum per ipsius opem atque auxilium progigni, hoc est, impetum quemdam et motum accipere, ac tandem perfici. Idque sane merito. Nam si calor vitæ causa est, cum Christus sol nominetur, idem profecto virtutes nobis insitas calefaciens et confovens, vivas denique atque agitabiles reddit. Atque ut anni tempora leniter

[1] Isa. VIII, 3. [2] Luc. I, 48. [3] Malach. IV, 2. [4] Psal. LXIV, 12. [5] Isa. LXI, 1 ; Luc. IV, 18.

Digitized by Google

gentilium sacrificia. Horum enim sanguis nudus tantum erat, quippe qui nec per Spiritum sanctificaretur, nec alterius sacrificii figuram gereret, quin potius fœdus et satanicus atque exitialis esset. Quod autem sapientiæ profunditatem ait, atque impervestigabilia judicia Dei, hoc ab Apostolo sumpsit, qui ad Romanos scribens, his verbis utitur : *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei ! quam imperscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* [96] ! Et in Epist. ad Ephes. : *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare impervestigabiles divitias Christi* [97]. Sed jam ad sacrificia redeamus, ac cum Theologo dicamus, Deum, cum hæc permisisset, haudquaquam infrugifera ea reliquisse, verum in his Christi mysterium velut in figura defossum atque immistum fuisse. Figuræ enim mysteriorum Christi a Scriptura appellata sunt, victimæque illius, quam magnam et immactabilem Gregorius vocat. In quo animadvertendum est, quod magnam dicit, non autem majorem, ut comparationem omnem cum altera quadam fugiat. Victimam autem, quod pro mundo cæsa sit, quantum ad humilitatem : immactabilem denique, quantum ad primam naturam, hoc est, divinitatem, quæ nec passa est, nec immolata. Prima autem, natura divinitas dicitur, tum ut principium, tum ut aliarum naturarum causa, tum etiam postremo ut humanitate præstantior. Cum autem unum atque eumdem Christum mactatum simul atque immactabilem dixisset, idque ænigmati cuidam simile esse sentiret, subjunxit : Ut ita loquar, his verbis scilicet, quod durius atque audacius dictum videri poterat, emolliens. Ac mihi, quæso, incomparatas hasce comparationes expende. Primum victimam Christum nominavit, non majorem, per comparationem, sed magnam simpliciter, deinde immactabilem, postea totius orbis terrarum sempiternam expiatricem, non autem parvæ cujusdam partis, neque ad certum ac breve aliquod tempus, quemadmodum legalia illa sacrificia, quæ solam Judæorum regionem, hoc est, perexiguam orbis particulam lustrabant, atque ad breve quoddam tempus, et certis flagitiis expiandis instituta erant. Deinceps enimaliis aspersionibus atque expiationibus opus erat.

Col. 639 C. *Proinde agnus quidem, accipitur*, etc. Proinde, id est, quia legalibus sacrificiis Christi, magni sacrificii, figuræ inspersæ erant. Scriptum est enim in Exodo : *Accipiat unusquisque agnum perfectum, masculum, anniculum* [98]. Quod autem ait immaculatum, in Exodo non habetur, sed ex Levitico sumptum est. Ubi permultæ de sacrificiorum ratione leges exstant. Igitur ad Christi figuram agnus accipitur, propter simplicitatem et innocentiam. Neque enim, etiam cum ad necem trahitur, vociferatur, nec, cum tondetur, clamat. Eodem modo Christus, ut est apud Isaiam, *tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus innocens coram tondente se obmutuit : sic non aperuit os suum* [99]. Nec vero propter innocentiam solum agnus assumitur, sed etiam quia, quemadmodum ovis indumenta ea quæ ex lana contexuntur, nobis suppeditat : sic etiam Christus, nostræ salutis causa mactatus, indumentum nobis efficitur, et quidem ita efficax, ut immortalitatem afferat, nempe per baptismum. Illud autem incorruptionis indumentum, ex Octabibio Clementina sumptum est, ubi hæc verba sunt : Ut dignos eos habeat lavacro regenerationis, quod incorruptionis indumentum est. Enimvero perfecta ovis, quod ad realem sensum attinet, ea est, quæ annum unum explevit (agni siquidem unius anni spatio in integram ætatem adolescunt) ; allegorice autem quoniam Christus quoque et perfectus Deus et perfectus homo est. Nam nec divinitate quidquam perfectius, utpote a qua perfectio ad alia omnia promanet : divinitatis porro signa omnia in Christo elucebant. Quin etiam humanitas, divinitate peruncta, id facta est, quod ea pars, a qua perunicta est, hoc est, divinitatis socia, non quidem natura, sed divinitatis consecutione, quemadmodum et ferrum ignitum ignis dicitur non natura, sed inflammatione. Neque enim a propria natura migravit. Rursus etiam pio sensu Dominica caro Deus dicitur propter summam unionem. Quin ob hanc quoque causam perfectus est Christus, quia nulla in eo justitiæ pars desideratur. Ita namque de seipso loquitur : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam*[1]. Tum : *Sit*, inquit, *masculus agnus ;* mas etenim femina perfectior, et principatu dignior. Sic nimirum Christus quoque naturæ rex est, ut mas feminæ, ac proinde totius humanæ naturæ, quasi nubilis cujusdam puellæ solus sponsus est, qui animis nostris cognitionis divinæ semina insevit. Præter has etiam causas hanc quoque adducit Gregorius, cur Christus agnus masculus sit, nimirum quia pro Adamo potissimum oblatus est. Illud autem potissimum ostendit eum mulieris quoque causa oblatum fuisse, etsi potius pro viro, quoniam ipse quoque gravius peccaverat, ut qui et firmiori animo præditus esset, et mandatum accepisset. Firmior itaque muliere Adamus : firmior autem ac robustior Adamo Christus. Ille enim a peccato superatus est : Christus autem peccatum fregit, et profligavit. Quare non abs re pro robusto robustior mactatus est. Quid ita ? quoniam, inquit, Adamus primus in peccatum incidit. Atqui mulier prior peccavit ? Est quidem ita. Verum quia naturæ imbecillitas peccatum ipsius levius reddebat, totum crimen Adamo assignatum est. Atque hæc prima est ratio, cur Christus masculus dicatur. Altera est, quia Christus nihil in se femineum habet, hoc est, molle et solutum ad voluptatem, ac ne tantillum quidem ad vitiosum ullum affectum elanguit. Tertia, quia insignis est Christi potentia : hanc enim violentiam vocat, qua adhibita præter naturæ leges

[96] Rom. xi, 33. [97] Ephes. iii, 8, 9. [98] Exod. xii, 4,5. [99] Isa. liii, 7. [1] *Matth.* iii, 15.

Digitized by Google

virginitatis claustra aperuit, virili congressu nequaquam reserata. Virginea autem et materna conjunxit propter rei miraculum. Hæc enim duo, nempe virginitas et partus, hic concurrerunt. Jam Christum quoque masculum Isaias nominat, cum ait : *Et accessi ad prophetissam, et concepit, et peperit filium, ac priusquam partus dolor venisset effugit, et masculum peperit* [1]. Prophetissa enim, erat Deipara, utpote de se vaticinata ; *Ecce enim*, inquit, *beatam me dicent omnes generationes* [2]. Atque erit, inquit, anniculus vel quantum ad tempus, ne ut imperfectus rejiciatur, si nondum annum vitæ tempus expleverit : vel quia anniversarium Paschæ festum celebraturi erant, id est singulis annis, utpote bona nobis per passionem comparata lucrifacientes. Anniculus etiam agnus ob eam causam assumitur, quia novus in terra est Dominus, nec vetustatis humanæ quidquam habens. Quamobrem si quis divinitatem beneficio et gratia concessam Domino Jesu fuisse, ac non veram esse asserit, ille masculum agnum pro se mactatum non habet. Consimili modo si quis senii ac vetustatis humanæ quidquam ad Christum refert, hic anniculum non habet. Quin etiam anniculus Christus dicendus est, ut sol justitiæ, juxta illud Malachiæ : *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ* [3]. Quo loco sol Christus dicitur, primum quia spirituales nostros sensus, mundumque omnem intellectilem collustrat ; deinde quia causa est, cur omnia sint, et gignant, et crescant, ac fructum proferant. Tum quia et præsentia sua lucem, et absentia tenebras affert. Adhæc quia tempora efficit, hoc est, animæ virtutes. Tum quia ad utilitatem omnia dispensat, non secunda tantum et prospera, verum etiam quæ acerba videntur, non secus ac sol hic aspectu sensibilis, non veris duntaxat et æstatis causa est, sed autumni et hiemis. Et quemadmodum prius lumen conditum est, deinde illa luminis domus, hoc est solis corpus : sic Christus lux illa vera, secundum divinam suam naturam prius erat, secundum posteriorem autem humanitatis et carnis assumptionem solis corpori comparari potest. Atque ob eas causas sol Christus nominatur : justitiæ autem, ut omnem in seipso tam divinam quam humanam virtutem complexus. Vel quia justitiæ omnis mortalibus est auctor, quoniam ad eum referendum est quidquid ab hominibus recte ac cum laude geritur. Est et alia causa, cur Christus sol appelletur, nimirum ut temporum creator, quemadmodum hic quoque sol noster anni effector est. Atque ut hic anno vertente, ad idem punctum, a quo cursum auspicatus fuerat, revolvitur : eodem modo Christus a divina gloria citra egressionem egressus, dispensationis suæ cursu peracto, rursus ad seipsum reversus est, hoc est ad pristinam gloriam et potentiam. Hinc igitur Christus profectus est, atque huc venit, hoc est ex Patre et cælo, quo confecto salutis nostræ negotio, se recipit.

Et quemadmodum sol quantum quidem ad lumen attinet, circumscribi non potest, quantum autem ad orbem suum, circumscriptus est : sic Christus, quantum ad divinitatem nullo modo circumscribi potest, quantum ad partem visibilem, id est, ad carnem, circumscriptus est. Atque etiam Christus benedicta corona benignitatis est, juxta illud Davidicum : *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ* [4]. A sole quidem annus, ab anno autem corona transsumpta est (quadripartitis enim temporibus circulus anni cinctus est) a corona rursus æqualitas : corona enim propter circulum æqualis est. Corona itaque Christus est, utpote credentium animos exornans atque condecorans. Annus autem benignitatis, tempus illud erat, quo Christus bonitate motus, Evangelium promulgabat, quemadmodum de eo Isaias inquit : *Evangelizare pauperibus misit me, vocare annum Domini acceptabilem* [5]. Ergo corona omni ex parte sibi æqualis est. Etenim si quis lineam a superna circumferentia ad inferiorem duxerit, ac rursus transversim idem fecerit, æqualia intervalla reperiet. Similis item sibi corona est, quia omni ex parte similis ipsius figura cernitur : undiquaque enim rotunda cernitur. Proinde et Christus, quantum ad humanitatem, benignitatis corona dicitur, ut ex omnibus virtutibus conflatus, nec ullum bonitatis justitiæque finem habens, cujus justitiæ propria est æqualitas, id est, ut nec excedat, nec deficiat. Nam excessus et defectus, non a virtute nec a justitia oriuntur, sed a vitio et injustitia. Et quemadmodum sol quantitate æqualis est, ut nec augescens nec decrescens, qualitate etiam similis, ut qui nec seipso calidior, nec frigidior fiat : sic divina illa et immutabilis natura neque secundum quantitatem, neque secundum qualitatem, neque secundum ullam aliam motus speciem movetur. Proinde et æqualis est Christus, ut nec ad excessum declinans, nec ad defectum, sed omnem virtutis æqualitatem habens : et item æqualis, ut nihil contrarium in seipso ostendens, aut aliis suggerens, verum similia omnia tum faciens, tum docens. Nec vero ob has duntaxat causas sol Christus dicitur, sed etiam ut virtutum circulum progignens. Virtutum enim semina nostris animis insita fovet, atque ad fertilitatem movet, non secus atque sol sensibilis quatuor anni temporibus vires quasdam inserit, per quas fructus terræ maturescunt, ac perficiuntur. Illud autem notandum, quod Gregorius non dixit Deum virtutes creare, sed ζωογονεῖν, id est, progignere, vel potius ad vitam producere, ut intelligamus virtutem quidem natura nobis inesse, verum per ipsius opem atque auxilium progigni, hoc est, impetum quemdam et motum accipere, ac tandem perfici. Idque sane merito. Nam si calor vitæ causa est, cum Christus sol nominetur, idem profecto virtutes nobis insitas calefaciens et confovens, vivas denique atque agitabiles reddit. Atque ut anni tempora leniter

[1] Isa. VIII, 3. [2] Luc. I, 48. [3] Malach. IV, 2. [4] Psal. LXIV, 12. [5] Isa. LXI, 1 ; Luc. IV, 18.

Digitized by Google

inter se commiscentur. Neque enim subito ab uno contrario ad alterum fit mutatio, verum quasi per interventionem et conciliationem quamdam intermedii temporis. Neque enim statim ab æstate ad hiemem transimus, sed per medium autumnum ad utrumque assuescimus. Sic nec a vere statim ad autumnum fit mutatio (nam hæc quoque inter se dissident. Illud enim res eas quæ nascuntur movet : sic easdem corrupit ac perimit : verum æstas interjecta ea inter se conciliat, quippe, quæ ut motus finis, ita corruptionis interitusque principium est. Idem in virtutibus quoque animadvertere licet : nam hæ blande ac leniter inter se conjunguntur. Exempli gratia, fortitudini adversari quidem videtur clementia, et tamen longanimitas interveniens utramque cum altera conjungit. Longanimitas enim dilationem quamdam iræ significare videtur, congruum inferendæ pœnæ tempus exspectans. At clementia tranquilli animi statum ac perfectam iræ compressionem indicat. Atque ob eam causam longanimitas prudentiæ laudem habet : at qui clementiam habuerit, ut absolutam omnibus numeris virtutem assecutus, beatus censetur. Eadem est in prudentia ratio. Nam et simplicitas, rationalis animæ partis virtus est, et calliditas ac sapientia. Hæ autem dijudicatricis virtutis interventu inter se junguntur. Quod etiam in cæteris reperire est. Jam vero non solum virtutes inter se conjunguntur, sed etiam temperantur, hoc est, totæ totis commiscentur. Potest enim fieri, ut quispiam simul, et simplex sit, et callidus, clemens et fortitudinis plenus, continens et cupidissimus. Conjunguntur porro lege amicitiæ atque ordinis : amicitiæ quidem, propter concordiam ; ordinis autem, quia alia prima est, altera secunda, et sic deinceps. Nam ut in anni temporibus ordinem quemdam perspicere licet, sic etiam in virtutibus. Communiter enim morales speculativas præcedunt. Atque adeo in ipsis quoque moralibus permagnum quoddam discrimen est, et insignis ordo. Timor enim, magis est rudimentarius : charitas autem, perfectior. At virtutum orbem intuere. Timor continentiam parit, hæc patientiam, patientia spem tranquillitatis matrem, ex qua rursus timor procreatur. Duplex est enim timor, alter elementaris, qui pœnæ metu exprimitur, de quo ait Scriptura : *Principium sapientiæ, timor Domini* [7] ; et : *Perfecta charitas foras mittit timorem* [8]. Alter perfectricem vim habens, nec sinens nos ex immodica licentia in contemptum labi. De quo sic loquitur David : *Timor Domini sanctus* [9]. Et rursus : *Non est inopia timentibus eum* [10]. Quin etiam quatuor generales virtutes, fortitudo, prudentia, temperantia et justitia, circulares quoque dici possint : quod circum eas perpetuo mens imperatrix versetur, ipsas circumiens et circumlustrans. Atque hæc ad annuli explicationem dicta sufficiant. Nunc dicam, cur agnum immaculatum et incorruptum esse oporteat. Immaculatus agnus est, qui nulla labe vitiatus, nec mutilatione fœdatus est : incorruptus autem, qui reprobus non est, aut ob aliam causam rejiciendus. At Christus non solum immaculatus ipse est, atque incorruptus, sed nos etiam tales efficit. Vitiis autem ac sordibus a peccato manantibus medetur. Ἐλαττώματα porro, sunt virtutis defectus : sordes autem vitii accessiones. Duobus enim modis in vitio sumus, vel quia in bono deficimus, vel quia malum adjungimus : quemadmodum contra virtus, vel in mali declinatione, vel in boni operatione versatur. Quamvis enim Dominus peccata nostra susceperit, quamvis etiam nostros animorum morbos tulerit ; ipse tamen nihil unquam cogitavit, nec admisit, quod medicinam desideraret : quemadmodum si medicus ab ægroto morbum tollere possit, ipse autem eo non corripiatur. Etenim Dominus quidem *per omnia tentatus est, juxta similitudinem nostram, verum absque peccato* [11]. Lux enim in tenebris lucet, hoc est, in caliginosa hac vita, et densa affectuum caligine circumfusa : atque adversariæ tenebræ, hoc est ille, qui propter superbiam caligo factus est, Christum quidem persecutus est, atque tentavit : verum eum comprehendere ac superare non potuit, sed victus et confusus recessit.

Col. 642 C. *Quid præterea ? Mensis quidem primus*, etc. Atque hæc de agno, inquit, nobis considerata et expensa sint. Quid autem præterea restat ? Nempe ut intelligamus, quisnam mensis ille sit quo agnus sacrificatur. Scriptum quippe est in Exodo : *Mensis hic principium mensium, primus erit vobis* [12], etc. Quorum verborum allegoriam perspiciamus. Mensis igitur Paschatis, qui apud Ægyptios Pharmuti, apud Macedones Xantichus, apud Hebræos Nisan, apud Romanos Martius vocatur, hic primus in mensibus introducitur atque decernitur, ac principium mensium anni, fortasse quia jam inde a principio primus ordine erat. Arcanus enim hic apud Hebræos sermo est, hoc tempus esse, quo Deus universam rerum molem condidit. Vernum porro hoc tempus est, quo terra quoque herbas profert. Quo etiam tempore Hebræi ex Ægypto recesserunt. Fortasse etiam ob hanc causam primus hic mensis dictus est, quia in illo Paschatis mysterium celebratum sit. In principio autem anni, et in primo mense, sacrificii tempus præscribitur : quoniam Christus quoque omnium rerum principium est, ac non recens, propter ipsius ex Patre generationem sæculis omnibus superiorem. Eodem modo nobis quoque veri Paschatis sacrificium æternæ vitæ principium est. Annus enim sæculum designat, quoniam in orbem circumiens, in sese semper volvitur, nec ullo fine conquiescit. Decima porro mensis agnus accipitur, quia denarius plenissimus est numerus, ut ipsum nominis etymon docet. Decas enim dicitur, ὡς δεκτινὴ πάντων τῶν ἀριθμῶν, id est, quod omnes numeros capiat. Nam cum ad eam

[7] Psal. cx, 10. [8] I Joan. iv, 18. [9] Psal. xviii, 10. [10] Psal. xxxiii, 10. [11] Hebr. iv, 15. [12] Exod. xii, 2

Digitized by Google

numeri pervenerint, progrediendi finem faciunt, ac deinceps iterantur solum ac revolvuntur. Decas autem prima unitas perfecta, et perfectionis generatrix dicitur, quoniam est alia quoque unitas, nempe prima unitas. Verum illa tametsi principium numerorum est, eosque procreat, nequaquam tamen perfecta est. At prima decas has duas prærogativas habet, alteram, quod perfecta est, quatenus ad hanc usque numeri progrediuntur, ac rursus revolvuntur : alteram quod perfectionis est procreatrix. Centenarium enim numerum, qui perfectissimus est, producit. Quod si senarium quoque perfectum numerum esse contendas ; hac tamen parte cedet denario, quod, quamvis perfectus sit, perfectionem tamen non gignat. Cæterum perfectus quoque senarius dicitur, non quod in eo numeri a progressione conquiescant, sicut in denario contigit : sed alia ratione perfectus appellatur, utpote ex partibus suis conflatus. Dimidia enim pars senarii, et tertia, et sexta, in summam collectæ, senarium conficiunt. Jam vero agnus in quintum diem asservatur, hoc est, a decima usque ad decimam quartam : fortasse quia Christus victima nostra quinque externos sensus purgat : hæ enim domus animæ fenestræ sunt, de quibus ait Jeremias : *Ascendit mors per fenestras*[13], hoc est, per sensus, a quibus peccatum proficiscitur, non ut efficientibus causis, sed ut adjuvantibus. Et circa quos bellum committitur, peccati sagittam extrinsecus incidentem admittentes. Est et alia occulta causa, cur agnus decima quidem accipiatur, verum decima quarta sub vesperam immoletur. Nam quod non prima die, sed decima accipitur, hoc indicat, quod longa erant sæcula illa, quæ creationem nostram præcedebant, quibus semper erat Deus : post autem sæculum hoc nostrum ingreditur, quod, velut per quinque dies in quinque tempora dividitur, nimirum in illud quod ab Adamo usque ad Noe fluxit, in illud quod a Noe usque ad Abrahamum, in illud quod ab Abrahamo usque ad Mosen, in illud quod a Mose usque ad Christi præsentiam, postremo in illud ipsum præsentiæ ipsius tempus, quo per magnum illud sacrificium proposita erat omnibus salus. Jam in quinque etiam spatia illa vineæ parabola diem distinxit. Alios enim circa primam horam vocatos esse narrat, alios circa tertiam, alios circa sextam, alios circa nonam, alios denique circa undecimam. Quo etiam tempore navatæ operæ merces, iis qui postremi venerant, primo loco persolvitur[14]. Nos enim primi regenerationem accipimus, quibus Christus sacrificatus est, atque a morte revocatus innovandorum animorum nostrorum causa Spiritu sancto nos afflavit. Accipitur itaque agnus primo die hujus quinarii dierum, id est, decima mensis, principii hujus sæculi figuram continente, atque asservatus postremo tandem tempore, hoc est, decima quarta, ad vesperam mactatur. Ad vesperam inquam, ut rursus

A intelligas nequaquam recens esse Christi mysterium, sed ex Patris præscientia jam inde a creatione mundi servatum esse, verum postremis temporibus nostra causa mortem subiisse. Quod si alia ratio proferenda est, cur decima quarta mensis agnus mactetur, dicendem idcirco id fieri, quoniam hoc die lunaris circulus omni ex parte perficitur, atque velut adulterino quodam lumine orbem collustrat, cæterum imminui ac desinere incipit : ut hinc quasi ex imagine quadam intelligas, quod omnibus quidem orbis partibus tenebrarum princeps celebrabatur (luna enim in principatum noctis posita est) ac mundi sapientiam, velut fucatam quamdam lucem, errantium hominum cordibus infundens, plenissimam sibi gloriam comparabat. At verus agnus
B pro nobis moriens diaboli gloriam oppressit. Eam enim desinere in posterum et absumi coget. Atque id scilicet erat, quod in Psalmis canebatur : *Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis, donec de medio vicissim tollatur luna*[15]. Quo loco observandum est, quod non dixit : *Tollatur*, sed, *Vicissim tollatur*. Quasi enim hominem jam sustulerit, vicissim diabolus ipse de medio tollitur. Quod si hoc loco lunam in bonam partem intelligere velis, idcirco ad decimam quartam spectamus, quia per eam lucem quæ in aspectum cadit, et materia constat, eam imagine quadam concipiamus, quæ spiritualis est, materiæque expers, ut in speciem quidem lunam plenam expetamus, quæ lucem suam tota no-
C cte perdurantem nobis præbeat, revera autem nobis legis vice sit hæc cæremonia, jubens, ut omne tempus, quod in diem ac noctem dividitur, nobis perpetuo clarum sit, nec ulla caliginosa opera admista habeat. Verum ad historiam redeuntes, quæramus, quid causæ sit cur agnus non modo ex agnis, qui ad dextrum latus statuuntur, eligatur, sed et ex hædis, quos judex ad sinistram statuit[16], utpote nullam dextram actionem habentes. Statuit enim, inquit, oves a dextris, hædos autem a sinistris. Fortasse hoc ideo fit, quia Christus pro omnibus, tam ovibus, quam hædis, mortuus est, ac pro his etiam potissimum, utpote qui majori misericordia opus habeant. Fortasse etiam quia Christus revera justus mortem subiit, ideo ad ejus figuram agnus accipi-
D tur : quoniam autem hominum opinione ut facinorosus mactatus est, idcirco hædus quoque jugulatur. Immaculatum autem sacrificium agnus intelligitur, legis præscripto ad perpetua sacrificia dicatus : hædus vero pro peccatis offertur. Quæ quidem duo in Christo reperies. Erat enim idem, et ut immaculata victima, nimirum ad odorem suavitatis seipsum Patri offerens : et ut hædus, dum pro peccatis nostris mactaretur. Atque ut rem in pauca conferam, ovis quidem, secundum Isaiam, lenitatem Christi designat : hædus autem secundum legem sacrificium est pro peccato. Proinde leniter, ovis instar, ad supplicium ductus, pro peccato velut hircus sa-

[13] Jerem. IX, 21. [14] Matth, XX, 10 seqq. [15] Psal. LXXI, 7. [16] Matth. XXV, 40.

Digitized by Google

crificatus est, pro hominum salute seipsum morti exponens. Aut, si mavis, ut hædus in alta loca prosilit, sic Christus in cœlum ascendit, teque evehit. Propter te enim mortuus est, ut cum ipso vivas. Quidnam autem sibi vult lex, quod maxime quidem per singulas domus agnum sacrificari jubet, si autem domestici pauci sint ac pauperes, simul quoque vicinos adesse, atque ita ex contributione sacrificium compleri? Quoniam præstabilius id quidem est, ut sibi quisque ad perfectionem sufficiat, atque aliorum ope et auxilio, ad virtutem non indigeat, quin potius, quod Apostolus ait [17], seipsum exhibeat Deo hostiam non inanimem, qualis est illa, quæ per bruta fit, quæ postquam cæsa esset, Deo tunc offerebatur, verum hostiam viventem, ut martyres, qui seipsos vivos Deo offerebant, ac deinde pro eo mortem oppetebant. Talem hostiam unumquemque seipsum Deo offerre oportet, et semper, et per res omnes sacrificari. Id autem fiet, si membra nostra ad peccati perpetrationem opprimamus ac mortificemus. Quod si quis per se ac solus, ob mentis inopiam et imbecillitatem intelligendo Christi mysterio par esse nequeat, socios atque adjutores sibi asciscet, eos videlicet accipiens, qui eadem fide præditi sunt. Nonnunquam enim mutua opera ad sublimiores speculationes assurgimus, socios eos assumentes, qui nobiscum virtute pares ac vicini sunt. Verum hic merito quispiam percunctetur, siquidem unus est Christus, qui per legem et prophetas, atque adeo per creaturas prædicatur, qui fiet, ut lex, Christi figuram celebrans, per domos familiarum complures agnos sacrificari jubeat? Ad quem sic respondeo : quemadmodum unusquisque eorum, qui Christum fide complexi sunt, pro virium suarum modulo spiritaliter Christo crucifigitur, alius nimirum quantum ad actuale peccatum duntaxat seipsum cruci affigens, alius quantum ad ipsas quoque animi perturbationes, alius etiam quoad ipsas affectuum imaginationes, alius denique quantum ad ipsas quoque affectuum cogitationes : sic unusquisque nostrum in congruenti sibi virtutis gradu atque ordine, quasi in domo quadam agnum immolat, carnisque ipsius particeps fit, ac Domino Jesu ad satietatem expletur. Etenim proprius uniuscujusque agnus efficitur Jesus Christus, atque totus, et toti, et omnibus omnia fit. Per vicinum etiam, qui ad agni esum assumitur, gentiles significari possunt. Quoniam enim Judæi propter animi paupertatem mysterium hoc concipere nequiverunt : idcirco ad sacrificii societatem et consortium ethnici insuper assumpti sunt. Porro in unaquaque domo perfectus erat agnus, nec in diversas domos dividebatur. Unus enim atque individuus Christus est, ac fides una.

Col. 643 A. *Hinc sacra nox et præsentis vitæ, hoc est*, etc. Deinceps, inquit, atque ordine mystica et et sacrosancta nox advenit, inimica et hostis tenebrosæ hujus vitæ, quæ nox etiam ob eam causam vocatur, quod in ea velut in nocte, et virtutes, et vitia in obscuro sint, atque etiam propter offusam in ea ignorantiam, et errorem, ac peccatum, quod in omnes fusum ac propagatum est, omnesque imperio premit. Quomodo autem divina illa nox, qua Christo moriendum erat, noctis peccati hostis erat, accipe. Quemadmodum in mundi creatione sensibili luce producta discussæ sunt tenebræ, quæ primigenæ dicuntur, non quod substantia præditæ ac creatæ sint, sed quia cœlo ac terræ, rebus substantia præditis, quasi subsisterent. Neque enim tenebrarum ulla est essentia et subsistentia : verum per obstructionem atque obstaculum fiunt, atque accidentis rationem habent, non substantiæ. Quemadmodum igitur post creatam lucem tenebrasque submotas terra videri cœpit, atque elementorum ordo distinctus est, omniaque informata sunt, ac cœlum ornatum suum accepit, terraque itidem suum, atque ad hunc modum illa prius informis materia formis adornata est : sic etiam in hac sacrosancta nocte, qua Christus salutis nostræ causa mortem excepit ac sustulit, ignorantia et malitia in nobis hærens, ac noctis rationem habens, profligata et dissoluta est : atque ita mutatæ sunt rerum vices, ut pro umbra veritas nobis illuxerit, pro ignorantia cognitio, pro incredulitate fides, pro peccato justitia. Potest hic etiam per primigenas tenebras primorum parentum peccatum intelligi, per quod omnia perturbata et eversa sunt. Verum in Christo, vero lumine, hæ peccati tenebræ solutæ prorsusque sublatæ sunt, non autem excesserunt, aut alio recesserunt : atque omnia collustravit is, qui dixit ut de tenebris lumen splendesceret, atque ea quæ prius forma carebant, informarentur; ille, inquam, veræ pulchritudinis virtutum architectus et fabricator, qui res nostras immoderate agitatas ac fluctuantes intuitus, ex inordinatis eas in ordinem adduxit. Lux enim, et ornatus, et ordo, cognitionem et virtutem significant : tenebræ contra et confusio, quæ vitam humanam prius obsidebant, vitium atque ignorantiam designant.

Col. 643 A. *Hinc Ægyptum fugimus, hoc est, triste* etc. Posthæc, inquit, peccatum velut Ægyptum quamdam fugimus, quod quidem triste vocandum est, ut tristitiæ causam afferens, acerbe autem persequens, ut in hominis perniciem excursiones faciens. Quanquam etiam alioqui Ægyptus, si interpreteris, tenebras sonat : hæ autem tristes sunt. Ægyptii autem Israelitas persequebantur, ut eos comprehenderent. Nec vero tristitiæ parens peccatum solum fugimus, verum etiam caliginosorum dæmonum principem servilia opera, quibus animus opprimitur; imperantem, ac dæmones etiam ipsos nunquam non instantes, atque ad peccati opus dure acerbeque impellentes et adurgentes, atque eadem causa operum præfectos appellatos.

[17] Rom. xii, 4

Digitized by Google

Quemadmodum autem Israelitæ ad promissionis terram, sic nos quoque ad supernum mundum migramus. Atque ut illi luto et laterum confectione, eodem modo nos etiam lubrica et infida corporis hujus compactione liberamur, quod ex terra coagmentatum est, unde et lateres et lutum. Porro compages ipsa corporis, suapte natura ad offensionem et peccatum proclivis, apud multos homines atque interiores et ignaviores ad voluptates ita facile solvitur, et effrenato impetu fertur, ut ne palearibus quidem rationibus, hoc est, exiguis et levibus coerceatur et constringatur, quemadmodum lateres paleis : verum luti instar ad voluptates laxetur ac diffundatur. Etenim conveniebat nos, densis ac solidis et spiritualibus rationibus constructos, a fœdis voluptatibus propter Dei amorem restringi. At nunc improbissimi quique ne subventaneis quidem et levibus rationibus tenentur ac reperiuntur, ut si non propter Deum, saltem ad laudem hominum emerendam a flagitiis abstineant.

Ibid. B. *Hinc agnus mactatur, atque actio*, etc. Cum tripartitam anima nostra rationem habeat (dividitur enim) rationalem, concupiscibilem et irascibilem, postibus quidem comparari possunt ira et concupiscentia ; limini autem conciliatrix et collectrix earum ratio utrique conjuncta, atque ab utraque sustentata. Ad fortitudinem enim ab ira obfirmatur, : ad consortium autem summi boni per concupiscentiam subvehitur. Cæso igitur agno, domorum postes ipsius cruore imbui lex præcipit. Quibus significari possunt actio et contemplatio. Quandoquidem duplex quoque nostra philosophia est, activa et speculativa, sive habitus et actus. Philosophiam porro nostram eam vitæ rationem voco, quæ secundum Christi doctrinam instituitur. Et quidem activa philosophia ea vita est, in quam nulla reprehensio cadit : speculativa autem, est recta doctrinæ fidei sententia. Rursus habitus est, diuturna ad virtutem animi affectio, atque ejusmodi, ut vix excuti possit : actus autem, ipsa est actio. Jam vero ostia hoc loco dicuntur mentis agitationes et dogmata, agitationes quidem, cum mens aliquid exquirit ac secum versat, dogmata autem, cum notitias quasdam per se fidem facientes, et ratas firmasque dogmatice retinet. Aperiuntur porro hujusmodi agitationes, quoties mens quædam invenerit ad ejus cognitionem perceptionemque venientia, eaque exceptura est : clauduntur autem, cum id, quod exquiritur, ipsius intelligentiam superat. Quandoquidem comprehensionum quoque animi modus quidam est. Nam et mentis comprehensiones modum suum habent, atque ea percipit mens, quæ ipsi assequi licet. Interdum autem mens portas suas claudens, agitationes repellit, et a se amolitur. Proinde, et actio nostra, et contemplatio, et habitus, et actus, regio signo, hoc est, Christi sanguine, obsignandi sunt, non ut claudantur, ac nihil agant, verum ut insculpantur, atque hujusmodi signum et exemplares notas in seipsis integras servent. Vel etiam ut hostilibus copiis terrorem afferant, quemadmodum regium signum formidolosum esse solet.

Ibid. *Hinc postrema, et persecutoribus gravissima plaga*, etc. Decem plagas in Hebræorum gratiam Dominus Ægyptiis intlixit. Prima fuit sanguis ille, qui ex aquarum congregatione hauriebatur ; secunda ranæ; tertia ciniphes; quarta cynomyia ; quinta quadrupedum interitus ; sexta vesicæ ; septima grando triticum conterens ; octava locustæ viridia omnia populantes ; nona palpabiles tenebræ; decima primognitorum oppressio. Atquo hæc plaga ordine quidem postrema erat, supplicii autem gravitate prima. Neque enim eam Ægyptii perferre potuerunt, sed tunc Israelitis discedendi potestatem fecerunt. Eodem modo dæmonibus quoque, animarum nostrarum persecutoribus, gravissima hæc pœna videtur, quando in animo ab omni ostentatione alieno atque humili et abjecto, quasi in nocte quadam, primogenita peccati, hoc est prima vitii origo et principium, a nobis exstinguuntur : quemadmodum in Evangelio Christus docet[18], cum jubet nos cupiditate atque ira compressis atque sublatis intrepido animo esse, nec jam vel adulterii scelus, vel cædis piaculum pertimescere. Neutrum enim horum a seipso consistere posse, nisi cædem iracundia, adulterium concupiscentia protulerit. Quocirca cum is qui vitiosos fetus edit, ante adulterium concupiscentiam, ante cædem iracundiam pariat, si quidem primogenitum sustulerit, haud dubie fetum quoque primogenito succedentem sustulerit. Sed videamus quæ sint cogitationum primogenita, quæ item actionum, quæ, ut pereuntia, luctu prosequitur Ægyptus, id est, peccatum. Turpes ac fœdæ cogitationes in hæc tria dividuntur : in intentionem, in congressionem, quæ et lucta nominatur, et in consensionem. Ergo primigena cogitatio dici possit, prima et affectibus perturbata intentio, atque appetitio. Actionum autem primogenita, vitiosæ ratiocinationes et cogitationes, a quibus peccatum illud, quod animi assensione patramus, ad actum tandem progreditur. Hujusmodi igitur plaga nocte digna est. Noctis enim ac dedecoris et ignominiæ opera, digna sunt quæ nocte atque obscuritate et oblivione obruantur. Enimvero hæc primogenita Isaias semen Chaldaicum appellat, Deum inducens Israeliticum populum sic alloquentem : Diligens te, voluntatem tuam explevi super Babylonem, ut Chaldæorum semen tollerem. Quorum verborum hæc sententia est : Cupiebas, o Israel, de medio tolli funditusque deleri Chaldæos et Babylonios, qui te bello lacessebant. Atque ita feci. Quamobrem si ipsi quoque confusionem eam qua premimur,

[18] Matth. v, 1 seqq.

Digitized by Google

id enim Babylon significat, a nobis auferri cupierimus, inveniemus Deum voluntati nostræ satisfacientem, ac turpes et impuras cogitationes, nondum adultas, sed teneras adhuc seminisque rationem habentes exterminantem. David autem hujusmodi peccati principia et radices parvulos Babylonios vocat, dicens : *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit, et allidet parvulos tuos ad petram*[19]. Quoniam enim juxta historicum sensum Babylonii, Judæos bello aggressi, captivitate eos presserunt, ac Babylonem abduxerunt, multosque Israelitarum puerulos solo allisos obtruncarunt. Propheta beatos eos pronuntiat, qui eadem crudelitatis exempla in Babylonios edere poterunt. Juxta allegoricum autem sensum, Babylon confusio est. Hujus filia, iniquitas, quam quidem etiam miseram vocat Propheta, utpote quod non sit, nec subsistat, sed incuria nostra ex nihilo conflatur atque subsistat, ac rursus per virtutem nostram et recte facta intercat, atque in nihilum redeat. Ad hanc igitur sic loquitur Propheta : *Beatus* ille futurus *est, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*[20]. Quid autem dedimus ? voluntatem nostram, hoc est, libertatem : nec enim servus voluntatem habet. Quid porro recepimus ? peccatum. Quare illud reddendum est. Reddere autem, nihil aliud est, quam in posterum illud non admittere. Beatus etiam, inquit ille, qui pravas cogitationes adhuc teneras et imperfectas, antequam in ipsius perniciem nutriantur et adolescant, tenebit, atque in potestatem redactas interimet, nimirum ad Christum ejusque auxilium confugiendo. Ipse enim petra est, per quam malæ cogitationes solvuntur. Is porro nascentia ex cogitationibus atque actionibus peccata ad Christum allidit, qui ea confitetur. Ac quisquis perversa dogmata, quæ animum illius, a quo admittuntur, perturbatione afficiunt, veritatis doctrina concutit, atque in Christo perimit et exstinguit, nec ea crescere et adolescere sinit, verum confusæ ac perturbatæ mentis fetum sapientia sua superat, ac deinde ad Christum veram petram allidit, hic est qui Babylonis pueros petræ allidit. Sed ad primogenita rursus oratio conferenda est, quibus pereuntibus clamore atque ejulatu omnia apud Ægyptios personant. Lugent enim atque ingemiscunt dæmones, cum vitiosas cogitationes, priusquam creverint, in nobis exstingui cernunt, animique perturbationes adhuc recentes evelli atque exscindi. Ergo Ægyptiaci peccati fetus, antequam in malo maturescant, necantur : Israeliticæ autem ac probæ cogitationes sanguinis profusione muniuntur, ut virtus ad maturitatem perveniat. Atque illic quidem primus peccati impetus frangitur : hic autem primus peccati ingressus per

A verum agnum avertitur. Neque enim ingressum exterminatorem arte et consilio expellimus atque exturbamus, sed, ne ullo modo in animos nostros irrepat, cavemus atque providemus. Cautio autem hæc in unctione et obsignatione consistit. Hanc enim in nobis exterminator reperiens, reveretur atque extimescit et recedit, ac mors ultra prosilit. Quoniam autem duplex morti ad nos aditus patet (aut enim judicio ac ratione peccamus, ut cum nec sana nec recta ratiocinamur, aut affectibus impulsi labimur, ut cum temere irascimur et concupiscimus) ob eam causam sanguinis quoque duplex est signum. Et ratio quidem, utpote princeps, quasi superius limen est : affectus autem, velut postis, superiori limini subjicitur.

B Col. 643 C. *Hinc fermentum septem dierum spatio*, etc. Scriptum est in Exodo : *Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris*[21]. Verum hoc ad Judæos pertinebat. At nobis vitium septem diebus submovendum est, hoc est, per omnem hujus vitæ hebdomadem. (21) Numerus enim septem dierum fluxum hoc tempus significat, quod per hebdomadas revolvitur. Atque hic numerus mysticus quidem est, utpote virgo, ac virginitatem vitamque angelicam designans (solus enim hic numerus, ut arithmetici docent, ex omnibus numeris, qui denario includuntur, nec gignit, nec gignitur, atque etiam ut quaternarium et ternarium in se continens. Quatuor enim sunt mundi

C elementa et Trinitas horum fabricatrix. Consociatus autem mundo dicitur et concurrens, id est, comes et assectator ipsius, tum quia septem dierum spatio mundus omnibus suis numeris absolutus est, tum quia expletis septem annorum millibus mundi finis futurus est. Quoniam autem fermenti proprietates, si quidem vitium spectemus, sunt vetustas et aciditas : sin autem virtutem nobis proponamus, panis confectio et vis vitalis (calefacit enim fermentum, ac farinam sublevat, atque hoc vitam fovere videtur) : ob eam causam submoveri, atque ejici malitiam ait, quæ vitiosas fermenti proprietates habet : non item virtutem, cui meliores fermenti proprietates insunt : cui etiam regnum cœlorum comparatur. De vitioso autem

D fermento in Evangelio dicitur : *Videte et attendite a fermento Scribarum et Pharisæorum*[22], hoc est, a doctrina, quam inopiam Theologus dicit, quia plebem dehortabantur, ne in Christum crederet, ac per Filii contemptum Patrem quoque ignominia notabant.

Col. 643 C. *Atque illi quidem lugeant* : etc. Dæmones, inquit, lugeant, suis videlicet primogenitis orbati. Nos autem, unctione signati, agnum comedemus. Ac merito unctionem manducatio sequitur. Nam nos quoque, posteaquam Dominum

[19] Psal. cxxxvi, 8, 9. [20] Ibid. 8. [21] Exod. xii, 19 [22] Matth. xvi, 6.

(21) Vide August. lib. ii, cap. 31, *De civit. Dei*, ubi ait septenarium numerum, quia ex toto impare ternario et toto pare quaternario conficitur, ideo sæpe pro universo accipi.

Digitized by Google

nostrum Jesum Christum per baptismum induimus, divinum ipsius corpus accipimus. Verum ea, quæ in Exodo de agno scripta sunt, rursus inspicianus : *Et immolabit eum*, inquit, *omnis multitudo congregationis filiorum Israel ad vesperam* [23]. Et paulo inferius : *Non comedetis ex eo crudum, nec coctum aqua, sed assum igne* [24]. Vespera igitur, utpote diei finis, sæculorum finem adumbrat, quo Christus quoque nostra causa ab omni synagoga mactatus est, atque accubuit sol Creatori suo condolescens. Quin ipse etiam Christus mysticam cœnam vespere discipulis porrexit, ut figuram impleret (juxta legem enim ad vesperam agnus cædebatur), ac crassam peccati caliginem depelleret, illustri et sanctissimo mysterio patefacto. Enimvero sanctam illam escam crudam accipit, qui fidem inertem et frigidam habet, nec eam optimarum actionum pennis instruit, nec Christianam doctrinam per accuratam indagationem attenuat, quandoquidem qui crudos cibos comedit, his concoquendis par esse non potest, imo nec dentibus ullo modo cedit hujusmodi alimentum. Ille autem sacrosanctam escam elixam edit, qui voluptatibus servit. Nam quæ elixantur, varietatem et condimenta desiderant, mollemque vitam ac luxu diffluentem indicant, atque alimentum diuturnam in stomacho moram trahens. At vero assam hanc accipit, qui animi alacritate et probitate excellit, nec obscenæ voluptatis condimenta virtuti admiscet. Nam quod igne torretur, pure ac frugaliter apparatur. Quod enim elixatur, aquæ opera excoquitur, ac proinde perspici non potest, utpote in aqua absconditum : atque etiam aquosum est facileque dissolvitur. Id autem quod torretur, immediate per ignem torretur, atque ob eam causam illuminatur et exsiccatur, atque condensatur. Lex itaque prohibet ne agnus coctus aqua comedatur, hoc est, aquosa et dissoluta de Christo opinio atque sententia, subindicans hujusmodi cibum fide præditis hominibus minime salubrem fore. Veluti si quis Christum natura Deum non esse existimet : hoc enim solidæ et constantis ac provectæ fidei non est : item si eum, ut Deum, omnia quæ velit, facere posse neget. Hæc enim opinio per Spiritus Ignem probata et explorata non est, nec eam, quam conveniebat, speculationem assecuta. Atque idcirco nec compacta nec compressa et solida est, verum e contrario improbata, indiscussa et fluida ac solubilis. Nam qui naturali modo Christi conceptionem ac generationem cæteraque, hujus generis inquirit, is præstantius a deteriori minime distinguit, quemadmodum ignis aurum ab aliis materiis, nec doctrinam ab omni crassa et indigna cogitatione puram ac liberam efficit, sicut ignis similitudo postulat, qui materiam quidem et crassitiem absumit, aurum autem probum et defæcatum reddit. Nam qui humanæ naturæ vestigiis hæret, atque eodem modo factam fuisse Christi conceptionem arbitratur, ut et aliorum hominum, ille quod excellentius est a deteriori non secernit. At nos his, qui agnum torrent, adjungamur, spiritu videlicet ferventes, quemadmodum Paulus hortatur [25].

Ut bonis illis carbonibus, intellectum nostrum accendentibus et purgantibus, ab eo adjuvemur. Brevem illam quidem, sed sententiarum copia refertam Theologi orationem satis admirari ac prædicare nequeo. Papæ, quot Scripturæ locos in hac carbonum commemoratione brevi complexus est! Nam quot apud hunc Patrem dictiones, totidem quoque Scripturæ testimonia numerabuntur. Ac bonos quidem carbones dixit, ut a malis distingueret, quos desolatorios David appellat [26], hoc est, vindices. Quod autem ait : Adjuvemur, hujus verbi ansam ab Isaia accepit, sic loquente : *Habes carbones ignis, sede super eos* [27]. Hi erunt tibi auxilio. Illud autem : Intellectum accendentibus, ex Salomone sumpsit, atque acute et erudite exposuit. Sic enim quodam loco scribit : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, et si sitit, potum da ei : hoc enim faciens carbones congeres in caput ejus* [28]. Hic autem per hos carbones, divinas et spirituales cogitationes intellexit, quæ mentem calore afficiunt atque accendunt. Hanc denique vocem, Purgantibus, adjecit, carbonis illius et Seraphim, atque hinc comparatæ sancto Isaiæ purgationis recordatus. Tales carbones nobis auxilii causa Christus porrigit, dicens : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut ardeat* [29] ? Quo loco ignis, Spiritus fervorem significat, vel spiritualis vitæ acrimoniam et evangelica præcepta, a quibus omnis vitiosæ animæ habitudo in cinerem redigitur atque absumitur, proinde eum quamprimum accendi cupit Dominus, ut beneficium, ac non vindicem et cruciantem.

Col. 646 A. *Quidquid porro carneum et esculentum habet doctrina*, etc. Scriptum rursus est in Exodo : *Et comedent carnes hac nocte assas igne, caput cum pedibus et intestinis* [30]. Theologus autem ab historia ad allegoriam ascendens : Quidquid est, inquit, in fide ac doctrina nostra carneum, hoc est, esculentum, comedetur. Atque ut horum verborum sensum explicemus, hujusmodi quiddam vir doctissimus dicere videtur. Omnis ea divinitatis atque humanitatis Christi doctrina, quæ, ut caro corporeis dentibus, ita spiritualibus cedit, ac si recte intelligatur, animam alere, eique prodesse poteat : hæc, inquam, omnis doctrina, ut in cognitionem nostram cadens, mente comedetur, ipsique accommodabitur, atque ad spiritalem concoctionem distribuetur. Ita fiet, ut qui eam percipiunt, in id, quod perceperunt, commutentur, atque unusquisque ad membri ab eo spiri-

[23] Exod. XII, 6. [24] ibid. 9. [25] Rom. XII, 11. 20. [26] Psal. CXIX, 4. [27] Isa. XLVII, 14. [28] Prov. XXV, 20. [29] Luc. XII, 49. [30] Exod. XII, 8.

Digitized by Google

tualiter comesi locum inducatur. Divini enim agni ac Verbi secundum cujusque membri conceptionem unusquisque pro virium suarum, atque ordinis, gratiæque Spiritus ad se pertinentis, rationis fiet particeps. Verbi gratia, caput ille percipiet, qui ex improbatis principiis fidem, theologicæ rationis doctrinam prorsus missam facientem, consecutus fuerit. Aures autem, qui sermones divinos scite accipit, et per eos ad mortem usque Deo subjicitur. Oculos, qui res creatas spiritaliter considerat, atque omnes doctrinæ sensus, tam litterales, quam allegoricos, omni offendiculo vacantes ad solam Dei gloriam in unum colligit. Jam vero pectoris particeps fit, qui cor suum theologicis speculationibus ac doctrinis implevit. Manum autem, qui nullum opus ex his quæ divino mandato proscripta sunt, ignave ac negligenter exsequitur, verum totam eam vim animæ, quæ in actione versatur, ad divinarum legum expletionem paratam atque intensam habet. Alvi porro, qui genitalem animæ partem perpetuo scaturientem habet, spiritualibusque contemplationibus affluentem, quique ardentissimo atque inexplebili omnisque vitiosi affectus experti Dominici congressus desiderio et amore correptus est. At vero intestina edit, qui abstrusiore mentis conquisitione profunda Dei perscrutatur, atque arcanis mysteriis velut ingurgitatur. Crura autem, qui rationem, ei animæ parti, quæ affectibus agitatur, incumbentem habet, ac veluti superiore loco positam, easque animæ partes in quibus perturbationes exsistunt, imperio tenentem, quique omnem crassum et terrenum motum ab ea evellit. Genibus vero pascitur, qui ad jacentes, et infirma fide præditos, commiserationis affectu de industria se demittit, ac Verbi ad nos dejectionem æmulatur. Postremo tibiis et pedibus vescitur, qui in fide et virtute atque cognitione fixos et immobiles animæ gressus habet. Ad hunc modum ille Agnus Dei ab omnibus edi ac percipi potest, eosque a quibus percipitur, Spiritus opera in sese transmutat. Cæterum hoc observatu dignum est, quod Theologus noster, si quando verbum aliquod obscurius, quam ut a rudioribus intelligi queat, extulerit, illud statim per dilucidius aliud vocabulum interpretari solet : quemadmodum hic quoque facit. Etenim cum dixisset : Quidquid carneum, adjunxit : Et esculentum, perspicuum faciens se carneum esculentum nominare. Rursus cum dixisset : Ex intestinis, protinus liquido ostendit se eo nomine occulta et recondita vocare. Quod autem per carneum et abdita indicare vult Theologus, hunc, ut opinor, sensum habet. Quemadmodum agni viscera interitus absconduntur, carnes autem in exteriori parte sunt : sic etiam in fidei nostræ et doctrinæ dogmatis, alia magis arcana et abstrusa sunt, alia magis obvia et perspicua, non secus atque illic viscera occulta sunt, carnes vero apertæ atque in oculis positæ : Quocirca, inquit, non modo id exequi debemus, quod carneum est, id est, intellectu facile ; verum insuper et abdita mentis, hoc est, mystica illa pervestigare convenit, quæ mens nostra a crassioribus hominibus interim abscondedat.

Possumus etiam fortasse ad hunc modum hæc exponere. Quandoquidem duplicis naturæ Christus est, nimirum Deus simul et homo, faciendum nobis est, inquit, ut non modo conspicuam ipsius carnem intueamur, sed et mentis abdita, hoc est, divinitatis, speculemur. Ac ne caput et pedes (id est, et ejusmodi de ungente divinitate cogitationes, quæ a Deo non abhorreant, et rursus ejusmodi de inuncta humanitate meditationes, quæ humanæ naturæ conveniant, intactos relinquamus. Id autem assequemur, si Christum, a capite quidem Deum sæculis omnibus antiquiorem cognoscamus, a pedibus vero hominem, postremis temporibus factum, ab intestinis denique, quia divina potentia carne tecta atque absconsa fuit. Vel etiam fortasse id caput existimandum est, nimirum scire, quod Verbum, utpote Deus, in principio, hoc est, in Patre et cum Spiritu erat. Pedes autem, illud persuasissimum habere, quod Deus etiam exsistens, judex rursus ad nos rediturus est, humanæ dispensationi atque gubernationi finem impositurus. In fine enim atque extremo totius corporis pedes sunt. Intestina postremo, abscondita illa et veluti media et intestina humanitatis assumptæ doctrina : ut hinc trium temporum complexione sempiternum Christum esse intelligamus, ac per caput quidem in nobis declaretur, quod erat, per pedes autem quod erit, per intestina denique quod semper est. De quo Joannes quoque mihi locutus videtur, cum dixit : *Qui est, qui erat, qui venturus est* [31], principium videlicet ac medium et finem simul complectens.

Psellus. *Quandoquidem mihi quoque post Gregorium historiæ hujus enarrandæ, ac decernendi quo pacto Verbum edendum sit, potestas facta est, subtiliorem, quam ipse fecerit, divisionem proferam, sigillatim membrorum agni mentionem faciens, corporisque figmentum et creationem ad spiritualem speculationem transferens. Caput igitur priorem in agno locum habet, cum suis partibus. Deinde collum vertebris interseptum recta protensione in humeros desinit, a quibus anteriores pedes fabricationem sortiti sunt. Post hos in superiori quidem parte dorsum ac dorsi spina distenditur, in inferiori autem ventris concavum effictum est. Sequuntur posteriores pedes in caudam desinentes. Inter has autem partes sublimius est caput, vel, ut aptius loquar, prosectius ac prominentius. Nam altum et sublime, de hominis formatione prædicari Aristoteles in lib. De partibus animalium asserit. Pedes vero inferius ac circa terram gressum figunt. Hujusmodi igitur*

[31] Apoc. 1, 4.

Digitized by Google

divinus quoque agnus est, ex capite et pedibus constans, id est, divinitate et humanitate, quem partim sola cogitatione dividens, partim uniens, atque comedens, ad animæ susceptionem apte transmitte. Susceptio autem animæ, vis est spiritualium speculationum susceptrix, quæ quidem doctrinam divisu facilem accipiens, spiritusque fervore concalefaciens, atque alterans, eam ad coctionem digerit, in suamque essentiam transfundit. Vertex igitur divini nostri capitis, hoc est, divini Verbi, Pater est, a quo incorporeo atque inexplicabili modo genitus est. Proinde verticem etiam edere debemus, hoc est, intelligere nequaquam productioni corporum hanc generationem similem esse. Item quod ex illo quidem Verbum est, sed non post illum. Postremo, quod quantum ad causam Pater Filio major est. Quoniam autem crines etiam verticem circumtegunt (hoc est, caligo illa a speculatione remota, quæ paternam substantiam obtegit) hos quoque quantum res postulat, dividere necesse habemus, atque ita vim animæ injicere ad ea attingenda, quæ et sermone superiora sunt, et cogitatione. Jam divinas etiam aures agni divini comedamus, nempe, spiritualiter audientes, quod incarnatus sit, quod Verbum caro factum sit. Neque enim Verbum in carnem mutatum esse, nec incorpoream ipsius essentiam in carnem concrevisse prædicamus, verum id quidem mansisse, quod erat, id autem, quod non erat, assumpsisse. Oculos insuper comedamus, spiritualiter cernentes, nec rerum earum, quæ sub aspectum cadunt, corporibus intersepti, verum intellectuali modo in divinas illuminationes penetrantes. Ne superciliorum quidem partem intactam relinquamus, perspicacem scilicet animæ vim obtegentes, ne superne alicunde salsa et amara spirituum aereorum fluxio infusa, oculum ipsum lædat. Quid vero? non etiam nares ipsas attingemus, nimirum divinum unguentum redolentes, quo ipse quoque Dominus ante passionem unctus est? Bonus enim odor spiritualis sumus juxta Apostolum [22]. Omnis igitur speculationum puritas per attrahentem animæ facultatem, quasi per quasdam nares, nobis hauriendæ est : quidquid autem in iis nebulosi et caliginosi est, foris relinquendum, naresque continendæ, ne crassitiem hanc nebulosam attrahant. Ne ori quidem parcamus, quod quidem est fons ille vitæ et immortalitatis, ad quem qui labra admoverit, divinos latices hauriet : verum ad laticem illum nequaquam temerario impetu prosiliamus, sed labia prius distinguamus, ut sic fonti perspicuitas sua constet. Quod vero ad dentes attinet, eam rationem ineamus, ut eos quidem conspicemur, minime tamen confringamus. Quoniam autem fieri non potest, ut Patrem ita dividamus atque intelligamus, quemadmodum divinus hic agnus (idcirco enim in obscura quoque sede dentes collocati sunt, utraque videlicet mala et labiis obtecti) operimenta quidem parce attingamus, ea autem quæ illis operiuntur, supernis thesauris sine ulla perscrutatione relinquamus. Ne cervicis quidem expertes simus, divinum nimirum jugum trahentes : divinos insuper humeros accipiamus, orationibus videlicet iis animum adjicientes, quæ ad perferendos adversos casus hortantur. Corrodendum nobis quoque est cartilagineum illud arteriæ, quæ ad anteriorem partem sita, anhelitum ducit. Hæc porro spiritualem ascensum significat, per quem intellectilem aerem haurientes penetrale animæ perflamus ac veluti circumforemus. Quin totum etiam pectus et thoracem exedamus. Nam hæc pars cor vitale potissimum circumtegit, hoc est, omnem spiritualem speculationem, quæ quidem vel maxime spiritualem cibum excalefacit, atque ad fluxionem mire lubricam et mobilem immutat, talemque reddit, ut in divinos canales, per quos Spiritus irrigatio ad animæ partes transmittitur, facili ductu influat. Ne intestinis quidem ipsis parcamus, verum cor ipsum primum edamus, nimirum propter eum qui salutis nostræ causa seipsum dejecit, cor nostrum, quoad ejus fieri poterit, conterentes et dejicientes, ac principem animæ partem perpurgantes, nec eas ratiocinationes, quæ a terra in pectus ascendunt admittentes. Quoniam autem cor ad vitam minime sufficit, utpote immodico igne redundans, nisi a pulmone perfletur, qui quidem corpus molle atque absumptu facile suapte natura est, pulmonem quoque comedamus, hoc est rationes animam nostrum integram atque incorruptam conservantes. Ventrem etiam ipsum atque intestina accipiamus, simplicem ipsum custodientes, nec ciborum multitudine prementes, a quibus vapor fuliginosus in cerebrum ascendit, ipsiusque membranam tetra caligine implet, atque ab ea rursus oppleta intercutanea mentem nostram tumefaciunt, flatuque discindunt, ac præsertim propter cæcum intestinum, hoc est, perversam cogitationem, quæ hinc impuritatem et immunditiam excipit, animæque vitiosam habitudinem affert. Jam hepar quoque cum simis ac gibbis edamus, nunc super alta et sublimia cupiditatem extendentes, nunc ad ea, quæ inferioris cognitionis sunt, hoc est, ad primas et secundas naturas. Lienem insuper modice ac leniter attrectemus, vim eam, quæ a ratione aversa est, expurgantes, in qua sceleratus dæmon, velut ater quidam humor, insidet, atque occultis et pestiferis seminibus inspersis animæ puritatem inficit. Postremo partem etiam rationis expertem ita instituamus, ut rationis præceptis pareat. Ita fiet ut ne ipse quidem a nobis intactus relinquatur. Atque hæc, quantum fieri poterit, esitantes, animam nostram alamus. Illud vero cavendum, ne in ossa dentes injiciamus. Neque enim ea sine summa difficultate confici possunt, nec in alimentum admittuntur. Quod tamen non ipsorum naturæ, sed nostræ infirmitati tribuendum est. Ossa porro Verbi, arcana illa divinitatis doctrina est, atque assumptæ humanitatis consilia, ita arcana et

[22] II Cor. II, 15.

Digitized by Google

obscura, ut nulla oratione explicari queant.

Col. 646 A. *Nec vero quidquam efferemus*, etc. Hæc quoque de agno in Exodo scripta sunt : *Non efferetis ex domo quidquam carnium foras, et non relinquetis ex eo usque ad mane* [33]. Ex eo porro, quod quidquam foras exportari, lex prohibet, illud docemur, externis, hoc est, fidei nostræ adversariis ac dogmata nostra suggillantibus impertiendum non esse fidei nostræ mysterium. Ex eo autem quod interdicit, ne quid ad matutinum usque relinquatur, hoc nobis significatur, post hanc vitam, quæ noctis ac tenebrarum nomine appellatur, nullam in futuro matutino purgationem reliquam fore. Præsens enim hoc tempus actionis et laboris est, futurum persolutionis. Adhæc differendam non esse, nec in aliud tempus rejiciendam veram atque perfectam mysterii hujus cognitionem, nec iis qui semel illius participes facti sint, committendam esse, ut plenam atque absolutam perceptionem sibi ipsis in nimis serum gratiæ tempus reservent. Id autem faciunt, qui per rudimentariam quidem institutionem Christianæ pietatis dogmata degustarunt, cæterum splendori illi, quem baptismus affert, nimium longas moras producunt, hoc est, ad senectutem rejiciunt. Quare haudquaquam probanda est his, qui veræ doctrinæ participes sunt, hujusmodi dilatio. Verum quemadmodum lex Christi, vult illa quidem præcipue nos omnino non irasci (hoc enim longe tutissimum est) sin autem in eam animi perturbationem prolapsi fuerimus, ut ante vesperam saltem furorem comprimamus (*sol* enim, inquit, *non occidat super iracundiam vestram* [34], temporaliter quidem hic sol sensum movens, qui temporis mensura est : allegorico autem sensu Sol justitiæ. Ille enim iis qui mentis errore afficiuntur, occidit, ut contra optimo ac præstantissimo cuique illucescit) ; ad hunc quoque modum hæc spiritualis esca, id est, Christiana doctrina, in posterum diem minime reservanda est, verum illico admittenda. Porro hæc verba : *Non relinquetis ex eo usque mane*, D. Paulus excellentissime interpretatur dicens, Dominicæ passionis commemorationem a nobis fieri, donec veniat [35], hoc est, nos baptizari debere ac mortem Domini prædicare, quandiu in hac vita sumus. Mors enim Christi in hac nocte, hoc est, in præsenti sæculo commemoratur, in futura autem vita cernitur, nimirum in secunda ipsius præsentia.

Col. 646 B. *Quidquid autem osseum*, etc. Id quoque de agno in Exodi libro habetur. Os non confringetis ex eo, sed quæ residua erunt ex eo, igne comburetis. Quæ verba allegorico sensu ita exponenda sunt. In præceptis divinis eam rationem inire convenit, ut ea quæ prompte ac facile intelligi possunt (hoc enim per carnem significari diximus) non ignave ac veluti coacte consectemur, sed tanquam famelici summa cum aviditate propositis cibis animum expleamus : eas autem speculationes, quarum ratio ab hominum cognitione remota est, velut quærere quæ Dei essentia sit, quid ante rerum creationem erat, quid extra ea quæ oculis cernuntur, quæ eorum quæ sunt necessitas, et quæ in eodem genere posita, a curiosis hominibus inquiruntur, ea soli Spiritui sancto, qui, ut est apud Paulum, Dei profunda scrutatur [36], cognoscenda relinquamus. Idem præceptum nobis Sapientia quoque his verbis inculcat : *Fortiora te ne scruteris* [37], hoc est, ossa Verbi ne confringas ; neque enim opus est tibi occultis. Ea porro, quantum in ipsis est, confringunt hæretici, recta dogmata depravantes ac pervertentes. Atque hic quoque Theologus morem suum retinet. Nam cum dixisset : Quidquid osseum, ad hujus verbi declarationem subjunxit : Quod edi nequit ; idque etiam rursus interpretatus est, subnectens : Nec oculis mentis perviderí. Quæcunque igitur, inquit, dogmata mentis captum excedunt, ac solida et occulta sunt, ea non confringentur (confringentur autem, si male dividantur, hoc est, intelligantur) ; atque adeo nec indignis hominibus ad dijudicationem porrigentur, a quibus distrahentur, non secus atque os, quod canibus projicitur, quemadmodum ait Christus : *Nolite dare sanctum canibus, nec projicite margaritas ante porcos* [38], hoc est, Ne fidei mysteria discerptoribus hæreticis committatis, nec luculentam ac divinam doctrinam iis qui turpium affectuum cœno quasi setis convestiti sunt : verum hujusmodi speculationes et dogmata, quorum firmitas mentem nostram superat, igne absumentur, non materiali, sed divino, quo etiam holocausta consumuntur. Quis autem est hic ignis? Spiritus sanctus, qui in forma ignis ad apostolos accessit [39], qui omnia scrutatur, ac novit. Quonam vero modo solidissima illa dogmata a Spiritu sancto consumentur, id est, intelligentur? nimirum si attenuentur, hoc est, tenuissima et subtilissima atque accuratissima speculatione digna habeantur, atque apud ipsum, attenuantem nempe Spiritum sanctum, serventur et custodiantur, non autem pereant, nec in aquam spargantur, velut ille vitulus aureus conflatilis, qui temere et fortuito in hujusmodi speciem informatus est, ut Judæorum contumaciam duritiamque coargueret. Ob hanc enim causam bovis, et non alius cujusdam animalis forma igne conflata est, quoniam hoc animal et dura carne est, et nervis et ossibus, quemadmodum et Hebræi animo duri. Verum hujus vituli historiam breviter exponamus. Cum Moses ad accipiendas legis tabulas in montem ascendisset, quadraginta dies illic exegit. Interea Hebræi conspiratione adversus Aaronem

[33] Exod. xii, 10. [34] Ephes. iv, 26 [35] I Cor. xi, 26. [36] I Cor. ii, 10. [37] Eccli. iii, 22. [38] Matth. vii, 6. [39] Act. ii, 1 seqq.

Digitized by Google

imita deos sibi petebant, qui in itinere eos præcederent. Qui vim atque audaciam populi pertimescens, aurea mulierum ornamenta ad se afferri jussit. Quæ cum allata essent, in ignem ea injecit, ac statim ex iis vituli forma conflata est atque hunc vitulum vecordes Hebræi divinis honoribus prosecuti sunt. Descendens autem Moses atque ob hanc vituli confectionem ira inflammatus, tabulas illas, quas in monte acceperat, confregit, ac vitulum, quem fecerant, igne combussit, et in minutas partes contrivit, et in aquam dispersit. Atque hæc obiter in mentem Theologo venerunt, occasione accepta ex uno hoc attenuandi verbo. Igitur, ut ad rem redeamus, agni ossa propter hanc causam, quam commemoravi, non confringentur. Dicere enim prætermitto, quod ne historico quidem sensu crura Jesu confracta sunt, etiamsi Judæi ipsius mortem adurgerent. Lex enim dicebat : *Si fuerit in quodam homine judicium mortis, ac suspenderitis eum in ligno, non pernoctabit corpus ejus in ligno, sed eadem die sepelietis eum* [40]. Judæi itaque, ne in cruce corpora remanerent, tum legis edicto permoti, tum quod ea Parascevæ vespera esset, ac Sabbatum illud, quod ab iis religiose colebatur, instaret, a Pilato postularunt ut eorum qui in crucem sublati fuerant, crura frangerentur, ac tollerentur. Milites autem latronum quidem, quoniam eos spirantes adhuc offenderant, crura fregerunt. Cum autem ad Jesum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, ejus crura non fregerunt, ut Scriptura impleretur : *Os non comminuetis ex eo* [41]. Nec vero corporea tantum ratione Christi ossa confracta non sunt, sed ne spiritualiter quidem et allegorice perfringentur : quoniam robur illud, quod in eo erat, invictum permansit, minimeque ad peccatum cessit : imo nec ipsius caro, quia non carnali, sed divino modo, creata esset, corruptionem vidit [42].

Col. 646 C. *Ne modus quidem manducationis*, etc. Ne modum quidem, inquit, manducationis agni prætereamus : quandoquidem nec lex eum prætermittendum censuit, verum etiam, usque ad modum ipsum, narrationem, quæ in littera continetur, accurate et diligenter exposuit, utpote quiddam etiam profundius complectentem, quam ipsius cortex præ se ferat. Hæc enim legis verba sunt : *Sic comedetis eum : Sint lumbi vestri succincti, et calceamenta in pedibus, et baculi in manibus vestris. Comedetis eum cum festinatione, azyma cum lactucis agrestibus comedetis. Pascha Domino est* [43]. Atque hæc legis verba sunt, manducationis, modum præscribentis. Videamus jam quid unumquodque horum significet. Quod igitur festinanter esse comedendum ait, hoc nobis indicat eum, qui agni particeps futurus sit, segnem ac secordem esse non debere, nec in virtutibus remissum ac languidum, verum ita animo affectum, ut prompte et alacriter ad Dei promissa currat, atque eorum quæ retro sunt, oblitus ad ea quæ a fronte sunt, seipsum extendat [44], omniaque hujus vitæ commoda pro falsis ducens, futuram rerum veritatem exquirat ne id in nobis contingat, quod facere vetitus est Lot a duobus illis angelis, quos hospitio susceperat. Hunc enim ita Sodomis fugere jusserunt, ut a tergo non respiceret, nec in omni circumjacente regione staret, sed in montem salutis causa se conferret [45]. Eodem igitur nos modo faciamus. Ne circumspiciamus (curiosus enim ad voluptatem et concupiscentiam aspectus nobis perniciem affert) nec semel ad virtutem currere aggressi, in peccati finibus consistamus, verum ad montem, hoc est, ad virtutis cacumen excurramus, ne forte nos ignis vindex, et a nostro igne alienus, inusitato et admirando impetu ruens arripiat. Nam cum omnis ignis natura sursum feratur, ignis tamen ille, quo Sodomorum urbs conflagravit, pluviæ instar e cœlo deorsum ferebatur. Nec in statuam salis concrescamus, hoc est, salis in modo infatuemur, aliisque in statuam in coargutionem et accusationem ac triumphum proponamur. Tunc autem salis statua quispiam efficitur, cum ad deteriora revertitur, atque ad peccatum, quod pro derelicto habuisse videbatur, perniciosam enim hanc conversionem cunctatio parit. Nam cum circa virtutem procrastinamus, in vitium nos prolabi, atque ad pristinum nostrum vomitum rursum converti necesse est.

Ibid. *Cum lactucis autem agrestibus*, etc. Quod septem diebus panem fermenti expertem edere lex jubet, id nobis documento est, ut omni vitæ nostræ tempore in simplicitate ac puritate vivamus. Per agrestes autem lactucas, vita dura et voluptatum domitrix, atque hujusmodi, ut sensibus difficulter capi possit, nobis significatur. Quandoquidem omnis disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris. Acerba quoque incipientibus ea vitæ ratio est, quæ ad divinæ legis amussim exigitur. Quanquam enim Christum dicentem audis : *Jugum meum suave est, et onus meum leve* [46] ; id tamen non eo dicitur, quod levis sit hæc sarcina, sed præmii ac mercedis ratione talis efficitur. Nec enim *condignæ sunt passiones hujus sæculi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis*, ut ait Apostolus [47]. Et alio loco : *Id quod in præsenti momentaneum est tribulationis nostræ, supra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non spectantibus nobis ea, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporaria sunt : quæ autem non videntur, videntur, æterna* [48]. Hac ratione facilia sunt præcepta evangelica. Alioqui evangelicum legalibus edictis ærumnosius atque laboriosius est. Si quidem lex cuntaxat peccatorum fines prohibet ; at Christus in E-

[40] Deut. xxi, 23. [41] Joan. xix, 31-33 ; Exod. xii, 46. [42] Psal. xv, 10. [43] Exod. xii, 8, 11. [44] Philipp. iii, 13. [45] Gen. xix, 1 seqq. [46] Matth. xi, 30. [47] Rom. viii, 18. [48] II Cor. iv, 17, 18.

Digitized by Google

vangelio causas quoque ipsas quasi fines interdicit. Et sane, qui id quod primum est prohibet, secundum non reliquit; qui enim semen tollit atque evellit prohibet quoque ne seges oriatur : sublatis etenim principiis nihil mali exsistet. Ac proinde qui ea non permittit, sed causam in eodem fere criminis gradu, quo finem, constituit, multo utique magis earum effectus sustulit. Non adulterium committes, inquit lex[49] : ac tu ne concupisces quidem, nec turpi atque obsceno aspectu mulierem perspicies, nec alienæ formæ pulchritudinem curiosis oculis intueberis, ut sedulo atque anxio aspectu amoris flammam accendas. Hæc enim adulterii causa est. Rursus : Non cædem perpetrabis, ait lex[50]; at Christus iram quoque ipsam, ex qua cædes nascitur, interdixit : *Ego enim dico vobis*, inquit, *ut non resistatis malo*, homini scilicet; *sed si quis in dextram maxillam colaphum tibi impegerit, converte illi et alteram*[51]. Rursus : *Dictum est antiquis : Non pejerabis. Ego autem dico vobis, ne a principio quidem omnino juretis*[52]. Ex crebro enim et familiari juramenti usu perjurium oritur. Dictum est rursus per Isaiam : *Væ, qui conjungunt domum cum domo, et agrum cum agro, ut proximo aliquid eripiant*[53]. At in diversum Christus apud Marcum ita loquitur : *Vade, vende quæcunque habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et veni, et tolle crucem tuam, et sequere me*[54]. Quæ loco crux carnalis affectus oppressionem, fœdæque voluptatis abjectionem, et doloris cum virtute conjuncti sensum, animique a terrenis rebus evectionem significat. Totius autem hujus dicti hæc sententia est : Tantum absit, ut alienis rebus manum injicias, ut ea etiam quæ honestis rationibus quæsivisti, pauperibus effundas atque dispergas, ut crucem facile perferas (paupertas enim efficit, ut afflictionis onus leviter feramus), ac pro rebus caducis et sub aspectum cadentibus incorruptibilia et sempiterna bona consequaris.

Col. 647 C. *Jam lumbi, mutis quidem animantibus*, etc. Nunc illud interpretatur : *Sint lumbi vestri præcincti*[55], aitque : Brutis quidem animantibus lumbi, hoc est, pars ea quæ voluptate alitur, soluti sint minimeque compressi ac frenati : quoniam rationis, quæ adversus brutam voluptatem et a ratione aversam imperium habet, expertia sunt, nec judicio perturbationum animi principe gubernantur. Nec enim arbitrii libertate donata sunt, nisi quis dixerit, eorum quoque permulta naturalis ad venereum congressum motus atque impetus modum nosse. Lumbus enim appetitionem cum femina cocundi significat. Tibi autem, qui præter arbitrii libertatem rationis quoque usum accepisti, faciendum est, ut temperantia, veluti zona quadam, turpem et vesanam cupiditatem ac libidinem, quæ per lumbos significatur, constringas. Quam insectans atque proscindens Jeremias, hinnitum appellat, dicens : *Equi, insano feminarum amore exarserunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat*[56]. Etenim ita demum Pascha digne comederis, si voluptuariam earum rerum, quæ in hac vita studiose expetuntur, latitudinem quasi vestem quandam ad pedes demissam et circumfusam, per temperantiam contràxeris ac restrinxeris. Nam quod zona temperantiam designet, locus ille, cui apponitur, satis confirmat. Tum si, juxta Pauli consilium[57], membra, quæ sunt super terram, mortificaveris. Non dixit, corporis (hujus enim membra sunt caput, manus, pedes, et alia hujusmodi), verum ea *quæ sunt super terram*, id est, terreni affectus membra, nimirum scortationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam. Denique si Joannis zonam imiteris. Hanc autem imitatur, quisquis continentiæ ope ac viribus genitalem animæ facultatem reipsa per cognitionem constringit atque ita custodit, ut ad terrenarum rerum congressum diffundi nequeat, id est, qui turpium voluptatum cupiditatem exstinxit. Hoc genitalem animæ vim et facultatem vocat, quam ratio nobis insita, id est, vis rationalis, constringit : atque indissolubilem, hoc est, ad rerum materia constantium amorem minime pronam et proclivem custodit. Joannes enim circa lumbos pelliceam zonam habebat. Pellis porro mortua est, ac rem emortuam designat. Jam vero solitarius dici possit, qui animi habitum ab omni turbulento motu purum comparavit. Præcursor autem, qui per veram et sinceram pœnitentiam, justitiam ipsius asseclam, ac per virtutem in omnium oculis lucentem, propinquum scientiæ adventum prænuntiat. Magnus postremo veritatis præco, qui veritatis doctrinæ, quam voce prædicat per vitæ puritatem fidem astruit.

Col. 647 C. *Sed et aliam zonam novi*, etc. Duplex, inquit, zonæ genus novi, alterum quo tunica immodice expansa restringitur, qua significatione qui Pascha comedunt, lumbos accingunt, hoc est, superfluas cupiditates contrahunt. Alterum militare, a quo in libro Regum quosdam milites invenio euzonos et monozonos vocatos; euzonos quidem, quod leves sint et expediti. Tales enim procul dubio sunt milites qui leviter accinguntur, atque unicam vestem substringunt, ac proinde monozoni frequentius appellantur, ut propter unam vestem zona una utentes. Atque etiam *Jobum* ipsum Deus alloquens, dicebat : Ne, hoc est, ne silentium teneas, verum confirmare, ac strenue responde. Hoc enim significat quod ait : *Accinge ut vir lumbos tuos*[58]. Ergo juxta significationem zonæ militaris David quoque ad Deum ait : *Accinxisti me virtute ad bellum*[59]. Et de Deo verba faciens : *Indutus est Dominus fortitudinem ac præcinxit se*[60], adversus impios scilicet seipsum armans. Nisi forte quispiam dicat his verbis : *Accinxit virtutem*, hoc significari, Deum nequaquam omni

[49] Exod. xx, 14. [50] ibid. 13. [51] Matth. v, 39. [52] ibid. 33, 34. [53] Isa. v, 8. [54] Marc. x, 21. [55] Luc. xii, 35. [56] Jerem. v, 8. [57] Coloss. iii, 5. [58] Job xxxviii. [59] Psal. xvii, 40. [60] Psal. xcii, 1.

Digitized by Google

potentia sua adversus impios usum esse (quis enim eam sustinere queat?) verum ipsius exuberantem ac redundantem copiam compressisse. Ejusdem quoque generis est illud Davidis : *Amictus lumine sicut vestimento* [61], id est induens ac restringens luminis exuberantem copiam, non secus ac vestem quamdam ad talos usque demissam. Etenim potentia Dei et lumen, nisi contrahantur, æque omnibus intolerabilia sunt.

Col. 650 A. *Quæro quid lumbis cum veritate commune sit*, etc. Lumborum explicationem prosequitur Theologus, ac quoniam Paulum audit sic Ephesiis scribentem : *State igitur succincti lumbos vestros in veritate* [62], quærit quid lumbus cum veritate commune habeat, atque id invenit. Quoniam enim in lumbis renes sunt, id est, retro lumbos ad spinam dorsi, circa renes autem pars concupiscibilis sita est, idcirco a loco concupiscentiam lumborum nomine appellavit Apostolus. Rursus quia facultas ea qua contemplamur, circa veritatem versatur, ea quæ vere sunt investigans, ideo ab eo quod quæritur, speculatrici facultati veritatis nomen imposuit. Hoc cum a Theologo animadversum esset, sic interpretatur locum hunc : *Succincti lumbos in veritate*, hoc est, Christi contemplatio lumbum nostrum et concupiscentiam constringit, eamque totam ad rerum divinarum amorem transfusam et derivatam diffundi ac dispergi non sinit. Nec enim qui alicujus rei amore inardescit, erga alia eodem modo affici potest.

Ibid. B. *Jam qui terram sanctam ac divinis vestigiis impressam*, etc. Calceamenta nonnunquam pro vitiosa mortificatione accipiuntur (nam ex mortua quoque pelle ea conficiuntur) interdum etiam pro cautione ac tutela. Nam hæc etiam injuriam a pedibus arcent. Ac Moses quidem in monte audit : *Ne huc accesseris, solve calceamenta de pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, terra sancta est* [63]. Quæ verba hoc nobis significant, eum, qui animam ad contemplationem adjiciat (hæc enim, *Terra sancta est*, in qua Deus per imaginem apparet) mundanas curas, ut mortuas, et infrugiferas, atque aditum ad Deum intersepientes, abjicere debere. Consimili modo is quoque, qui ad prædicandum Evangelium mittitur, et æs, et baculum, et duas tunicas, et calceamenta habere prohibetur [64]. In quo per id quidem, quod æris expers esse jubetur, pecuniarum contemptus docetur : per id autem, quod baculum gestare vetatur, placido atque ab ira alieno esse animo condiscit. Baculus enim animi commoti atque irati speciem præbet. Unde et Apostolus ad Corinthios scribens, dicebat : *Quid vultis ? In virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu lenitatis* [65]? Jam per tunicam vita simplex atque ab omni versutia et improbitate libera designatur. Postremo per id quod nudis pedibus incedere jubentur discipuli, hæc eis doctrina præscribitur, ut nihil mortuum ferant : ut impleatur illud Isaiæ, dicentis : *Quam pulchri sunt pedes annuntiantium pacem et bona* [66], id est, ut gressus eorum qui pacis Evangelium annuntiant, puri ab omni reprehensione appareant. Moses igitur, divinam terram calcans, ac discipulus, qui ad prædicandi provinciam mittitur, vitiosum ac mortuum calceamentum solvat. At qui Ægyptum et Ægypti res fugit, id est, peccatum et ejus fetus, ne hujus vitæ spinis (hoc est, peccatis quæ nudis et imminutis atque incautis pedibus spinarum loco esse queant) offendatur, calceamentorum firmitate pedes communiat. Hæc autem calceamenta nihil aliud sunt, quam vita continens et aspera, quæ spinarum cuspidem perfringit ac conterit, atque impedit, ne peccatum ex tenui et obscuro principio ad interiora sensim illabatur. Nec vero propter spinas duntaxat calceis utatur, sed et propter dæmones, qui callide et scelerate atque occulte insidias struunt, quos magno nu.cro alit peccatum. De quibus in Evangelio ait Dominus : *Ecce dedi, vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones* [67]. Quo loco serpentes fortasse peccata ea dicuntur, quæ perspicue gravia atque atrocia sunt : scorpiones autem ea vitia, quæ quamquam hominum opinione parva videantur, mortis tamen aculeo animam convulnerant atque enecant. Separatim autem in principio Genesis de serpente scriptum est : *Ipse observabit caput tuum, et tu observabis ejus calcaneum* [68]. Homo etenim primum spiritualis serpentis impetum ac mali principium (hoc enim Scriptura caput vocat) cavere atque observare debet : ne forte reliquus corporis tractus caput consequatur : Serpens autem, actionis hominis finem, velut calcaneum, observat, vel etiam finem profectionis ipsius et vitæ.

Col. 650 C. *Jam de baculo atque ejus significatione*, etc. Duplex quoque est, inquit, baculus : alter pecudes ratione utentes pastorum ritu castigans, juxta illud : *Pasces eos in virga ferrea* [69]; alter infirmos fulciens, juxta id quod a Zacharia dictum est : *Adhuc sedebunt senes in plateis Jerusalem, unusquisque baculum habens in manu sua, præ multitudine dierum* [70]. Atque hinc, ut opinor, mutuatus Theologus, superius dixit : Senili more baculum gestantes. At tibi nunc, agnum comedenti, fulciens ac sustinens in manibus sit, ut etiamsi Dei sanguinem et passionem ac mortem audieris, nimirum Verbo per communicationem idiomatum carnis suæ proprietates sibi vindicante, ne mente vacilles, ne impie a rectæ fidei doctrina decidas, adeo ut vel impatibili divinitati passionem tribuas, vel dum hujus patrocinium suscipis, eum, qui patitur, purum hominem esse, nec salutem nobis afferre posse existimes. Quæ enim a puro et simplici homine salus proficisci queat? Nonne audis Salvatorem dicentem :

[61] Psal. ciii, 2. [62] Ephes. vi, 14. [63] Exod. iii, 5. [64] Matth. x, 10 seqq. [65] I Cor. iv, 21. [66] Isa. lii, 7. [67] Luc. x, 19. [68] Gen. iii, 15. [69] Psal. ii, 9. [70] Zachar. viii, 4.

Digitized by Google

Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et bibe-
ritis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis[74]?
Quare, si vitæ cupiditate afficeris, sublata omni
dubitatione veri agni et Dei corpus comede et san-
guinem bibe. Omnem enim vitam suapte vi affert
Verbum, atque illud ex Virgine editum templum,
Verbum verum in seipso habens. Proprium enim
ipsius erat corpus, ac non quasi alienum onus et
sarcina. Quare si ipsa caro assumpta Dei dicitur,
utique et carnis proprietates Dei quoque dicentur.
Ac proinde nec iis quæ de carne dicuntur, fidem
abroga, cum audieris Filium Dei eam assumpsisse,
sibique univisse, atque in sublime evectam deifi-
casse : nec rursus committe, ut iis, quæ de passione
dicuntur, offendaris, cum dicimus Deum passum
esse. Nam eum secundum carnem passum esse
affirmamus, verum ut in proprio corpore. Cæterum
hic quoque eorum, qui agnum comedebant, habitum
serva. Nam quemadmodum illi stantes comedebant :
sic tu quoque fixus et stabilis in veritate sta, fidei
baculo innixus, nec omni vento doctrinæ commo-
vere. In fastigio tuo sta, nec in cogitationes humiles
atque abjectas præcipitem te ferri sine. Dic cum
Davide : *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis,*
Jerusalem[75], hoc est, in Ecclesiæ doctrina ambula-
mus et commoramur, nec quidquam a nostra causa
alienum credimus ac profitemur. In petra pedes firma.
Petra autem Christus est, ac nostra in eum fides
et confessio : cujus beneficio utinam id consequa-
ris, ut recti ac Deo grati tui gressus non mo-
veantur.

Ibid. D. *Quid ais? Itane fixum ac decretum*
est, etc. Nunc Theologus auditorem interrogat,
aitque ad eum : Quid dicis? tu, inquam, qui ea
quæ a Judæis in figura celebrabantur, spirituali
modo facere juberis. Cognosce hæc ita decreta esse,
ut juxta id quod in Deuteronomio habetur ex
fornace ferrea[76], hoc est, ex Ægypto migres. For-
nax porro ferrea est acris et vehemens affectuum
flamma. Plures autem deos colit, non solum qui a
recta fide aversus est, sed etiam qui fœdis volu-
ptatibus servit. Singulis enim singuli dæmones præ-
sunt, ac per eas coluntur. Jam Moses allegorice
Christus est, cujus lex Evangelium, et militare
imperium instructa illa adversus dæmones acies.
Postremo auditorem quidem ad fallendum inducere
vult Gregorius; verum quia fallere Christiano pro-
hibitum est, idcirco præmollit id, quod dicturus est,
aitque : Consilium quoddam tibi porrigam nequa-
quam meum, nec enim nostrum est cuiquam sua-
dere ut fallat : si autem spirituali sensu hanc fra-
dem intellexeris, admodum etiam nos decet ista
fallendi ratio. Nam dæmones decipere, callideque
circumvenire, valde justum est, ac laudandum. At
vero Exodi historiam primum videamus, ac deinde
ad allegoriam nos conferemus: *Et dixit Dominus ad*
Mosem : Loquere clam ad aures populi, et postulet
unusquisque a vicino, et mulier a vicina, vasa aurea
et argentea et vestimenta. Dominus autem dedit gra-
tiam populo suo coram Ægyptiis et commodarunt
ipsis[77], hoc est, ad usum crediderunt. Dixerunt enim:
Simul atque in monte sacrificaverimus, statim re-
vertemur. Nec vero iniqui judicii erat, ne juxta
historiam quidem imperare iis qui diuturnis labe-
ribus afflicti fuerant, ut Ægyptios spoliarent, sed
admodum etiam integri atque incorrupti judicis,
æquum esse pernuntiantis, ut operarius alimento
fruatur. Allegorico autem sensu per Ægyptios dæ-
mones intelligi possunt, per vasa autem aurea et
argentea divitiæ nostræ, quæ ex variis materiis
conflantur, quarum ipsi domini sunt, nobis impostu-
ræ earum dispensatoribus utentes, easque expen-
dendas committentes, in quos usus imperaverint.
Ergo cum a flagitiosa vita excedis (id enim Ægy-
ptum significare existimandum est), eas utendas
roga, alienas quidem utpote secundum dæmonum
consilium administratas : tuas autem, ut divino
munere tibi concessas, ut eas, quemadmodum opor-
tet, dispenses. Comitabuntur te porro pecuniæ,
cum Deo per pauperum manus offerentur. Exemplum
Israelitarum sequere, et quemadmodum illi cum
multos annos Ægyptiis serviissent, nec servitutis
mercedem aperte flagitare possent, arte at dolo
petitionem suam prosecuti sunt, Deo nimirum hoc
suadente : eodem modo tu quoque spirituali Pha-
raoni serviisti, circa terram terrenarumque rerum
studium teipsum occupans (quæ non abs re late-
ritia opera nominantur) ac propterea tibi merces
debetur. Quocirca Ægyptios dæmones spolia, recte
spargens, quæ male accumulasti. Esto sane, ipse
quoque fateor, graves ærumnas pertulisti cum
hoc luteo corpore colluctans, atque ædes erigens,
alienas quidem, quia te exstincto alii eas posside-
bunt, caducas autem, quoniam ex materia caduca
et fragili exstructæ sunt : quibus corruentibus
memoria quoque una cum ea fama, quæ ex illis
excitabatur, perit. Id quod de civitatibus Scriptura
dicit, hoc est de domibus quas quidam exstruunt.
Sonus enim est exstructorum fama et memoria. Nam
cum ædes collabuntur, domini quoque nomen una
obruitur[78]. Hoc enim opinor significat, cum sonitu.
Quandoquidem igitur misera servitute afflictus es,
cur gratis et sine quæstu egrederis? Cur dæmoni-
bus ea relinquis, in quibus nihil illis juris est? Dei
enim sunt omnia, dicentis per Aggæum : *Meum est*
aurum et argentum[79], ac per Danielem adjicientis :
Et cui volo, do ea[77]. Heri dæmonum erant (nimirum
cum male administrarentur), Deo ita permittente.
Hodierno die ea Dominus tibi porrigit, ut his ad
salutem utaris, reconciliata tibi nimirum pauper-
rum amicitia ex mammona iniquitatis. Mammona
autem opes sunt iniquis rationibus quæsitæ. Qui

[74] Joan. VI, 54. [75] Psal. CXXI, 2. [76] Deut. IV, 20. [77] Exod. III, 22; XI, 2; XII, 35, 36. [78] Psal. IX, 7.
[79] Agg. II, 9. [77] Dan. IV, 14.

Digitized by Google

in numero ea quoque ponenda sunt, quæ usum ac necessitatem excedunt. Superflua enim sunt pauperum. Quin per Ægyptias etiam opes moralis et naturalis, et ea quæ in disserendo versatur, philosophia designari potest, atque omnes illæ disciplinæ, in quarum studium incumbunt qui ab Ecclesia alieni sunt. Eos igitur, qui liberam vitam per virtutem consectantur, externas quoque doctrinæ opes sibi comparare jubet Theologus, atque ab alienigenis, quantum ad finem attinet, mutui nomine acceptas possidere, ut in tempore profuturas, nempe cum res ita nata fuerit, ut spiritualibus hisce opibus Ecclesiæ arca exornanda sit. Jam vero per tres illas civitates Phiton, Rhamesses et On, quas Hebræi Pharaoni ædificarunt, nonnulli tres has cogitationes significari existimarunt, nimirum libidinis, avaritiæ atque ambitionis : ex quibus peccatum omne conflatur. Harum civitatum memoria eversionis non in abscondito atque occulto futura est, sed cum sonitu, id est, exaudibilis, ac quoquo gentium pervagabitur.

Col. 651 B. *Si Rachel quædam es*, etc. Rachel a patre suo Laban discedens, idola ipsius furata est [73]. Cum autem Laban fugientes persecutus, ac Liam et Jacob et pedissequas scrutatus, ipsam quoque, quæ ea in stramenta cameli injecerat, et super ea sedebat, scrutari pararet, dixit Rachel : *Ne moleste feras, domine, non possum tibi assurgere, quoniam juxta consuetudinem mulierum est mihi* [74]. Theologus autem Liam ut furti consciam cum Rachele collocavit. Verisimile enim est eam furti sororis expertem atque ignaram non fuisse, id tamen tectum habuisse. Porro Lia Hebræis *laborem* aut *laborantem* sonat, ac proinde ad actionem accipitur, priorque cum Jacob matrimonio jungitur. Rachel autem idem est quod *pascens*, aut *quæ pascitur*, ac *contemplationem* designat; atque hanc Jacob post Liam in uxorem accipit. Actio enim contemplationis est fundamentum. Rachel igitur est, omnis anima contemplationis studiosa, quæ lege Dei, velut agna, pascitur, et secundum legis divinæ præscriptum suos motus regit, carnisque cogitationes et affectus virtutis procreationi primum subjicit, atque ita post introitum ad cognitionem omnino abolet. Lia vero anima omnis actionem amplectens, quæ virtutis causa laboribus premitur, quam, quisquis ad divinæ philosophiæ studium animum adjicit, primam fere sibi contubernalem asciscit. At per sapientem Israelitam nobis mens contemplationi dedita indicatur, quæ sæculi hujus cogitationes atque inventiones ad cognitionis terram transvehit, non secus atque Israelitæ aurea et argentea Ægyptiorum vasa Hierosolymam transtulerunt. Jerusalem vero, si quis interpretetur, *pacis visionem*, aut *gratiæ spiritum* significat. Laban itaque mundus hic commode dici queat, idola autem ejus fœdæ et perturbatæ cogitationes ac terrenæ rerum imagines. Quare si quis hunc mundum ut patrem amavit, ac deinde per actionem et contemplationem Christo adjunctus, mundum propter vitæ consuetudinem cum Christo initam abjurare velit, ille patris idola surripiat, id est, turpes et crassas rerum species, quas mundus objicit, ab anima expellat, ac primum quidem virtutis fecunditati eas injiciat (quandoquidem et Rachel sellæ cui insidebat, idola supposuit), postquam autem ex diuturno labore in comprimendis affectibus exhausto, ad animi tranquillitatem, aut cognitionem pervenerit, tum demum vitiosas impressiones, hoc est, cogitationes prorsus evellat ac de medio tollat. Laborem autem hoc loco studium illud atque operam vocat, quæ in abolendis carnis affectibus suscipitur, quandoquidem ipsa quoque Rachel, Sichimis in Bethel perrectura, patris idola in terram defodit. Sichima porro Hebræorum lingua *humerum* sonat (qua dictione labor ille designatur, qui in domandis affectibus exantlatur : humerus enim, fortitudinis et laboris est symbolum), Bethel *domum Dei;* Deus enim in tranquillitate et vacuitate ab affectibus, ac scientia habitat. Verum ita quispiam crassas et perturbatas hujus sæculi cogitationes surripit, non ut iis fruatur, sed ut eas perdat ac deleat, quemadmodum et Rachel patris idola furata est, non ut ea coleret, sed ut in terra, velut obscena et pudenda atque oblivione digna, occultaret. Sapiens etiam Israelitis dici possit, qui omnem cogitationem Christo in captivitatem redigit ac profanam eruditionem, quasi præclarum quoddam viaticum, secum effert, eamque ad ædificationem Ecclesiæ Dei transvehit, maximumque diabolo dolorem ex eo inurit, quod externas disciplinas, quibus alienigenæ, hoc est, a recta fide aversi homines, mirifice gloriantur, ipse Deo consecrarit, Ecclesiamque decorarit, atque ipsum malitiæ artificem arte deluserit, quippe qui in gentilium studiis et disciplinis magno cum labore versatus, cum idcirco impurum illum spiritum in eam opinionem adduxisset, ut per eas ipsum juris sui mancipiique factum esse existimaret, non tamen ab iis detrimenti quidquam acceperit, quin potius hujusmodi eruditione, tanquam materia quadam, ad optimas res usus sit, tyrannique stultitiam atque inanes spes prodiderit, qui homines artibus ipsius ac technis superiores et sublimiores servitute oppressurus sibi videbatur. Possunt hæc etiam de divitiis in sensum cadentibus exponi. Nam qui ex Ægypto, id est, ex hoc mundo divitias suas per manus pauperum ad terram promissionis, hoc est in cœlum, transvexerit, is procul dubio sapiens Israelita est : ac diabolus excruciatur, videns, ubi thesaurus conditus est, illic quoque et cor ejus esse, qui condidit.

Col. 651 C. *Hoc si feceris, atque ita ex Ægypto*, etc. Historia de fluvio, et sole, ac luna, et muris, in libro Josue continetur : reliquæ in Exodo. Scriptum est enim quod, cum Judæi ex Ægypto

[73] Gen. xxxi, 19. [74] Ibid. 35.

Digitized by Google

egressi fuissent, Deus eos præcedebat, interdiu A quidem in columna nubis viam ipsis commonstrans, noctu autem in columna ignis : nec destitit columna nubis in die, nec columna ignis in nocte plebi universæ prælucere; desertum autem erat in Anathom haud longe ab Ægypto, per quod Judæorum copiæ iter fecerunt. Anathom autem nostra lingua *responsum* significat. Judæi enim ita propinqua Ægypto castra habuerunt, ut ipsorum quoque voces propemodum exaudiri, atque e propinquo responsa dari possent. Rursus aquam divisit Dominus : et ingressi sunt filii Israel per medium maris Rubri : Pharao autem reversis aquis cum toto suo exercitu obrutus est. Sequitur historia de manna, et petra percussa, et de rege Amalecitarum, qui dum transitum Hebræis præcludere nititur, fusus ac profligatus est, Josue quidem exercitum ducente, Mose autem preces fundente ac per manuum extensionem, quas Hur et Aaron utrinque suffulciebant, crucem figurante. De fluvio Jordane habes Josue III; (22) de muris urbis Jericho, cap. VI; de cursu solis ac lunæ inhibito, cap. X. Jam de crabronibus ita scriptum habetur Exod. XXIII, 28 : *Mittam crabrones ante te*, etc. Et in libro Sapientiæ : *Misisti præcursores exercitus tui crabrones, ut impios paulatim exterminarent* [75]. Sed jam omnes has historias allegorice exponamus. Columna igitur nubis, ut Paulo quoque placet [76], Spiritus sanctus est, qui homines in turbidis animi motibus comprimendis laborantes inumbrat ac refrigerat, ac solis in malam partem accepti æstum atque ardorem a nobis arcet, a quo etiam semina illa petris mandata exsiccantur. De quo in Psalmis quoque dicitur : *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem* [77]. Columna ignis rursus, vel Spiritus sanctus est, qui ad apostolos in ignis forma accessit [78], vel etiam ipse Christus, qui columna quidem ob tripartitam corporis dimensionem dicitur : ignis autem, propter divinitatem : *Deus* enim *noster ignis consumens est* [79]. Hæc itaque ignis columna in erroris nocte vagantes ad veritatem ducit scientiæ nimirum facem præferens. Desertum autem mitescens anima est, quæ prius quidem silvestris erat atque invia, nec fructum ullum probi alimenti ferebat, postea vero spiritu lenitatis mansuefacta, ac per divinum accessum D exculta, fructus protulit. Jam mare quod scinditur, affectuum tempestas est, ac fluctuantis et procellosæ hujus vitæ amarulentia. Pharao autem submersus, atque Amalec bello oppressus, diabolus est. Arma, divinum auxilium; manus, actiones; panis, spiritualis esca. Petra, Christus, ex quo aqua vitæ manat. Fluvius qui inhibetur, libidinis profluvium. Sol stans, Sol est justitiæ. Atque o beatum hominem, qui toto die, hoc est præsentis hujus vitæ spatio, cum in seipso nequaquam occidentem retinet, nec vitii atque ignorantiæ vesperæ circumscriptum, ut impuros et sceleratos dæmones impetum in se facientes legitime frangere, atque in fugam convertere queat. Luna quæ retinetur, mutabilis nostra natura est, quæ in sanctis viris fixa et immota permanet, propter virtutis habitum mutationem non admittentem. Muri qui dejiciuntur, malitiæ præsidia sunt, atque omnis altitudo, quæ adversus Deum extollitur. Crabrones præcurrentes, divinæ quædam potentiæ sunt, nobis succurrentes, atque in dæmones hostes nostros incursantes. Ac ne longius sermonem protrahamm, non ea solum, quæ commemoravi, ex Ægypto egrediens, divino beneficio consequeris, sed etiam alia, B quæ posthæc, id est deinceps, historiæ sacræ prodita sunt : et cum his. Uno enim historiæ contextu hæc et illa continentur.

Col. 651 D. *Ac tale est festum*, etc. Hujusmodi, inquit, festum celebras, non secundum corpus, hoc est fœdis voluptatibus indulgens, ut gentiles, nec secundum litteram et simpliciter, ut *Judæi* : sed perfectum ac spirituale Deoque gratum. Talis tibi mensa proponitur antiqua et varia *historia* referta, mentemque oblectans. Tale comedis tua causa dispensatum Christi Natale, tale *enim epi*taphium. Tale a te intelligatur Paschatis mysterium, quale oratio nostra ob oculos posuit, nimirum quod et agnus est Christus, ut *innocens*; et C hircus, ut propter peccata nostra traditus; deinde quod in præsentia Christi mysterium positum, ac velut præsignatum, atque ante sæcula decretum esset. Tum quod idcirco decima die agnus acceptus, atque quod ad vesperam mactatus esse dicatur, quia in fine sæculorum Christo mors contigit : quodque ideo nocte una carnes absumantur, quia mortis Christi tempus unicum est, ac semel mortuus, non ultra moritur. Item quod eos, qui agni participes fiunt, ab omni vitio et dolo velut fermento quodam alienos esse, ac pro Christi amore afflictionum acerbitates et amaritudines perferre oportet, et expeditos esse atque succinctos, ac morienti Christo velut comites se adjungere, et cum eo ex hac vita mundanisque negotiis excedere, D atque usque ad posteram auroram domi manere, hoc est, virtute non discedere, quoad futura *dies* præsentiæ Christi illucescat. Nox enim tota hæc vita est. Hæc, atque hujusmodi, Pascha mystice designat, quæ lex quidem adumbravit, Christus autem absolvit. Ipse enim is erat, quem hæc ad verorum colorum expressionem desiderabant, ut quæ nihil aliud essent, quam umbræ earum rerum, quæ ab ipso gerendæ erant. Quonam autem modo iis extremam manum addidit? Quoniam sublatis

[75] Sap. XII, 8. [76] I Cor. X, 1 seqq. [77] Psal CXX, 6. [78] Act. II, 1 seqq. [79] Deut. IV, 24.

(22) *Habes Josue.* Has omnes historias interpres Græcus fuse prosecutus est. Nobis loca Scripturæ adnotasse satis fuit. Notissimæ enim sunt hæ historiæ.

Digitized by Google

atque antiquatis liberalibus sacrificiis, spiritualia sacrificia numeris omnibus absoluta tradidit, nimirum cum novæ cœnæ mysterio suos initiavit, dixitque : *Hoc facite in meam commemorationem* [80]. Nec enim jam agnum habemus, nec acerbas lactucas, panemque fermenti expertem, verum pro agno ipsum Christum, illum, inquam, Agnum Dei, tollentem peccata mundi, quem lex delineavit, Isaias indicavit, Joannes demonstravit : pro azymo autem pane, et lactucis acerbis, purissimam in Christo vitam, quæ non sine acerbitate afflictionibusque obtinetur. Ob eam enim causam Christus ex passione ad gloriam pervenit, ut ex eo quidem, quod passus est, nos quoque doceat, dolores atque afflictiones pietatis causa subeundas esse : ex eo autem, quod gloriam adeptus est, id nobis afferat, ut in eadem cum eo gloria simus. *Si enim compatimur*, inquit Paulus, *et conglorificabimur* [81].

Col. 654 A. *Enimvero alienum non fuerit rem ac doctrinam inquirere*, etc. Hoc loco magnum quidpiam inquisiturum se profitetur, idque rem vocat, utpote gestam, doctrinam autem, ut opinabilem, hoc est, opinionem quamdam et sententiam de se nobis afferentem. Exhaustus enim, inquit, pro nobis ille sanguis Christi (qui et Pontifex dicitur, ut nos Deo sistens atque concilians, et sacrificium, quia oblatus est) cui tandem datus est, et quam ob causam? Neque enim illud dubium est, quin nos captivi a diabolo teneremur, venundati sub peccato, quemadmodum ad Romanos scribit Apostolus [82], ab Isaia mutuatus [83]. Simul enim atque Dei legem libera voluntate violavimus, atque impetum diaboli admisimus, protinus aditum ipsi aperuimus, peccatum videlicet ex nobis adjicientes, ac vitium cum voluptate permutantes; jucunda enim ipsius perpetratio esse videtur. Quod si is, qui captivos detinet, redemptionis quoque pretium accipere debet, quæro cuinam sanguis Christi oblatus sit diabolo? Atqui hoc extremæ contumeliæ fuerit, si diabolus tale pretium talemque mercedem acceperit, nempe Deum ipsum, ob quem omnino par erat, ut latro ille nobis quoque parceret. An Patri datus est? Atqui nequaquam ab eo tenebamur. Alioqui etiam quæ est hæc ratio atque explicatio, ut dicamus Patrem Filii sui sanguine delectari, qui ne cædem quidem Isaac patrari permiserit, sed pro eo arietem mactandum substituerit? Quæ igitur quæstionis hujus solutio? Dicendum Patrem quidem accepisse, non tamen quod petierit, aut opus habuerit, sed propter dispensationem. Constitutum enim fuerat, ut pro nobis Christus moreretur, ut per carnis assumptæ sanguinem (hoc enim humanitatem vocat) generis humani natura sanctitatem consequeretur, atque ut Pater nos redimeret, tyranno per vim superato. Vis autem, proprie quidem potentiæ exuberantiam significat : hic tamen juris præcellentiam, Pater enim diabolum condemnavit, ut qui Filio suo injuste mortem procurasset. Mors enim peccati pœna est; Christus autem nunquam peccavit. Ac proinde ita condemnato tyranno Pater nos liberavit, atque ad eum per Filium subvecti sumus. Nam is medius interpositus viam nobis complanavit et commonstravit, atque in Patris honorem hoc dispensavit. Homo enim factus est, et passus est, et sanguinem Patri obtulit, ut Pater hostem condemnaret, nostrique generis liberator magis appareret, etsi Filius præclarum hoc facinus patravit. Passim enim in Evangelio Patrem honorans, egregia sua facta ei ascribit. Illud autem notandum quod, cum hæc dictio, λύτρον, duas proprietates habeat, alteram quia eos, qui captivi tenentur, in libertatem asserit, alteram quia ei, a quo tenentur, pretium persolvi necesse est, hoc loco pretio huic, quod Dominus redimendi nostri causa persolvit, altera proprietas adfuit (captivos enim liberavit), altera defuit. Nec enim diabolus hujusmodi pretium accepit, absit : verum Pater, propter Filii concertationem nostræ salutis causa voluntarie susceptam. Illud quidem pravus spiritus in spe habuit, sed pro ea spe totius imperii eversionem accepit.

Ibid. Psellus. Rem et doctrinam (*Gr.* πρᾶγμα καὶ δόγμα). *Res est, quæ cum geritur, nullam contradictionem spectatoribus præbet. Nam quod delphinus per aquas labatur, res est in opinionis varietatem minime cadens. Neque enim aliis natare videtur, aliis secus. At quod ita geritur, ut interim variis spectantium aut intelligentium opinionibus dividatur, hoc præterquam quod geritur, etiam decernitur. Dogma enim est rei dubiæ et controversæ post accuratam inquisitionem pronuntiata sententia. Quemadmodum Platonem animam immortalem astruere ac decernere dicimus : quandoquidem Simmias et Lebes aliter de ea sentiebant, nimirum harmoniam quamdam esse asserentes, una cum corporibus dilabentem : alii etiam de ea aliter opinati sunt.*

Ibid. B. *Ac de Christo hæc nobis dicta sint*, etc. Hæc, inquit, de Christo, et rebus ab eo præclare gestis dixisse sufficiat : atque iis etiam plura silentii honore prosequemur, prætereunte videlicet oratione, tum ne nimia prolixitate audientibus fastidium pariamus, tum quia temporis angustia premimur, tum etiam propter difficilem ac perobscuram tantorum mysteriorum explicationem. Ænei autem serpentis historia scripta est in libro Numerorum. Nam cum multi ex filiis Israelis ob murmurationem a serpentibus icti perirent, tandem Deus Mosis precibus mitigatus, ad eum dixit : *Fac tibi ipsi serpentem, et pone eum in signo*, hoc est in ligno. *Et quisquis percussus eum aspexerit, vivet* [84]. Illud porro *Fac tibi ipsi*, hoc ostendit, quod quoniam ex iis quæ fiebant, alia

[80] Luc. xxii, 19; I Cor. xi, 24. [81] Rom. viii, 17. [82] Rom. vii, 14. [83] Isa. lii, 1 seqq. [84] Num. xxi, 8, 9.

Digitized by Google

Dei ratione fiebant, alia ratione hominum, hoc loco : *Tibi ipsi*, ratione Mosis, et totius multitudinis eodem genere oriundæ dictum est. Age, jam quasi ex figura ad nos veniamus. Deum enim nos quoque offendimus, atque adeo in spiritualium serpentum morsum incidimus, qui per omne peccati genus nos ferientes morte afficiebant. Quonam autem modo salutem consecuti sumus? Aspeximus etiam ipsi serpentem in ligno, hoc est Christum, ipsumque intuentes atque in eum credentes, salutem nanciscimur. Verum qua ratione Deus, qui natura bonus est, serpens dicitur? Quoniam juxta nos, libera voluntate malos, per similitudinem carnis peccatum factus est, et cum iniquis reputatus est [85]. Serpens igitur Christus est, velut in similitudinem peccati, quia homo factus est. Atque ob eam causam ad eum, qui purum hominem eum esse arbitrabatur, dicebat : *Quid me dicis bonum* [86]? Enimvero serpens ille æneus vere serpens non erat, sed figuram quidem serpentis habebat, venenum autem non habebat. Eodem modo Christus, quatenus peccati venenum non habebat, non erat unus e nobis, qui serpentis formam subiimus. Omne etenim peccatum serpens vere est, et qui ipsum admittit, serpens quoque ipse efficitur. Quin hac quoque causa serpens, quem in crucem Moses sustulit, figuram Christi gerit, quoniam quemadmodum corporeus serpens, non solum venenum habet, per quod, qui ab eo icti fuerint, exstinguuntur, sed etiam vitæ pharmacum, quo accepto, qui percussi fuerunt, ad vitam revocantur : sic ex interempto Adamo homini medicamentum inventum est, quod est Domini corpus, cujus vi omne peccati virus a credentibus aboletur. At Theologus serpentem æneum Christi typum haudquaquam esse censet (neque enim fas ac pium est perversum spiritum Christi typum vocare), verum antitypum, hoc est contrariam figuram. Etenim serpens a principio homini exitium attulit; Christus autem postea salutem. Ille in errorem induxit, hic viam commonstravit. Illic serpens verus non erat, hic homo verus. Adhæc ille eadem forma præditos serpentes interemit : at Christus genere sibi conjunctis hominibus vitam affert. Præterea Christus salvos eos facit, qui credunt ipsum vivere, ac vitam esse credunt : at diabolus salutis causa iis est, qui ipsum intuentur, si modo crediderint, non quod ipse vivat, sed quod per crucem oppressus atque exstinctus sit, duntaxat quantum ad tyrannidem : atque etiam subditis sibi rebellibus potestatibus interitum accersivit. Nam Christus, obtruncato duce, illius quoque exercitum profligavit. Illud igitur notandum, quod serpens hactenus Christi figuram gerebat, quod in ligno penderet, aliis autem omnibus rationibus figuræ contrarius, hoc est; figura non simpliciter, sed cum contrarietate, ut superius declaratum est. Quoniam igitur pravus spiritus exstinctus est, age ei congruum epitaphium contexamus, ac cum Osea dicamus, *Ubi est, mors, stimulus tuus? ubi est, inferne, victoria tua* [87]? Diabolus enim mortis minister est : mors autem Orci ministra. Diabolus siquidem per peccatum sauciatos morti tradebat : mors autem interfectos ad Orcum transmittebat. At nunc Theologus inferni et mortis nomine diabolum vocat, ut utriusque causam. Aculeus autem illius, peccatum est, ac voluptatis œstrum : victoria, fraus; quibus rebus nos sub imperium suum ac potestatem redigere Belial contendebat. Verum utrumque per Christum deletum est. Peccatum enim non fecit, nec a tentatore delusus ac circumventus est. Quin potius tentator ipse cruce Christi convulneratus est, atque interfectus, quantum ad tyrannidem attinet, ac per æneum et inanimum serpentem ignominia notatur. Ille enim in ligno confixus ac triumphatus tentatorem præsignabat, qui per salutiferum et vitale crucis lignum interemptus est, atque ita serpentis formam retinet, ut tamen nihil eorum, quæ serpentis sunt, agere valeat, saltem in Christo. In eo enim omnis draconis vis et facultas in irritum cessit.

Col. 654 C. *Jam vero Paschatis participes erimus*, etc. Triplex Pascha in medium producit Theologus, Judaicum, nostrum et futurum. Ac Judaicum quidem figuram nostri esse dicit, nostrum autem futuri : Judaicum porro nostro obscurius esse, nostrum vero, si quidem cum Judaico conferatur, perfectum esse, si autem cum futuro comparetur, imperfectum. Cujusmodi autem sit futurum Pascha, sequentibus verbis docet. Quod vero ait, non enim dicere verebor, hoc ideo addidit, quia novum atque absurdum videri poterat, Pascha nostrum figuram dicere. Perfectiore autem modo in altera vita Paschæ participes erimus; quia nunc in spe resurrectionis nostræ festum celebramus : tunc autem eam ipsam celebrabimus, cum nimirum ipsius quoque pollicitatio expleta fuerit, quam fecit his verbis : *Non bibam amodo ex hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum vobiscum in regno Patris mei* [88]. Quo loco nonnulli doctores per regnum Christi resurrectionem intellexerunt, per novam autem potionem escam illam quam accepit, cum a mortuis resurrexisset. Nova enim ea erat, quia non, quod cibo opus haberet, comedebat, sed ut corporis naturam confirmaret, resurrectionisque suæ fidem discipulis faceret. At Theologus regnum, futuræ illius vitæ statum interpretatur, novam autem potionem, absolutiorem erudiendi rationem. Atque hoc est Pascha, nimirum eo tempore arcana, tam divinitatis, quam humanitatis ipsius mysteria dignis hominibus im-

[85] Isa. liii, 5. [86] Matth. xix, 17 [87] Osee xiii, 14; I Cor. xv, 56. [88] Matth. xxvi, 29.

Digitized by Google

pertiri. *Ex parte* enim *nunc cognoscimus*, ut Apostolus inquit [90]; *et ex parte percipimus : tunc autem facie ad faciem*, hoc est clare et manifeste. Hac quoque ratione Pascha hoc nostrum futuri Paschæ figura dici potest, quia quandiu in hoc mundo versamur, crassius adhuc Christi participes sumus, nempe per sanctam ipsius carnem : illic autem uberius ac perfectius. Alioqui etiam passionis ac mortis Christus commemorationem complectitur carnis ipsius ac sanguinis perceptio. *Quotiescunque enim*, inquit, *manducatis panem hunc et calicem bibitis*, mortem meam annuntiabitis [90]. Quocirca in hoc quidem sæculo, per eorum, quæ diximus, perceptionem, ipsius mortem annuntiamus : cum autem postea in Patris gloria advenerit, haudquaquam opportune confessionem illi propter passionem offeremus, sed pure eum, ut Deum, agnoscemus facie ad faciem, ac tunc potionem novam Christus nobiscum bibet : novam quidem, utpote recentem, ac tum primum nobis innotescentem. Nobiscum autem Christus bibiturus est, quia non solum is qui docetur, sed is etiam qui docendi munere fungitur, disciplinis, quas tradit, nutritur. Potio autem illa est ac non esca, quoniam ut virtus illa, quæ in actione versatur, esca dicitur, quo durior sit, confectuque difficilior : ita illa, quæ in contemplatione consistit, potio magis appellari solet. Cum igitur hic virtus activa finem acceperit, tum vero speculatrix coletur atque exercebitur, atque ea sanctis viris clarius detegentur, quæ nunc Christus minus plene ipsis aperuit.

Col. 655 A. *Age vero, nos quoque legis participes efficiamur*, etc. Legis participes nos vult esse Gregorius, cum alia, tum Pascha etiam sancientis, et quidem participes esse, non, ut Judæi, nudæ litteræ adhærentes, hoc est, agnum sensibili modo comedentes (illi enim imperfecte manducabant, figurate ac non vere festum celebrantes) verum, ut præscribit Evangelium, hoc est, corpus ac sanguinem Domini percipientes. Evangelium autem perfectionem tradit. Quocirca pro capite ac metropoli cœlum constituamus, ut Hebræi Jerusalem, ad quam solam undique confluentes festa celebrabant. Quod autem terrena Jerusalem ab exercitibus calcanda esset, Christus apud Lucam his verbis prædixerat : *Et Jerusalem calcabitur a gentibus* (hoc enim nomine exercitum illum significat, qui sub Vespasiano et Tito Hierosolymam infestis signis oppugnavit atque pervastavit) *donec impleantur tempora nationum* [91]. Sacrificemus Deo, non ea quæ ex legis præscripto offerri solebant, utpote vitulos, agnosque teneros cornua producentes et ungulas, quæ duo, cornua videlicet et ungulæ, res mortuæ sunt ac sensu carentes, ac proinde haudquaquam congruæ atque idoneæ, quæ Deo vivo in sacrificium offerantur : verum cum angelis incruentam victimam, hoc est laudis et canticorum, et rationabile obsequium sacrificii loco offeramus. Et quemadmodum in veteri tabernaculo primum erat ingressuro velum, quo distinguebatur locus ille, qui Sancta dicebatur, post hoc rursus alterum velum erat interius, quo locus ille dirimebatur, quem Sancta sanctorum appellabant : sic nos quoque res omnes corporeas et in sensum cadentes, velut primum quoddam ac vicinum nobis velum, penetremus ac dividamus, atque ad secundum, hoc est ad cœlum, quod res sensibiles dirimit ab intellectualibus, accedamus. Propinqui autem cœlo facti, per activæ virtutis pennas a rebus terrenis sursum evecti, in ipsum quoque cœlum prospiciamus, atque contemplandi facultate præditis oculis, mysticas, nec in oculorum sensum cadentes pulchritudines contemplemur, ad ipsam Trinitatem scilicet spiritualiter appropinquantes, atque agni sacrificium offerentes, hoc est sacrosanctum illud sacrificium, quod celebrare docemur, vel etiam majus : nimirum ut nos ipsos Deo totos offeramus et consecremus, omnibus diebus atque agitationibus (quæ quidem vel in cogitatione, vel in sermone, vel in opere considerantur) atque omnia pro Christo, vel etiam pro pietatis doctrina (utrumque enim λόγος significat) sustineamus, ad martyrium videlicet nos accingentes, si ita tempus tulerit, et crucis supplicium subeuntes, si ita necesse fuerit. Dulces enim sunt clavi, propter Dominicorum clavorum imitationem, et delectationem in spe positam, licet propter corporis dolorem sensu acerbi sint. Porro per passiones Christi passionem ille imitatur, qui spontaneos labores atque involuntarios casus firmo et robusto animo perfert. Ille autem sanguine Dominicum sanguinem honorat, non modo qui sanguinem suum per martyrium profundit, sed etiam qui pro Christi amore per continentiam ipsum imminuit. Quanam autem ratione non solum corporeo, sed etiam spirituali modo quispiam crucem conscendat? nimirum cum per ærumnas et afflictiones supra res terrenas assurgit, ac tentationes carni dolorem inurentes velut quosdam clavos libenter excipit, ut beatæ vitæ dulcedinem afferentes.

Ibid. C. *Si Simon Cyrenæus sis*, etc. Simon, si quis interpretetur, *obedientiam* significat; Cyrene, autem *animi promptitudinem*. Quisquis igitur ad obediendum Evangelio paratus est, ac prompto animo per membrorum, quæ super terram sunt, mortificationem, philosophiæ in actione positæ labores et afflictiones pro virtute subit, Simon Cyrenæus exsistit, ultro nimirum virtutem colens, atque humeris crucem gestans, ac Christum sequens, hoc est, distractam prorsus a terra piæ vitæ rationem ostendens. Eodem modo tu quoque si

[90] I Cor. XIII, 12. [90] I Cor. XI, 26. [91] Luc. XXI, 24.

Digitized by Google

animi obedientia præditus es, alacri animo ad gestandam carnalis voluntatis oppressionem te accinge. Nam interemptrix quoque corporis, crux erat. Ita fiet, ut Christi mandata sequaris.

Col. 655 C. *Si ut latro cruci simul affixus fueris*, etc. Ille in crucem ut latro tollitur, qui scelerum pœnas luit. Qui si tamen persuasum habeat se merito cruciari, ac Deum esse, qui mundum gubernet atque omnibus rebus consulat, probus et candidus est, utpote veritatem agnoscens. Quamobrem, et ut perpetiens, et ut æquo animo cruciatus ferens, in paradiso est. Ac si impatienter vicem suam ferat, providentiamque accuset, aut neget, iniquus ille est, et murmurator : ac proinde nec in paradisum introibit, quemadmodum nec Hebræi, qui in deserto murmuraverant, in terram promissionis. Proinde ipse quoque, si propter tua peccata supplicio afficeris, probum illum et candidum latronem imitare, ac dum cruciaris, Deum ejusque providentiam agnosce, nimirum qui te per hujus vitæ dolores purgari velit. Si Christus, ut est apud Isaiam, inter sceleratos reputatus est [94] (cum latronibus enim velut facinorosus in crucem sublatus est, idque ut peccatum tuum expiaret ; tu enim pœnæ obnoxius eras ; ipse autem, ut qui peccatum nullum admisisset, immerito passus est, ut te a peccato et pœna liberaret) : tu propter illum justus efficere, legis evangelicæ vestigiis hærens, ac per animi grati officium adora, id est, cede ac procumbe ; agnoscens te meritis pœnis affici, atque a Deo res humanas inspici atque administrari ; hoc enim per adorationem significari potest. *Ipse quoque pendens*, id est dum a Deo puniris, utilitatis lucrique aliquid ex ipsa improbitate collige. Gr. κακίας, quæ vox, vel pro afflictione, vel pro peccato et scelere accipi potest. Quonam autem modo tibi utilitati erit peccatum ? nempe ut intelligas te propter ipsum puniri, ac Deum tibi placatum reddas, ac salutem emas. Nam si ita feceris, ad sempiternorum bonorum perceptionem ingredieris, simulque cum Christo regnabis, atque hæreditatis ipsius eris particeps. Ac vide quam proprie et accurate loquatur Theologus. Non dixit, Christus iniquus factus est, sed *reputatus*. Rursus non dixit : Tu justus reputare? sed *efficere*. Neque enim existimatio, sed ipsa rei veritas, aut justum hominem reddit, aut condemnat. Jam hæc etiam quæ sequuntur, altius perpende. Adora, inquit, tua causa pendentem, quoniam ipse, sceleratus habitus, cruci affixus est, ac propter te mortem pertulit : ut intelligas te, ut vere sceleratum, per dolores et afflictiones justitiam consequi debere. Quod cum perspectum habeas, suspendere, hoc est a terreno carnis affectu sustollere, eoque exstincto salutem elucrare, ac mente paradisum ingredere, cœlestem illam vitam, a qua exciderας cogitatione tibi fingens. Cæterum cum Jesu ingredere, ducem tui ad contemplationem introitus Filium Dei faciens, cum ipso pulchritudines illas inspectans.

Ibid. C. *Si Joseph Arimathæus sit, ab eo*, etc. Joseph idem est quod *adjectio* et *incrementum* : Arimathæus idem quod *tollens*. Quisquis igitur actioni simul et contemplationi incumbit, Joseph Arimathæus dici potest, nimirum per actionem a seipso crassum omnem et terrenum affectum tollens et evellens, per contemplationem autem ad spiritualem cognitionem increscens. Proinde si tu quoque adjectionem habes, id est, incrementum amoris divini, tolle ac porta religiose corpus Jesu, mysticum scilicet, digne ipsum percipiens, atque illud pete, id est, rape a crucifigente, hoc est eo, qui indigne percipit, ac propterea contumelia afficit, quique reus est corporis et sanguinis Christi. Tuumque fiat id quod omnes, a quibus digne accipitur, purgat et sanctificat. Alio modo etiam corpus Christi est, quisquis in eum credit : hujus membra, præcepta sunt et virtutes. In crucem autem hoc corpus tollit diabolus, non sinens in nobis ea membra secundum naturam actionem suam exercere. At qui additamentum fidei habet, Joseph spiritualis est, qui corpus accipere potest, honesteque sepelire, atque in pectore suo ex fide, quasi e petra exciso, imponere, ac *spiritualibus* circa hoc sæculum sermonibus velut *sindone* quodam Dei Filium involvere.

Col. 656 A. *Si Nicodemus sis, nocturnus*, etc. Nicodemus ille est, qui ad Christi agnitionem animo quidem firmus est ac solidus, cæterum, dum carni gratificatur, in mandatorum observationem acri animi contentione incumbere, velut meticulosus, renuit, propter metum Judæorum, hoc est perturbationum animi, vel dæmonum impetus. Hujusmodi autem viro ad laudem et commendationem præclarum videtur recte saltem de Christo sentire, nec contumeliosa verba proferre. Unguentis autem Dominicum corpus ad sepulturam perfundit, qui sermones et disputationes, quas de eo habet, pie tractat, easque fundit suavi odore stillantes aut etiam redolentes.

Ibid. D. *Si Maria quædam sis, si alia Maria*, etc. Quoniam Christus a Maria Magdalena *septem* dæmonia ejecit [95], anima illa Maria Magdalena dici potest, quæ impuris spiritibus, qui septem bonis spiritibus ab Isaia enumeratis oppositi sunt, misere vexatur, quam postea Evangelii doctrina purgavit [96]. Ut autem exactius loquamur, Maria Magdalena est anima omni actione gaudens, a septenarii hujus sæculi terrore velut dæmonibus quibusdam per evangelicorum præceptorum doctrinam purgata : a quo animas liberat verbum Dei, supra ea quæ in tempore sunt, illas evehens. Alia autem Maria, cujus hoc loco meminit Gregorius, propric

[94] Isa. LIII, 12. [95] Luc. VIII, 2. [96] Isa. XI, 2 seqq.

Digitized by Google

quidem est mater Domini, vel potius Jacobi Minoris. Nam Mater Domini in prima illa perfectione cum sola Magdalena ad monumentum perrexerat, ac resurrectionis Christi certior facta, quietem agebat. Allegorice autem altera Maria, anima est contemplationis studiosa, quæ non naturæ, sed gratiæ cognationem cum Filio Dei per veram scientiam adepta est. Atque ut uno verbo absolvam, per duas Marias designatur anima contemplationem simul et actionem amplexa. Salome autem (quæ vox lingua nostra *pacem* significat) anima illa esse potest, quæ, sublatis et expulsis animi perturbationibus, tranquilla pace fruitur, atque affectu carnis spiritui legi subjecto per spiritualium animi conceptionum speculationem sempiternarum rerum scientiam pro viribus assecuta est. Joanna autem ad verbum *columbam* sonat, ac per eam anima illa significatur, quæ turbidos motus leniter abjecit, ac spiritualem scientiæ proventum et fecunditatem ardentem habet, hoc est vitio vacat, et numerosos virtutis fetus profert. Quamobrem si qua es anima ex his, quas commemoravimus, diluculo plora, lacrymas adipiscendæ scientiæ vim habentes fundens, hoc est de orthodoxæ fidei cognitione cum magna alacritate et studio inquirens, et quidem veram mysterii fidei nostræ cognitionem a Deo tibi dari postula. Diluculum enim celeritatem indicat. Nam si excellentissimam omnis virtutis et scientiæ doctrinam ita quæsieris, primum illam obscuritatis doctrinæ cæcitatem cordi tuo incumbentem sublatam videbis. Hac autem submota, duos angelos profecto cernes, alterum ad caput, hoc est divinitatis doctrinam, alterum ad pedes, nimirum humanitatis et incarnationis. Aut si mavis, per angelos conscientiæ motus intellige, exstincti aliquando in te per vitium, Filii Dei resurrectionem proclamantes. Neque enim in obsceni et exsecrandi hominis anima Christus vim suam exserit, sed per flagitiosas et sceleratas actiones quodammodo exstinctus est. Postremo ipsum etiam Christum intueberis perspicue apparentem, ac sine ullis signis et figuris, spiritales tuas conceptiones spirituali voluptate explentem. Nonnihil loquere, de Christo piaque doctrina percunctans. Vocem ausculta, hoc est doctrinam et revelationem captum tuum non excedentem. Quod si altiorem doctrinam et speculationem audiveris, propemodum tibi dicentem : Noli me tangere, eminus sta, ne propterea mœrorem concipe, ut cui nondum sublimioris doctrinæ attingendæ potestas fiat. Novit enim hujusmodi doctrina, quibus primum aspicienda sit, iis nimirum, qui majores ad contemplationem progressus fecerunt, ut Joanni et Petro resurrectionis encænium celebra, id est, festum diem celebra, atque ob animæ tuæ ab affectibus resurrectionem, gaude ac triumpha. Evæ succurre. Quænam autem erit opis ferendæ ratio? Illa per peccatum prima lapsa est : tu per justitiam resurge, ac primus Christi doctrinam cognitam atque illustrem redde. Ἀσπασμός enim hoc loco salutationem et allocutionem significat. Nam cum Maria vocem Jesu agnovisset, dixit illi : *Raboni, quod dicitur Magister* [98]. Evæ igitur succurre, nimirum ipsius culpam contraria virtute corrigens. Illa enim viro fraudem renuntiavit, Maria autem apostolis salutem. Idem tu quoque facturus es, si ignorantes doceas.

Col. 658 A. *Petrum vel Joannem imitare, ad sepulcrum propera*, etc. Scriptum est apud Joannem : *Exiit Petrus et alius ille discipulus* [99]. Currebant autem duo simul : et ille alius discipulus cucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit linteamina posita, non tamen introivit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum. Petrus igitur is est, qui fide firma et solida præditus est, eaque etiam virtute, quæ in agendo versatur, exornatus. Joannes autem, qui propter lenitatem et insignem cordis puritatem a Christo amatur, ob eamque causam sapientiæ et scientiæ thesauros consequitur, ac per id, quod supra pectus recubuit, theologiæ vim et facultatem accepit. Sepulcrum autem ad quod properat, tam qui contemplationi quam qui actioni studet, profundum illud est, in quo doctrina ea, quæ cœlestium ac terrenarum rerum cognitionem continet, absconsa est. Verum alter secundum virtutem in actione positam, alter secundum contemplationem in intelligentia sitam, certatim currunt. Hac autem ratione Petrus cum Joanne certatim currere dicitur, quoniam ille activam virtutem amplectebatur, hic speculativam, quæ quidem inter se pugnare videntur. Uterque tamen concordi cursu properat, quoniam unus idemque in utroque laudandus scopus perspiciebatur : id enim agebant, ut scirent an vere Dominus revixisset. Concurrunt igitur hi duo animi proposito et intentione, ad suum uterque proprium bonum pari successu contendentes. Atque ut apertius dicam, propter laudabilem æmulationem certatim currunt, dum uterque alterum superare conatur, ille actione, hic contemplatione. Concordibus autem animis currunt, quoniam ad unum scientiæ scopum tendunt, et qui in actione, et qui in speculatione versatur. Ac celeritate quidem is qui contemplationi sese addixit, actionis studiosum antevertit, utpote crassa materia minus gravatus : studio autem speculationis alumnum is superat, qui activa virtute instructus est, utpote laboriosior. Adhæc qui contemplatione delectatur, solum intelligit : at qui actione gaudet, experimento scientiam capit : quemadmodum Joannes in monumentum solum se inclinavit, Petrus vero introivit.

Ibid. *Quod si Thomæ instar a cœtu discipulorum*, etc. Quisquis in fidei doctrina dubitat,

[98] Joan. xx, 16. [99] ibid. 3.

Digitized by Google

Thomas est, ac eodem modo Didymus, qui ægre adducitur, ut virtutis et scientiæ ipsi insitæ, ac per admissum peccatum mortuæ, resurrectionem fore credat. Discipuli autem sunt, qui certa fide sibi persuadent Christum, hoc est, emortuam prius virtutem, per divinam potentiam in ipsis revixisse : quique ut Christi discipuli loco, sic ipsi concordia sententiæque firmitate et constantia conjuncti sunt, ad quos etiam Christi gratia immeat. Si igitur tibi contigerit, ut ab eorum cœtu abfueris, hoc est, ut per te minus credas, saltem his qui hujusmodi resurrectionis periculum fecerunt, ac rem ita se habere confirmant, fidem arroga. Si ne his quidem, at certe veterum peccatorum memoria, in mente citra passionem impressa, tibi fidem faciat. Passionis autem expers memoria, nihil est aliud, quam præteritarum rerum absque voluptate et mœrore impressio, nullas habens vulnerum perforationes, propter eam quæ postea secuta est, tranquillissimam animi constitutionem, quam qui non senserit, ne alii quidem crediderit, quemadmodum Thomæ accidit. Memoria itaque, peccatorum vestigium atque impressio est : clavi autem, ipsa peccata, prolabentes homines transfigentia. Quocirca cum eam vim habueris, ut ea sine ullo animi affectu memoria recolere queas, tum demum tibi hujusmodi virtutem resurrexisse persuasum habe.

Ibid. *Si in infernum descendat, simul descende*, etc. Descendente Christo in infernum, ipsum quoque per contemplationem sequere, non ob malum, sed ut excellentem eorum quæ illic peraguntur, rationem addiscas. Ac quære, quæ duplicis Christi descensus causa fuerit, alterius nimirum a cœlo in terram, alterius a terra in infernum : an fortasse, ut in terra quidem per fidem, ac puram et innocentem vitæ degendæ rationem, animas cum corporibus salvas faceret : in inferno autem animas sine corporibus per fidem solam ? Proinde quisquis de animæ interitu a peccato promanante, ac rursus de resurrectione per Christum contingente, disputationem habet, ille etiam in infernum descendit, ut vitii habitus et actus, qui in aliquo fuit, reditum ad virtutem ac scientiam verbi beneficio consequatur. Enimvero Christus, in infernum descendens, non omnes, verum eos solos qui crediderunt, salvos fecit (23). Chrysostomus ipse affirmat neminem in inferno a Christo salutem accepisse, nisi qui salute dignus esset, cum ex hac vita discessisset. At fortasse qui tum crediderunt, salute digni habiti sunt. Cujusmodi quiddam de ethnico Platone in Patrum historiis circumfertur. Nam eum diu antea vita functus a quodam Christiano maledictis conviciisque, ut improbus et impius laceratus esset, noctu ad conviciatorem suum venit, hominemque accusavit, ut inique ipsum maledictis insectantem. Ego enim, inquit, me peccatorem esse haudquaquam inficias ivero : verum cum Christus in infernum descendit, nemo ante me ad fidem accessit. Hoc de Platone commemoratur : quod credendum sit, necne, auditoribus judicandum relinquo.

Si in cœlos ascendat, simul ascende, etc. David, Psal. xxiii, angelos introducit, partim comitantes Christum, ac superioribus angelis dicentes : *Attollite portas, principes nostri, et elevamini portæ æternales, et introibit Rex gloriæ ;* partim etiam interrogantes, *Quis est iste Rex gloriæ ?* atque illos rursus respondentes : *Dominus fortis et potens, Dominus fortis in prælio* [96a]. Ac rursus eadem interrogatio, et responsum huic congruens angelorum ad alios angelos inducitur. Hortatur itaque Theologus auditorem ut Christum in cœlos ascendentem comitetur, mente scilicet et cogitatione, seque vel cum deducentibus eum angelis, vel cum excipientibus jungat. Is autem seipsum illis adjungit, qui sermones utrinque habitos expendit, atque interrogationes eorum et responsa, eorumque causas examinat. Idem portis quoque imperat (sedulo nempe inquirens), quid sit causæ quare angeli dicant, *Attollite portas.* Causam autem hujus elationis Theologus ipse affert, nimirum idcirco portas attolli, ut Christum sublimiorem ex passione factum suscipiant. Non enim dicunt, Aperite, sed, *Attollite*, hoc est Erigite. Atque hoc loco illud explicat, quod ab Apostolo ad Philippenses de Christo dictum est : *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit eum* [97], etc. Ac proinde in summam sublimitatem evectus, sublimiores quoque portas fieri postulat, ad ipsius exceptionem. Quod si angeli suscipientes mente hæreant, videntes Christum cum corpore ascendentem, ac passionis signa ferentem, quæ quidem, cum de cœlo descenderet, non habebat, atque ideo sciscitarentur : Quisnam hic est ? is qui de Christo ita, ut æquum est, sentit, illis respondebit : Hic est ille potens, cum in cæteris omnibus rebus, tum etiam in bello quod nunc pro generis humani salute adversus diabolum gessit : ac duplex responsum dabit, velut constanter in his quæ decrevit, permanens, ac per ejusdem sermonis repetitionem sententiam suam confirmans, juxta illud : *In conspectu duorum vel trium testium stabit omne verbum* [98]. Atque ita hæc humiliori sensu intelligi poterunt. Aliter etiam, per angelos prosequentes

[96a] Psal. xxiii, 7, 9, 10. [97] Philipp. ii, 8, 9. [98] Deut. xvii, 6 ; Matth. xviii, 16.

(23) Videtur hic alludere ad id quod ait Petrus priore epistola sua, cap. 3, nempe Christum his qui in carcere erant prædicasse : ex quo loco suspicatur Nazianzenus, Christum ita cum ipsis egisse, ut eos quidem, qui ad ipsius adventum fidem amplexi sunt, in cœlum duxerit : eos autem, qui fidem ipsi habere noluerunt, in pœnis reliquerit.

Digitized by Google

divinæ Providentiæ doctrina significari potest, per suscipientes autem, doctrina divinitatis, per ascensum autem a terra in cœlum, mentis a cogitatione humanitatis Christi ad ejusdem divinitatem erectio, atque ab actione ad speculationem evectio. Quisquis igitur per spiritalem scientiam ad providentiæ doctrinam, quantum ipsius vires ferunt, trajecit, ab ea ad divinitatis doctrinam evehitur, gradatimque conscendendo sublimiores animæ portas ad supremi ac divini Verbi exceptionem facit, atque ab humanitate Christi ad divinitatem, velut a terra in cœlum migrat, et ab actione ad contemplationem ascendit, ac cum divino Verbo sursum trahente simul attollitur. Atque ad hunc modum explicata sint hæc Davidis verba. Consimilia autem quædam et apud Isaiam leguntur. Nam apud ipsum quoque Christus, in cœlum cum passionis notis ascendens, novum plane et inusitatum ac stupendum supernis angelis spectaculum exhibuit. Stupore enim correpti sunt, ascendentem eum intuentes, atque idcirco dicebant : *Quis est hic, qui venit de Edom* [a], hoc est, a terrenis rebus, rubor vestimentum ejus ex Bosor? Bosor autem *carnem* sonat, ac proinde per stolam ejus, et vestimentum *humanitas* designatur. Rubor autem, quia caro Dominica sanguine ex latere profluente tincta est, ac per passionem exornata. Unde et subjungit propheta : *Hic formosus in stola.* Deinde Salvatorem ipsum respondentem inducit : *Ego loquor justitiam et judicium salutis.* Justitiam autem, Evangelii promulgationem vocat, qua terra justificata est; quæ posteaquam locutus est Christus, angeli eum rursus interrogant ac dicunt : *Quare sunt rubra vestimenta tua, et indumenta, non secus ac torcularis calcati* [b]? Caro enim cruore suffusa cernebatur, et velut ex musto ad rubrum colorem tincta. Christus autem secundo respondet : *Torcular calcavi solus, et ex gentibus vir nullus mecum fuit* [c], id est, nemo mihi patienti adfuit, sociumque certaminis se præbuit : verum solus totam diaboli potentiam, quasi torculari uvas expressi, ac duros et contumaces Judæos contrivi. Has apud Isaiam interrogationes et responsiones Theologus δραματουργίαν vocavit, non falsam compositionem intelligens (quales sunt actus fabulosi), sed genus scribendi ita institutum, ut personas loquentes habeat. Angelorum enim alii, velut interrogantes inducuntur, alii velut respondentes, secundum eam verborum rationem, quam propheta constituit. Si igitur (ait Theologus) percunctentur : Quis est hic, qui a terra ascendit, aut, quomodo incorporei ac sanguine carentis, quatenus Deus est, rubicundum est corporis integumentum? si hæc, inquam, percunctentur, ex adverso profer, id est, responde : Formosa est ipsius stola, hoc est, corpus ipsius, quod passum est, partim ob passionem, per quam glorificata est, partim ob divinitatem, per quam illustrata est, quippe qua nihil pulchrius.

Col. 658 C. *Quid ad hæc nobis sycophantæ dicunt*, etc. Absoluta narratione Gregorius orationem ad hæreticos convertit, eosque primum sycophantas vocat, ut Filium calumniantes, quasi non vere ac proprie Deum : acerbos autem expensores, ut præcipites divinitatis arbitros, personarum scilicet differentiis eam dividentes ; reprehensores vero rerum laudabilium, utpote incarnati Filii actiones, humanæ naturæ congruentes, ad ejus immutationem arripientes, cum tamen laudem potius mereantur : atque etiam ut, ipsius divinitatem metientes et circumscribentes, propterea quod passibilem carnem suscepit, ut nostris passionibus mederetur. Tenebrosos insuper circa lucem appellat, velut ad veritatem sole clariorem oculos claudentes, vel etiam ad ipsum Christum, qui est lux vera [d]. Imperitos autem circa sapientiam, hoc est circa Christum ipsum, qui est sapientia Patris [e] revera subsistens, vel etiam ut Salvatoris opera sapientiæ plena nequaquam intelligentes. Pro his enim frustra Christus mortuus est. Piorum enim duntaxat salutem lucratus est. Hi etiam ingratæ creaturæ sunt; nam pro eo quod par erat Creatori gratias agere, quod eorum causa ipse quoque creatura factus esset, ipsi contra hujusmodi beneficium in blasphemiæ occasionem trahebant, divinitatem ejus creatam esse blaterantes, non autem humanitatem. Hi etiam diaboli figmenta merito dici possunt, non ut ab eo creati, sed ut ab eo malitia imbuti. Fictor enim diabolus est, non subsistentium rerum, sed morum : juxta id quod Judæis Christus dicebat : *Vos ex patre diabolo estis* [f]. Hæc locutus Theologus, atque his omnibus hæreticos insectatus, velut aperta fronte atque in faciem ipsis occurrit, atque argumentis et interrogationibus fretus, eos urget atque confundit, aitque : Siccine ob beneficium in te collatum Christum meum criminaris? Incarnatio enim ipsius beneficium nostrum factum est. At ipsi, in Scripturis invenientes, quod creatus fuerit, juxta illud, *Dominus creavit me* [g], item, quod servus vocatus sit [h], bene serviens multis, cæteraque id genus, quæ de humanitate dicuntur, eaque ad Unigeniti divinitatem referentes, ignominia eum notabant, a Patris natura separantes, atque in creaturarum ordinem redigentes : sicque beneficium in crimen convertebant. Hoccine igitur, inquit, Deo extenuationis causa objicis? Postea beneficium in species suas dividit, atque interim evangelicam illam centum ovium parabolam exponit. Ac per ovem quidem, quæ a centenario grege abscessit, et aberravit, naturam nostram intelligit : per pastorem autem, ipsum Christum; sic enim se ipse nominat : *Ego sum Pastor bonus* [i]. Is ad nos, hoc est ad oberrantem ovem, venit,

[a] Isa. LXIII, 1. [b] Ibid. 2. [c] Ibid. 3. [d] Joan. I, 9. [e] I Cor. I, 24. [f] Joan. VIII, 44. [g] Prov. VIII, 22 Eccli. XXIV, 5. [h] Philipp. II, 7. [i] Joan. X, 11.

Digitized by Google

atque in montibus et collibus invenit, in quibus sacrificabamus, juxta Oseam [9] et Isaiam [10]. Nam apud idolorum cultores in more positum erat, sacrificia in montibus, umbrosisque arboribus conficere. Inventam igitur palantem nostram naturam minime neglexit, sed perinsigni honore complexus est. Iisdem enim humeris eam suscepit, quibus et crucis lignum tulit. Bajulans enim crucem suam egressus est [11], priusquam ad eam gestandam adactus fuisset Simon, quemadmodum et Isaias de ipso vaticinatus fuerat dicens : *Cujus principatus super humerum ejus* [12]. Acceptam autem nostram naturam ad supernam vitam, a qua exciderамus, reduxit, atque angelis aggregavit, qui in bono constantes manent. Illi enim per nonaginta novem oves designantur, quibus relictis pastor ad unam errantem venit, ut eam inveniret, ac cum his, quæ a grege non aberrant, conjungeret, quod etiam fecit.

Col. 659 A. *Quia lucernam, hoc est, carnem suam*, etc. Centum ovium parabolam proxime apud Lucam sequitur drachmæ parabola. Hæc autem ipsius verba sunt : *Si qua mulier habens drachmas decem, unam druchmam perdiderit, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec invenerit drachmam quam perdiderat* [13]? Hic igitur mulier, vel ejus potius loco Christus est : lucerna, ipsius caro, pura, inquam, illa et a peccati sordibus libera, divinitatisque lumine mundum collustrans, eumque a peccati tenebris repurgans, non secus ac domum quamdam multas sordes et quisquilias habentem. Drachma autem, anima, ut regia imagine signata, quæ quidem fœdis affectibus obruta et defossa erat, postea autem a Christo quærente inventa. Atque hominum simul et Dei amantes angeli, ob ejus inventionem ac salutem, lætitia diffunduntur: quibus etiam primis incarnationis mysterium traditum est, ac nos deinde ab iis ejusdem cognitione imbuti sumus.

Ibid. *Quia lucernam præviam lux illa clarissima*, etc. Prævius, sive præcursor, erat Joannes Baptista, ut ex patris ipsius prophetia patet : *Præibit* enim, inquit, *ante faciem Domini* [14]. Lucerna autem a Domino ipse appellatus est, his verbis : *Ille erat lucerna ardens* [15]. Lucernam porro ipsum vocavit, ut doctrinæ lumen a se non habentem, sed a Spiritus sancti gratia, et quia præfulgido Solis justitiæ lumine obscurandus erat. Vox rursus dicitur, non modo propter exaudibilem ipsius prædicationem (ipse enim est, juxta Isaiæ vaticinium, *Vox clamantis in deserto* [16]); verum etiam ut Christo Salvatore, quantum ad humanitatem, prior, non secus ac vox sermonem antecedit. Pronubus autem vocatur, ut Christo ad sponsam, hoc est Ecclesiam, viam sternens (*Parate* enim, inquit, *viam Domini* [17]), tum etiam ut comparans, id est, **concilians**, ac desponsans Domino Christo populum **eximium**, hoc est copiosum et excellentem, **atque omnibus** aliis ipsius substantiis creaturisque **præstantiorem**. Christus enim Ecclesiæ sponsus est, **per fidem** ipsi adjunctæ. Sic enim Joannes Baptista **loquitur** : *Qui habet sponsam sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudium gaudet propter vocem sponsi* [18]. Amicum autem **seipsum** vocat præcursor. Jam vero ad accipiendum **Spiritum** homines per aquam præpurgabat **Joannes** : *Ego* enim, inquit, *baptizo vos in aqua : ipse autem baptizabit vos in Spiritu sancto* [19]. Præpurgator itaque Joannis baptismus erat, ad spiritualem **Christi** baptismum ducens, qui et purgandi, et **perficiendi** vim habet.

Ibid. B. *Hæccine Deo objicis atque idcirco*, etc. Supra numero singulari dicebat, Idne **objicis** Deo? de beneficio loquens; illic enim **generalis** erat oratio. Nunc illud in plures species **dividens**, ait, Hæccine objicis Deo, atque idcirco cum Patre inferiorem ac minorem existimas, quia **discipulorum** pedes abluit, ut tu per humilitatem extolli discas? *Qui* enim, inquit, *omnium primus esse cupit, sit omnium novissimus* [20]; et : *Qui se humiliat, exaltabitur* [21]. De inclinata autem muliere **apud Lucam** scriptum est, quod Christus mulierem spiritum infirmitatis habentem, ac deorsum *contractam* et inclinatam, nec caput erigere valentem, **curaverit** [22]. Hanc mulierem Theologus allegorico **sensu** humanam animam esse dicit, præ gravitate peccati deorsum urgentem, ac depressam. Quin tu illud quoque, inquit, reprehendis, quemadmodum Pharisæi, quod convictores habere **publicanos** non recusat, quod apud publicanos diversatur, nec eorum exceptionem mensamque fastidit, quod insuper ab exigendorum vectigalium munere ad discipulatum quosdam traducit, veluti **Matthæum** : ut, quoniam lucri studiosi sunt publicani, Salvator quoque ipse salutem eorum obiter elucretur, ab ejus videlicet doctrina utilitatem capientium : quemadmodum et medicus ad fœtidos morbos se demittit, nullisque ipse doloribus, qui **medicinam** exposcant, affectus ægrotis sanitatem afferi, atque ille etiam, qui juxta legis præceptum in foveam incumbit, lapsumque animal, nequaquam lapsus ipse, extrahit. Quod si illi mirificam hinc laudem consequuntur, quid tandem afferri potest, quin multo majorem nobis admirationem Dominus excitare debeat, qui fœdam nostram corruptionem sustinuit, atque ad infimum ipsum lacum descendit, ut hominem affectuum ulceribus scatentem incolumitati redderet, sursumque pertraheret, qui tanta calamitate oppressus erat, ut sensum omnem ac rationem pecudis instar amisisset, adeo ut nec sibi

[9] Ose. IV, 13. [10] Isa. LXV, 25. [11] Joan. XIX, 17. [12] Isa. IX, 6. [13] Luc. XV, 8. [14] Luc. I, 76. [15] Joan. V, 35. [16] Isa. XL, 8; Matth. III, 3. [17] ibid. [18] Joan. III, 29. [19] Matth. III, 11; Joan. I, 26. [20] Matth. XX, 27; XXIII, 11; Joan. XIII, 16. [21] Matth. XXIII, 11. [22] Luc. XIII, 11.

Digitized by Google

ipsi auxilium ferre, nec medici opem implorare posset, sed rationali quodam, hoc est, Christo, opus haberet, qui pro suo erga genus humanum amore et misericordia suopte nutu impelleretur.

Col. 659 C. *Missus quidem est, verum ut homo*, etc. Hæretici, Christum audientes, dicentem, *Pater misit me* [23], subdole ac perverse colligebant, ex eo quod missus esset Filius, atque incarnationis consilio paruisset; eum, ut Patre inferiorem, missum esse, atque paruisse. Missi enim, subjecti atque inferioris esse videtur. Hoc igitur, quod blasphemiæ illis erat argumentum, ita breviter solvit Theologus. Quoniam Christus duplicem naturam habebat, nimirum divinam et humanam, omnes eas voces, quas de eo sublimiter et magnifice prolatas reperies, divinitatis esse intellige; omnes autem humiles et abjectas, humanitati ascribe. Quod si de humanitate hanc missionem interpreteris, nullus erit objectioni locus. Etenim, ut homo, missus est et fame et siti afflictus, et fatigatus et angore correptus est, et lacrymas profudit : sin ad divinitatem hujusmodi missionem detorseris, sic quoque nihilominus pius scopus constabit. Patris enim voluntatem remissionem esse interpretamur. Volente enim Patre descendit Filius in terram, qui autem ex cujuspiam consilio et sententia aliquid facit, ab eo permotus esse videtur. Quod enim quispiam comprobat, hoc suadere quoque et hortari censetur. Duplicem autem ob causam sua recte facta Patri Filius ascribit : alteram, quia Pater Filii principium est (principium autem, quantum ad causam, non quantum ad tempus); alteram, ne Deo adversari videatur. Demissa enim illa Filii verba non eo tendunt, ut Patre inferior esse videatur, sed ut ipsius cum Patre concordia voluntatisque consensio declaretur, perinde ac si amicus ab amico missus esse dicatur, non ut inferior, sed ut æqualis, atque eamdem voluntatem habens; aut, si mavis, quemadmodum solem radium misisse dicimus, qui nequaquam diversæ, sed ejusdem cum eo est substantiæ. Quod autem de uno atque eodem Christo, alia ut de Deo, alia ut de homine dicantur, hinc liquido patet. Testatur enim Scriptura, quod Pater eum tradidit, et a mortuis revocavit, ac suscepit : quæ quidem beneplaciti sive humanitatis significationem habent. Atqui etiam reperimus ipsum quoque seipsum tradidisse, et a mortuis excitasse atque in cœlum ascendisse. Quibus verbis divina ipsius potentia declaratur. Verum hæreticus humiles quidem de Christo voces atque humanitati soli convenientes inepte profert, ac sursum deorsumque jactat : sublimes autem divinamque ipsius naturam exprimentes silentio præterit : atque illud quidem exentit, quod passus sit, non tamen addit, quod passus sit voluntarie. Age vero testimonia illa producamus, in quibus, partim a Patre, partim a seipso, et resurrectionem, et traditionem, et ascensionem Filius habere dicatur. Paulus ad Rom. de Patre scribit, quod proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum [24], Ad Titum autem de Filio ita loquitur : *Qui tradidit seipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni peccato* [25]. Et in Epist. ad Galatas : *Qui dedit seipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos a præsenti sæculo nequam* [26]. Rursus ad Corinth. de Patre loquens, ait : *Deus autem et Dominum suscitavit* [27]. Et ad Galatas scribens : *Per Jesum Christum et Patrem, qui suscitavit eum a mortuis* [28]. At in Evangelio ipse Filius de seipso dicit : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* [29]. Et rursus : *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum accipiendi eam* [30]. Jam vero de ascensione in cœlum in Actibus scriptum est : *Videntibus discipulis assumptus est, et nubes suscepit eum* [31]. At in libro Psalmorum : *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem* [32]. Et in Evangelio : *Nemo ascendit in cœlum, nisi is, qui de cœlo descendit* [33].

Col. 662 A. *Proh! qualia Verbum nunc quoque patitur!* etc. Hæc verba : Proh! quam gravia nunc quoque patitur Christus, quiritantis sunt, ac proinde cum admiratione legenda. Indignatur enim atque ægre fert Theologus, Filium Dei etiam nunc contumelia affici. Sabelliani enim eum ut Deum honorantes cum Patre confundunt ac contrahunt, unam atque eamdem esse Patris et Filii et Spiritus sancti personam asserentes. Ariani contra, eum, quia caro factus est, ignominia afficiunt, Patre minorem esse affirmantes, atque a Patris natura separantes. Utris igitur gravius irascetur ille, cui ab iis contumelia infertur, ut gravius peccantibus? Vel potius, utris plus condonabit? Nam cum alii divinitatem contrahant, alii eamdem scindant (quæ opiniones inter se contrariæ sunt) videri fortasse nonnullis posset, alteros tantum peccare, atque ira dignos esse : alteros autem nullo modo errare, ac propterea indignos esse, quibus irasceretur Dominus, ac pœnas irrogaret. Verum aliter se res habet. Malum enim in utrisque æquale est, tametsi in contrariis sententiis reperiatur. Male quippe et Sabelliani contrahunt, et Ariani disjungunt. Nam et illos numero dividere, ac tres personas statuere oportebat, et Arianos divinitatis ratione connectere, unamque tantum naturam astruere Patris et Filii et Spiritus sancti. Enimvero dic mihi, tu qui Arii dogma profiteris, impingis ad carnem? hoc est, offendis, et scandalizaris ob incarnationem, ac propter eam Filium Patre minorem existimas? Hoc tibi cum Judæis commune est. An etiam Samaritanum Christum vocas? nam illi quoque hoc nomine

[23] Joan. VI, VIII passim. [24] Rom. VIII, 32. [25] Tit. II, 14. [26] Galat. I, 4. [27] I Cor. VI, 14. [28] Galat. I, 1. [29] Joan. II, 19. [30] Joan. X, 18. [31] Act. I, 9. [32] Psal. LXVII, 19; Ephes. IV, 8. [33] Joan. III, 13.

Digitized by Google

eum appellarunt, velut Sabbatum ac Judaicas quasdam cæremonias solventem. Samaritani enim dimidia ex parte Judæorum religionem tenent. Nam, quod sequitur, tacebo. Quidnam hoc? quod a dæmone obsideretur. Dicebant enim Judæi, *Samaritanus es tu, et dæmonium habes* [34] : quod nunc ob blasphemiæ magnitudinem atrocitatemque reticet Gregorius. At Unigeniti divinitati fidem non habes, nec eum Deum esse Patri æqualem admittis? Ne dæmones quidem eo audaciæ proruperunt, ut hoc dicerent. Ita videris et dæmones infidelitate, et Judæos ingratitudine, vel potius inscitia et hebetudine (utrumque enim significat ἀγνωμοσύνη) superare. Judæi enim, posteaquam dixisset Christus : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* [35], quærebant ipsum interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se Deo faciens. Filii enim appellationem æqualis honoris vocem esse arbitrati sunt, hoc est, existimabant, si Christum Dei Filium esse faterentur, sibi quoque necessario fatendum esse, eum honore illi parem atque æqualem esse. Itaque Filii nomen Christo non concedebant : ne æqualitatem quoque cum Patre eidem concedere necesse haberent. At dæmones Christum Deum noverunt, cum ab eo invisibiliter fugarentur et cruciarentur. Unde etiam dicebant : *Novi quis tu sis;* et rursus : *Quid tibi et nobis, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos* [36]. Atque hæc quidem et Judæi et dæmones. At tu, nec æqualitatem admittis, ut Judæi : creatum enim eum asseris, nec divinitatem confiteris, ut dæmones. Quamobrem tibi satius fuerat Judæorum ritu circumcisam præputii carnem habere, atque a dæmonibus divexari, ut salse aliquid dicam, quemadmodum illi in Evangelio, quorum ore dæmones loquebantur, Christumque Deum confitebantur, quam, cum præputium habeas, hoc est, non circumcisus sis, nec a dæmone obsidearis, sed incolumi mente sis, ita scelerate atque impie sentire, Filiumque a Patris divinitate separare.

Col. 662 B. *Sed bellum hoc, quod cum illis gerimus*, etc. Bellum, inquit, quod cum hæreticis gerimus, siquidem aliquando saltem ad meliorem mentem redire voluerint, comprimatur : sin autem noluerint, in præsentia conquiescat, atque in aliud tempus rejiciatur. Nec enim profecto nobis hoc certamen terrori erit, pro Deo, et cum Deo bellum gerentibus. Nunc vero in summam redigenda est oratio, ac contractim ita dicendum : Ob hanc causam a Deo creati sumus, ut beneficio afficeremur, atque adeo beneficio affecti sumus; beneficium autem illud fuit, quod paradisus nobis commissus est, ut divinis deliciis frueremur. Mandatum accepimus, ut hoc servato gloriam assequeremur. Hominem enim primum probari, atque experimento per mandati observationem perfici oportebat, atque ita deinde pro virtutis præmio immortalitatem consequi. Homo enim, cujus virtus nullo argumento explorata est, nec laude ulla, nec pretio dignus est. Mandatum porro accipimus, non quod ignoraret Deus fore ut illud transgrederemur, sed ut arbitrii libertatem nobis quasi lata lege promulgaret. Nam quod per vim et coacte fit, virtutis nomen obtinere non potest. Quid igitur? Diaboli invidia exagitati, et dolo circumventi sumus, legem violavimus, paradiso excidimus, ac propterea jejunamus, quoniam tunc non jejunavimus, cum arboris scientiæ voluptati cessimus, a qua nobis Deus, ut abstineremus, præscripserat. Vetus enim est præceptum jejunii, simulque cum humano genere natum. Primum enim illud mandatum, quod Adamus accepit : *De ligno scientiæ boni et mali ne comedatis* [37], jejunii atque temperantiæ lex erat. Quod si Eva ab hujus ligni esu abstinuisset, nequaquam hoc jejunio nunc opus haberemus. Nec enim opus est valentibus medico, sed male habentibus. Quoniam igitur tunc non jejunavimus, merito nunc nobis jejunium est indictum, ut quod non servato jejunio amisimus, id eo servato recipiamus. Quid autem illud est, quod ob jejunium non servatum amisimus? Paradisus, ad quem nobis per jejunium reditus patebit. Atque idcirco Deus carnem induit, ac mortem subiit, ut nos per peccatum mortui, reviviscamus. Quin ipsi quoque ante salutiferæ passionis tempus jejunantes, Christo commortui sumus, turbidis nimirum animi motibus oppressis et exstinctis, ut purgemur : ac simul mortificati, simul resurreximus, præclara videlicet et salutari resurrectione : proindeque simul etiam glorificati sumus.

Col. 662 D. *Quamvis autem permulta illius temporis*, etc. Permulta sunt ea miracula, quæ circa passionem et crucem contigerunt : quænam illa? Deus in cruce suffixus, non quatenus Deus, sed quatenus ipse quoque homo est. Et hæc communicationis figura est, qua utraque natura propter hypostaticam identitatem, mutuumque alterius in alteram transitum proprietates suas cum altera communicat : tenebræ ab hora sexta usque ad nonam, sole videlicet patientem Dominum lugente, ac quodammodo illi condolescente; velum scissum, ob luctum, atque ut perspicuum fieret, divinam potentiam, quæ templo inerat, recessisse, domumque desertam, ac gentilibus excidendam et evertendam reliquisse. Vel ideo scissum est velum, ut ethnici Sancta viderent, quæ Judæi impediente litteræ crassitie nequaquam videbant. Nam cum sanctificatio nondum data esset, sed in Domini adventum et præsentiam servaretur, ipse, perfracto velo, ac sanctorum arcanis, quæ ingratis et pervicacibus Judæis operta erant, patefactis, ad cœlestem cognationem nobis viam patefecit. Sanguis et aqua ex latere profluentes, alterum ad delendum servitutis nostræ chirographum : alterum ad libertatem nostram per sub-

[34] Joan. VIII, 48. [35] Joan. V, 17, 18. [36] Matth. VII, 29. [37] Gen. II, 17.

Digitized by Google

scriptionem regio more confirmandam. Porro per duplex illud profluvium, duplex baptismus designabatur : alter, qui per aquam conficitur; alter qui per martyrium, cum videlicet persecutionis tempus nos in periculum adduxerit. Rursus sanguis profluens, hominem arguebat, aqua autem eumdem supra humanam conditionem esse ostendebat. Terra tremore concussa et in meliorem statum mutationem declarans, vel etiam quod adversus eos qui petulanter et furiose Christum acerbissimis contumeliis vexatum interfecerant, ira excandesceret. Petræ pro Petra perruptæ, hoc est, pro Christo, ac Judæorum amentiam coarguentes : quoniam cum ipsæ, etiam anima carentes, timore confringerentur, illi contra in lapidum naturam degenerabant, atque et ad timorem stupidi, et ad beneficium ingrati permanebant. Mortui resurgentes, atque in civitatem introeuntes, ad communis resurrectionis confirmationem, ac mortuorum ad supernam vitam restitutionis. Signa partim ad sepulcrum, partim post sepulcrum edita, velut quod Christus obsignato monumento resurrexerit, velut terræ motus, lapidis revolutio, angelorum visiones, linteamina, et sudarium. Multa quidem ac præclara sunt hæc miracula, sed nullum cum salutis meæ miraculo conferendum est. Exiguæ enim cruoris guttæ orbem universum instaurarunt, hoc est, ita innovarunt, ut novum vitæ iter sectaretur, ac nos in unum conjunxerunt et constrinxerunt, non secus ac coagulum, si in lac injiciatur, id quod in eo dispersum ac fluidum est, condensat, atque in unum solidum corpus compingit et colligit. Coagulum autem est lacteum illud, quod in ficu est (24), quoque nonnulli ad condensandum lac utuntur.

Col. 663 A. *At, o Pascha, magnum, inquam, et sacrum Pascha*, etc. Hæc verba, O Pascha magnum, ad festum ipsum, perinde ac vita præditum refert. Illa autem, O Verbum Dei, et quæ deinceps sequuntur, ad Christum, spirituale Pascha, per acclamationem dirigit. Christus porro Verbum dicitur, propter generationem passionis expertem, et quia nobis Patrem enuntiat. Lux autem, ut splendor animarum, quæ et vita et sermone purgantur. Nam si ignorantia et peccatum tenebræ sunt, scientia certe ac justa et divina vita lucis nomen habituræ sunt. Vita insuper vocatur, quia naturam omnem rationalem coagmentat, atque in ortum producit. *In ipso* enim *vivimus, et movemur, et sumus*[58]. Sapientia autem, ut omnia cognita habens, tam divina quam humana. Nam qui res condidit, idem harum quoque causas et rationes perspectas habet. Potentia vero, ut conservator eorum quæ ab ipso creata sunt, eamque illis vim præbens, ut conserventur ac cohæreant. Rursus mentis soboles, ut Verbum connexum cum genitore suo, ac citra passionem generatum, perinde ac sermo ex mente. Signaculum autem, ut totum Patrem in seipso expressum habens, atque ostendens, non secus ac signum exemplar suum refert. Jam vero unus atque idem Christus ut Verbum ac Deus, ratione intelligitur, non autem cernitur. Natura enim divina sensum omnem oculorum effugit : ut autem homo, etiam cernitur. Qui, juxta Apostolum[59], omnia portat et continet alligata et constricta verbo ac præcepto virtutis suæ. Nam, ut dixit, ita facta sunt[60] ; ut dixit, ita manent[61]. Hinc orationem suam offert Theologus, quam vult quidem primitias nominare, velut alias quoque post eam oblaturus : verum addubitat, atque ait hanc orationem primitias fortasse non esse, sed finem et complementum. Nam propter senectutem, inquit, haud scio, longiorne mihi vita suppeditatura sit, ut alias quoque offerre queam, sicque earum ratione hæc oratio primitialis nominetur. Hanc porro offero, partim de beneficiis in me collatis gratias agens, partim supplicans, ne præter sacras et necessarias curas quidquam ærumnæ patiar. Nam pro illis laborare atque affligi necesse est : nec eas recuso ac detrecto. Tyrannidem autem corporis Gregorius morbum appellat (podagra fortasse erat) quam etiam solvi precatur, ut eum vehementer contrahentem : vel potius, non morbum, sed Dei sententiam, qua hic morbus ad ipsius purgationem decretus fuerat. Pollicetur autem Theologus, si extremum vitæ diem, ita ut expetit, confecerit, atque in æterna tabernacula receptus fuerit, illic quoque se super altare Dei sacrificia grata oblaturum. Quæ verba ab Isaia mutuatus est, apud quem Deus ita loquitur : *Et afferent dona grata ad altare meum*[62].

IN ORATIONEM XLIV, OLIM XLIII.

ARGUMENTUM.

Demonstrativi generis est hæc oratio : in qua tamen suasorium quodammodo admistum est. Admonitionem enim habet, partimque ad virtutem amplectandam auditorem hortatur, partim a vitio revocat. Nova porro Dominica dies hæc vocatur,

[58] Act. XVII, 28. [59] Hebr. I, 3. [60] Psal. XXXIII, 9, 11. [61] Psal. XLVII, 15. [62] Isa. LX, 7.

(24) *Lacteum illud, quod in ficu est.* Ne tibi mirum videatur, lector, hujusmodi coaguli genus a Niceta describi, quandoquidem ipse quoque Plinius, cap. 39, lib. XVI, ficu. ad figurandos caseos vim esse scribit.

Digitized by Google

vel quia resurrectionis nostræ encænia in ea pêragantur, vel etiam quia octavi illius diei figuram gerit, in quo nova omnia futura sunt. Hanc autem orationem in urbe quidem Nazianzena scripsit Gregorius, verum in sancti martyris Mamantis templo urbi vicino pronuntiavit, quod, et tunc, et in hunc usque diem, in Dominica Paschali proxima, mira incolarum frequentia celebratur. Atque hac de causa hæc oratio, ut ad promiscuam plebeiamque multitudinem habita, magis ad perspicuitatem et facilitatem attemperata est, plusque suasorii generis habet, quam demonstrativi.

Col. 607 A. *De Encæniis honorandis lex vetus est*, etc. Encænia, cum de templo agitur, prima ipsius consecratio est, paulo post quam ipsius structuræ manus extrema est imposita. Cum autem de domo, prima est ipsius inhabitatio. At hoc loco Encænia regeneratio ea est, quam per resurrectionem consequimur, atque ad immortalitatem transmutatio. Veterem porro legem, consuetudinem appellat Theologus. Consuetudo enim lex est non scripta. Legemque hanc laudat, qua Encænia honorantur, et quidem laudat, calculum suum et sententiam adjiciens, quod hæc lex præclare constituta sit, quæ Encæniis honorem haberi jubet. Quanquam non ipsa Encænia honorantur, sed potius res novæ, propter quas Encænia celebramus. Idque non semel duntaxat, sed quotannis fit, nimirum cum ex temporis conversione, hoc est, revolutione dies hæc, qua res ea gesta est, redierit. Hac vero de causa sæpius Encænia celebramus, ut præclaræ res memoriæ conditæ serventur, nec temporis injuria oblitterentur, atque oblivionis gurgite obscuratæ et obductæ obrutæque dilabantur. Ἐξίτηλα autem ea dicuntur proprie, quæ florem amiserunt, et ut nominis etymon indicat, τὰ ἔξω τοῦ τεθηλέναι, id est, quæ efflouerunt.

Ibid. *Innovantur quidem ad Deum insulæ*, etc. A Scriptura sacra Encæniorum testimonia producit. Ac primum Isaiam profert, per quem Deus ita loquitur : *Innovamini ad me, insulæ* [65]: quo loco per insulas, gentium assumptio significatur, quæ ex falsa et amara infidelitate emergentes calcabilem et stabilem in Christo sedem accipiunt. *Innovamini*, igitur *insulæ*, inquit, hoc est, vetustatem ex errore et peccato contractam a cordibus vestris ejicite, ac per pœnitentiam et fidem innovamini.

Ibid. *Innovatur etium apud alium prophetam* (25), etc. Murus quidem æreus apud Jeremiam reperitur : *Ecce* enim, inquit, *posui te ut civitatem munitam, et ut murum æreum* [66]. Murus autem innovatus simpliciter, ac non æreus apud Isaiam legitur, cum ait : *Venter meus super Moab, ut cithara sonabit, et præcordia mea quasi murus, quem innovasti* [67]. Videtur itaque Theologus æreum quidem a Jeremia, innovationem autem ab Isaia sumpsisse. Ac fortasse minus advertisse videtur Theologus, cum muri innovationem ad alium prophetam retulerit, non autem ad Isaiam, apud quem ea reperitur. Enimvero prophetæ dictum explicans, per murum animam significari dicit, quæ dura quidem et firma est (nam hujusmodi murus est) ; aurea autem, quia æris quoque forma auri colorem refert ; recens autem ad pietatem compacta, propter innovationem. Dedicantur enim quæ nova sunt, ac recens fixa et constituta. Fortasse etiam dici potest, hac ratione adductum fuisse Gregorium, ut murum æreum intelligeret, etiamsi hoc ad verbum expressum apud prophetam non invenerit, quoniam dixit Isaias : *Sonabunt præcordia mea quasi murus ;* τὸ ἠχεῖν autem de ære dicitur. Porro Isaias se Moabitarum clades et calamitates expositurum profitetur, cithara videlicet atque organum Spiritus sancti factus, ab eoque innovatus et afflatus, atque et ventrem et intestina, hoc est, cogitationes et intelligendi facultatem instar muri cujusdam inexpugnabilis habere se dicit, ne videlicet ad eam cogitationes malæ ullo modo irrepere possint.

Col. 607 B. *Ad hæc canticum novum Domino*, etc. David CXLIX Psal. ait : *Cantate Domino canticum novum*. Est autem canticum novum, si historiam spectes, præclarus ille et insignis cantus, qui ob prosperum quemdam successum ac victoriam canitur : si autem allegoricum sensum quæras, Novi Testamenti cantio. Tum enim nova omnia facta sunt, et creatura nova, et novus homo, et vita nova, et nova mandata, et nova gratia, et novæ pollicitationes, et nova sacramenta, et nova præcepta. Atque eo nomine Novum Testamentum dicitur, non solum a tempore, sed etiam a natura earum rerum, quæ in eo contigerunt, quandoquidem omnia innovata sunt, et in primis homo, propter quem omnia exstiterunt. Et quidem juxta historiam, quoniam ex Hebræis alii captivi Babylonem abducti sunt, ac rursus salvi et incolumes Hierosolymam redierunt, alii Hierosolymis manserunt : utrosque David ad novum canticum decantandum cohortatur, alios quod in patriis sedibus manserint, alios quod in patriam reversi sint. At juxta anagogicum sensum, Babylon est confusio, et mentis obscuratio a turbidis animi motibus ac perturbationibus injecta. Babylon enim confusionem sonat. Jerusalem autem est tranquillus et

[65] Isa. XLI, 1. [66] Jerem. I, 18. [67] Isa. XVI, 11.

(25) *Apud alium prophetam*. Duplici de causa prophetæ nomen silentio pressum esse arbitror : velut lectum quidem a scriptore, cæterum prudenti consilio tacitum, ut animus noster ad eorum quæ commemorata sunt, indagationem exstimularetur, vel potius, ut prorsus incognitum, qualia et alia verba, quæ similiter ut prophetica circumferuntur, atque scribuntur, nec tamen usquam eorum nomina exstant, aut contra exstantibus auctorum nominibus, scripta ipsa interciderunt. Neque enim verisimile est eum, si propheticum hoc nomen cognitum habuisset, illud nos celaturum fuisse.

Digitized by Google

pacatus animæ status, atque ab affectuum tumultu ac strepitu liber. Jerusalem enim, si interpreteris, pacis visionem significat. Quemadmodum igitur tunc fas non erat Judæis divinos cantus in barbara terra cantare, tametsi illis instrumenta non deessent, verum dicebant : *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*[46] ; sic nec nobis, etiamsi os ac linguam, quæ sermonis organa sunt, habeamus, fas est libertate loquendi uti, id est, fidenter ac libere ipsius auxilium quærere atque implorare, quandiu peccato, quo nulli barbari acerbiores tyranni sunt, servierimus, atque in alia republica fuerimus. Os enim nobis Propheta obstruit dicens : *Peccatori* autem *dixit Deus, Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum* [47] ? Posteaquam autem ex spirituali captivitate per pœnitentiam quasi postliminio redierimus, novamque rursus vitæ rationem et administrationem inierimus, tum demum ob hanc novam vitam, novum quoque cantum concinemus. Quin etiam illi, qui spiritualem captivitatem nequaquam pertulerunt, sed in virtute tanquam in patria manserunt, ac proficiendo novos subinde virtutis progressus faciunt, novum quoque canticum Deo concinunt.

Ibid. *Tum etiam testimonii arca innovatur*, etc. Scriptum est libro Numerorum : Postquam Moses arcam erexit, obtulerunt duodecim principes, hoc est, tribuum præfecti, ad altaris dedicationem, munera sua, nimirum acetabula argentea, et phialas argenteas, et thuribula aurea, et animalia ad holocaustum [48]. Hanc porro testimonii arcam Mosi compingendam mandavit Deus : *Facies enim*, inquit, *juxta omnia quæcunque tibi in monte ostendo, hoc est*, juxta exemplar arcæ, quod tibi ego ostendo, etc. [49]. Beseleel autem ex tribu Juda ortus, quem Deus spiritu sapientiæ impletum architecti munere fungi jussit, eam absolvit, Mose ejus formam præscribente juxta exemplar ipsi a Deo in monte ostensum. At Moses ipse eam statuit, quemadmodum de his omnibus in Exodi libro fusissime scriptum est. Testimonii porro arca dicta est, vel quia capsam, in qua et Testamenti tabulæ, et amphora ipsius manna continebantur, ad eorum quæ tum gesta et lege sancita fuerant, testimonium confirmationemque, clausam haberet [50] : vel quia in ipsa Dominus conspiciendum se præbens, Mosi rerum agendarum vel non agendarum oracula et contestationes edebat, a quibus nomen accepit : *Contestare*, inquit, id est, præcipe, *populo huic* [51]; vel etiam a lege ita nuncupabatur, quæ etiam ipsa testimonium dicitur, juxta illud : *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* [52]. Hujus arcæ Encænia primumque usum, ad quem magnifice et multis sumptibus exstructa fuerat, Moses celebravit. Cæterum arca quoque testimonii dici possit illud mysticum Dei consilium de Verbi incarnatione, quod Deus Pater bona voluntate comprobans ostendit, et Spiritus sanctus, cujus figuram gerit sapiens Beseleel, labore suo et industria perfecit, ac spiritualis Moses Christus opificis ritu per se effecit, humanam videlicet naturam in se ipso compingens per hypostaticam unionem. Arca postremo rerum omnium creationem designare queat, quam Pater ut mens cogitavit, Filius ut Verbum condidit, ac denique Spiritus sanctus omnibus numeris absolvit.

Ibid. C. *Jam regnum quoque Davidi innovatum est*, etc. Prius David a Samuele in Bethleem unctus est, ut habetur I Reg. cap. v. Deinde, exstincto Saule, in Hebron rex salutatus est, ut testatur secundus liber ; tertio post interitum Mephiboseth ab universis tribubus. Ergo et cum post unctionem regnum ipsi novaretur, festum celebravit : et rursus cum per universæ plebis salutationem ipsi principatus innovaretur, diem illum lætitia et solemnitate prosecutus est, regni administrationem capessens. Juxta allegoriam autem spiritualis David Christus est, verus, inquam, ille rex novi Israelis ac videntis Deum, ut ex genere David secundum carnem oriundus. Hic in primo suo adventu quantum ad humanitatem unctus est : at in secundo et illustri ut Deus et Dominus, omnisque creaturæ Rex et Creator proclamabitur, vel etiam proclamatus est, data scilicet ei, ut homini, omni potestate in cœlo et in terra [53]. Porro ipsius regnum, si quidem priorem unctionem spectemus, in conceptionis ipsius vel nativitatis festo innovatur : si autem secundam proclamationem, in festo celebri Resurrectionis.

Ibid. *Facta sunt etiam Encænia Hierosolymis*, etc. Encænia hoc loco intelligit, non prioris illius structuræ templi, quæ regnante Salomone facta est, sed posterioris illius, quæ reditum Judæorum ex Babylonica captivitate secuta est. Cum igitur Encænia illa celebrarent Israelitæ, non modo hiems erat naturalis ac sensibilis, quemadmodum commemorat Joannes [54], sed etiam spiritualis, nempe perfidiæ et incredulitatis, ut Gregorius noster exponit. Aderat autem et Jesus, qui tempus quidem omne præcedit ut Deus, recens autem et novus est, ut templum et homo : templum, inquam, de quo Salvator ipse dixit : *Solvite templum hoc, et in tribus diebus illud excitabo* [55]. Corporis enim templum uno eodemque die (passionis scilicet) solutum est, ac tertio post die excitatum : nec jam moritur, sed, ut Danielis verbis utar, manet in sæcula. Et quidem mortem subiit Christus, ut mihi, hoc est, omnibus salutem afferat. Surrexit autem, ut me a veteri lapsu erigat, atque ex veteri novum instaurando faciat.

Col. 610 A. *Quin divinus quoque David cor mundum in se creare*, etc. Intelligendi vis et facultas a Davide cor vocatur : intellectus autem agitationes viscerum nomine appellantur. Ac facultatis intellectricis puritatem et spiritus innovationem in

[46] Psal. CXXXVI, 4. [47] Psal. XLIX. 16. [48] Num. VII, 1 seqq. [49] Exod. XXV, 40. [50] Exod. XXII, XXXV, XXXVI. [51] Exod. XIX, 21. [52] Psal. XCII, 5. [53] Matth. XXVI, 18. [54] Joan. X, 22. [55] Joan. II. 19.

Digitized by Google

cogitationibus petit, non ut non habens, sed ut exoptans recentius quiddam quotidie sibi accedere. Innovatio quippe novum profectum quotidie nascentem accessionemque significat.

Ibid. *Sed quid mihi plura Encænia colligere necesse est*, etc. Quid, inquit, plura Encænia commemorare necesse est, cum possim Encænia hæc docere, quæ nunc propter salutem nostram celebramus, ut qui non solum duplicem mortem fugerimus, alteram nimirum corruptionis et interitus, alteram peccati in Christo sublatam et exstinctam : sed etiam duplici vitæ nobis in Christo partæ adjuncti fuerimus, nempe et immortali illi atque in spe positæ, et ei quæ in peccati oppressione sita est. Christus enim mortuus est et resurrexit, ut nos peccato moriamur, atque in novitate vitæ ambulemus [86]. Quod autem Encæniorum nomen secundo repetitum est, causam ab ipso Theologo adnexam habet. Nam ea quæ voluptatis sensu animos nostros afficiunt, identidem præ gaudio repetimus : nondum tamen quidquid volumus, expressisse nobis videmur. Innovatas aures afferte. Innovatur enim auris, in quam novi aliquid insonat, et quæ ea audit, quæ nunquam antea audiverat.

Ibid. B. *Lumen unum et inaccessibile*, etc. Professus Theologus se nobis traditurum, quidnam sint Encænia, quæ a nobis celebrantur, non statim promissi fidem explet, sed altius a theologia et naturali philosophia orsus, ac deinde ad humanitatis a Christo assumptæ consilium descendens, ita demum de Encæniis pertractat. Ac de divinitate quidem verba faciens lumen Deum nominat, et lumen unum (una enim, quamvis in tribus personis, est divinitas) atque id inaccessibile, quod quidem plus est quam imperceptibile. Inaccessibile enim hoc dicitur, ad quod ne accedere quidem quisquam potest, nedum id comprehendere. Atque etiam successionis expers esse divinitatis lumen affirmat, ad solaris luminis differentiam, cui nox succedit. Jam, nec principium, nec finem habere, sed omni mensura et circumscriptione sublimius esse docet. Adhæc perpetuo fulgidum vocat, ut successioni minime obnoxium semperque lucens, atque adeo trifulgidum, utpote in tribus personis rutilans. Cumque dixisset lumen illud, quantum est, a paucis perviderí et spectari posse, confestim hoc dictum ut vero minime consentaneum arripuit, seque corrigens exacte aperteque dixit, *imo ne paucis quidem*, atque ita hujusmodi lumen nullo modo percipi et comprehendi posse declaravit. Deus igitur princeps lumen est, fonsque luminum. Secunda autem lumina, ab eo lumen accipientia, cœlites virtutes sunt Deum circumstantes, et ut Hebræis Paulus scribens ait : *Administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui salutem hæreditate accepturi sunt* [87]. At nostrum hoc lumen, nec principio, nec successione caret, ut divinum, sed et angelico lumine posterius creatum ac temporarium est, hoc, inquam, materia constans et mundanum lumen in aspectumque cadens. Nam et a nocte interscinditur, et noctem rursus æquis portionibus intersecat ; nonnunquam enim eam magnitudine superat, nonnunquam rursum ab ea superatur : quantumque ipsi aufert, tantum vicissim ab eo extorquetur, nunc quidem maximo die brevissimæ nocti, nunc contra maxima nocte brevissimo die succedente : adeo ut nec horarum numero, nec spatio et intervallo alterum ab altero superetur, sed pacata et tranquilla æmulatione inter se certent ac maximus dies maximæ nocti, brevissimus brevissimæ respondeat. Hoc itaque lumen in aere fusum et expansum est, quem natura sua caligine sum ac totum in se compactum atque commistum illustravit. Aspectui autem oculisque commissum et donatum est. Siquidem aspectu remoto inane ac supervacaneum luminis donum futurum est. *Id quod dat accipit.* Oculis enim vim cernendi affert primumque ab oculis conspicitur : quemadmodum Dion Prusensis erudite scripsit. Neque enim res oculis subjectas sublato lumine aspectus solus intuetur, sed lumen oculos circumlustrat, primumque quæ in oculos incurrit, ac deinde ipsius opera res quoque aliæ in conspectum cadunt. Circumfusum enim iis rebus, quæ aspectu sentiuntur, libertatem illis perspicuitatemque donat, id est, efficit, ut appareant atque cernantur. Vel etiam libertatem *affert*, ut unusquisque proprio operi munerique *incumbat*. Nocte enim ac tenebris dominantibus omnes ab actione conquiescunt, nec pedem domo efferre libere audent.

Col. 610 C. *Nam cum Deus hunc ex visibilibus et invisibilibus*, etc. Adhuc in sermone de lumine commoratur, aitque : Mundus intellectilis ac spiritualis a Deo creatus, ipsum Deum, lumen maximum, habebat, ac proinde nihil erat, cur secundum lumen requireret. Ac rebus inferioribus, et circa nos positis, ante alia luminis hujus sensibilis vim et facultatem produxit. Conveniebat enim magno lumini, hoc est, Deo, inferiora ista efficere parantí, non aliunde opificii sui principium quam a lumine ducere, quo et tenebras solvit, ac vastam congeriem et confusionem, omnia prius occupantem. Luce quippe nondum creata, inconditum erat hoc universum atque inordinatum. Ordinem autem post cœli et terræ creationem statim animadvertere queas : *Fiat* enim, inquit, *firmamentum*. Deinde, *Germinet terra*, et cætera eodem modo [88]. Ubi autem primum quiddam est, ac secundum, quis illic ordinem esse inficias iverit ? Hæc autem a Platone mutuatus est, cujus hæc verba sunt : Cum Deus, quidquid in cernendi sensum caderet, assumpsisset, non tranquillum et quietum, sed immoderate agitatum et fluctuans, ex inordinato in ordinem adduxit. Verum fortasse quispiam addubitaverit, cum Moses dicat : *In principio creavit Deus cœlum et terram* [89],

[86] Rom. VI, 4. [87] Hebr. I, 14. [88] Genes. I, 2 seqq. [89] Ibid. 1.

Digitized by Google

ac postea subjungat: *Et dixit Deus: Fiat lux* [60], quid causæ sit, cur Theologus Deum opus suum a lumine auspicatum esse dicat. Quod etiam non hoc tantum loco dicit, sed in poesi quoque sua, in qua ita cecinit :

Principio lumen summus Moderator olympi
Fecit, ut accessu lucis jucundior esset
Tota operis magni facies : ac postea cœlum
Sidereum, facinus mirabile, duxit in orbem.

Et quæ sequuntur.

Sed multis modis hanc dubitationem solvere licet, atque ostendere Theologi verba cum Mosis verbis nequaquam pugnare. Primum quia Moses quoque ipse post primi cœli creationem lumen factum, deinde firmamentum, in quo et solem et sidera collocata esse asserit. Eodem enim modo Theologus quoque lucem primum conditam fuisse ait, deinde cœlum hoc stellis distinctum, quod etiam firmamentum nominatum est, ac primo hoc cœlo inferius est, quod profanis quoque scriptoribus, Mosis doctrinam suffurantibus, ac sibi vindicantibus, cœlum sideribus carens dicitur. Secundo juxta Gregorii Nysseni sententiam ita hunc nodum explicare possumus : Deus universam materiam simul creavit, ex qua omnia producta sunt. Hac porro creata, prima lux, utpote magis efficax, discreta et separata est, atque exsiliit. Post alia materia ad cœli creationem, alia ad terræ constructionem assumpta est, atque ita universum perfectum est. Tertia difficultatis solutio eaque exactissima hæc esse possit. Inter effectionem et fabricationem discrimen constituunt cum alii multi eruditi viri, tum sanctus et philosophus et martyrii laude clarus et celebris Justinus. Nam factor, nulla alia re indigens, sua ipsius vi et potestate opus efficit. At fabricator, vim opificii sui a materia accipiens, opus fabricatur. Quoniam igitur hoc prius assumptum est, et pro certo ac confesso habetur, nimirum factorem ex nihilo facere, opificem autem ex subjecta materia, videndum jam atque animadvertendum restat, quam exacte ac vere hæc Theologus dixerit. Non enim dixit : Conveniebat Deo creationem a lumine exordiri ; nam id a veritate alienum fuisset ; sed opificium, quod quidem verum est. Cœlum enim, et terra, cæteraque elementa, ex nulla materia præjacente facta sunt, idque *creatio* dicitur : at animantes, et stirpes, et semina ex his facta sunt, hoc est, ex quatuor elementis, terra, aqua, aere, et igne, atque id opificium nominatur. Itaque Deus non creationem, sed *opificium* suum a lumine orsus est. Nam cum ex elementis jam a se productis animantes et plantas ac semina efficere voluit, tum primum dixit : *Fiat lux* [61] : deinde, *Germinet terra* [62] : Et : *Producant aquæ reptilia et volatilia* [63]. Et : *Producat terra animam viventem, quadrupedia, et reptilia, et bestias* [64]. Atque hoc sensibile lumen Deus organicum a principio nequaquam ostendit, id est, quasi in organo quodam et corpore (velut in vase) circumscriptum et conclusum, quale nunc cernitur, cum solis orbe continetur, verum incorporeum ac solis expers. Nam cum nondum solari orbe circumscriptum esset, incorporeum erat ; hoc enim significat ἀνήλιον. Postea ipsum soli ac sideribus dedit, hoc est, primigenium lumen illis luminaribus summus architectus imposuit : non quod luminis alterius inopia premeretur, sed ne lumen illud iners ac torpidum maneret. Neque enim luminare, lumen ipsum est, sed luminis conceptaculum. Quid autem causæ fuit, cur prius lumen, deinde luminis conceptaculum, hoc est, solarem orbem crearet? Nimirum ut magnum quoddam et insigne miraculum ederet. Nam cum in reliquis creaturis materiam prius condidisset (est autem materia id, quod unicuique rei ad essentiam subjacet, velut quatuor elementa), ac deinde formam indidisset : hic tamen formam prius creavit, hoc est, lumen (solis enim forma lumen est, sol autem luminis materia), postea autem materiam effinxit, hoc est, solare corpus, ac solem diei parentem fabricatus est. Ita producto lumine primus dies, et secundus numeratur, ac sic deinceps usque ad septimum, quo Deus requievit ab omnibus operibus, quæ fecerat, quemadmodum testatur Scriptura. Diebus enim opificium Dei dividitur. Primo etenim lux facta est, quæ et diffusa et collecta tres dies ante solis creationem fecit ; secundo, firmamentum ; tertio, aquarum collectio, terræque germinatio ; quarto, luminaria ; quinto, animalia ex aquis producta ; sexto, animalia terrestria, et homo. Quod autem hæc opera eo ordine constituta sint, ut aliud sit primum, aliud secundum, ac deinceps, non temere ac frustra factum est, sed propter rationes quasdam arcanas et ineffabiles. Rebus enim creatis ordine opus erat. Ordini porro familiaris et accommodus est numerus, ut Philo Hebræus scripsit. Proinde haud subito atque confertim opifex Verbum, Deique Filius, omnia in rerum naturam extulit, licet alioqui omnia facere possit, non modo jussu atque imperio, sed sola etiam cogitatione. *Ipse* enim *dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt* [65,66]. Quid autem dico : *Dixit, et facta sunt*, cum cogitatio sola perfectum opus Deo sistat ac repræsentet? Horum autem verborum sententiam Theologus a libro Judith accepit, Deum his verbis alloquentis : *Cogitasti, ac præsto fuerunt tibi omnia, quæ fecisti* [67]. Quod si postremus homo editus est, idque cum ad imaginem Dei factus, manuque divina effictus fuerit, minime mirandum est. Nam cum eorum quæ terræ amplexu continentur, regnum ac principatum habiturus esset, adornandum prius erat palatium, et animantia ea quibus præesse debebat, procreanda,

[60] Gen. I, 3. [61] ibid., 5. [62] ibid. 11. [63] ibid. 20. [64] ibid. 24. [65,66] Psal. CXLVIII, 5. [67] Judith. IX, 4.

Digitized by Google

sicque demum ipse, omnibus jam suis satellitibus stipatus, introducendus erat, ut mundum ingressus, paupertate atque inopia minime laboraret, sed divitiis statim et copiis afflueret.

Col. 611 B. *Quod si, quod eramus, permansissemus*, etc. Homo, nec actu mortalis, nec immortalis creatus est, verum medius inter Deum et materiam factus, in ea causa erat, ut si præcepto divino paruisset, Deo uniretur, atque in immortalitatem assereretur : si autem legem infregisset, morti obnoxius efficeretur, ac pro impassibili passibilis, pro immortali mortalis fieret. Quod etiam hoc loco Theologus indicat, cum ait : Si quod eramus, permansissemus, hoc est puri, fuissemus id quod non eramus, hoc est immortales, nimirum ad immortalis vitæ lignum, præterito scientiæ ligno, accedentes. Quænam autem plantæ istæ fuerint, satis copiose in superioris orationis commentario a nobis explicatum est. Postquam autem juxta id quod in libro Sapientiæ habetur : *Invidia diaboli mors in mundum intravit* [68], ac per fraudem hominem surripuit, idcirco Deus homo fit, eoque paupertatis venit, ut in carnem compingatur atque crassescat, ut nos, juxta Apostolum [69], ejus paupertate ditescamus. Ac patitur, non quatenus Deus, sed nostra passione ; id est, quatenus homo. Nostrum enim est atque humanum sic pati. Porro quemadmodum ab incarnatione passio, ita a passione mors fluxit : tum resurrectio, a qua nova creatura, id est, naturæ nostræ recreatio atque instauratio, primæ generationis lapsum ac confractionem sanans et erigens. Atque ob hanc causam post festum Paschæ festum Encæniorum omnes celebramus : ac rursus ego declamaturus prodeo, Encæniorum modo et ratione, salutis meæ festum agens.

Ibid. C. *Quid igitur, dixerit quispiam*, etc. Cum Dominicam hanc Encænium vocasset, per anthypophoram quempiam inducit sciscitantem : Quid ais? An Dominica prima Encænium non erat, illa, inquam, quæ magni Sabbati noctem, illamque luminum gestationem, quæ tum celebratur, excepit? Quid igitur hic secundæ Dominicæ Encæniorum nomen tribuis? Hanc objectionem ita solvit, quod illa Resurrectionis Dominica salutifera erit. In ipsa enim salutem consecuti sumus, nimirum ejus beneficio ex morte et corruptione ad vitam immortalem et incorruptionem æternam immutati : hæc autem nova Dominica, natale est illius et commemoratio. Illa enim resurrectio erat, hæc autem resurrectionis illius festum et Encænium. Et quemadmodum natalitii dies, cum celebrantur, eorum qui gignuntur commemorationem habent, annuo videlicet circulo procreationis ipsorum diem revehente : sic etiam nova hæc Dominica, quam septenarius dierum circuitus efficit, sive restituit, primæ Dominicæ natale dicitur, quod illius sit festum et commemoratio. Atque adeo prima illa Dominica velut interliminium quoddam est funeris ac sepulturæ, quæ in magno Sabbato celebratur, et resurrectionis, quæ eadem ipsa Dominica contigit, sepulturæ quidem finem, resurrectionis autem principium habens. Ac proinde, ut in medio posita, mœstitiæ ac voluptatis utrinque particeps est : ac hæc nova Dominica non jam confinium est, ut triste aliquid secum afferat, sed plane regenerationis et resurrectionis est, ut quemadmodum prima creatio a Dominico die cœpit (id autem ex eo liquidissime constat, quod in mundi creatione a Dominico die septimus dies Sabbatum numeratur, quo Deus ab operibus suis conquievit), sic etiam secunda creatio ab eodem die principium accipiat. Atque illud etiam tibi animadvertendum est, novam hanc Dominicam, præterquam quod easdem prærogativas habet, quas prima Dominica, alia privilegia insuper habere, quibus illa caret. Nam ut illa prioris creationis prima est : ita hæc quoque secundæ, hoc est, novæ. Ad hæc quoque prima est earum, quæ postea sequuntur. Ad hoc eximium habet nova Dominica, quod etiam octava dies est ab iis quæ eam præcesserunt. Quare si quis novam Dominicam cum Resurrectionis Dominica conferre voluerit, sublimiorem hanc et admirabiliorem esse affirmabit, ut quæ spiritualis materiæque expertis Dominicæ quasi præludium sit, beatæque vitæ primitiæ, hoc est, secundæ creationis, quæ resurrectionem consequetur, vel novæ conversationis rationisque vitæ, quæ in octavo nullique successioni obnoxio sæculo futura est. Hoc loco nonnulli objectionem movent, dicentes : Quid tandem Theologus, cum Resurrectionis Dominicam festis omnibus superiorem esse dixerit, nunc rursus diei Resurrectionis Encæniorum diem anteponit, ac quodammodo secum pugnat? Ad hujus objectionis solutionem ea afferre licet, quæ in hac eadem oratione paulo inferius ait : Nec vere hæc eo a me dicuntur, quod te eodem semper statu manere velim, sed ut perpetuo et laudabili motu agiteris, ac nova omnino creatura sis. Quemadmodum igitur eum qui innovatur, seipso sublimiorem et diviniorem fieri perspicimus, virtutis nimirum progressibus et incrementis fulgescentem : sic etiam omnes nostra causa excogitatos solemnes dies seipsis sublimiores in nobis fieri credendum est, cum mysterium, quod per eos designatur, vim suam et facultatem numeris omnibus absolutam in nobis edit. Quocirca non absurde novam Dominicam sublimi sublimiorem Theologus dixit, quod semper eadem dies nobiscum sit, seseque superet. Prima enim Dominica mysterio suo hoc solum nobis affert, ut vitam ab omni crassa et terrestri imaginatione purget : at novæ Dominicæ beneficio hoc consequimur, ut bonis omnibus, quorum prior Dominica velut primitias quasdam attulerat, per-

[68] Sap. II, 24. [69] II Cor. VIII, 9.

Digitized by Google

fruamur. Ad hæc prima Dominica, resurrectionis illius, qua certo animi proposito et voluntate ad virtutem excitamur, figuram gerit; secunda autem, voluntarii habitus ad perfectionis scientiam figura est. Adde, quod illa futuram resurrectionem designat : hæc ipsam divinitatis acceptionem. Quare optimo jure sublimi prima Dominica sublimior nova dicta est : quandoquidem, et deificatio incorruptione, et bonorum perceptio habitudine a malis liberata, et cœlestis atque sempiternus status præsentis vitæ statu et conditione sublimior est ac præstantior. Quod etiam ipsum Salomon innuit, cum ait : *Da partem septem, atque etiam octo* [70], septem quidem hanc vitam nominans, ut quæ eadem cum septenario numero mensura finiatur; octo autem futuram. Is porro suam utrique vitæ partem dat, qui hic quidem bonis actionibus atque operibus studuit, in altero autem ævo restitutus est, hoc est, in cœlestium bonorum perceptione constitutus. Atque etiam David huic duos psalmos accinere videtur, sextum et undecimum, quibus titulum indidit : *De octava*, quemadmodum et huic Encæniorum diei centesimum nonum dicat, innovationem domus inscribens. Nos autem hujusmodi domus sumus, quibus in honoris habitum est, ut templum Dei, et simus, et nominemur, et efficiamur [71]. Deus enim per Jeremiam quodam loco ita loquitur : *Inhabitabo in illis et inambulabo* [72]. Paulus quoque ad Corinthios ad hunc modum scribit : *Templum Dei viventis estis* [73]. Et rursus : *An nescitis, quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* [74]. En quomodo apud Jeremiam domus Dei, apud Apostolum templum Dei nominemur. Is porro templum Dei violare dicitur, qui obscenis ac meretriciis congressibus carnem inquinat, ac cœno involvit.

Col. 614 A. *Encæniorum rationem habetis. At vos innovemini*, etc. Encæniorum rationem et explicationem didicistis. Reliquum est, ut innovemini, atque, ut Apostolus loquitur [75], veterem hominem, hoc est, peccatum, quod senium nobis et vetustatem importavit, abjiciatis; atque, ut idem Apostolus admonet [76], in novitate vitæ ambuletis, ac versemini, hoc est, cum virtute, quæ alumnos suos innovat, ac juvenes efficit, vivatis. Id autem assequemini, si continentiam velut frenum, omnibus sensuum instrumentis injeceritis (ex quibus animæ mors oritur, juxta id quod ait Jeremias : *Ascendit mors per fenestras* [77]); si non hoc aut illud membrum, sed omnia ita rexeritis, ut unumquodque regi atque in officio contineri castigarique natura comparatum est ; si denique vitiosam omnem ligni vetiti manducationem exsecremini (per lignum enim voluptas interdicta significatur), ac vetera illa, ex quibus transgressio nobis orta est, contrariusque sensuum usus, in hoc solum recordemini ut ea fugiatis, ne per horum oblivionem in eamdem rursus incidatis. Alioqui enim, nec ea memoria recolenda sunt, nisi ob hanc unam causam, ut ea vitemus quæ nobis condemnationem attulerunt.

Ibid. B. *Pulcher erat ad aspectum*, etc. Hic sensus instruit, a quibus morti aditus patefactus est. Scriptum enim est in libro Genesis : *Et vidit mulier quod lignum bonum erat ad esum, et pulchrum ad intelligendum* [78]. Quoniam igitur fructus ille tum visu pulcherrimus, tum perceptu suavissimus, nos per primos parentes inescavit atque interemit, colorum nitores posthac fugiamus, visum qui principem inter sensus locum tenet, castigantes : nec ad externa, sed ad nos ipsos oculos flectamus, juxta illud Deuteronomii præceptum : *Attende tibi ipsi* [79], atque Proverbiorum auctorem Salomonem audiamus dicentem [80] : Ne te superet eximiæ formæ cupiditas, nec una cum palpebris in transversum abripiaris, non solum ex vano et curioso aspectu, sed, si fieri potest, ne ex fortuito quidem atque obiter sese objiciente; verum teipsum vel ad levem usque ac neglectum prospectum communi, atque oculos comprime. Cæterum propter rei difficultatem additum est: Si fieri potest. Videre porro nihil aliud est, quam simpliciter inspicere. Huic utrinque opponuntur curiose intueri, et neglectim atque obiter aspicere, velut excessus et defectus. Videndum itaque tibi est, ne cum palpebris abripiaris, atque Eva tibi animo proponenda, quæ quidem dulcis impostura erat, ob conspicuam ipsius formam, et incantatio chara, propter illicientem et delinientem voluptatem. Femina enim, velut esca, marem ad se trahit, ac veneno inficit, voluptuariisque gestibus, et sermonibus. ac rebus, quasi quibusdam præstigiis, ludificatur, quibus ad acerbissimum animæ interitum et exitium illectus pertrahitur. Nam si illa, quæ propria erat, sociaque et auxiliatrix data fuerat, virum perdidit, quo pacto meretrix et alicna saluti futura est? Oculi igitur sic coërceantur in palpebris, non secus atque in nuptiali thalamo, virgineo more versantes, nec procacibus et impudicis motibus aculeum excitantes. Atque etiam insuper voluptatem usque ad gustus sensum et fauces aversare, ad quas cibus omnis devolvitur : et, quod ante perceptionem charum habebatur, idem perceptum vanescit et contemnitur. Quin illud tibi quoque cavendum est, ne te olfactus effeminet. Turpe enim est et muliebre atque a viro alienum unguentis et odorum suavitatibus uti : alioqui etiam immodicus hujusmodi rerum usus salaciores mares atque ad venereum congressum propensiores reddit. Ferunt enim Commodum imperatorem, cum grassante

[70] Eccle. xi,2. [71] II Cor.vi, 16. [72] Imo, Levit. xxvi,12; I Cor. vi,16. [73] II Cor. vi, 16. [74] I Cor. iii, 16, 17. [75] Coloss. iii, 9. [76] Rom. vi, 4. [77] Jerem. ix, 21. [78] Gen. iii, 6. [79] Deut. xxvii, 9. [80] Prov. vi, 25 seqq.

Digitized by Google

aliquando peste unguentis usus esset, ex ea re ad libidinem majores flammas concepisse. Proinde nec per olfactum effemineris, nec per tactum enerveris et emolliaris ; verum lævitates omnes et mollities fuge. Tactum autem dicit, non eum tantum qui manu fit, sed cum etiam qui in toto corpore servatur. Vis enim et facultas tangendi per totam carnem sparsa et diffusa est, exceptis pilis, ossibus, unguibus, ac nervis. Hæc enim sola sensu carent. Quid præterea? Auditus te in fraudem injecit, ac circumventum rursus a veritate abduxit, quemadmodum olim primos parentes. Ne ipse quidem in posterum solutus sit, sed bonis sermonibus pateat, ad turpia autem verba et ad fraudem et curiositatem composita obstruatur. Audi Salomonem [81], atque os tuum aperi verbo Dei, hoc est, cum utilem quemdam et frugiferum sermonem habiturus es, tum demum os tuum aperi, ut cum Davide ipse quoque dicas : *Os meum aperui, et attraxi spiritum* [82]. Quod si ad sordida et obscena verba proferenda os tuum aperueris, tum spiritum minime attrahes, sed mortem potius. Nam os nostrum una ex fenestris illis est, per quas, cum nequaquam recte aperiuntur, mortem ascendere Jeremias testatur [83].

Ibid. C. *Cum quidpiam eorum, quæ interdicta sunt*, etc. Docuit Theologus quomodo quinque sensibus uti debeamus : ex quibus visus ad rectas lineas cernit, olfactus autem et auditus non solum ad rectam lineam, sed undecunque propria sibi sensilia arripiunt, nimirum ille odores, hic voces. Porro tactus, qui omnium animantium communis est, et gustus, nec secundum rectam lineam, nec undecunque subjecta sibi sensilia cognoscunt : verum tum solum, cum propinqua ipsis fuerint. Postquam igitur de his pertractavit, nunc de memorandi quoque facultate disserit, quæ memoriæ et reminiscentiæ causa et promptuarium est. Organum autem ac sedes illius est posterior tunica cerebri. Meminisse autem anima dicitur, cum formas atque impressiones earum rerum, quas opinione concepit, retinet. Igitur de vi memoratrice, ejusque actu tractans, ait : Si quid eorum quæ non concessa, sed interdicta fuerunt, illecebra quadam animum tuum tentet, ac jam jamque in fraudem impulsurum sit, in memoria habe quisnam fueris ante violatum Dei præceptum, nempe paradisi civis, et rex eorum quæ terræ complexu tenentur, atque in beatæ vitæ ratione positus, a qua prolapsus periisti. Si paulum a vera et recta doctrina aberraveris, rectum iter rursus arripe, atque ab errore et digressione ad teipsum redi, priusquam omnino a ratione excidas, atque in brutorum naturam degeneres, præcepsque ad exitium animæque interitum ruas. Atque ex veteri novus efficere, id est, bonus ex improbo, sordes videlicet peccati abjiciens, atque innovatoris Spiritus opera ad virtutem migrans : teque ita compara, ut innovatio ac vitæ in melius immutata ratio animæ festum tibi sit.

Ibid. *Ira tibi adversus serpentem solum existat*, etc. Postquam sensus satis accurate instruxit, nunc etiam de tribus animæ partibus præcepta tradit. Facultates enim animæ in partem rationalem, et rationis expertem dividuntur. Partis deinde a ratione alienæ partes sunt duæ, altera, quæ rationem nullo modo audit, sed naturæ imperio gubernatur, cujusmodi est ea quæ alendi ac gignendi vim habet, ac facultas ea qua pulsantur arteriæ. Altera, quæ rationi obtemperat, quæ etiam in iram et cupiditatem dividitur. Est autem ira, quasi miles quidam, rationis satelles, cupiditatis vindex. Nam cum alicujus rei cupiditate corripimur, atque a quopiam nobis impedimentum affertur; ira adversus eum incendimur, velut injuria affecti, nimirum ratione eam rem ira et indignatione dignam judicante. Quandoquidem igitur nulla nobis injuria tanta a quopiam illata est, quanta a serpente, et eo qui per ipsum et in ipso loquebatur, diabolo (ipsius enim fraude et scelere, tum paradiso, tum immortalitate excidimus), idcirco dicit Theologus : Ita tibi juste, et secundum naturam, adversus serpentem excitetur, a quo gravissime læsus es, cum quo etiam inimicitias gerere tibi imperatum est. *Inimicitias* enim, inquit, *ponam inter te et inter serpentem* [84]. Concupiscentia autem ad nullam rem noxiam et periculosam, sed ad Deum omnis intendatur, quem ut ex toto corde ames tibi lex lege præscripsit, ut cum Davide vere dicere possis : *Domine, ante te omne desiderium meum* [85]. Ratio præstantissima pars animæ, maximeque divina, velut auriga quidam, omnibus præsit, hoc est, et iræ et cupiditati et sensibus, nec quod præstantius est, id est, mens ab inferiori deprimatur, hoc est, ab ea parte, quæ affectibus agitatur atque a ratione aversa est. Illud etiam cavendum, ne pro serpente fratrem odio insecteris, idque frustra. Quidni enim frustra, cum alio agente et impellente alii ipse succenseas, ideinque tibi accidat quod canibus, qui lapides mordent, eos qui projecerunt non attingunt? Ad homicidam illum indignationis tuæ flammam converte, ad illum peccati architectum et opificem : fratrem autem, qui illius impulsu peccat, miserare, pro quo, sicut Apostolus ad Romanos scribit [86], Christus mortuus est, et cum Deus ac Dominus esset, frater tuus effectus est. Ipse enim, ut Paulus testatur [87], est primogenitus in multis fratribus. Atque adeo ipse apud Davidem ad Patrem ita loquitur : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* [88]. Ac præterea ipsemet in Evangelio ad mulieres dicebat : *Ite, annuntiate fratribus meis* [89]. Ei, qui virtutum splendore et gloria floret, ne invideas,

[81] Prov. xxxi, 8. [82] Psal. cxviii, 131. [83] Jerem. ix, 21. [84] Gen. iii, 15. [85] Psal. xxxvii, 10. [86] Rom. xiv, 15. [87] Rom. viii, 29. [88] Psal. xxi, 23. [89] Matth. xxviii, 10.

Digitized by Google

illud cogitans, quod tu quoque invidiam diaboli sensisti, ab eoque ita inflexus es, ut Deum, cum cognitionis ligno interdixisset, tibi invidere persuaderes : quæ tibi prolapsionis causa fuit. Lacrymam hominis in te intuentis et plorantis, ac misericordia indigentis, ne crudeliter contemnas, illud reputans, te multis quoque lacrymis digna passum esse, nimirum paradiso exturbatum, morti et corruptioni addictum, sexcentis peccatorum generibus involutum atque conspurcatum. Et tamen misericordiam consecutus es, paradisum, quem veteris Adami culpa perdideras, novi Adami beneficio rursus assecutus. Pauperem vacuum ne a te abire jubeas : quoniam cum tu quoque extrema omnium bonorum egestate premereris, eo divitiarum per baptismum evasisti, ut deus effectus sis. Divinus enim baptismus divinitatis est arrhabo. Quod si pauperis inopiam liberalitate tua sublevare non vis, at illud saltem a te impetretur, ne ad panperis oppressionem divitiarum auxilio abutaris. Nam id quoque non parvi beneficii loco ducendum est, cum avari ab injuria sibi temperant. Peregrinum ne contemnas, ne rursus paradiso exsulare cogaris ; verum ipsum suscipe, quoniam ipse etiam Christus propter eum peregre apud nos versatus est. Etenim quasi alienus ad propria venit, ut peregrinum ornaret atque illustraret. Cujus quidem Christi omnes advenæ et hospites sumus, tum quia nihil proprium habemus : ipsius enim sunt omnia, juxta illud Davidis : *Domini est terra et plenitudo ejus* [90] ; tum quia hic firmam ac stabilem sedem non habemus, verum ad supernam patriam properamus. Id quod nec Davidem fugit, ac proinde ad Deum dicebat : *Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei* [91]. Egenti tectum, vestem, cibum suppedita, hoc est, parvum diversorium, et indumentum, et panem, et res necessarias, quibus ipse, ultra quam usus postulet, deliciose affluis. Neque enim domum simpliciter habes, sed amplam et magnificam ; nec indumentum unum, sed multa et vario opere confecta ; nec panem ad corporis necessitatem demensum, sed horrea omni fructuum genere referta. Divitias ne expetas, nisi indigentis inopiæ solatium allaturus sis. Remitte debenti, si quid debet, sive pecunias, sive injuriam, sive denique simplicem quamdam expostulationem : quandoquidem tibi quoque Christus peccata adversus ipsum commissa condonavit. Miserare misericordia dignum : quoniam tibi quoque misericordiam impertiit Christus. Humanitate erga indigentes Dei benignitatem humanitatemque tibi concilia (justus enim ille judex misericordiam suam nostra misericordia expendit) quandiu vitæ tempus suppetit. Per laudabilem præclaramque immutationem tuam vitam vitæque rationem innova, hoc est, sive cælibatum, sive matrimonium, sive aliud quoddam vitæ genus et institutum delegeris, da operam ut in eo novos quotidie progressus facias.

Col. 615 B. *Quæ sub jugo estis, Deo quoque nonnihil date : præoccupatæ*, etc. Leges constituit Theologus tam conjugatis mulieribus, quam a matrimonii jugo liberis, occasionem ab Apostolo nactus, qui ad Corinthios scribens nuptias vinculum nominat, virginitatem autem solutionem et libertatem. Ait enim : *Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem* [92]. Et rursus : *Quæ non nupsit, curat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ in matrimonio est, curat quæ matrimonii sunt, quomodo placitura sit viro* [93]. Videamus igitur quam pulchre Theologi consilium cum apostolicis verbis consonet. Quæ, inquit, sub jugo estis, matrimonii jugo copulatæ : quandoquidem præoccupatæ estis, hoc est, præceptæ atque præstrictæ matrimonii vinculis, facite ut nonnullam quoque vestri partem Deo detis, nec mundo prorsus astringamini. Vos autem virgines, quæ nullis vinculis mundo astrictæ estis, sed ea tantum, quæ Dei sunt, curatis, omnia in universum date. Neque enim sub jugo estis, ut pars solum aliqua a vobis postulanda sit : verum solutæ, atque a mundi curis liberæ. Ac proinde quod pars conjugatis, hoc vobis virginibus totum est. Illud autem his, quæ dicta sunt, necessario adjungendum est, quod etiamsi quis quantum ad corpus virginitatem colere videatur, si tamen in anima parvam quamdam concupiscentiæ radicem excipiat, is jam nec libertatem nec virginitatem retinet : sed ex turpi ac fœda voluptate quam surripuit, in servitutem incidit, virginitatis libertatem fuga deserens. Quod cum exploratum habeatis, o virgines, eo studiosius vobis prospiciendum est, ne turpiter et sordide ac furtim impuram et adulteram voluptatem rapiatis, nec virgineam libertatem fugiatis, nimirum cum iis habitantes, quos συνεισάκτους, hoc est, *introductitios* dicunt ; qui quidem etsi matrimonii lege nequaquam viri vestri sunt, natura tamen viri sunt. Porro quemadmodum periculosus est ignis stipulæ admotus, eodem modo parum tutum est virginibus curæ atque officii fraterni prætextu introductitios viros habere contubernales. Nam etiamsi fortasse pudicitiæ laudem habeant, fieri tamen non potest quin, cum eos intuentur, voluptatis cogitatione tangantur, ac perpetuis amoris incitamentis crucientur, flammæque suscitabulum atque igniculum habeant. Ego vero non hujusmodi tantum contubernii necessitudinem interdictam volo, sed eam quoque exsecror consuetudinem, quæ prospiciendis trans fenestras præteruntibus per medium aerem contrahitur. Sæpe enim accidit, ut per importunum aspectum aculei mortis in pectus irrepant. Nonnulli autem ignorantes, ut videtur, quinam sint ii, qui introductitii dicun-

[90] Psal. XXIII, 1. [91] Psal. XXXVIII, 13. [92] I Cor VII, 27. [93] ibid. 24.

Digitized by Google

tur, eos, quos hic non viros quidem, sed viros tamen appellat Gregorius, eunuchos esse haudquaquam recte interpretantur, aiuntque multas mulieres, ut virginitatis opinionem apud vulgus colligant, eunuchis corpus suum substernere solere, quod semine careant : qui quidem nec viri dicendi sint, utpote progignendi vim non habentes, et tamen viri sint, quoniam cum mulieribus stupri commercium inire possunt.

Col. 615 B. *Proceres, potentiorem timete*, etc. Principes ac præfectos congruis utilibusque præceptis instruit Theologus. Principes, inquit, Deum, qui vos potentia superat, timete, nec potestate vestra ad avaritiam abutimini. Et qui in sublimibus thronis vobis placetis, et supercilium attollitis, Altissimum extimescite, nec adversus inferiores superbe atque arroganter efferamini, nec iniquis judiciis subditos vestros opprimatis.

Ne quid admireris, etc. Postquam separatim, et conjugatis, et virginitatis cultoribus, et rursus principibus ac præfectis præcepta dedit, aptumque cuique ordini consilium porrexit, nunc communiter universum piorum cœtum alloquitur, his verbis ad unumquemque utens : Ne admireris, o homo, quæ admirationem sui excitare non debent, qualia sunt, quæ non constanter manent, sed nos deserunt; nec rursum admiratione digna contemptim transmittas, cujusmodi sunt res certæ et stabiles : neque ea quæ cum tenentur, perfluunt, constringas, quasi ea retenturus. Quemadmodum enim fieri non potest, ut qui aquam manu ceperit, eam constringendo retineat (per medios enim digitos elabetur), eodem modo fluxæ divitiæ, si retineri tentes, effluent. Ac propterea David dicebat : *Divitiæ si fluant, nolite cor apponere*[94]. Ardenti studio ea quæ invidiæ obnoxia sunt, id est, præclara et laudabilia consectare. Quæ autem non invidiosos, sed invisos et exosos homines reddunt, hoc est, vitia, ne cupide expetas. Ne altius attollaris, ne profundius corruas. Ut enim, juxta sensum et aspectum, qui paulum a terra distat, ne si sæpius quidem ceciderit, disrumpitur, qui autem magnopere elatus est, atque in summam altitudinem subvectus, si inde prolapsus fuerit, haud dubie opprimetur : sic etiam, juxta spiritualem sensum, quo quis altius seipsum per arrogantiam extulerit, eo magis deprimitur et cadit : ac prolapsio illa altitudini superbiæ proportione respondet. Ne inani gloria afficiaris, ac magnum quiddam te consequi existimes, si malos superes : verum animo discruciare, quod a bonis vinceris. Lapsus est ac peccavit frater, ne illi insultes, verum provide ne ipse quoque cadas : atque ipsi etiam jacenti auxilium affer, ut ex illo casu resurgat. Gravis quidam animi mœror ob infelicem cujuspiam rei successum animum tuum obsedit? Ne secundioris fortunæ spem et cupiditatem abjicias. Secunda omnia experiris, ac propterea animo es hilari et tranquillo? Mœstitiam etiam exspecta, ex adversitate nascentem. Quatuor sunt anni tempora, ver, æstas, autumnus, hiems : uno autem temporis articulo, multæ rerum mutationes oriuntur. Atque hoc loco illud Demosthenis per paraphrasin expressit : Futurum omnibus mortalibus obscurum est, ac parva tempora magnarum rerum causæ sunt. Quocirca in prosperis rebus moderato animo esse debemus, ac futura prospicere. Ejusdem generis est illud Sirach dicentis : *A mane usque ad vesperam commutatur tempus*[95]. Quæ cum explorata habeas, id tibi sedulo curandum est, ut si voluptate animique alacritate et lætitia frueris, eam cura et cogitatione sinistræ mutationis compescas. Sin autem angore et molestia afficeris, eam rursus spe meliori comprimas, illud tecum reputans, non eodem semper statu res tuas fore, sed gaudium mœrori successurum. Hac ratione homo innovari potest. Hic Encæniorum verus est honor, qui non in corporalibus deliciis, sed in spiritualibus, non in sensibilibus cibis, sed in intellectilibus peragitur.

Ibid. C. *Non apparebis*, etc. In Exodo et Deuteronomio per Mosem ait Deus : *Non apparebis in conspectu meo vacuus*[95*], in nulla videlicet trium festorum celebritate, hoc est, Azymorum, Pentecostes, et Scenopegiæ; verum præstantissima quæque tecum afferes. Ac nunc novus appare, *non* secundum hanc scripturam τοῦ κενοῦ, id est, vacui ac nihil habentis; sed juxta alteram significationem τοῦ καινοῦ, id est, novi, ac per virtutis progressum et incrementum innovati penitusque immutati, vel a vitio ad virtutem, vel a minori virtute ad majorem. *Vetera transierunt*, ait Apostolus, *ecce omnia nova facta sunt*[96]. Vetera autem intelligimus, non solum legalia et adumbrata, quæ ad veritatis ingressum præterierunt, sed ea etiam, quæ cum vitio sunt conjuncta. Nam cum spiritualis vita fulgorem suum exerere cœperit, carnali jam vitæ nulla opera datur. Hoc igitur tu quoque velut donum et oblationem Encæniorum festo affer, ut laudabiliter immuteris. Ac si id assecutus fueris, nec animum attollas, verum dic cum Davide : *Hæc mutatio, qua* ego immutatus sum, *dexteræ Excelsi*[96*], non autem meæ industriæ vel potentiæ. Nam quod ad eum referendum sit, quidquid homines præclare gerunt, ipse pronuntiat : *Quia sine me nihil potestis facere*[97]. Enimvero cum audis : Novus efficere, hoc tibi intelligendum est, his verbis abs te exigi, ut non in eodem rerum statu perseveres, sed laudabili motu semper agiteris, atque novam omnino te creaturam præstes; apostolicum enim præceptum hoc a te postulat, ut si quidem pecces, in vitio non hæreas, sed ad virtutem resilias : sin autem recte atque ex officio vivas, virtutem ignavam non habeas, nullisque incrementis atque accessionibus auctam, sed

[94] Psal. LXI, 4. [95] Eccli. XVIII, 26. [95*] Exod. XXIII, 15; Deut. XVI, 16. [96] II Cor. V, 17. [96*] Psal. LXXVI, 11. [97] Joan. XV, 5.

Digitized by Google

cursum acceleres, atque ad ea, quæ a fronte sunt, A extendaris.

Col. 618 A. *Heri ad temporis arbitrium*, etc. Quoniam dixerat : Si recte vivis, cursum contende; si autem peccas, resipisce : docet nunc, qua ratione converti quis possit, sitque : Heri pro temporum statu varie teipsum effingebas, ac fidem tuam ad tempus, quo hæretici rerum potiebantur, accommodabas; hodie Dei fidem addisce. *Quousque utroque poplite claudicabis* [96] ? id est, in utramque partem, in neutra fide recto pede incedens, sed et secundum Dei doctrinam, et secundum temporum fidem ægrotans. Nam nisi ægrotares, haudquaquam tam facile immutareris. Eliæ porro hæc verba sunt, ad prophetas ignominiosos ita loquentis : *Quousque utroque poplite claudicabitis*, nunc Baal, nunc Deo adhærentes ? Nam Israelitæ, qui imperio Achab tenebantur, simul et idolorum cultui addicti erant, et Deum adorabant. Unde subjunxit. *Si Deus est Dominus, sequimini eum; si autem Baal est, sequimini eum* [96a]. Nam nec Deus, inquit, commentitiis diis honorem haberi vult, nec hi verum Deum adorari volunt. Vos autem, tum hæc, tum illa facientes, neutri benevolentiam certam et constantem servatis. Claudicat autem ambobus poplitibus, qui utroque pede claudus est. Γνύαι enim dicuntur posteriores genuum partes, a verbo Ἄγνυσθαι, quod significat *infringi* atque *inflecti*. Ne semper, consilio quodam scilicet, at non ex animo, ea dicas aut facias, quæ non conveniunt : quin potius, quoniam hujusmodi C dispensatio ad perniciem et eversionem abs te excogitata est, hæc missa fac, atque aliquando tandem, vel tuæ ipsius, qui pestifera doctrina infectus et corruptus es, vel aliorum, quibus hujusmodi tua dispensatio parit offendiculum, saluti consule. Heri honorificum existimabas, si, vel sapiens, vel justus, vel pius videreris, cum ab his virtutibus alienus esses, ac frustra et insolenter eas tibi arrogares : hodie, hac existimatione relicta, non videri, sed esse optimus stude. Opinio enim fallax est insomnium. Videmur enim nobis inter somniandum ac dormiendum aliquid habere, nec tamen habemus. At ipsum esse, rerum veritatem habet. Porro divitiæ, quæ manibus tenentur, præstantiores sunt illis quæ per somnium finguntur. Proinde D certæ ac subsistentis veritatis, quam vanæ opinionis, antiquius tibi sit studium. Heri vanis spectaculis animum adjiciebas, ac visum, reliquosque omnes sensus, obscenarum rerum aspectu fœdabas : hodie a rebus sensum moventibus abducta mente, intellectualiter operare, in sempiternarum rerum speculatione studium et operam ponens. Heri conviciator eras et petulans, id est, crudelis et impudens : hodie faustis verbis unumquemque prosequere, atque ex feritate et truculentia ad humanitatem migra. Heri comessationibus et crapulæ deditus eras : hodie gravitatem ac temperantiam cole, et alios temperantes redde. Hoc enim τοῦ σωφρονιστοῦ proprium est. Hodie mero ingurgitatus es : cras aquæ potione sitim seda. Hodie ab Amos propheta miseris modis exagitaris, ut in lectis eburneis lascive decumbens, ac primariis et exquisiti pretii unguentis delibutus [97] : fac crastino die beatus prædiceris, nimirum humili strato ac pervigilio hesternam mollitiem curans. Atque, ut rem uno verbo absolvam, pulcherrima quæque pro turpissimis quibusque substitue, pro risu gravitatem et tristitiam, pro ambitioso circa vestitum studio cultum simplicem minimeque accuratum, pro superbia et animi tumore vilitatem in externis rebus et in aspectum cadentibus, pro magnificis ædibus, ac laquearibus aureis fulgentibus, angustam domum, B pro sublimi vultu et recta in altum cervice demissum vultum et abjectum. Hoc si feceris, erit tibi, ut cum Isaia loquar [97a], cœlum novum et terra nova. Nam cum hæc ante Salvatoris incarnationem alia viderentur, alia postea cognita sunt. Prius siquidem dii habebantur, postea autem creaturæ. Tibi autem alio modo hæc nova erunt, cum alia percipienti atque intelligenti, veluti situm, figuram, elegantiam, magnitudinem, utilitatem, tum insuper causam et rationem, propter quam ad hunc modum horum unumquodque factum est. Sic enim, ut dictum est, cogitanti, cognitio quoque ipsa in melius immutabitur. Possumus etiam alio modo hunc locum explicare, ut cum Gregorio Nysseno per cœlum novum, firmamentum fidei in Christum intelligamus; per terram autem novam cor purum et integrum, illabentem in se pluviam bibens.

Ibid. C. *Sed jam ad temporis quoque festum*, etc. Quoniam, inquit, novam Dominicam laudibus prosecuti sumus, abeamus jam, ut et vernum tempus congrua festivitate celebremus. Concurrit enim hoc tempus cum Encæniorum festo, ac videntur omnia Christi resurrectioni gratulari. Atque ut jucundi temporis jucundissimam descriptionem afferamus, pictricem orationem, quasi spectatores, sequamur, ac videamus, quænam describat, et velut ob oculos ponat. Inter anni tempora principatum ver tenet, propter eas oblectationes, quas affert. Principatum itidem tenet inter dies Dominica illa, in qua Christus D resurrexit. Itaque rex temporum, hoc est, verna constitutio, huic dierum reginæ, id est, Dominicæ pompam lætam peragit, id est, ministerium quoddam ipsi obit : et pars anni, imperium diei hujus agnoscens, quasi famula dominæ, quidquid pulcherrimum ac sensibus gratissimum habet, offert. Ac, si libet, veris temporis amœnitates recenseamus. Nunc cœlum splendidius, nimirum tenebricosis et caliginosis nubibus, quasi veste quadam atra, exutum. Nunc sol sublimior; jam enim ab humilioribus et australibus partibus ad Boreales, et, ut dici consuevit, currum Arcticum progreditur, tametsi interim ab Æquinoctiali non longe absit.

[96] III Reg. XVIII, 21. [96a] Ibid. [97] Amos VI, 1. [97a] Isa. LXV, 17.

Digitized by Google

Nunc lunæ orbis illustrior : hieme enim tristior erat et obscurior, propter aeris crassitiem. Et siderum chorus purior veris tempore : quoniam non jam propter immodicam humiditatem vapores crassi excitantur. Nunc fluctus, nubes, venti, terra, et plantæ pacatæ sunt et tranquillæ, etiamsi per hiemem gravissimis dissidiis et bellis inter se conflictarentur. Priusquam enim jucundum et blandum ver nobis illuxisset, fluctus impetu vehementi littora verberabant, et nubes solem obducebant, et venti aerem commovebant. Terra insuper plantas consueto alimento privabat : illæ itidem voluptatem oculis denegabant. At nunc, postquam veris adventus hæc dissidia compressit, fluctus jam tranquillitate fruentur, littora salutantes, ac leniter complectentes : nubes solis luminibus crassitie sua non offi ient, aer quiete perfruetur, stirpes germinabunt, terra ipsas parentis instar nutriente, atque ad producendorum fructuum principia eas impellente : ac deinceps harum rerum oblectatione oculi nostri exhilarabuntur. Nunc fontes quoque limpidius scaturiunt, ut qui non amplius a vehementibus imbribus turbentur, sed puros latices emittant. Nunc amnes uberiores fluunt, colliquefacta nimirum nive, glacieque resoluta : quibus rebus hiemis tempore profluvium eorum impediebatur atque inhibebatur. Quin etiam prata et horti suaves odores edunt, ac plantæ virescunt, atque ornamentum suum proferunt ; et recens exorta herba tondetur, agnique teneris pedibus in virentibus arvis lascive saltitant.

Col. 618 D. *Nunc navis cum celeusmatis*, etc. Qui de rebus naturalibus tractarunt, cum alia elementa, tum aquam, sphæricam habere figuram affirmant. Idcirco, cum navis e portu in altum fertur, ἀνάγεσθαι dicitur, velut ab humiliori loco ab sublimiorem ascendens : cum autem a mari in portum appellit, tunc κατάγεται, id est, *descendit*, nimirum ab alta et convexa parte in humiliorem. Quod perspectum habens Theologus; ait : Nunc navis cum celeusmatis e portu solvit. Celeusmata autem cantiones illæ sunt, quas nautæ, cum vela sursum tendunt, modulari solent. Deo porro grata ea vocat, ut Dei memoriam complectentia, atque ipsius auxilium invocantia ; πτεροῦσθαι autem, hoc est, *pennis instrui*, navem adhibito velo dicit, fortasse ab Homero hanc vocem mutuatus, quia vela pennas navis appellavit, vel etiam fortasse ab Isaia, de quibusdam ita loquente : *Volabunt in navibus*. Quo verbo navigandi et remigandi celeritatem expressit, cum hujusmodi agitationem cum volatu comparavit, quando plenis velis, ac vento ad puppim commode et congruenter flante, in mari feruntur. Ac delphinus etiam, inquit, cum jucundissimo sufflatu e profundo ad aquæ superficiem ἀναπέμπεται, id est, effertur et ascendit, ac vectores lætos et hilares prosequitur. Nam hujusmodi piscium saltitationes tranquillitatem indicant. Jam etiam aratrum agricola compingit et componit, et boves aratores jugo stringit, ac sursum oculos ad Deum tendit, ipsumque, ut fructuum auctorem et porrectorem, invocat, ac sulcum proscindens laborem præsentem nequaquam supputat, sed spe futuræ messis recreatur atque oblectatur.

Col. 619 A. *Nunc pastor et bubulcus fistulas aptant*, etc. Nunc et pastor, et bubulcus, incisis calamis pastorales fistulas conficiunt ac componunt, in easque inspirantes et insufflantes pastorale carmen modulantur, verisque voluptate perfruuntur, in petris vel umbrosis arboribus, propter auram et moderatum solis calorem sedentes. Nunc et plantarum cultor plantas circumfodit, et perpurgat, atque omni ratione colit : et auceps calamos quosdam accipiens ex iis aviculis caveas exstruit, ac viscosos ramos inspectat, num recte se habeant, ac pennas et volatum avium curiose explorat, hoc est, utrum ad ramos visco oblitos volent, an alio ferantur. Atque etiam piscator in profundum aspicit, et rete suum apparat, et in sublimi quadam petra sedens piscatur.

Ibid. *Nunc sedulæ apes, solutis pennis*, etc. Veris etiam tempore sapiens et industria apis, ut est apud Salomonem, pennam suam, ab hibernio frigore, quasi a vinculo quodam torpescentem, velutque constrictam, solvit, atque ab alvearibus, in quibus habitat, ac mel tanquam in horreis recondit, egreditur, et in hortos, et floribus amœna loca convolat, ac ceram quidem ex floribus aperte colligit, mel autem, hoc est, inspersum floribus humorem, ore attractum, favorum cavitatibus immittit. Quæ etiam causa est, cur initio acerbum atque amarum sit, cæterum temporis progressu concoctum ad propriam constitutionem suavitatemque redit. Σύριγγες porro dicuntur cava illa et oblonga duo mellis promptuaria. Diverso autem atque opposito modo sibi invicem respondent, quoniam alia ad rectam lineam posita sunt, alia superioribus fundamenti loco sunt, mellisque adminicula, non minus ad operis elegantiam, quam ad securitatem. Adeo scite et solerter apis horrea mellis fabricatur. Etenim ceram in tenuem membranam distendens, densas et continuas inter se cavitates porrigit, ita ut densa illa rerum minimarum inter se compositio universum opificium sustentet ac fulciat. Unaquæque enim cellula cum altera cohæret, tenui septo ab ea dirempta simul et conjuncta. Deinde hæ fistulæ ita exstructæ sunt, ut duo atque adeo tria tabulata habeant. Verita est enim unam per universam cavitatem facere, ne gravitate depressus humor ad externam partem laberetur. Jam vero omnes favorum fistulæ sexangulæ et æquilateræ sunt, non autem in rectum aliæ aliis incumbentes, ne imæ partes inanibus adjunctæ nimium premantur, verum anguli inferiorum hexagonorum, iis qui superiorem locum tenent, basis et sustentaculi vicem præbent, ut super eos tuto pondera attollantur, ac privatim ad unamquamque cavitatem humor demittatur. Ad hunc

Digitized by Google

modum apis opus suum constituens, ac rectas lineas angulis alternans id est, constringens (nam cum duæ rectæ lineæ inter se inseruntur, hoc est, vinciuntur, seque intersecant, angulus gignitur) aptum curatori dulcem fructum, nec labore ullo et aratione quæsitum, sed omni ærumna et corporis vexatione carentem profert : quemadmodum utinam nos quoque, qui Christi apiarium sumus, spirituale et nobis dignum fructum ipsi porrigamus, qui tale partim sapientiæ, partim industriæ et sedulitatis exemplum ab ape accepimus. Nam utramque laudem Salomon in Proverbiis api tribuit, dicens [1] : Perge ad apim, ac disce, quam industria sit, quamque honestum et præclarum quæstum faciat : cujus labores, et principes, et privati, bonæ valetudinis ergo percipiunt, et quanquam viribus imbecilla, apud omnes tamen amabilis est et illustris, sapientiæque laude instructa a Deo procreata est.

Col. 619 B. *Jam avis nidum construit*, etc. Nunc etiam aves, partim festucis quibusdam aut quisquiliis acceptis nidos ædificant; partim e longinquo ad nidum se conferunt aut referunt ; partim jam in eum immigrant atque ingrediuntur ; partim supra nidum volant, ac circa nativum locum stridorem edunt et garriunt, atque hominem velut alloquio quodam excipiunt. Ac proinde, non cœli duntaxat, etsi vocem non edentes, Dei gloriam enarrant [2] ; sed alia etiam omnia, atque adeo ipsi passeres vocibus mutis Dei laudes prædicant. Nam propter hæc omnia, quæ ratione et sermonis usu carent, per me, cui ratio et loquendi facultas tributa est, Creatori gratiæ aguntur, atque hac ratione illorum laudatio mea efficitur, utpote a quibus ego laudandi Dei materiam et argumentum capio. Enimvero ridere non est cujuslibet animantis, sed hominis solius proprium. Quare hoc loco abusive dictum est, omne animantium genus ridere, hoc est gaudere atque oblectari. Quin etiam sensus omnes nostri, ut cuique congruit, pascuntur. Nam e sensibilibus, in quæ unusquisque sensus agit, suavitatum fructus percipimus. Quæ autem de equo hic dicuntur, ab Homero accepta paraphrastice extulit. Theologus. Sic enim poeta loquitur :

Ὡς δ' ὅ τέ τις στατός, etc.

Ibid. C. *Quid cætera commemorem? Nunc martyres*, etc. Quid, inquit, cæteras veris commoditates resenere attinet? Nunc martyres subdialem populum retinent atque extra tectum, partim propter tempus, hiemalis tristitiæ nihil habens, partim ob concurrentium multitudinem, quæ tanta est, ut domus eos nec tegere nec suscipere queant. Ac pompam agunt, hoc est insigni celebritate prodeunt, et triumphum obeunt, piosque viros et Christi amantes ad hoc festum convocant, certaminumque suorum narrationes publicæ cujusque historiæ ac dimicationis pro Christo susceptæ lectione promulgant. Quorum martyrum numerum auget Mamas, meus quidem, quoniam ipse quoque Cappadox est, non autem apud me, utpote in aliena terra conditus, nempe Iloriæ. Divi enim Mamantis corpus Cæsareæ situm est : qui autem hæc dicebat, Arianzo ortus erat. Cæterum quia præsente Basilio Magno hanc orationem habebat Gregorius, propterea scite adjunxit : Facessat invidia, quasi diceret : Ne mihi succenseas, divine Basili, si quod tuum est, benevolentiæ affectu mihi vindico, meumque nomino. Bonum enim illud, quod mihi assero, ejusmodi est, ut detrimentum nesciat, ac perennis et inexhaustus thesaurus est Mamas. Qui prius quidem in monte cervas mulgebat, unaquaque mira contentione et studio accurrente, ac mammam ante alias omnes martyri submittere gestiente, ut per eam sanctus admirando et inusitato lacte aleretur : nunc autem Cæsareæ plebem pascit. Uno enim circiter ab urbe stadio templum martyri constructum est, quod illa ipsa Ammia, quæ eum aluerat, singulari magnificentia eo loco ædificasse fertur, quo post martyricam illam et postremam lanceam e theatro, præcordia jam erumpentia retinens, vix tandem præ ardenti desiderio pervenire atque animam efflare potuit. In hoc igitur templo Encæniorum festum totius civitatis concursu commode celebrabatur. Ac martyr, inquit, in hoc Encæniorum festo spirituale ver innovat undecunque confluentibus. Quemadmodum autem ver mundanum et naturale multiplicia et varia florum genera profert : sic hoc quoque divinum ver, varium quidem ac diversum est virtutis ornamentis, quatenus ex iis qui conveniunt, alius aliam virtutem secum affert : varium etiam sermonibus triumphalibus, quia alii alio modo martyris certamina narrant laudibusque prosequuntur, alii nimirum eloquentius, alii inelegantius, ac pro ingenii facultate. Atque, ut in summa dicam, ver illud probitatis, atque virtutis, quod a populo fit, præclaris populi pastoribus dignum est, optimeque respondet. Denique, ut uno verbo rem complectar, duplex ver nobis est, alterum mundanum et in aspectum cadens corporibusque conveniens ; alterum spirituale et ab oculorum aspectu remotum, animisque congruentissimum. Quo utinam in altero sæculo nobis perfrui contingat. Perfruemur autem, si in hac vita honeste et laudabiliter vivamus, sicque ad novam illam vitam discedamus.

[1] Prov. VI, 6-8 ; sec. LXX : πρὸς τὸν μύρμηκα.

[2] Psal. XVIII, 1.

Digitized by Google

IN ORATIONEM XLI, OLIM XLIV.

ARGUMENTUM.

Generis demonstrativi speciem quoque præ se fert hæc oratio. Non tamen magis demonstrativa est, quam judicialis propter incurrentes ex adverso oppositiones, ac necessario sequentes solutiones, principium ab ipsa re sumitur : propositionis autem confirmatio a causa.

Col. 427 A. *De hoc festo pauca disseramus*, etc. Theologus, per animi modestiam sua extenuans, ut plerumque facere solet, parva ea nominat, quæ de festo dicturus est, quamvis magna sint : sive quia omnia quæ de Spiritu sancto quispiam dicere ac philosophari possit, admodum parva sunt, quantum ad Spiritus dignitatem (tremenda enim res est, de divinitate tractatio majorque, quam ut pro dignitate explicari possit : atque omnis, quæ de Deo habetur oratio, brevis est humique provoluta, nec divinam magnitudinem assequi ullo modo potest) ; sive etiam, ut nonnulli existimant, quia de hoc festo, hoc est de Pentecoste, pauca verba facit, ac per reliquum omnem orationis cursum de Spiritu sancto disputat. Deinde hujus disputationis rationem reddit : Ut, inquit, spirituali modo festum diem agitemus, id est, de festo loquamur ac philosophemur ad gloriam Dei. Postea huic confirmationi, quod de Pentecoste sit disserendum, confirmationem aliam subnectit. Alii namque alia festi celebrandi ratione oblectantur, ut mollis et delicatus deliciis, intemperans libidine, atque unusquisque ea re quam amat : at Verbi subsistentis scilicet, et Filii Dei cultor, vel etiam doctrinæ studiosus, sermonem pro festo habet, et quidem eum qui huic tempori conveniat. Nec quisquam honestatis studiosus pari affectu honestum quidquam et elegans amplectitur, ut festi amans spiritualem festorum celebrationem. Ac, si placet, ita rem discutiamus. Festos dies Judæi quoque agunt, sed juxta litteram, hoc est juxta externam legis speciem, et corporalem sensum atque intelligentiam. Nam, ut ait Paulus ad Romanos scribens : *Israel sectando legem justitiæ, ad legem justitiæ non pervenit*[1], hoc est, corpoream legem quærentes et implentes, ad spiritualem, quæ sub littera delitescebat, atque externam litteræ speciem sensumque superabat, et sublimem speculationem poscebat, minime pervenerunt. Quanquam enim ex Dei præscripto, sacrificia, victimarum sanguis, et cibi, et potiones religiose observabantur, crassius tamen ea gerebantur. Festos etiam dies agunt gentiles, sed juxta corpus, hoc est secundum corporeos animi motus et voluptates, ac secundum obscenos affectus eorum qui ab ipsis quidem pro diis coluntur, a nobis autem pro dæmonibus habentur. Quorum alii obscenarum rerum sunt effectores, quemadmodum ipsimet gentiles affirmant. Nam et Martem asserunt iræ præsidem et antistitem esse, ac cædium architectum ; et Venerem concupiscentiæ et libidinis; Mercurium item artis furandi; Bacchum temulentiæ, atque alios aliorum vitiorum. Alii ex obscenis rebus honorem consecuti sunt, ut Hercules, quoniam una nocte quinquaginta Thyestis filias constupravit, aliique similiter ob aliam spurcitiem et obscenitatem in deorum album ascripti sunt. Hinc fit, ut apud Græcæ superstitionis sectatores vitiosa quoque sit festorum agendorum ratio. Etenim unumquemque deorum suorum congruenti vitio colunt : ut illud ipsum quod peccant, in dei honorem cedat, ad quem vitium ipsum, quasi res quædam honesta et prædicanda, confugit. Nam cum sceleris cujusdam convicti essent gentiles, non modo non erubescebant, sed quasi præclaro aliquo facinore patrato gloriabantur, ac deum illum, quem colebant, pro defensionis et purgationis perfugio habebant, dicentes hujusmodi vitii inventorem deum esse, seque ob eam causam in illius honorem et cultum id facere quod facerent. Feriamur ipsi quoque, id est, nos Christiani, verum ut Spiritu sancto gratum est. Gratum est porro ita demum a nobis festa celebrari, ut eorum quæ in rem sunt, vel aliquid dicamus, vel agamus, atque animæ virtutum thesaurum recondamus, quæ et cum ea permanent, et discedentem comitantur : non autem ea quæ sese subducunt ac dilabuntur, cujus generis sunt divitiæ, principatus, gloria, cæteraque ejus generis quæ quidem sensus leviter mulcent, iisque lenocinantur, magna autem ex parte atque ut plurimum nocent, quemadmodum ipse sentio atque affirmo. Satis enim superque est corpori domestica et intestina ipsius rabies et malitia, hoc est ad res terrenas propensio et improbitas. Corpus siquidem, utpote ex materia creatum, ad res materia constantes et cognatas et corporeas proclive est, maximeque ad ea quæ voluptatem afferunt, ad quæ naturali impetu fertur. Atque, ut plane dicam, corpus flamma est, et bellua. Quid igitur opus est huic nostræ flammæ fomites plures ingerere, per externam crassarum et corporearum rerum suppeditationem? Quid indomitæ atque atroci belluæ plures cibos porrigere ac profuse largiri, nimirum per vitæ delicias et voluptates,

[1] Rom. IX, 31.

Digitized by Google

cum ne internum quidem corporis ardorem et feritatem facile sedare ac comprimere possimus? Fortasse autem per flammam ac belluam, eam animæ partem Theologus intelligit, quæ perturbationibus concitatur; per flammam quidem libidinem designans, per belluam autem iracundiam. Quocirca rationis quoque meminit, quæ partem illam affectibus obnoxiam imperio tenet. Et quemadmodum equus aurigæ, sic ipsi quoque concupiscentia et ira subjectæ sunt. Proinde si inflammandi vim habentes materias atque alimenta iracundiæ et libidini porrexerimus, horrendam feritatem hi affectus contrahent, ac ratione duce violentiores erunt, haudquaquam jam ipsi aurigam agenti obtemperantes, verum ipsam potius abripientes ac transversam agentes.

Col. 450 B. *Quocirca nobis spiritualiter*, etc. Quocirca, inquit, ut a Judæis et gentilibus differamus, ac ne animi commotiones rationem viribus superent, faciendum nobis est, ut spiritualiter feriemur. Disputatio porro de septenario primum orationis locum occupabit. De eo enim prius agendum est, etiamsi paulum ab instituta materia egredi videri possimus, quoniam cum principio de Pentecoste verba facere proposuissemus, nunc de septenario disserimus. Atque in numerorum speculatione elaborandum est, ut eam veluti condimentum quoddam sermoni in festi laudem instituto admisceamus. Etenim cibi minime necessarii, verum epulis quibusdam extrinsecus ad oblectandum sensum injecti, ἡδύσματα dicuntur; eoque nomine septenarii quoque explicationem condimentum vocavit, atque eam quidem orationi minime necessariam esse significavit, verum condimento non absimilem esse nec ab argumento suscepto alienam. Igitur quemadmodum polliciti sumus, orationis principium hoc sit. Septenarium numerum ex legis Mosaicæ præscripto in honore habent Hebræi: multis enim legum suarum locis septimum hunc numerum assumit Moses. Ex quo eximiam quamdam vim ac mysticam eum habere constat: præsertim vero cum cessatione et quiete Sabbatum honorari præcipit, qui dierum septimus est, quem et honorifice observant Hebræi. Quemadmodum postea Pythagorei quaternarium. Samius enim Pythagoras post Mosem vixit. Sic autem jurabant ipsius discipuli, quemadmodum in aureis ejus, ut vocantur, carminibus scriptum est:

Ναὶ μὰ τὸν ἡμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν,
Πηγὰν ἀενάου φύσεως (24), etc.:

Fontem porro rerum hunc numerum illi vocabant propter quatuor elementa, ex quibus omnis natura mundanarum rerum coagmentatur: et quia ex ipsis, cum animantes et stirpes per successionem, tum reliqua omnia per eorumdem elementorum participationem perpetuo scaturiant atque conflentur. At vero, Theologe, dicet quisquam, non per quaternarium, sed per Pythagoram jurabant discipuli. Ita sane, inquit: verum Pythagoram propter quaternarium divinis honoribus afficientes, hac jurisjurandi formula utebantur, ut qui ipsis arcanam et mysticam illius numeri vim tradidisset. Quare secundus a quaternario ab illis collocatus Pythagoras, ac per eum plane in hanc formam jurabant. Jam vero Simon et Marcion hæresiarchæ fuerunt. Ac Simoniani quidem octonarium propter octo illos magistri sui æones honori habebant. Etenim ex Bythi cum Sige congressu Mentem ac Veritatem procreatas esse fabulatus est, atque ita primos parentes, ut jam dictum est, Bythum et Sigen confinxit: ab his secundos Mentem et Veritatem, tertios rursus Sermonem et Vitam, atque ab his postremo quartos Hominem et Ecclesiam. At Marcionistæ, morbum augentes, tricenarium colebant propter triginta æones, quos inducebant. Nugabantur enim ex Simonianorum æonibus Sermonem et Vitam decem rursus æones produxisse; Hominem item et Ecclesiam alios duodecim æones. Qui si supradictis octo æonibus adjiciantur, tricenarium efficient. Supervacaneum autem fuerit eorum nomina proferre, ob anilem, et deridendam, atque conspuendam ipsorum ineptiam. Hoc tamen sciendum, quod his numeris parem æonum numerum assignant, nimirum Simoniani octo, et Marcionistæ triginta.

Et quidem, qua proportionis ratione, etc. Et quidem honorant, inquit, Hebræi septenarium (huc enim rursus se recipit oratio) haud scio qua proportionis ratione. Ignorare se simulat pro animi sui et morum probitate. Id enim ingenui animi ac moderate de se sentientis est. Et rationem quidem causam vocat, proportionem autem similitudinem eam et congruentiam, quam cum intellectilibus habet. Nam et apud mathematicos est rationis et proportionis definitio, ut ratio sit ea relatio, quæ est inter duos terminos; exempli causa, octonarii ad quaternarium, aut quaternarii ad binarium. Habet enim dupli rationem, octonarius quidem ad quaternarium, quaternarius autem ad binarium, atque e converso subdupli rationem habet binarius ad quaternarium, et quaternarius ad octonarium. Ac ratio quidem talis est. Proportio autem hujusmodi rationum similitudo est, atque in unum idemque collectio. Verbi gratia, quam rationem habet octonarius ad quaternarium, eamdem quaternarius ad binarium, nimirum dupli. Et converso modo, quam rationem habet binarius ad quaternarium, eamdem quaternarius ad octonarium, nempe subdupli. Haud scio igitur, inquit, secundum quam proportionis rationem apud Hebræos

(24) Quæ verba sic utcunque verti possunt:
Testor eum, nu neri nobis arcana quaterni
Qui tribuit, rerum causæ fontisque perennis.

De hoc Pythagoreorum jurejurando, et vi quaternarii numerii, vide Plutarchum lib. De plac. philos. cap. 3, ubi de principiis tractat.

Digitized by Google

honori est septenarius, aut propter quam hujus numeri vim, hoc est, utrum quoniam solus hic numerus ex omnibus, qui denario minores sunt, nec ab alio gignitur, nec alium gignit (quam etiam ob causam arithmetici virginem hunc numerum nuncupant, et σεπτάδα (25) τὸ σεπτὸν, id est, venerationem et excellentiam illi tribuentes) an vero alia quapiam ratione ducantur. Sed tamen ea perspicua causa afferri potest, cur eum honorent, quod cum Deus materiam produxisset et informasset, atque omnigenis speciebus, id est, discretis operibus et commistionibus (hoc est iis (26) quæ temperata et conjuncta sunt, cujusmodi sunt elementa et qualitates) eam adornasset, atque hunc visibilem mundum creasset, septimo tandem die, ut Scriptura testatur [a], ab operibus suis conquievit. Quemadmodum ipsum quoque Sabbati nomen indicat, quod si interpreteris, *quietem* sonat. Atque hæc quidem prompta et obvia est ratio, propter quam dies septimus honori habetur. Quod si et alia quædam est ratio sublimior, magisque mystica, alii rursus eam in medium proferant.

Col. 431 A. *Porro hic honor apud eos, non in diebus*, etc. Honor septenarii numeri apud Hebræos, non in diebus tantum est, sed ad annos quoque pertingit. Ac septenarii quidem honor in diebus Sabbatum est, quod perpetuo et per omnes hebdomadas Judæi honorifice observant, quemadmodum et fermenti usus septem diebus interdicitur. Honor autem hujus numeri in annis, septimus est annus, de quo in Deuteronomio ita loquitur Scriptura : *Septimo quoque anno remissionem facies. Remittes omne privatum debitum, quo tibi obstrictus est proximus tuus, nec a fratre tuo exiges, sed ab alieno. Quod si frater tuus tibi venditus fuerit, sex annis tibi serviet, et septimo dimittes eum liberum, ac viatico instrues* [b]. Propterea annum hunc *remissionem* Theologus vocavit. Nec vero in hebdomadis solum septenario suus honor constat, sed etiam in hebdomadarum hebdomadis. Hebdomadas autem dicimus, non modo dierum, sed et annorum. Ac dierum quidem hebdomadæ Pentecosten faciunt, insignem et nobilem apud Hebræos diem, ac divinitus nomen consecutum. Annorum autem septimanæ, jubilæum conficiunt, qui nostra lingua *remissionem* significat. De quo in Levitico ita scriptum habetur : *Numerabis tibi ipsi septem requies annorum, septem annos septies. Et erunt tibi septem hebdomades annorum novem et quadraginta anni. Et sanctificabitis annum quinquagesimum. Et proclamabitis remissionem in terra* [c]. Septimo igitur anno terram incultam et inaratam requietis ipsius causa relinquere jubebantur, sponteque nascentibus contenti esse, debitumque omne remittere, atque Hebræos, qui servitute astricti erant, libertate donare; quinquagesimo autem anno, non modo eadem hæc facere, sed etiam servos ethnicos manumittere, ac prædiorum emptorum possessione veteribus dominis cedere. Nam hæc Hebræorum natio, non torcularis solum et areæ ac primogenitorum primitias Deo dicare et consecrare solet, sed etiam dierum atque annorum. Sic igitur, ut dictum est, eximius septenarius Pentecostes honorem invexit. Septenarius enim in seipsum ductus, quinquagesimum procreat, uno die ad summam explendam desiderato. Hunc porro unum, ab eo qui proprie unus est, ex futuro sæculo velut imaginem ac figuram adjecimus; octavum eumdem et primum : octavum quidem præcedentium numerorum ratione et adjunctione, et quia septimum sequitur (septimus enim præsens est sæculum, utpote quod per hebdomadas numeretur), primum autem, ut divinæ ac cœlestis reipublicæ atque immortalis vitæ principium, vel ut eximium et excellentem : vel, ut rectius loquar, quoniam primus dies ratione secundi, et tertii et aliorum deinceps sequentium dicitur; dies autem futuri sæculi nullos *alios dies* sibi succedentes habet, nec solis occubitu exstinguitur; idcirco solus ille unus nominandus est, ut successore carens, finisque nescius, nec jam nocte intercisus, verum sempiterno fulgore coruscantem, nec unquam occumbentem solem habens. Merito autem unum hunc diem, qui ad quinquagenarium explendum desideratur, ex futuro sæculo accepimus. Necesse est enim in illius sæculi statum desinere sabbatismum illum, qui animis nostris in hac vita contingit, hoc est cessationem illam a mundanis operibus quam mors affert, quemadmodum septenarius in octonarium desinit, ut hac ratione curæ nostræ partem septem impertiamus, hoc est huic vitæ, atque ita demum octo, id est futuræ, nimirum ut non hujus tantum vitæ cura et sollicitudine tangatur, sed etiam futuræ. Sic enim nonnulli illum Salomonis locum intellexerunt : *Da partem septem atque adeo octo* [d], per septem videlicet, præsentem vitam accipientes, per octo autem, futuram. Quidam autem per sabbatismum animarum illum animæ statum intellexerunt, quo in hac vita mediocribus tantum affectuum procellis agi-

[a] Gen. II, 2. [b] Deut. XV, 1, 3, 12. [c] Levit. XXV, 8, 10. [d] Eccle. XI, 2.

(25) *Et σεπτάδα.* Macrobius lib. I, cap. 6, de septenario verba faciens : « Hic numerus, inquit, heptas nunc vocatur, antiquato usu primæ litteræ. Apud veteres enim septas vocitabatur, quod Græco nomine testabatur venerationem debitam numero. »

(26) *Hoc est, iis.* Hæc ut in meo Niceta legantur, tuli. In Reginæ codice quædam verba hoc loco interjecta sunt, sed ita involuta, ut nulla mihi causa visa sit, cur iis chartam onerarem. Quanquam hoc innuere videtur, Theologum per στοιχεῖα, elementa sola et separata intelligere; per συγκρίματα autem eorumdem inter se connexiones, vel etiam qualitatum conjunctiones, ut cum ait frigidum et siccum interse cocuntia terram perfecisse.

Digitized by Google

tatur, qui quidem in veram tandem futuri sæculi tranquillitatem et a perturbationibus vacuitatem desinit. Alii rursus per sabbatismum animarum hoc significari pronuntiarunt, res eas omnes quæ motu cientur, in futuro ævo finem movendi facturas, ac jam ne animarum quidem procreationem ullam fore. At magnus et divinus Maximus hujusmodi quidpiam affert : Quandoquidem Dominus octavo die conspicuus (27) proditurus est, hoc est ad judicii adventusque ipsius diem, atque iis quidem qui sancte et honeste vitam egerint, æternitatem et beatitudinem tribuet, eos autem qui improbe vixerint, sempiternis pœnis afficiet; sciendum est per sabbatismum animarum, mortem intelligi, hoc est eam ab operibus mundanis cessationem, quam homini vita functo mors affert. Tum enim animæ Sabbatum agunt, quietem ab omni motu nactæ, nec ullam omnino agitationem habentes post summi illius boni, quod ante exquirebatur, manifestationem qua quærentibus perspicuum fit id quod quæsitum est. Nam cum id quod quærebatur, apparuit, motus omnium eorum quæ movebantur, conquiescit.

Col. 431 C. *Quanquam autem de septenarii*, etc. Quod magno in honore sit septenarius numerus, etsi multis testimoniis comprobare possumus, ex multis tamen pauca ex Scriptura sacra proferemus. Primum Isaias de Christo inquit : *Requieverunt super ipsum spiritus septem* [6], non quod septem spiritus sint ; unus enim est Spiritus sanctus ; sed divinas omnes actiones, quæ ipsi insunt, spiritus, ut opinor, appellat propheta. Hæ autem sunt, spiritus sapientiæ, spiritus prudentiæ, spiritus cognitionis, pietatis, consilii, fortitudinis, timoris Dei. David autem Psal. x, ait : *Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, purgatum septuplum* [7], id est multipliciter. Quemadmodum enim argentum sæpius conflatum, probum ac purum reperitur, sic etiam verba Dei omnia ab omni mendacio et vitio sunt libera. Job præterea de justo ita scribit : *Sexies de necessitatibus extrahet te : in septimo autem non tanget te malum* [8]. Quæ verba quasi ex persona Dei ad justum proferuntur. Sexies, hoc est in præsenti vita, in qua tentationes, atque operum labores exsistunt, tentaberis quidem, atque in necessitatibus et rerum difficultatibus versaberis ; verum iis superior futurus es ; manus enim mea tibi opem feret. At in septimo, in quo beatus justorum sabbatismus est et requies, nullius molestiæ recordatio animum tuum anget. Atque ob hanc causam sapiens quidam dixit : In die festi atque lætitiæ tristium rerum memoria effluit. Mors enim profecto justis ad sempiternum festum est transitus. Vide quanto desiderii ardore dissolvi cupiat Paulus, et cum Christo esse [9]. Sic igitur accipiendum est illud : Ne leviter quidem percutitur, hoc est ne simplicem quidem ullius molestiæ cogitationem accipit. Nam exuberantia voluptatis illius, qua tum beati perfruentur, acerbitatis omnis memoriam procul pellit. Quemadmodum enim in septimo die Deus ab aspectabilis creaturæ opificio requievit : sic in septimo sæculo requies justis erit, postquam cum multis afflictionibus conflictati fuerint, Deo illos liberante. Jam vero in Evangelio, percunctanti Petro : *Quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies?* respondet Dominus : *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies* [10], hoc est resipiscenti in infinitum offensam condonabis. En quomodo Scriptura remissionis peccatorum numerum septenario definiat. Nam cum Petrus dixisset : *Usque septies?* non ad alium numerum transiit Dominus, verum septenarium multiplicans in ipso remissionis terminum constituit. Porro septuagies septem 490 efficiunt. Nec tamen hoc numero venia circumscribitur : verum per eum semper condonandam esse noxam proximo, et quoties peccatum confessus fuerit ac resipuerit, ignoscendum ei esse docemur. Quoniam autem scelerum quoque pœna laudanda est, audi jam e contrario, quid in Genesis libro habeatur : *Septies ultio dabitur de Cain* [11], hoc est septuplo cruciabitur, pro eo quod fraternæ cædis crimine seipsum constrinxit.

Operæ pretium est autem septempli pœnæ, qua multatus est Cain, Joannis Chrysostomi enarrationem adjungere, quæ hoc modo se habet : Primum septenarius numerus pro multitudine in Scriptura sancta accipitur : atque in hac significatione permultis locis positum esse reperies. Ut illud : Sterilis peperit septem, et quæcumque hujus sunt generis. Hic autem sceleris admissi magnitudo significatur, et quod non unum ac simplex erat scelus ab eo designatum, verum septem peccata, et quidem talia, ut unumquodque eorum gravissima pœna vindicandum esset. Atque ut ea enumeremus, ita a nobis ratio ineatur. Primum fratri invidit, quia eum a Deo amari perspiciebat : quod quidem crimen, cæteris etiam remotis, ad exitium ipsi inferendum satis grave erat. Alterum, quia hoc in fratrem admisit. Tertium, quia dolum struxit. Quartum, quia cædem perpetravit. Quintum, quia fratrem interemit. Sextum, quia primus cædem admisit. Septimum, quia Deo mentitus est. Intellectu assecuti estis ea quæ diximus, an vultis me eorum enumerationem altius repetere, ut intelligatis unumquodque horum, vel solum, gravis-

[6] Isa. xi, 2. [7] Psal. xi, 7. [8] Job v, 19. [9] Philipp. i, 23. [10] Matth. xviii, 21, 22. [11] Gen. iv, 24.

(27) Eodem spectat quod ait August. cap. ultimo lib. ultimi *De civit. Dei* : « Post hanc ætatem tanquam in die septimo requiescet Deus : cujus diei finis non erit vespera, sed Dominicus dies velut octavus æternus, qui Christi resurrectione sacratus est, æternam non solum spiritus, sed etiam corporis resurrectionem præfigurans. »

Digitized by Google

sima pœna multandum fuisse? Quis enim venia dignum eum judicaverit, qui eo nomine cuiquam invideat, quod Dei benevolentia et amore fruatur? Hoc jam unum et inexpiabile peccatum est. Rursus hoc atrocius ostenditur, cum fratri invidetur, idque immerenti. En hoc quoque rursus non vulgare peccatum. Ad hæc dolum machinatus est, fratrem circumventum in campum pertrahens, ac ne naturam quidem ipsam veritus. Quartum crimen, cædes ipsa est, quam admisit. Quintum quod fratri necem intulit, fratri, inquam, ex eodem utero edito. Sextum, quia primus cædis genus invexit. Septimum, quia interrogatus a Deo mentiri non dubitavit. Itaque ob id quod fratri manus afferre ausus est, septem supplicia sibi accerset. Scelus autem Lamech septuagies septies vindicabitur [13], hoc est multipliciter. Quoniam Lamech virum et juvenem interemit, idque post legem, id est, post sententiam adversus Cain a Deo pronuntiatam. Nam lex scripta nondum data erat. Septem autem peccatis Caini septem respondent supplicia. Primo peccavit, quia invidia affectus est; secundo, quia dolum struxit; tertio, quia cædem admisit; quarto, quia fratrem obtruncavit; quinto, quia primus cædem patravit; sexto, quia parentibus luctus causam attulit; septimo, quia Deo mentitus est. Sequitur jam, ut pœnarum numerum subducamus. *Maledicta terra a te*, prima hæc pœna est. *Operaberis terram*, hoc est, sine ulla intermissione ac relaxatione agriculturæ laboribus vexaberis, secunda. *Et non addet virtutem suam dare tibi*, hæc tertia pœna est, nempe laborum sterilitas. *Gemens et tremens eris super terram* [14], tribus pœnis duas adjecit, gemitum perpetuum et corporis tremorem, ita ut ipse moveretur et concuteretur, ac ne panem quidem et potum facile ori admovere posset. Sequitur aliud supplicium, quod Cain ipse patefecit, sic loquens : *Si nunc e terra me ejicis*, hoc est, si a terræ commoditatibus me disjungis, *et a facie tua abscondar* [15]. Atrocius supplicium apud eos qui mentis sunt compotes, separatio a Deo. *Et posuit Deus signum super eum* [16], septima hæc pœna est, nimirum ne pœnam quidem ipsam obscuram esse, verum perspicuo signo quasi præconis voce omnibus declarari hunc illum esse nefarii facinoris architectum : ac recte judicanti gravissima omnium pœna est hæc infamia. At Lamech, post condemnationem Caini duplici cæde constrictus, merito dicit : *Si in Cain septies vindicatum est, in me Lamech septuagies septies vindicabitur* [17], hoc est: Si justa adversus Cain Dei sententia exsistit, ut septem suppliciis afficeretur, ipse equidem dignus sum, qui quadringentis nonaginta pœnis excrucier. Quoniam ille, quemadmodum ab alio, quid quamque grave crimen esset, cædem committere, minime didicerat : sic nec homicidam ullum viderat meritas pœnas exsolventem. Ego autem gementem ac tremente cernens, iræque divinæ magnitudinem ob oculos habens, hujusmodi exemplo, nec melior factus, nec a facinore deterritus sum. Proinde jure optimo multo majora mihi tormenta inferentur. Quidam autem hunc locum hac ratione explicarunt. A Cain usque ad diluvium septem fluxerunt generationes, ac tum terræ supplicium inductum est, quod longe lateque fusum esset peccatum. At peccatum Lamech non jam diluvio ad curationem opus habebat, verum illo ipso qui mundi peccatum tollit. Supputa itaque omnes ab Adamo usque ad Christum generationes ac juxta eam generis recensionem, quam Lucas profert [18], septuagesima et septima ætate Dominum natum fuisse reperies. Verum hæc de Cain et Lamech per digressionem commemorata sint. Redeundum est ad testimonia, quibus honori habitus fuisse septenarius demonstratur, idque non modo in remittenda offensa, verum etiam in animadvertendis atque ulciscendis flagitiis. David igitur quasi ex Judæorum persona ad Deum ait : *Redde vicinis nostris septuplum in sinum eorum* [19]. Reversos enim Judæos ex secunda captivitate Babylonica, et templum instaurare cupientes, vicini Judæi prohibebant. Atque ideireo illis imprecantur, ut septuplicem afflictionem habeant in sinu suo, hoc est, inseparabilem. Rursus in Proverbiis ad hunc modum loquitur Salomon : *Sapientia ædificavit sibi domum, supposuit columnas septem* [20]. Quo loco per sapientiam, subsistentem Dei sapientiam intelligit, unigenitum, inquam, Verbum : per domum autem ædificatam, templum corporis, quod ex sancta Virgine assumptum induit; per septem autem columnas, spiritus gratias quæ omnes in Christo elucebant. Quin etiam per Zachariam prophetam Deus et Pater de Christo ita loquitur : *Ecce ego duco servum meum, Oriens nomen ipsi. Quia lapis quem dedi ante faciem Jesu, super lapidem unum septem oculi sunt* [21]. Et paulo post : *Et videbunt lapidem stanneum in manibus Zorobabel* [22]. Septem hi oculi Domini sunt, qui terram universam inspectant. Contigit autem hæc historia post reditum ex captivitate. Quo tempore sacerdotis munere fungebatur Jesus, filius Josedech; regnum autem tenebat Zorobabel filius Salathiel, qui cum in superhumerali splendidum lapidem attexuisset, ac deinde foramina sex, ut ferunt, in eo effecisset, sex alios diversi coloris lapides imposuit, qui quidem coloris varietate oculi instar lucebant. Enimvero prophetia servum Christum vocat, qui in forma servi ad nos venit : Orientem autem, quia ipse lux vera est. Quin eumdem quoque lapidem appellat septem oculos habentem ante faciem Jesu datum. Oportebat enim legale sacerdotium, cujus Jesus figuram gerit, præ oculis semper habere lapidem illum electum, hoc est Christum, qui multis oculis universa collustrat atque

[13] Gen. iv, 24. [14] ibid. 11, 12. [15] ibid. 14. [16] ibid. 15. [17] ibid. 24. [18] Luc. iii, 23 38. [19] Psal. lxxviii, 12. [20] Prov. ix, 1. [21] Zachar. iii, 8, 9. [22] Zachar. iv, 10.

Digitized by Google

inspicit. Septenarius enim semper fere vel id quod finem habet, vel quod perfectum est, designat. Rursus Christus hac de causa lapis stanneus dicitur. Aiunt stannum ex ære et plumbo commistum ac temperatum esse. Quamobrem nec duritiei omnino est expers, nec rursus mollitiem omnem respuit. Eodem fere modo Emmanuel quoque ex firmissima nulliqne perfractioni obnoxia divinitate, et ex molli atque, ut ita dicam, affectibus agitata humanitate compositus est. Adhæc stannum, sive plumbum, ad purgationem alterius materiæ, quæ igne indiget, necessario assumitur, ac præsertim ab iis qui ex argento opus aliquod efficere solent. Stanno itaque sive plumbo Christus comparatur, utpote sordes spiritualiter colliquefaciens ac purgans. Insuper stannum res inter se distractas connectit, utpote quod glutinandi vim habet. Hujusmodi autem quiddam in nobis Christus præstitit : si quidem illud verum est quod in unum novum hominem duos populos creat [22]. Ac præterea per eum ad nos inspectionis modus contigit, nimirum pervigilibus oculis omnia circumlustrantem. Nec vero absurdum fuerit sanctos antistites et sacrorum arbitros oculorum loco positos esse affirmare, utpote aliis superiores, ac propterea episcoporum nomen consecutos. Per eos enim Christus plebem in se credentem invisit. Jam vero Christi quoque figuram gerit Zorobabel. Quemadmodum enim Zorobabel captivus abductus non est, verum ex captivis in Babylone natus, ipsorum redemptor exstitit : ad eumdem modum Christus, nulla peccati labe inquinatus, ab exitiali et pernicioso imperio nos in libertatem vindicavit. Hujus lapis fides ea est, qua in ipsum credimus. Quocirca Dominus lapidem in manu ferens illud nos docet, fidem qua eum amplectimur, nequaquam otiosam et inertem esse debere, verum septem Domini oculis exornatam, hoc est, septem Spiritus sancti actionibus. Stanneus quoque lapis ob hanc rationem inducitur, quia sicut stannum primum nigrescit, ac deinde splendidum colorem induit, eodem modo, qui fidei pietate prædili sunt, etsi peccando nigrorem contrahunt, rursus tamen resipiscendo splendescunt. Atque hæc de Zorobabelis lapide a nobis dicta sint. Nunc septenarii honorem oratione prosequemur. David ergo ad Deum his verbis utitur : *Septies in die laudem dixi tibi* [23], hoc est, sæpenumero. Quin etiam II Reg. Anna Samuelis mater in suo cantico ita loquens inducitur : *Quia sterilis peperit septem, et quæ multos habebat filios, infirmata est* [24]. Historia porro talis est : Anna et Phenenna cum Elcana matrimonio junctæ erant, ac Phenenna quidem liberos edebat, Anna autem haudquaquam pariebat. Verum solutis tandem per orationem sterilitatis vinculis, prophetam illum eximium Samuelem peperit, qui quidem matri suæ instar septem, hoc est, numerosæ sobolis loco fuit. Imperfecta autem in liberis Phenenna dicitur, quæ multos filios habebat. Hæc enim vox : *multum*, indefinita est : quod autem indefinitum est, utique et imperfectum. Vel etiam imperfecta dici potest, quia nullum extulit omnibus virtutum numeris, Samuelis instar, absolutum. Atque hunc etiam septem vocavit, utpote perfectum et omnibus virtutibus expolitum. Perfectum porro hunc numerum dixi, non quod suis partibus constituatur, quemadmodum qui apud arithmeticos perfecti numeri appellantur, cujusmodi est senarius; verum quemadmodum alio loco denarium perfectum vocat, ut numerorum finem, sic nunc quoque septenarium, quia septimus dies eos perficit et claudit, in quibus Deus mundum condidit. Opposita est autem Anna Phenennæ, id est, ex adverso locata, tum quia Phenenna multos liberos habebat, Anna autem Samuelem solum pepererat, tum quia illa in liberis imperfecta erat, hæc perfecta. Dici etiam idcirco potest septenarius perfectus, quod per successionis seriem et compositionem vicesimum octavum gignat, qui perfectus est numerus.

Col. 434 A. *Quod si veteres etiam historias considerare oportet*, etc. Age, jam veteres quoque historias recenseamus, in quibus septenarius numerus verbis quidem disertis non exprimitur, sed re ipsa invenitur. Septimus quantum ad generationem fuit ab Adam Enoch, qui mortis fato nequaquam perfunctus est, verum translatus est, ne mortem videret [25]. Vicesimus primus Abraham, tum septenarium designans, tum sanctam Trinitatem. Nam qui ter septenarium composuerit, unum et vicesimum procreabit. Ac præterea Abraham primus est inter patriarchas, mysterii majoris accessione. Quanquam enim septenarius ob supradictas ejus vires et facultates mysticus est, magis tamen mysticus intelligitur ternarius, utpote sanctæ Trinitatis imaginem ferens. Quocirca sublimius quoque ipsius est mysterium. Quin septuagesimus quoque septimus Dominus reperietur, si quis converso ordine generationem Christi apud Lucam proditam excutiat. Lucas enim a Christo exorsus in Adamum desinit. Quod si quis retroacto ordine atque inverso modo apud Lucam ab Adamo usque ad Christum numerare cœperit, septuagesimum septimum ipsum reperiet. Atque hæ historiæ ex rebus ipsis septenarium præclarum et honorabilem esse ostendunt. Quæ autem sequuntur, idem verbis demonstrant. Scriptum est enim in libro Jesu filii Nave [26], quod urbem Jericho septem sacerdotes cum totidem buccinis per septem dies cingebant, clangentes, semel quidem reliquis diebus eam ambientes, septimo autem die septies, ac tum mœnia nullius impulsione labefactata corruerunt. Quæ autem de Elia commemorantur, tertio quidem Regum libro scripta sunt [27], verum septenariæ ipsius conversionis nihil historiæ monumentis mandatum est.

[22] Ephes. II, 14. [23] Psal. CXVIII, 164. [24] I Reg. II, 5. [25] Gen. V, 22-24. [26] Josue VI, 4 seqq. [27] III Reg. XVII, XVIII; IV Reg. I, II.

Digitized by Google

Quid igitur de hac inversione dicendum? An præter historiæ veritatem Theologum hæc prolocutum esse? Minime. Verum hic inversionis verbum descriptoris errore obrepsisse. Atque etiam quidam codices minime depravati hanc dictionem non habent. Mysticamque illam triplicem insufflationem Eliæ prophetæ, qua Sarephtanæ viduæ filio vita inspirata est. Hoc quoque refert historia, Eliam in Sarephtanæ filium ter insufflasse, sicque eum ad vitam revocasse [28]. Ad hanc autem triplicem insufflationem, æqualis, hoc est terna, intelligetur fragmentorum ligni prolutio. Nam id quoque sacra historia docet. Cum enim Elias ex tempore altare construxisset, ac lignorum fragmenta super ipsum struxisset, posteaque holocausta super ligna imposuisset, dixit : *Accipite mihi hydrias aquarum, et infundite super holocaustum, et super ligna.* Atque ita fecerunt. Et dixit : *Secundo hoc facite ;* et secundo hoc fecerunt. *Tertio hoc facite;* et tertio hoc fecerunt. Quibus peractis ad ipsius preces cecidit ignis Domini de cœlo, et devoravit holocaustum, et ligna, et altare, et aquam, et pulverem [29]. Quoniam autem nonnulli ut septenariam, hanc proluviem numerant, nos quoque sententiam nostram explicabimus. Arithmetici numerorum pronuntiationes, ad modum rerum subjectarum, non ad quantitatem, accipiunt. Ait igitur Elias primum : *Infundite* : deinde : *Iterum infundite*, post, *Tertio id facite.* Duo itaque uni adjecta, tria efficiunt ; quibus tria insuper adjuncta, sex conficiunt. Senario autem prima unitas addita perfectum numerum absolvit. Aut, si mavis, sex prolutionibus septimam adjunge, nimirum eam, quæ per ignem divinitus missum contigit ; postquam Elias ignominia dignos sacerdotes, utpote fœdo et obsceno idolo Baal servientes, quadringentos et quinquaginta interfecit. Nam cum eos ad novum sacrificii holocaustum provocasset, nec ipsi in nomine Baal ignem ad propositi sacrificii consumptionem cœlitus demittere potuissent, quemadmodum inter ipsum et eos convenerat, ipse autem in Dei nomine hoc fecisset, condemnatos eos extremo supplicio affecit. Idem cœlo, tribus annis et sex mensibus clauso, cum jam siccitatis vinculum solvendum esset, puerulo illi, quo ministro utebatur, imperavit, ut specularetur, ac videret an nubes aliqua oriretur. Et quoniam nondum orta erat, eum septies hoc facere jussit. Septima autem inspectione nubeculam quamdam vidit, quasi vestigium viri, aquam advehentem, a qua magnopere aucta, cœlum obductum est, ac confestim pluvia in terram fusa [30]. Hactenus de Elia Thesbita. In eodem libro Regum Elisæi quoque inflexio continetur. Nam cum Sunamitidis filius extremum vitæ spiritum edidisset, propheta de monte descendens, ingressus domum ipsius, in cœnaculum ascendit, ac super puerum septies se incurvavit, id est, contraxit atque inflexit super eum, adeo ut os ori, et oculos oculis, et manus manibus adjungeret [31]. Inflexionem autem Theologus hujusmodi jactationem et conflexionem appellavit, qua spiritus suscitatus est, id est, spiritus vitalis recreatus. Hæc locutus Gregorius, candelabri historiam prætermittere quidem videtur, sed tamen hanc quoque sermone complectitur, ac præteritionis figura usus, simul et auditoris satietati fastidioque occurrit, et variam orationem efficit. Candelabri autem hujus descriptio in Exodi libro sita est [32]. Et quidem historia unum duntaxat hastile candelabri commemorat, sex autem calamos circum hastile et septem lucernas, hastili et calamis adjacentes. Verum Theologus, cum hastili calamos etiam statuens, ac numerans, hoc quoque hastilium nomine appellavit. Atque ita universum quidem hoc candelabrum erat, cæterum ἑπτάκαυλον καὶ ἑπτάλυχνον, nimirum propter hastilia et lucernas iis superpositas. Ut igitur, inquit, templi candelabrum septem lucernas protendens prætereram, ejusdem est doctrinæ ac speculationis, de numero septenario scilicet, quod is qui ad sacerdotii dignitatem electus est, templo assidet, ac septem dierum spatio manus ejus consecrantur, quemadmodum in Exodo præscribitur [33]. Ejusdem item doctrinæ, quod is, qui lepra infectus est, septem diebus purgatur, ut in Levitico edictum atque imperatum est [34]. Eodem quoque referendum, quod templum a Salomone ipsius exstructore septem diebus dedicatur, quemadmodum habetur III Regum [35]. Huc accedit, quod populus ex Babylonica captivitate septuagesimo anno rediit, sicut Jeremias prædixerat et rerum eventus confirmavit, ut septenarius, qui in unitatibus honore insignis est, idem quoque in decadibus fiat, hoc est, præclarus et maxime mysticus decadicus septenarii numerus, ob populi redemptionem, ac mysterii quoque nonnihil habeat, nimirum libertati populi proclamationem. Monadici autem numeri dicuntur, qui ab unitate ad decadem usque progrediuntur, decadici vero, qui a denario ad centesimum : ex quo numero est septuagesimus, ex septenario in denarium multiplicatione conflatus. Denarium porro septenario perfectiorem dixit, ut numeros claudentem ac terminantem. Post denarium enim numerus nullus est, sed revolutio : *septenarii* autem mysterium, mystica est ipsius speculatio.

Col. 434 C. *Quid autem longinqua colligo ? Jesus ipse*, etc. Quid, inquit, mihi vetera et longinqua commemorare opus est ? Ipse Christus, qui pura et vera perfectio est, utpote totus perfectus, ac non ut supradicti numeri, qui ex parte tantum perfecti nominantur, non solum quinque panibus quinque hominum millia nutrit, sed etiam septem quatuor millia. Et quidem ex quinque panibus

[28] III Reg. xvii, 21. [29] III Reg. xviii, 32-38. [30] ibid. 40-45. [31] IV Reg. iv, 32-37. [32] Exod. xxv, 31-39. [33] Exod. xxix, 1 seqq.; Levit. viii, 1 seqq. [34] Levit. xiii, xiv. [35] III Reg. viii, 65, 66.

Digitized by Google

superfuere duodecim cophini, propter apostolos, ut Judas quoque ipse suum gestaret : ex septem autem panibus, sportæ septem, propter honorem septenarii. Sunt autem allegorico sensu quinque panes, naturalis illa de Deo doctrina, quæ ex quinque sensibus innascitur : qua nutriuntur, qui sensualem duntaxat vitam agunt, nec mentis alis ad sublimiorem speculationem evehi possunt. Unde etiam per hordeaceos panes illud significatur, hanc doctrinam promptam atque obviam esse, naturalemque speculationem imperfectam habere : quandoquidem nec hordeaceo pane quidquam est vilius. Quod autem cum mulieribus et pueris comedunt, id significat, eos a voluptatum cupiditatibus atque imperfecta rationis infantia non plane liberos atque alienos esse. Denique cophini duodecim, qui multitudine satiata supersunt, naturalem et moralem et theologicam doctrinam significant. Hæ enim superfuerunt, quia nullam harum subierunt, hoc est, pervoluerunt aut intellexerunt, nimirum ex solis sensibus, velut crassi et stupide Creatoris cognitionem assecuti. Quod si (28) ὑπερβεβήκασιν legas, id est, *superarunt* atque *supergressi sunt*, non autem ὑποβεβήκασιν, id est *subierunt*, sic erit accipiendum : Licet secundum sensus præscriptum viverent quinarii illi (μοναδικοὺς enim vocat) sensuumque opera et adjumento cognitionem Dei expiscarentur, tamen in eo redundarunt, quod nec naturalem, nec moralem, nec theologicam doctrinam transilierint, id est, missam fecerint. Nam his qui per naturalem speculationem ad inquirendam Dei cognitionem moventur, Dei Verbum spirituales naturæ panes frangens, omnem bonorum affluentiam satietatemque largitur : quemadmodum indicant duodecim cophini, ex his quæ superfuerant collecti. Ac ternaria quidem est theologica doctrina, propter sanctam unius divinitatis Trinitatem. Quadruplex autem moralis, propter quatuor primarias et generales virtutes ; prudentiam, fortitudinem, temperantiam et justitiam ; quinaria autem naturalis, propter materiam, quæ ex quatuor elementis conflata formam quintam adjunctam habet. Neque enim aliud quidquam est natura in sensum cadens, quam materia forma convestita. Ac tales quidem sunt eorum epulæ, qui simpliciter ad Deum tendunt, nec ab inveterata et in habitum perducta animi affectione erga eam animæ partem, quæ perturbationibus agitatur, atque a ratione aversa est, plene adhuc expurgati sunt. Ac perfectiorum epulæ multo præstantiores et sublimiores sunt : nam hi quoque quatuor mille sunt, tum quia pauciores sunt quinque millibus, mali enim numero superiores sunt ; tum quia perfectionis generalium virtutum rationem et doctrinam habent. Ac spiritualis etiam eorum cibus, septem panes sunt, propter puritatem et mysticam vim hujus numeri. Septenarius enim castus est et virgo. Atque id etiam, quod convivio superest, purum et incorruptum esse per septenarium designatur. Hujusmodi enim sunt divinæ et arcanæ ac spirituales speculationes. Nam septem quoque sunt spirituales gratiæ. Quocirca qui in triplici philosophia, quasi tribus diebus, constanter persistunt, illi demum, et naturali, et scripta, et spiritali lege a divino Verbo nutriuntur. Ea porro ratione primum quinque millia pascuntur, quoniam in sensuum curam prius incumbendum est, atque ita ad perfectiora progrediendum. Jam vero cophini, qui ex textili materia, hoc est, ex viminibus texti sunt, laboriosam et ærumnosam eam vitam designant, quæ in actione versatur, qua opus habent, qui alicujus magisterio et disciplina reguntur. Sportæ autem, quæ ex palmarum ramis fiunt, victoriam eam significant, quam perfectiores homines, turbulentis animi motibus domitis et expugnatis, consequuntur. Nam in victoriæ signum hujusmodi ramus accipi solet. Nec vero quidquam horum miraculorum temere, hoc est, sine causa edebatur (hoc enim spiritu indignum est) verum haud dubie miraculorum diversitas, ac diversæ satiatæ plebis reliquiæ, optima quadam ratione et mystica speculatione, a Domini divinitate nequaquam aliena, contigerunt. Quin tu quoque multos numeros invenies, qui profundius aliquid habeant, quam quod prima fronte ostendunt, id est, aliud quiddam significantes, præter id, quod primo statim obtutu cernitur, atque unicuique obvium est. Hoc quidem dicendum est, quod præsenti instituto convenit, nempe quod propter superius commemoratas de quinquagenario, vel etiam septenario numero, rationes, aut propter alias quasdam his admodum propinquas, aut propter nonnullas diviniores causas atque his, quas adduximus reconditiores magisque mysticas, quinquagesimum diem Hebræorum more colimus. Illud tamen interest, quod illi propter septenarium numerum hunc diem in pretio habent, nos autem propter Spiritus adventum. Quemadmodum et alia quædam sunt in lege Hebraica, quæ apud illos quidem per figuram et adumbrationem peraguntur ac celebrantur, a nobis autem mystice et vere restituuntur ac perficiuntur. Quo in genere est illorum circumcisio, et noster baptismus ; illorum Pascha, agnus sensibilis, nostrum Pascha, Christus ; ac pleraque alia, quæ nunc sigillatim recensere non facile fuerit.

Col. 435 A. *Atque hæc de die nobis dicta sint*, etc. Ac disputatio nostra de die hic finem habeat : nos

(28) Hæc omnia, ut in Reginæ exemplari habentur, transtulimus. In meo tamen Niceta non leguntur. Et certe ab aliquo inserta fuisse suspicor.

Digitized by Google

autem ea quæ deinceps sequuntur, dicendo persequamur. Id autem, quod sequebatur, et unde per digressionem eo processimus, ut de diei ratione verba faceremus, hoc erat, nempe spiritualiter nobis festum esse celebrandum. Ad ea igitur accommodanda sunt, quæ in præsentia a nobis dicentur; atque ita quodammodo agendum est. Pentecosten celebramus, non simpliciter numerum, sed Spiritus etiam adventum, nam tum ille ad discipulos accessit; atque hic dies erat, quem Christus pollicitationi suæ explendæ præstituerat, cum apostolis diceret : *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto non multis abhinc diebus* [36]. Etenim pollicitatio quidem in eo sita erat, quod ipsis sancti Spiritus adventum promiserat : terminus autem erat temporis ac loci declaratio : *Sedete* enim, inquit, *in civitate Jerusalem, quousque induamini virtute ex alto* [37]. Jam horum exspectatio, spei erat, quam eventus tandem explevit. Ac, Deus bone, quantum est hoc mysterium. Illud, *quantum*, cum admiratione efferendum est, idque ex eo liquet, quod subjungitur : Quam magnum et venerandum. Nam cum ait, quantum, festi magnitudinem et quantitatem requirit. Idque explicans Theologus ait : Quam magnum, hoc est, valde magnum. Cum autem dixisset : Corporea Christi finem habent, commune quoddam nomen se accepisse sentiens, quod non modo ea quæ corpoream ipsius præsentiam et consuetudinem cum hominibus habitam, de qua deinceps sermonem habiturus est, significare posset, sed etiam naturales corporis proprietates, velut triplicem dimensionem, formam, quantitatem et qualitatem, aliaque hujus generis, ne ansam hæreticis præberet existimandi Christum, cum in cœlum receptus esset, corpus quoque ipsum abjecisse, ac sola divinitate in cœlum ascendisse (29), quemadmodum existimarunt Manichæi, qui ad dogmatis sui patrocinium hunc Davidis locum produxerunt : *In sole posuit tabernaculum suum* [38] : acuta præmunitione huic suspicioni medetur, subjiciens : Vereor dicere res ad corpus pertinentes, id est, Refugio ac reformido dicere res corporis, hoc est, ipsum corpus, quoad mihi cujusquam oratio persuaserit (nunquam autem persuadebit) melius ac præstabilius esse corpori, atque ad gloriam et honorem præclarius, projectum esse, non secus ac vas quoddam supervacaneum, aut inutile et infame vestimentum, atque in solis corpore repositum esse, juxta Manichæorum delirium. Est etiam horum verborum alia ratio. Quoniam enim nonnulli unitam quidem semper esse assumptam humanitatem cum divinitate asserebant, verum proprietates suas post resurrectionem abjecisse : quod fieri non posse dicerent, ut quod quantitatem et qualitatem formamque haberet, cum eo jungeretur, quod his omnibus rebus careret; hujusmodi dogma evertit, dicens : Vereor enim dicere, proprietates corporis defluxisse ac dilapsas esse. Iis enim sublatis ipsum quoque simul tollitur et evanescit, utpote a quo nullo modo separari, ac ne cogitatione quidem distrahi possint. Ἀπεσκευάσθαι autem, id est *excussisse*, dixit, metaphora ducta ab his qui vasa quædam comportant, eaque velut gravem sarcinam deponunt. Idcirco non dixit corporea Christi finem habere, sed ea quæ ad corpoream et terrenam ipsius præsentiam pertinent. Spiritus autem actionis principium capiunt. Postquam enim Christus omni corporeo munere perfunctus, in cœlum receptus est, Spiritus sanctus descendit, suamque in apostolos vim et actionem exercere cœpit, in divisione ignearum linguarum, quo nomine festum diem celebramus. Porro ne quis addubitet ac sciscitetur, quænam illa sint, quæ ad corpoream Christi præsentiam spectant, expresse disertis verbis ea exponamus. Quænam ergo sunt ea? Virgo pro muliere, nativitas pro creatione, præsepe propter paradisum, fasciæ propter nuditatem, angeli cœlestem illum, deinde terrenum celebrantes, magnique consilii Patris Angelum, pastores accurrentes ad Agnum et Pastorem, stella præcurrens (creatura enim Creatorem adorat), Magi ad pedes accidentes ac dona offerentes, gentium primitiæ atque ingressus, idololatriæque interitus et oppressio, ab Herode patrata puerorum cædes (hoc est, tenerarum et puerilium legis figurarum), Vetus enim Testamentum Novi figura erat (submotio atque exstinctio); Jesus in Ægyptum fugiens, ut nos quoque, persecutionibus vexati, ex civitate in civitatem migremus, rursus ex Ægypto rediens postquam ejus simulacra concussit atque dejecit; circumcisus, baptismi aqua perfusus. Atqui, dicet quisquiam, priusquam in Ægyptum fugisset, octavo vitæ die circumcisus fuerat. Ita profecto est. Verum quia circumcisio baptismi figuram gerebat, ideo eam baptismo proximam Theologus collocavit. Erat autem hujusmodi lavacrum, peccatorum nostrorum purgatio. Testimonio cœlitus misso comprobatus : illinc enim ipse congressus erat, atque ejusdem cum testificante substantiæ. Tentatus in deserto a diabolo; tentatio autem erat perscrutatio divinitatis humanitate tectæ. Lapidibus propter nos impetitus : *Sustulerunt* enim, inquit, *lapides ut jacerent in eum* [39]. Atque hæc propter nos perpetiens, id est, eruditionis nostræ causa. Nobis enim afflictionis, pro evangelica prædicatione et fide

[36] Act. I, 5. [37] Luc. XXIV, 49. [38] Psal. XVIII, 6. [39] Joan. VIII, 59.

(29) Theodoritus in Epitom. hæres. I hujus hæreseos auctorem facit Hermogenem.

Digitized by Google

perferendæ, formam atque exemplum dari oportebat. Proditus a discipulo panem ipsius edente. Clavis transfixus, ut peccatum meum configat, hoc est, enecet et absumat. Morte functus, ut mortem meam tollat. Humo conditus, ut nostræ in terram reversioni medeatur. Vitæ restitutus, ut nos ex inferno liberet vitæque restituat. Ascendens, ut me quoque subvehat. Quorum nunc etiam plurima patitur, tam eorum quæ contemptus atque ignominiæ sunt, quam quæ honoris. Nam eorum, quæ a nobis commemorata sunt, partim ad ejus honorem facta sunt, partim ad contemptum et ignominiam. Pati enim dicimus, non tantum de malo, sed etiam de bono. Christus siquidem ab impiis ea quæ ignominiam habent patitur, ac pro sua lenitate perfert; a piis autem ipsiusque amore præditis, ea quæ cum honore conjuncta sunt. Ac neque illis iram infert, quam sibi thesauri instar colligunt, nec eos rursus a quibus colitur, statim suis bonis remuneratur : verum et illis supplicium, et nobis præmiorum benignitatem differt, ut et illis tempus pœnitentiæ det, et nos exploret, atque experiatur num pro pietate decertantes animis frangemur ac debilitabimur. Hæc enim jam olim et a principio ratio et causa est divinæ dispensationis et imperceptibilium ipsius judiciorum, quibus sapienter res nostras recitat et administrat. Quod autem abstrusiora sint Dei consilia, quam ut ea quisquam assequi possit, hinc clamat David dicens : *Judicia tua abyssus multa* [60]; hinc etiam Paulus, cum admiratione magna et stupore : *Quam inscrutabilia sunt judicia ipsius et investigabiles viæ ejus* [61]! Verum, dixerit aliquis, Si Dei judicia percipi nequeunt, qui fit ut Theologus, velut eorum cognitionem assecutus, procrastinationis Dei causam proferat? Responderi potest, quod per conjecturam eam protulit; ob id enim addidit, Fortasse. Tum quia Dei Filius communiores rerum causas ac rationes, etsi non omnes, sæpenumero nobis patefecit; particulares autem et singulares imperceptibiles servat. Atque hujusmodi quidem sunt quæ ad Christum pertinent, sive passiones, sive actiones; et quæ postea sequentur, hoc est, quæ ad secundam præsentiam attinent, tunc gloriosius spectabimus, utinamque ipsi a Christo potissimum spectemur. Quod autem perfectius tum spectabimus ac spectabimur, Davidi fides habenda est sic loquenti : *Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua* [62]. Nunc enim Deus viris integritate et sanctitate vitæ præditis velut gustum quemdam et arrhabonem præbuit: plenam autem et cumulatam beatitudinem, qua ad satietatem usque perfruentur, tum demum percipient. Mihi vero, de Spiritu loqui instituenti, utinam Spiritus ipse adsit, atque ipsius beneficio tanta mihi oratio detur, quantam cupio; aut si non tanta (quod intempestivum hoc sit minusque utile), hujusmodi saltem orationem concedat quæ hujus festi celebritati par sit, immodicamque humanæ naturæ cupiditatem mediocritate velut incidat. Ac profecto heriliter et suomet jussu (quemadmodum nos Spiritus afflatu, et sentimus, et profitemur), non autem alterius jussum atque imperium serviliter exsequens, ut creaturæ, quemadmodum Macedoniani, Spiritui sancto bellum inferentes, existimant, nimirum contrario spiritu afflati. *Spiritus* enim, *ubi vult, spirat*, ut apud Joannem loquitur Christus [63], id est, in quo loco orbis terrarum vult, et super quos homines vult; vult autem si invenerit quales ipse vult : et quando vult, id est, congruo tempore. Verbi gratia, alium ex matris ventre per præscientiam sanctitate perfundit, alium greges ovium pascentem, alium aliud quiddam facientem. Et quantum vult; modus enim certus est, et diversitas gratiarum atque inspirationis. Atque illud observa, *ubi* locum significare; *super quos*, personas eas quæ inspirantur; *quando*, tempus; *quantum*, modum. Enimvero Christus hoc loco per spiritum, non Spiritum sanctum intelligit, sed aereum et vento conflatum, per obscuriorem nimirum cognitionem hoc exemplo perfectiorem illis afferens. Nam cum dixisset Nicodemus : *Quomodo potest homo nasci denuo* [64]? velut ignorans eam nativitatem, de qua Dominus loquebatur, Christus, exempli gratia, ventum ipsi proposuit : Si ventus, quem vides, et cujus vocem audis, unde prodeat et quo vadat, nescis, qua tandem ratione spiritalem nativitatem intelligere poteris, cum præter ea quæ in sensum atque oculos incurrunt nondum quidquam cognoscas? Theologus autem hoc loco ostendens Spiritum sanctum dominationem atque imperium per se habere, non autem creaturam esse, aut servum jussa capessentem ait : Spiritus sanctus spirat ubi vult, et in quos vult, et quo tempore, et quantum vult.

Col. 438 A. *Qui Spiritum sanctum in rerum creatarum*, etc. Spiritum sanctum alii vim tantum et facultatem esse dicebant, alii creaturam, alii Deum, alii medio quodam modo affecti erant, nec videlicet eum colentes, nec contemptui habentes. Porro qui Deum ipsum esse existimabant, partim inclusam animo pietatem habebant, partim labiis quoque ipsis Deum confitebantur. Theologus igitur eos qui Spiritum creaturam esse atque a Filio factum asserebant, contumeliosos vocat, imperiumque repudiantes ac rejicientes, adversus Dominum suum perfide insurgentes; eos autem, qui Spiritum in animis suis Deum existimabant, splendido animo præditos esse dicit; eos vero, qui non modo eum Deum credebant, sed etiam prædicabant, si quidem apud æquos ac probos auditores, fideique pietate præditos, hoc dicerent, sublimes eos, et mirificis laudibus dignos appellat. Sin autem apud humiles et imperfectos mentemque habentes humi depres-

[60] Psal. xxxv, 7. [61] Rom. xi, 33. [62] Psal. xvi, 15. [63] Joan. iii, 8. [64] ibid. 4.

Digitized by Google

sam, eamque ob causam Spiritui sancto Dei nomen tribui nequaquam ferentes, hujusmodi homines minus prudentes et consultos esse ait. Quemadmodum enim infirmæ aures tonitrui sonum ferre nequeunt, nec infirmi oculi lucem solisque splendorem obtueri, nec iis, qui lactis alimonia adhuc utuntur, solidum cibum porrigere expedit : ita nec iis, qui primis adhuc fidei rudimentis imbuuntur perfecta doctrina committenda est. Temporis enim et personarum rationem habere convenit, ac sermones in judicio disponere [65], nec repente, sed sensim et pedetentim eos ad sublimiora provehere minoque lumine paulatim illustratis, atque obscuriore veritate instructis majus tandem lumen, illustriorumque veritatem impertiri. Quandoquidem et Christus Spiritum sanctum paulatim patefecit. Primum enim, ne adversarius quispiam Dei esse videatur, dixit : *Rogabo Patrem, et alium Paracletum mittet vobis* [66]. Postea autem inquit : *Mittet in nomine meo*, (hoc est, non ut servum aut subditum, sed *in nomine meo*, id est, ut Deum consubstantialem, quemadmodum et ipse ejusdem cum Patre sum substantiæ. Hoc enim significant hæc verba : *In nomine meo*) ; hoc autem verbum, *Rogabo*, non jam adjecit. Deinde dixit : *Ego mittam*, suam videlicet dignitatem et auctoritatem perspicuam faciens. Ac postremo ita locutus est : *Veniet Spiritus*, ut liberam Spiritus potentiam ostenderet. Vides quo pacto splendores nobis certo ordine affulgeant. Sic in lumine lumen invenitur. Hunc Theologi ordinem si nos quoque tenuerimus, recte fecerimus, nimirum ut nec confertim ac repente cœlestem doctrinam patefaciamus, ne alienos a fide vulneremus, graviterque lædamus, quemadmodum qui obscuros et infirmos oculos immodica luce subito explere conantur, fontem lucis debilitant ; nec rursus perpetuo abditam abstrusamque teneamus, nec nostros ab orthodoxa fide avertamus atque perdamus : verum prudenter et sensim ac leniter alienos ad veritatem adducamus : quod nondum tempus sit perfectioris doctrinæ fundendæ, quæ promiscuæ plebis auditum captumque superat.

Col. 438 B. *Si quidem, o viri, nec increatum*, etc. Adversus contrarias de Spiritu sancto sententias accuratius exactiusque in oratione de Spiritu sancto Theologus disputavit. Hac igitur divisione utitur : Spiritus sanctus, aut per se subsistit, atque est essentia : aut in altero consideratur, ac tum accidens nominabitur. Si accidens est, utique Dei actus erit. Porro si actus est, agetur profecto, non autem aget : ac simul atque actus fuerit, finem habebit. Hujusmodi enim est actus natura. Atqui Spiritus agit, et quædam dicit, et segregat, et mœrore afficitur, et irritatur, et cætera ejus generis, quæ non motui, sed ei quod motum habebat, conveniunt, hoc est, agenti, ac non actui. Actus itaque non est Spiritus sanctus. Jam si substantia quædam est, vel creatura existimandus erit, vel Deus : neque enim quidquam intermedium est. Si creatura, quomodo in eum credimus? Si Deus, cur non simul cum Patre et Filio adorabitur? Hæc sunt Theologi verba in oratione de Spiritu sancto. Hoc autem loco ad hunc rursus modum cum hæreticis congreditur : O viri optimi, si Spiritum sanctum increatum esse, ac temporis expertem non admittitis, sed eum in rerum creatarum numerum ascribitis, ac propterea tempori subjicitis (quidquid enim creatum est, tempori subest etiamsi non omne quod motus mensura circumscribitur eamdem rationem habeat) si hoc, inquam, dixeritis, haudquaquam boni Spiritus est hic afflatus, verum perversi dæmonis et veritatis adversarii, impuri, inquam, illius et servi ac creati, ad eumdem secum creaturarum ordinem, id quod creatum non est, contumeliose deprimentis. Dabitis enim veniam, si vos divino zelo permotus aliquanto acrioribus verbis incessam, atque eo audaciæ progrediar, ut vos in tantam blasphemiam prorumpentes contrario spiritu afflari dicam. Si autem eatenus sani estis, ut manifestam impietatem fugiatis, nec Spiritum servum dicatis, qui nos quoque liberos efficit (lex enim Spiritus, hoc est, potestas Spiritus vitæ, inquit Paulus, liberavit me a lege peccati et mortis [67]. Atque etiam idem Apostolus sic Galatis scribit : *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem : Abba, Pater. Itaque non jam es servus, sed filius* [68]. Porro Spiritus Filii dicitur Spiritus sanctus, utpote ejusdem cum Filio substantiæ ac potestatis) : si, inquam, Spiritum sanctum servum dicere non audetis, quod sequitur, atque hinc colligitur, nobiscum et cum Spiritu sancto expendite. Aliquatenus enim ipsius participes estis, eamque ob causam vos non omnino a cœtu et colloquio nostro ejicio, quemadmodum illos prorsus alienos, qui dæmonum intemperiis agitantur, ac Spiritum creaturam esse affirmant ; quin potius vos admitto, ac vobiscum, velut cum iis qui jam ad nostras partes adjuncti sunt, aut, ut spero, adjungentur, doctrinam de Spiritu sancto simul discutere ac perpendere volo. Quænam autem est hæc discussio? Contrariorum alia medio carent ut integrum et superfluum, lux et tenebræ (horum enim medium nullum est), alia medium habent. Rursus eorum quæ medium habent, alia medium unum habent, ut justum et injustum (horum enim medium est, quod neutrum est) ; alia autem, plura media, ut album et nigrum : horum enim media multa sunt, fuscum, pallidum, rubrum, flavum, cæruleum. Eodem igitur modo dominium et servitus, cum de rebus fortuitis agitur, medium habent (inter ea enim libertas interjecta est) ; cum autem de naturalibus sermo habetur, prorsus medio carent. Quod si medium quiddam inter dominium et servitutem esse contenditis, medium illud proferte,

[65] Psal. III, 5. [66] Joan. XIV, 16. [67] Rom. VIII, 2. [68] Galat. IV, 6, 7.

Digitized by Google

atque exponite, quodnam id sit, ut illic Spiritum collocem. Atqui nihil medium inter servitutem et dominium afferri potest. A veritate igitur pressi atque coacti, eo adigemini, ut Spiritum sanctum Deum ac Dominum fateamini. Nam si ipsum, ut par est, servum dicere reformidatis, Dominum eum ac Deum fateri vobis necesse erit. Etenim qui de immediatis contrariis interrogatur, duorum alterum respondere necesse habet : non item in mediatis. Hæc autem idcirco a Gregorio dicuntur, quoniam quidam ex iis qui Spiritui sancto bellum indixerant, nec Dominum ac Deum eum dicere sustinebant, quod aperte id in Scriptura expressum non esset : nec rursus servum vocare audebant. Ab iis igitur extorquet, ne utrumque inficientur, nempe quod nec servus, nec Dominus sit Spiritus sanctus : quoniam nihil sit tertium, quod respondendo proferre queant, verum, quoniam servum cum dicere refugiunt, persuadere eis nititur ut quod reliquum est fateantur, Spiritum Dominum esse : quandoquidem inter dominum et servum nullum sit medium. At syllabas moleste fertis? id est, nomen hoc, Deus, quia expresso nomine Spiritus sanctus in Scriptura Deus non dicitur : ac propterea ad hanc vocem, tanquam ad lapidem quemdam impingitis, atque id vobis offensionis ac divisionis causa est : nec mirum, cum ipse etiam Christus ob carnem quibusdam scandalo fuerit, quemadmodum et prædixerat Isaias, et Paulus ad Romanos scribens interpretatus est : *Offendit* enim, inquit, *ad lapidem offensionis, sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali* [a]. Quamobrem si hoc vos offendit, quod nusquam Scripturæ verbis expressum sit, quod Spiritus sit Deus, humano errore lapsi estis, ac vobis ignoscimus. Agedum igitur controversiam transigamus, id est, amice et pacifice inter nos efficiamur : idque non simpliciter sed spiritualiter faciamus, hoc est, ut Spiritui gratum est. Gratum est autem, ut, privatis contentionibus opinionibusque relictis, aliorum utilitates cum omni tranquillitate procuremus : quod quidem faciunt qui non sui, sed fratrum ac proximorum amore correpti sunt. Is autem sui amore tenetur, qui quærit quæ sua sunt; φιλάδελφος autem is est, qui aliorum commodis servit. Verum, quæ laudabilis concordiæ ineundæ ratio erit? Date vos vim divinitatis ac potentiam, hoc est, omnia quæ potest divinitas, omnia quæ ipsius propria sunt, omnia quæ certis notis divinitatem exprimunt : ac nos vicissim hanc vocem, *Deus*, aliquantisper vobis concedemus, nequaquam a vobis eam exigentes. Modo enim vim et potentiam confiteamini, de voce contentionem minime movebimus. Naturam et divinitatem Spiritus sancti confiteamini in aliis dictionibus, eamdem vim habentibus, ac Deo convenientibus, quibus plus tribuitis, A quas magis honoratis ac veneramini, ut probatas et in Scriptura expressas. Quoniam enim unicam hanc vocem, *Deus*, nobis dare gravamini, alias saltem date, verbi gratia, quod Spiritus sanctus increatus sit, quod omnipotens, et reliquas hujusmodi, ex quibus compendioso artificio ipsum quoque Deum esse colligamus. Nos autem haudquaquam vos ut pravos et sceleratos exsecrabimur, sed ut infirmos medicorum more curabimus, ignoratione potius quam amentia circa fidei doctrinam offendentes, ac propter mentis languorem et imbecillitatem hujusmodi vocem proferre non audentes. Eam autem in curando rationem tenebimus, ut nequaquam puram de Spiritus sancti divinitate doctrinam vobis propinemus, sed nonnulla quoque verba, quæ vobis magis arrident, admisceamus : non secus ac medici jucunda quædam ægrotantibus indulgent, quo facilius medicinam admittant. Turpe enim est et perabsurdum, vos, cum animo sani et incolumes sitis, (quatenus Spiritum sanctum rectissime Deum existimatis) minute circa vocis sonum litem creare, ac tenaciter immorari, dicere nolentes id quod animo creditis, nimirum quod Spiritus sanctus Deus sit : verum thesaurum, quem in pectore habetis, abscondentes, ut suspicionem moveatis, id ea de causa a vobis fieri, vel quod aliis invideatis, ac soli hac cognitione et scientia frui velitis, vel quod metuatis, ne linguæ quoque vestræ sanctitas ipsa pronuntiatione comparetur : quemadmodum anima per rectam de Spiritu sancto fidem sanctificata est. Turpius autem nobis est, si idem admittere comperiamur, quod vobis objicimus, hoc est, cum vos accusamus, ut circa vocis sonum jejune et præparce affectos, nec eam intendentes, iidem quatuor litteras (quæ sunt, Deus) nimium anxie persequamur, nec aliter vos admittamus, quam si eas pronuntietis : perinde ac si pietas in nominibus posita sit, non in rebus.

Col. 439 B. *Trinitatem, o viri, unius deitatis esse fateamini*, etc. Fateamini, inquit, o amici, sanctam Trinitatem unius esse divinitatis ac naturæ : atque ego Spiritum precabor, ut vox hæc, *Deus*, vobis inspiretur. Hæc autem idcirco Theologus dicit, quoniam illis levius videbatur dicere, Trinitatem unius esse naturæ, quam hæc tria unum Deum esse, quanquam eadem verborum vis esset. Deinde subjungit : Qui primum dedit, nempe ut Trinitatem unius esse naturæ fateamini, dabit etiam secundum, nimirum ut Spiritum Deum aperte confiteamini. Nam si unius naturæ et divinitatis est Trinitas, profecto cum eam expleat Spiritus sanctus, ipse quoque Deus est. Dabit autem vobis hujusmodi vocem ac confessionem, si modo conflictatio vestra a timiditate spirituali proficiscatur (quod fortasse timeatis dicere, quæ apertis verbis Scriptura non expressit) : non autem a

[a] Rom. IX, 32, 33; Isa. VIII, 14.

Digitized by Google

diabolica contradicendi libidine, cupientibus scilicet vobis proprium dogma conscribere, quamvis infirmum sit et vanitatis plenum. Atque, ut compendiosius loquar, sic inter nos agamus, ut nec vos sublimioris vocis ergo nos accusetis, hoc est, quia magna quædam de Spiritu sancto proloquimur, atque ad perfectæ theologiæ verticem ascendimus, Deum ipsum esse pronuntiantes (nec enim invidiam et reprehensionem meretur hujusmodi theologicus ascensus) : nec nos vicissim vobis infirmis et rudibus eam vocem, cujus solum capaces adhuc estis, criminis causa proferemus. Quamvis enim Spiritum sanctum nominatim Deum non dixeritis, modo aliam quamdam vocem eamdem vim habentem in altero verborum sono extuleritis, haudquaquam eo nomine vos accusabimus ac reprehendemus : quoad velut quidam viatores per alia nomina et verba quasi per aliam quamdam orbitam, ad idem diversorium atque hospitium hujus vocis, *Deus*, veniatis. Neque enim de vobis victoriam referre affectamus, ut ii solent quos amor sui præcipites agit : verum ut charitate prædíti fratres assumere cupimus fidei unitate nobi cum conjunctos, quorum secessione non minus acerbe discruciamur, quam si a propriis membris divelleremur.

Ibid. *Atque hæc ad vos dicta sint*, etc. Atque hæc, inquit, vobis disserimus, apud quos vitale quidpiam reperimus. Quid hoc? Sanam de Filio doctrinam et fidem. Macedoniani enim dimidia ex parte recte sentiebant, atque etiam Semiariani nominabantur, ut qui in Spiritum sanctum solum blasphemarent, non item in Filium. Quorum præclaram et pietatis colendæ studio devotam vitæ rationem suspicientes, doctrinam tamen nequaquam comprobamus, utpote non recte sectam (30). Quocirca, cum Spiritus fructum habeatis [50], id est spiritales actiones, Spiritum quoque insuper assumite, de ipsius divinitate, ut dignum est, disserentes ; ut (quoniam juxta Apostolum [51], etiam si quis certet, non tamen coronabitur, nisi legitime certet) vos non solum certetis, sed etiam legitime. Nam hinc coronæ decus comparatur, nempe ex legitimo certamine. Stulti enim ac stolidi animi est in spiritualibus elaborare, laboris autem coronam ideo non accipere, quia hujusmodi labor non, ut oportet, suscipitur. Is porro legitime certat, qui non modo ad certamen accinctus est, atque in arenam prodiit, sed etiam certaminis legibus satisfecit, atque adversarium superavit. Ipse enimvero vobis hanc laudabilis vitæ mercedem dari opto, ut Spiritum egregie confiteamini. Ac cum cætera vestra recte facta, tum pallorem istum ex vitæ continentia et frugalitate affusum amplector et exosculor, ut pro vobis illud Apostoli proferre non dubitem : *Optabam anathema esse a Christo* [52], id est, disjunctus et separatus. Paulus enim Mosem imitabatur, cognatorum ac contribulum suorum vicem dolentem, Deumque his verbis alloquentem : *Si peccatum ipsis dimiseris, dimitte : sin minus, de libro, quem scripsisti, me quoque dele* [52*]. Atque multorum salutem sua unius salute fructuosiorem præstabilioremque ducebat : id quod est hominis, tum proximum ut seipsum diligentis, tum maxime Christum amantis, ac duo prima et magna præcepta simul explentis. Eodem igitur modo ipse quoque nonnihil, ut damnatus, perpeti non recuso, hac conditione, ut nobiscum stetis ac communibus animis Trinitatem concelebremus. Nam quid de aliis dicam, de Arianis scilicet et Eunomianis, qui non solum in Spiritum blasphemos sermones evomunt, verum etiam in Filium, ac propterea, quantum ad animam attinet, prorsus mortui atque exstincti sunt? Animæ quippe mors separatio est a Deo, quemadmodum corporis mors est ipsius ab anima disjunctio. Hos enim per incredulitatem et perfidiam mortuos ad vitam revocare, Christi solius est (qui, ut est apud Paulum [53], vivificat mortuos, secundum ineffabilem divinitatis suæ potentiam). Quid quidem Ariani ? Pietatem simulantes, loco quidem a reliquis ejusdem doctrinæ assertoribus, nimirum ab Eunomianis, callide atque astute separantur, nequaquam cum illis velut ab eorum dogmate abhorrentibus, versantes : cæterum quantum ad doctrinam ac sectam attinet, inseparabili nexu cum illis cohærent, ac tametsi de fidei doctrina inter se dissidere videantur, quia locorum intervallis distincti sunt, non tamen dissident, quandoquidem ad unam eamdemque rem concordibus animis feruntur. Et quemadmodum duo oculi distorti, tametsi ob perversum et inæqualem situm sibi invicem adversari videantur, minime tamen adversantur, quoniam rem eamdem intuentur (neque enim aspectu, sed situ dissident ; nec quantum ad actum inter se contrarii sunt) ; sic etiam Ariani haudquaquam inter se, quantum ad fidei doctrinam pugnant, ad eamdem etenim impietatem collimant, verum quantum ad locum, quo inter se disjunguntur. Quin etiam hoc in ista comparatione discriminis est, quod pravi ac distorti oculi utcunque cernunt : hi autem, ut aptius loquar, animi oculis prorsus caligant. Atque, ut alio exemplo utamur, quod in viis et fluviis reperire est, ut a se invicem secentur, ac rursus in unum coeant, idem hæreticis usuvenit. Nam in quibusdam dissentientes, in quibusdam rursus consentiunt : adeo ut plane perspici nequeat, in quo vel differant, vel doctrinæ communione jungantur. (31) Hæc verba atque hæc vobis disserimus, ad Macedonii sectatores referuntur.

[50] Galat. v, 22. [51] II Tim. II, 5. [52] Rom. IX, 3. [52*] Exod. XXXII, 32. [53] Rom. IV, 17.

(30) Ὀρθοτομουμένην. *Hac dictione utitur Paulus* II *Tim. cap.* II, Ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας *recte secantem*, Vulgata versio, *tractantem*.

Digitized by Google

Ariani enim et Eunomiani tanta animorum contentione inter se pugnabant, ut ne mutuum quidem aspectum et congressum ferre possent. Quos etiam haud dubie mortuos esse dicit, utpote eo impudentiæ prorumpentes, ut et Filium, et Spiritum sanctum impiis convitiis insectarentur. Optat autem Gregorius hanc probatissimæ vitæ mercedem Macedonianis dari, ut Spiritum sanctum Deum confiteantur, eumque cum Christianis Deum prædicent; imo etiam ante nos, id est, seorsim a nobis; vel etiam hoc vult, ut priusquam ad hanc confessionem veniant, quæ Spiritum sanctum perspicue Deum prædicat, per alias dictiones idem significantes confiteantur. Nam hæc verba : Quantum ipsius dignitas postulat, exprimendæ divinitatis mihi vim habere videntur. Vel etiam : Ante nos, dixit, id est, in omnium conspectu et propalam ac libere.

Col. 442. *Postquam autem ad vos utcunque*, etc. Postquam, inquit, ad vos utcunque disserui, qui Macedonii dogma profitentes, circa Filii divinitatem recto judicio ducimini, agedum ad sermonem de Spiritu sancto se referat oratio. Ac vos quoque, ut opinor, his, quæ attulimus, persuasi, contentione abjecta dicentem sequemini, ac benigne et candide verba nostra audietis. Hinc autem ordiemur. Spiritus sanctus, nec cœpit esse (semper enim erat) nec esse desinet; verum est, et erit, et cum Patre ac Filio conjungitur et connumeratur, non autem subjungitur, aut subnumeratur, quemadmodum hæreticis placet ipsius dignitatem imminuere cupientibus. Aiunt enim æqualibus et eamdem substantiam habentibus, *connumerationis* verbum convenire : inferioribus autem diversamque substantiam habentibus, *subnumerationis* nomen quadrare, vel singularis declarationis. Ac connumerationem quidem vocant contractionem eam, quæ in unum numerum fit, ut cum dicimus tres deos aut tres homines : non autem connumerationem, sed singularem enuntiationem, cum dicimus, unum et unum : subnumerationem denique postremum in enumeratione gradum, ut Pater, Filius, et Spiritus sanctus : En, inquiunt, postremus recensetur ac pronuntiatur Spiritus, ac Patri et Filio subnumeratur. Atque hæc ipsi dicunt, doctrinam suam quasi lata lege promulgantes, cæterum a veritate recedentes. Nam revera Spiritus sanctus in Scriptura non semper postremo loco ponitur, sed interdum etiam priori loco numeratur; Pater autem posteriori, ut cum ait Apostolus : *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, qui operatur divisiones gratiarum* (pro ratione, ut opinor, et merito eorum, qui eas suscipiunt); *et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus*[83a].

A Hic enim primum Spiritus sancti meminit, deinde Filii, postremo Dei et Patris. Jam nec ea sola connumerantur, quæ substantia eadem sunt, sed ea etiam, quæ diversam substantiam habent. Ait enim Joannes : *Tres sunt, qui testimonium dant, Spiritus, aqua, et sanguis*[84]. Hæc porro quantum ad substantiam eadem non sunt. Vides quomodo corruat hæreticis illa connumerationis disputatio. Spiritus igitur eodem ordine cum Patre et Filio censetur ac glorificatur, utpote per quem ipsa quoque divina operatio expleatur : *Gratia* enim *Domini nostri Jesu Christi*, inquit Apostolus, *et charitas Dei Patris, et participatio sancti Spiritus, sit cum omnibus vobis*[85]. Et nostræ salutis caput, ac perfecta de divinitate traditio hæc est, ut qui B baptismi aqua tinguntur, ad consequendam sanctificationem, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizentur. Nam quod in iisdem divinis operibus sancta Trinitas glorificetur, certissimum divinitatis unius argumentum est. Ac rursus Apostolus in hunc modum loquitur : *Unus Deus, ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et unus Spiritus sanctus, in quo omnia*[86]. En hoc quoque loco Spiritus sanctus eodem ordine ac numero cum Patre et Filio ponitur. Neque enim alioqui Trinitas fuerit, nisi Spiritus quoque connumeretur. Et quemadmodum tradidit magnus ille, et a miraculis editis Thaumaturgi cognomentum adeptus Gregorius, nunquam vel C Patri Filius defuit, vel Filio Spiritus sanctus, id quod tamen Spiritus hostes astruunt. Id enim in maximam ignominiam Dei cederet. Hinc enim conficeretur, Deum a principio perfectum non fuisse, verum postea, quasi pœnitentia motum, personam quæ desiderabatur, hoc est, Spiritum sanctum, assumpsisse, atque ita ad modis omnibus cumulatam et perfectam divinitatem pervenisse. Erat igitur in principio Spiritus, atque ab omni quidem creatura percipitur, ad sui coagmentationem et conversationem eo opus habente: ipse autem nullius rei particeps efficitur. Nullius enim indiget, seque ipso contentus est. Perficit omnia atque ipsos etiam angelos per sanctificationem : ipse autem non perficitur, quippe natura perfectus atque in- D crementum nesciens. Implet omnia sua essentia : *Spiritus* enim *Domini replevit orbem terrarum*[87], inquit Salomon; et David : *Quo ibo a Spiritu tuo*[88]? Ipse autem non impletur, utpote plenus ac plus quam plenus : *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*[89], et accipimus, atque implemur. At ipse nec rei ullius indiget, nec minuitur : non secus ac sol corporibus affulgens, varieque ab illis perceptus, haudquaquam a percipientibus imminuitur. Sanctificat, ut natura sanctus : *Abluti* enim *estis*, inquit, *et sanctificati estis in nomine Domini*

[83a] I Cor. XII, 4-6. [84] I Joan. V, 8. [85] II Cor. XIII, 13. [86] I Cor. VIII, 6. [87] Sap. I, 7. [88] Psal. CXXXVIII, 7. [89] Joan. I, 16.

(31) Hæc in meo Nicetæ non habentur, et alius cujuspiam interpretis esse videntur.

Digitized by Google

nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri [60]; ipse autem Spiritus minime sanctificatur; neque enim quod essentia sanctum est sanctificationem requirit. Hominibus divinitatem affert, per adoptionem et gratiam : ipse autem Deus non efficitur. Nam quod aliis divinitatem largitur, natura Deus est. Adhæc ille sibi ipsi semper æqualis et idem est, nullam conversionem ac mutationem admittens, quemadmodum nec Pater nec Filius, cum quibus Spiritus conjunctus est. Invisibilis : sic enim ait Christus : *Spiritum mundus accipere non potest, quia non videt eum* [61]. Temporis expers, quoniam et increatus. Creata enim sunt, quæ in tempore sunt. Incomprehensibilis mundo, quantum ad potentiam et magnitudinem, propter bonitatem ac beneficentiam capaces sui homines facit. Immutabilis, quia et ingenitus; quæ enim orta et generata sunt, mutationi obnoxia sunt. Qualitate, quantitate, forma, et tactu carens, quia simplex et incorporeus. Accidentium enim rationem habent qualitas, quantitas, tactus, et forma, seu figura, quæ quidem in compositis considerantur. At Deo qualitas nulla tribuenda est (ne compositum ipsum statuamus, nimirum ex substantia et qualitate), nec ullum omnino accidens. Nihil enim in ipso nascitur atque exstinguitur : verum immutabilis est et inalterabilis, semperque, ut diximus, eodem modo se habet. Jam vero cætera omnia aliunde motum habent, hoc est, a Deo, a quo facta sunt : at Spiritus sanctus, qui Deus est, nec a quoquam creatus est, nec movetur, verum suopte motu cietur, ac proinde perpetuum motum habet. Insuper arbitrii quoque liberi est Spiritus sanctus. Diversa autem significatione arbitrii libertas capitur, aliter cum de Deo sermo habetur, aliter cum de angelis, aliter denique cum de hominibus. In Deo est superessentialiter; in angelis, quia conatus operisque expromptio cum habitu concurrit, nec ullam temporis intercapedinem admittit. Nam cum angelus arbitrii libertatem natura habeat, sine ullo impedimento ea utitur, quandoquidem nec corporis reluctationem patitur, nec cujusquam oppugnatione premitur. Simul enim cum natura et creatione sua liberam arbitrii facultatem accepit, nequaquam postea ipsi accedentem, aut intermedium tempus habentem. Id autem proposito exemplo clarius erit. Puer enim, etsi natura liberum arbitrium habet, tamen ob imbecillitatem in multis rebus ea libertate uti prohibetur. At in hominibus habitus ante aggressionem temporali modo prior cogitatur. Tametsi enim ipse quoque arbitrii libertate præditus est, eamque natura habet : tamen ob diaboli impetum et oppugnationem, et propter corporis gravitatem, usus ipsius et exsecutio habitu posteriores sunt. Jam Spiritus quoque αὐτοδύναμος est, id est, natura et per seipsum potentiam habet, ac propterea omnia, quæ vult, potest; non autem omnia vult, quæ potest. Mundum enim delere ac perdere potest, non tamen vult. Quod si quid humilius et abjectius de eo dictum invenias, exempli causa : Quod a Patre mittitur, aut datur, aut dividitur, aut intercedit, aut aliud quidpiam hujus generis, scito hæc omnia ad primam causam referri, hoc est, ad Patrem, quemadmodum et ad eumdem suus Filius refert. Sic enim Vita ipsa loquitur : *Ego vivo propter Patrem* [62]. Et ipsa Potentia : *Non potest Filius facere a seipso quidquam* [63]. Et perfecta Sapientia : *Mandatum accepi, quid dicam, aut quid loquar* [64] ? Ac rursus : *A meipso non sum locutus, sed quemadmodum dixit mihi Pater, sic facio* [65]. His autem verbis non eo utitur, quod voluntate ac motu careat, et velut imperialem tesseram exspectet; sed ut sententiam suam conjunctim et inseparabiliter a Patre pendentem ostendat, ac per hæc omnia ad Patris cognitionem nobis præeat : ad quem rerum earum, quæ ab eo eduntur, miraculum refert, ut per eum ad Patris cognitionem evehamur. Quia etiam Spiritus vita est, et vivificans; sic enim ait Apostolus : *Spiritus vita est per justitiam* [66]. Et rursus : *Littera occidit, Spiritus autem vivificat* [67]. Et Dominus ipse hoc testimonio suo confirmat : *Spiritus*, inquit, *est qui vivificat; caro non prodest quidquam* [68]. Vivificat porro cum Deo Patre omnia vivificante, et cum Filio vitam dante. *Sic enim ait* Apostolus : *Qui suscitavit Christum a mortuis, vivificabit et corpora nostra mortalia per inhabitantem Spiritum suum in nobis* [69]. Et Christus : *Oves meæ vocem meam audiunt, et ego vitam æternam do eis* [70]. Et ut uno verbo absolvam, quemadmodum nec ab igne calor, nec a luce splendor separari potest, sic nec a Spiritu sanctificatio, vivificatio, bonitas, rectitudo. Nec quidquam horum adventitium ipsi est aut posterius accedens. Lumen est et luminis largitor. *In lumine* enim *tuo*, inquit, *videbimus lumen* [71], id est, in Spiritu Filium. Hoc porro Davidis oraculum tum impletum est, cum baptizato Jesu, ut est apud Joannem, Spiritus sanctus Filio divinitatis testimonium præbuit, in columbæ forma descendens; nam tum in Spiritu sancto Filium cognovimus. Lumen autem Spiritus sanctus appellatur, quia omnem ignorantiam et errorem ex animis, quibus infusus est, dispellit; tum etiam quia omnia, quæ ipsius splendore continentur, ad seipsum colligit. Bonitas ipsa et fons bonitatis, id est essentiale bonum, a quo et alia ut ex fonte bonitatem hauriunt. David enim Spiritum bonum ipsum nominat; Theologus autem laudem amplificans, atque ostendens eum non participatione bonum esse, bonitatem ipsam cum nuncupavit, cujus beneficio alia quoque bonitatem

[60] I Cor. vi, 11. [61] Joan. xiv, 17. [62] Joan. vi, 58. [63] Joan. v, 19. [64] Joan. xii, 49. [65] Joan. xiv, 31. [66] Galat. vi, 8. [67] II Cor. iii, 6. [68] Joan. vi, 64. [69] Rom. viii, 11. [70] Joan. x, 28. [71] Psal. xxxv, 10.

Digitized by Google

consequuntur. Spiritus rectus, principalis. Hæc quoque Davidis sunt : *Spiritum* enim, inquit, *rectum innova in visceribus meis* [72]. Et : *Spiritu principali confirma me* [73]. Ac rectus quidem dicitur, ut flexuoso et obliquo serpenti contrarius. Nam, ut ait Scriptura : *Spiritus sanctus effugiet dolum* [74]. Rectus etiam dicitur, quia ipse justitia est et veritas, digressiones ac deflexiones in utramque partem non habens. Principalis autem, ut princeps et dominator, tum etiam ut principem mentem dirigens. Ita Dominum eum vocat Apostolus, dicens : *Dominus autem dirigat corda vestra in charitate Dei, et patientia Christi* [75]. Et alio loco : *Vos autem Dominus multiplicet et abundare faciat per charitatem mutuam, et ad confirmanda corda vestra sine reprehensione in sanctitate coram et Deo et Patre in adventu Domini nostri Jesu Christi* [76]. Et alibi expresse Dominum eum vocat, his verbis : *Dominus autem Spiritus est* [77]. Et rursus : *Tanquam a Domino Spiritus* [78]. Atque etiam Spiritus sanctus mittit et segregat. Ait enim Isaias : *Dominus misit me, et Spiritus ipsius* [79]. Scriptum etiam habetur in Actibus apostolorum : *Et illi quidem emissi a Spiritu descenderunt Seleuciam* [80]. Et in eodem libro : *Dixit Spiritus sanctus : Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus ad quod eos accepi* [81]. Templum sibi exstruens. Hoc quoque ab Apostolo sumptum est : *Nescitis quod templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis* [82]? Et rursus : *Corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est* [83]. Atque etiam Spiritus sanctus iter commonstrat : *Descendit* enim, inquit, *Spiritus a Domino, et præivit eis* [84]. Et David : *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam* [85]. Et Dominus : *Cum venerit Paracletus, Spiritus veritatis, ille vos admonebit, et deducet in omnem veritatem* [86]. Ac ne mihi hanc præitionem in abjectiorem sensum interpreteris, hoc quoque opus Scriptura Deo attribuit : *Deduxisti* enim, inquit, *quasi oves populum tuum* [87]. Et : *Qui deducis velut ovem Joseph* [88]. Et : *Deduxisti eos in spe, et non timuerunt* [89]. Præterea Spiritus, prout vult, operatur ac dividit gratias, quemadmodum et Paulus testatur, dicens : *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens unicuique sicut vult* [90]. Spiritus adoptionis. Sic rursus Paulus ipsum vocat, sic loquens : *Non enim accepistis spiritum servitutis in timore, sed Spiritum adoptionis* [91]. Spiritum autem veritatis Dominus ipse eum nominavit, dicens : *Cum venerit Paracletus, Spiritus veritatis* [92]. Nomina autem, quæ deinceps sequuntur, Isaias enumerat, de Christo ad hunc modum vaticinans : *Et requiescent super eum spiritus septem, spiritus sapientiæ et prudentiæ, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis spiritus timoris Dei implebit eum* [93]. Sic autem vocatur Spiritus sanctus, ut eorum auctor et suppeditator. Atque etiam Pater per Spiritum cognoscitur : *Spiritus* enim, ut ait Apostolus, *omnia scrutatur, etiam profunda Dei* [94]. Et ait loco : *Quis enim ea scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est ? sic etiam ea quæ Dei sunt, nemo scit, nisi Spiritus Dei* [95]. Per Spiritum Filius celebratur. Ipse enim Unigenitus in Joannis Evangelio de Paracleto sic loquitur : *Ille me glorificabit* [96]. Spiritus enim Dominum digne glorificat, non ut creatura, sed ut Spiritus veritatis, dilucide ac perspicue in seipso veritatem ostendens, atque etiam ut Spiritus sapientiæ, Christum, qui Dei sapientia est, in sua magnitudine patefaciens. Tum etiam duplex est gloria, alia naturalis, ut gloria solis lux est, alia externa, qua ex animi proposito et voluntate ac judicio, qui ea digni sunt, afficiuntur. Cujus duo quoque sunt genera : Filius enim, inquit ille, glorificat patrem suum, et servus dominum suum. Quocirca gloria servilis a creaturis præstatur : at familiaris et propria, a spiritu tribuitur. Sic igitur, et Pater per Spiritum cognoscitur, et Filius glorificatur. Rursus autem Spiritus ab his solis cognoscitur, hoc est, a Patre solo et Filio. Atque una sanctæ Trinitatis classis est, id est, unio et adoratio eadem. Nec enim aliter Patrem ac Filium, aliter Spiritum sanctum colimus et adoramus, sed eodem prorsus modo. Una adoratio, et unus honor secundum cultum, non secundum relationem. Una potentia trium personarum immensa et infinita. Potest enim sancta Trinitas quidquid vult. Una perfectio et sanctificatio, quæ a tribus personis affertur (32).

14. *Quid pluribus verbis opus est? Omnia*, etc. Pater, Filius, Spiritus sanctus, ingenitura, generatio, processio : fac proprietates has memoria teneas. Quid, inquit, cætera commemorare attinet ? Omnia quæcunque Pater habet, sunt Filii, præterquam quod ingenitus non est, juxta Domini ipsius vocem, dicentis : *Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt* [97-99]. Nam perfecto quæcunque principi formæ adsunt, eadem imaginis quoque sunt. Et omnia quæ Filius habet, Spiritus sancti sunt, excepta generatione. Neque enim genitus est Spiritus, sed procedens. Spiritus rursus Filii imago est. Hæc autem nomina, nimirum ingenituræ, generationis, et processionis, licet pronuntiatione diversa sint, haudquaquam tamen diversas substantias

[72] Psal. L, 12. [73] ibid. 14. [74] Sap. I, 5. [75] Thess. III, 5. [76] I Thess. III, 13. [77] Joan. IV, 24. [78] II Cor. III, 18. [79] Isa. XLVIII, 16 [80] Act. XIII, 4. [81] ibid. 2. [82] II Cor. III, 16. [83] I Cor VI, 15. [84] Isa. LXIII, 14. [85] Psal. CXLII, 10. [86] Joan. XVI, 13. [87] Psal. LXXVI, 21. [88] Psal. LXXIX, 1. [89] Psal. LXXVII, 53. [90] I Cor. XII, 11. [91] Rom. VIII, 15. [92] Joan. XVI, 13. [93] Isa. XI, 2, 3. [94] I Cor. II, 10. [95] ibid. 11. [96] Joan. XVI, 14. [97-99] Joan. XVI, 15.

(32) Hoc loco in Reginæ codice quædam inserta erant, quæ nihil ad rem faciebant, nec in nostro Nicetæ legebantur. Quare ea loco movimus, atque in sua sede collocavimus, nimirum ubi locus ille Davidis profertur : *In lumine tuo videbimus lumen* (Psal. XXXV, 10).

Digitized by Google

inducunt, aut eas dividunt, quasi essentiales quædam differentiæ, sicut Ariani atque Eunomiani blaterant : verum, ut ipse censeo, circa unam eamdemque substantiam dividuntur, velut proprietates distinctarum personarum indistinctæ substantiæ et naturæ ac divinitatis. Quemadmodum enim propria nomina, verbi gratia, Petrus, Paulus, et Joannes, non naturas dividunt, sed circa naturam eamdem dividuntur, ac personas distinguunt (quamvis enim diversa sint nomina, natura tamen ipsorum una est, nimirum humanitas); eodem modo et ingenitura, generatio et processio, tria nomina inter se quidem eadem non sunt, verum ea quibus insunt, eadem sunt : nec substantiam scindunt, sed circa eamdem substantiam scinduntur, ac personas secernunt. Nam proprietates istæ, velut notæ quædam in substantia consideratæ, propriis quidem et peculiaribus notis rem communem dividunt, substantiæ vero identitatem minime disjungunt. Exempli causa, communis quidem est divinitas : proprietates autem, paternitas et filiatio, ex utriusque porro connexione veritatis cognitio atque comprehensio nobis ingeneratur.

Col. 442 D. *Parturis objectiones? At ego orationis cursum*, etc. Orationem ad Spiritus hostes convertit, aitque : Parturis objectiones, ac rursus in contentiosas disputationes erumpis? Paras quærere, quomodo Spiritus sanctus, cum a Patre sit, non generationis modo, sed processionis, Deus sit. At ego institutæ orationis cursum seriemque parturio. Tempus enim hoc festivæ celebritatis est non contentionis. *Prohibe linguam tuam a malo* [1]; paululum eam comprime. De aliis linguis nobis agendum est. Has cum igne conspicuas venerare, quia divinitatem indicant : *Deus* enim *noster ignis consumens est* [2]; vel metue, propter vim adustivam, quam divinitas habet. Hodie doceamus, id est, fideliter et simpliciter doctrina de Spiritu sancto, quam Scriptura nobis offert, utamur : cras autem artificiose disseremus, et ab honesto ac decoro recedemus, id est, argute et sophistice et ex dialecticæ artis legibus et methodo disputationem instituemus. Enim vero hæc verba : Doceamus, et Festum agamus, consulendi animo dicuntur. Hæc autem, Artificiose disseremus, et, Ab honesto et decoro recedemus, sunt ironice loquentis, atque hujusmodi res aversantis. Unde et turpitudinem et temulentiam eas vocat, atque ad forum et theatra rejicit.

Ibid. *Posteaquam autem alienos submovimus*, etc. Posteaquam alienos et hæreticos submovimus atque extrusimus, age jam nostros et eadem fide præditos meliores faciamus. Hic igitur Spiritus sanctus, prius, id est, antequam sensibilis natura procreata esset, in angelis vim suam exercebat. Ipsius enim beneficio perfectionem illi habent : perfectio autem angelorum sanctificatio est, constansque in ea permansio. Ac rursus illuminationem habent, eamque præstantiam, ut cum prius ad malum ægre impellerentur, nunc ne ullo quidem (33) modo impelli queant, idque non natura, sed gratia, per quam summo bono indivulse assident. Quonam enim modo angeli dicere queant : *Gloria in altissimis Deo* [3], nisi vim eam a Spiritu acceperint? *Nemo* enim *potest dicere, Dominum Jesum, nisi in sancto Spiritu* [4]. Quonam item modo primæ illæ post Deum potestates beata vita fruerentur, nisi faciem Patris, qui in cœlis est, semper viderent [5]? Atqui visio hæc sine Spiritus gratia non contingit. Quemadmodum enim si noctu lumen a domo sustuleris, nec oculis aspectu constabit, nec materiarum pretia et dignitates agnosci poterunt (tum enim per ignorantiam æque aurum ac terra calcabitur) : sic etiam in spirituali angelorum ordine divina vita sine Spiritu permanere non potest, nihilo certe magis quam exercitus ordo et disciplina, nisi ordinum præfectus adsit, aut chori concentus, nisi chori magister cantorum voces componat atque concinnet. Quonam rursus modo dicere possent Seraphim : *Sanctus, sanctus, sanctus* [6], *nisi a* Spiritu didicissent, quoties hujusmodi *laus pie* repetatur? Ita fit, ut spiritualis ille concentus, nisi Spiritus magisterio et disciplina, retineri nequeat. Postea autem Spiritum in patribus et in prophetis operabatur. Patriarcharum enim benedictiones, et figuræ, ac vaticinia, per Spiritus gratiam conficiebantur. Etenim ex justis alii Deum per imaginem conspexerunt aut cognoverunt. Per imaginem obscuram Dei comprehensionem intellige : per cognitionem autem, eam quæ illustrior est magisque perspicua. Vel etiam, quoniam phantasia sæpe imposturam animo facit, idcirco adjecit Theologus, Cognoverunt, ut visionem hanc veram esse credas. Ergo patriarchæ Deum per imaginem conspexerunt : prophetæ autem futura quoque ante cognita habuerunt, impressam instar ceræ mentem a sancto Spiritu habentes, ac futura quasi præsentia cernentes atque audientes. Quocirca prophetiam quoque visionem appellabant, atque ipsi videntes nominabantur. Hujusmodi quippe Spiritus vis est; illuminatrix scilicet, ad summi boni cognitionem omnia collustrans. Etenim omnibus, quæ ratione et intelligentia prædita sunt, ad veritatis inventionem spiritualis lux est, iisque velut perspicuitatem quamdam per se affert.

[1] Psal. xxxiii, 14. [2] Deut. iv, 24. [3] Luc. vii, 14. [4] I Cor. xii, 3. [5] Matth. xviii, 10. [6] Isa. vi, 3.

(33) *Nunc ne ullo quidem.* « Post lapsum Satanæ, inquit Aug. lib. *De Eccles. dogm.*, cap. 62, ita confirmati sunt angeli qui perstiterunt, ut cadere omnino non possint, qui ne omnino jam caderent, virtutem incommutabilitatis acceperunt. »

Digitized by Google

Tum in Christi discipulis, etc. Tum, inquit, Spiritus sanctus in Christi discipulis efficax erat. Nec enim dicere possum, quod in Christo quoque operabatur. Christo siquidem aderat, non ut afflans, quemadmodum in aliis hominibus, qui Spiritu sancto afflantur, sed ut cum æquali simul incedens atque exsistens, propter inseparabilem sanctæ Trinitatis conjunctionem. De qua re in hæc verba loquitur Basilius : Ubi propria et connaturalis atque inseparabilis est societas, illic aptior et significantior vox est συνυπάρχειν, id est, *simul exsistere*, quod hoc verbum inseparabilis consortii cogitationem animo offerat : at ubi res unitæ separari possunt, illic commodior et congruentior vox est ἐνυπάρχειν, hoc est, *inesse*. Quemadmodum vitam animæ συνυπάρχειν dicimus, id est, *coesse*, corpori autem, ἐνυπάρχειν, *inesse*. Ab eo enim separari potest. Eodem igitur modo Spiritus sanctus unigenito Filio coesse dicitur : aliis autem sanctis inesse Spiritus. Itaque triplici modo in apostolis vim suam edebat, prout nimirum et ipsi capaces erant, et trium temporum ratio ferebat. Primum, id est, ante Christi passionem, obscure, cum eos prædicatum misit, et pellendorum morborum, dæmonumque profligandorum potestatem ipsis dedit [7]. Quæ omnia nequaquam sine Spiritus numine fiebant. Secundo post resurrectionem expressius et clarius. Christus enim cum insufflasset, dixit : *Accipite Spiritum sanctum* [8], nequaquam alius exsistens, quam qui a prima rerum creatione insufflaverat, sed idem ipse, per quem insufflatio data fuerat, tunc quidem (34) cum anima, nunc autem in animam. Tertio autem perfectius, cum Christus in cœlum ascendit, vel divinæ gloriæ restitutus est, vel quo nomine id appellandum sit, nescio. Addubito enim quod nomen ineffabili illi ad priorem statum ascensioni tribuendum sit. Sed quomodo Spiritus discipulis perfectius in linguarum divisione vim suam exeruit? Nimirum quia Spiritus sanctus non jam, ut antehac, per operationem aderat, sed, ut sic loquar, essentialiter cum ipsis erat ac versabatur. Quod autem dixit : Ut sic loquar, ad præmolliendum hanc vocem, *essentialiter*, dixit, ut minus proprie atque exacte prolatam, ob aptioris dictionis penuriam. Neque enim essentialiter cum Filio Spiritus sanctus in apostolis habitavit ; verum per divinam inhabitationem igneasque linguas, atque afflatum illum, per quem A nihil non poterant, sanctique Spiritus expletionem, dicere quispiam posset eum essentialiter cum ipsis esse ac versari. Nam cum Filius corpore sensibili atque conspicuo nobiscum consuetudinem habuisset, par erat, ut Spiritus quoque corporaliter appareret, quemadmodum etiam apparuit, primum in forma columbæ, nunc autem in forma linguarum ignearum. Et cum Christus ab iis quæ humanitati assumptæ conveniebant, post resurrectionem, ad ea quæ Deo conveniebant, reversus esset, suæque gloriæ, quam ante susceptum salutis nostræ negotium habebat, restitutus esset (nam ea in breve tempus propter nos exinanitus fuerat ; dicebat enim : *Clarifica me, Pater, apud temetipsum claritate, quam habebam apud te, priusquam* B *mundus esset* [9]) : Spiritum ad nos post Christum descendere oportebat. Quod si audieris Christum in Evangelio dicentem : *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam* [10], atque illud : *Nisi abiero, Paracletus non veniet ad vos* [11], ita tibi hoc accipiendum est, ut venire quidem Spiritum sanctum intelligas heriliter, atque ut Dominum : mitti autem certo consilio ac dispensatione, et ut Deo minime adversantem. Hæ siquidem voces, πέμπεσθαι et ἀποστέλλεσθαι, id est, *mitti*, ac cæteræ ejusmodi, nequaquam omnino naturas dividunt, quemadmodum opinantur hæretici : verum concordiam ostendunt, ut si quis dicat : Missus est amicus ab amico, aut litteræ ab eo qui scripsit, aut lapis ab eo qui projicit. Quamobrem non C semper naturas distrahunt, sed interdum etiam concordiam certo confirmant, atque æque nunc hoc, nunc illud efficiunt. Proinde, quod Spiritus mitti dicitur, concordiam ipsius cum eo, a quo missus est, indicat, non autem servilem gradum et subjectionem (34).

Col. 443 D. *Idcirco post Christum quem accedit*, etc. Causam explicat Theologus, quare Spiritus post Christi ascensum descenderit ; atque ait : Ne Paracletus nobis desit. Nam etiam Christus in prima Joannis Epistola *paracletus* dicitur : *Si quis*, inquit, *peccaverit, paracletum habemus apud Patrem Jesum Christum justum* [12]. Abeunte igitur Christo paraclete, Paracletum rursus ad nos D accedere conveniebat, nempe Spiritum sanctum. Quin ipse quoque Dominus apud Joannem ita loquitur : *Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis* [13], id est, alium mihi æqualem. Quo-

[7] Matth. x, 1. [8] Joan. xx, 22. [9] Joan. xvii, 5. [10] Joan. xv, 26. [11] Joan. xvi, 11. [12] I Joan. ii, 2. [13] Joan. xiv, 16.

(34) *Tunc quidem*. Hoc est, in Adami creatione insufflatio facta est cum anima, id est, cooperans animæ, non quod idem cum anima esset : at post resurrectionem discipulis in animam insufflatio data est, hoc est, viventibus ipsis, una cum potestate ligandi et solvendi. Itaque insufflatio cum anima, sicut ante dictum est, hæc duo significat, nempe quod non ut a terra corpus hominis a Deo acceptum atque creatum est, sic etiam anima, verum ex nihilo ab eo producta : tum etiam ligandorum atque solvendorum peccatorum potestatem ostendit, quam apostoli a Domino post resurrectionem acceperunt. Ac tertio etiam indicat, quod non minus facile anima hominis producta est, quam velut si quis flatum emittere queat. Hæc quia Nicetæ commentario in Reginæ codice temere et perturbate inserta erant, nec in nostro habentur, huc rejicienda putavimus.

Digitized by Google

circa hæc dictio, *Alius*, æqualitatis, non autem imminutionis causa posita est, ac per eam dominationis consortium, non contemptus indicatur. Hæc enim vox, *Alius*, ita intelligenda est, ut alium mihi æqualem significet. Etenim in iis, quæ ejusdem naturæ sunt, alium atque alium dicimus, velut alius Petrus, et alius Paulus : at cum de iis quæ diversa natura sunt, sermo habetur, aliud atque aliud dicimus, ut, aliud est bos, et aliud equus. Quoniam autem in Actis apostolorum habetur [14], quod cum in cœnaculo sederent, apparuerunt ipsis dispertitæ linguæ quasi ignis, seditque super singulis eorum, hæc quoque dispicienda sunt. Ac primum cur in linguis? Cujus rei fortasse hæc est ratio, quia sicut lingua proprium est sermonis organum : ita etiam apostoli ad Evangelii verbum apti et accommodi erant, non secus atque organa, ipsum resonantes : ac per linguas, congruentia eorum, et aptitudo ad Christianæ doctrinæ prædicationem significabatur. Aut, si magis arridet, per Verbum hoc loco Christum intellige. Itaque cum hujusmodi Verbo Spiritus sanctus, perinde ac lingua quædam, cognationem necessitudinemque habet. Tanta est enim Spiritus sancti cum Christo conjunctio, ut Christi quoque Spiritus dicatur : *Si quis* enim, inquit, *Spiritum non habet, hic non est ejus* [15]. Cur autem in igneis linguis? Fortasse quia Spiritus purgandi vim et facultatem habet, velut ignis ille, de quo Christus aiebat : *Ignem veni mittere in terram* [16]. Hic autem absumendæ materiæ, vitiosæque actionis et habitudinis facultatem habet, quem etiam quamprimum accendi cupit, hoc est, evangelicam prædicationem, quæ ignis instar credentium peccata purgat atque abolet. Fortasse etiam propter essentiam. Scriptum enim habetur in Deuteronomio : *Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator* [17.18]. Ignis igitur nomine Dei essentiam intelligitur, non quod ignis sit, verum allegorica ratione, quia vi sua consumit atque abolet, ac mira vehementia agit. Deus enim, ut justis lux est, ita peccatoribus ignis. Eodem igitur modo Spiritus quoque ignis dicitur, utpote Deus, ad exprimendam, ni fallor, ejus cum Patre et Filio substantiæ æqualitatem, disrumpatur licet hæreticus, atque in angustum prematur, quia Spiritum sanctum Patri et Filio consubstantialem esse concludimus aperteque probamus. Nam cum Deus ignis sit, ignis autem Spiritus quoque sit, profecto cum ejusdem sit substantiæ cum Deo, Deum quoque ipsum esse perspicue constat. Cur autem linguæ dividebantur? Quia diversæ et multiplices sunt Spiritus gratiæ. Atque alii quidem datur spiritus sapientiæ, alii autem spiritus scientiæ, alii autem prophetiæ, alii genera linguarum, alii aliud quoddam gratiæ genus [19]. Quanquam enim Spiritus ipse simplex est et partibus carens, atque indivisibilis : ipsius tamen gratiæ dividuntur, ac pro cujusque merito et dignitate distribuuntur. Quam autem ob causam sedentes linguæ super apostolos visæ sunt? Quoniam regius thronus ipsi facti sunt regis et Dei, hoc est, Spiritus sancti, ac requievit super eos Paracletus. Sic enim loquitur David : *Qui sedes super Cherubim, manifestare* [20]. Et rursus : *Ascendit super Cherubim, et volavit* [21]. Et Ezechiel hujusmodi quamdam visionem habuit, nempe Cherubim, et similitudinem thronorum, et supra eum similitudinem quasi formæ hominis. Ac præterea his verbis utitur : *Egressa est gloria Domini ab aprico domus, et ascendit super Cherubim* [22]. Quod si cui curiosior, quam par sit, non videor, ut qui omnibus locis allegoriam captem, hoc quoque excutiam. Quam ob causam, cum apostoli in cœnaculo essent, Spiritus ad eos accessit. Fortasse ut perspicuum fiat, eos qui spiritualia dona accepturi sunt, supra res terrenas attolli debere : quandoquidem etiam divinis aquis cœnacula quædam teguntur. Ait enim David : *Qui tegis aquis cœnacula ejus* [23]. Quo loco per cœnacula, homines sublimi et excelsa mente præditi significari possint : per aquas autem eos tegentes, angelicæ potestates. Per quas aquas Deus quoque laudibus celebratur : *Laudate* enim *eum*, inquit, *cœli cœlorum, et aquæ quæ super cœlos sunt* [24]. Atque ipse etiam Christus in cœnaculo *mysticam* cœnam discipulis impertit, cum jam divinioribus ac perfectioribus imbuerentur atque instituerentur. Et, ut uno verbo dicam, per illum discipulorum in cœnaculum ascensum hoc docemur, necesse esse, partim ut Deus descendat, nimirum per benignitatem fastigiique sui submissionem; partim ut ipsi ascendamus, per terrenarum rerum contemptionem, permista nimirum divina amplitudine cum vilitate nostra : quemadmodum in Mose quoque antea usuvenit. Nam et ipse in montem Sina ascendit : et Deus descendit : atque ita consortium initum est, ac Decalogum accepit. Alioqui si Deus in fastigio suo maneat, ac nos in humilitate nostra, Dei bonitas nullo modo nobis misceri ac communicari poterit. Neque dives ille a Lazaro, et ab expetendo Abrahæ sinu, tanto hiatu interjecto dirimebatur, ut procreata nostra natura, et proinde corruptibilis, ab increata natura ac propterea incorruptibili, dirempta dissitaque videbitur.

Col. 446 C. *Hic a prophetis quidem prædicatus est*, etc. Hic Spiritus sanctus a prophetis prædicatus est, ut cum Isaias in Christi persona ait : *Spiritus Domini super me* [25]; et rursus de eodem loquens : *Requiescent super eum septem spiritus* [26], hoc est, gratiæ et vires et actiones, quas septem oculos Zacharias nominavit [27]. Dictum est insuper de Judæis : *Descendit*

[14] Act. II, 1 seqq. [15] Rom. VIII, 9. [16] Luc. XII, 49. [17.18] Deut. IV, 24; Exod. XXXIV, 14. [19] I Cor. XII, 4, 7. [20] Psal. LXXIX, 2. [21] Psal. XVII 11. [22] Ezech. X, 18. [23] Psal. CIII, 3. [24] Psal. CXLVIII, 4. [25] Isa. LXI, 1; Luc IV, 18. [26] Isa. XI, 2. [27] Zachar. III, 9.

Digitized by Google

Spiritus Domini, et deduxit eos [26]. Ac rursus in Exodi libro scriptum est : *Implevit Spiritus divinus Beseleel sapientia et industria et scientia* [29]. Erat autem Beseleel, tabernaculi Mosi in monte ostensi architectus. Isaias rursus, Judæos accusans, ait : *Ipsi contumaces fuerunt, ac Spiritum sanctum ipsius ad iram provocaverunt. Et conversus est ipsis in inimicitiam* [30]. Porro historia Eliæ libro tertio Regum prodita est, ubi disertis verbis habetur : *Spiritus eum extulit* [31]; ex quo id datur intelligi, quod divinus Spiritus hominum opinione majora in eo patrabat. Eodem libro Elisæi quoque postulatio continetur. Dixit enim, inquit, Elisæus ad Eliam : *Fiat Spiritus, qui in te est, duplex in me* [32]. Quæ autem sequuntur, e Psalmis petita sunt. Ait enim David : *Spiritus tuus bonus deducet me in viam rectam* [33]. Et alio loco : *Et spiritu principali confirma me* [34].

Ibid. *Promissus autem est, prius quidem a Joele*, etc. Sic a prophetis Spiritus prædicatus est, promissus quidem antea a Joele [35] (per ipsum enim Deus pollicitus est fore, ut seipsum effunderet super omnem carnem. At Theologus dictionem hanc exponens, non simpliciter intelligendam censet hanc effusionem super omnem carnem, verum in credentem. Nam qui pia fide ad Christum accedunt, Spiritum percipiunt, non autem increduli). Posterius autem a Christo promissus est : *Rogabo enim*, inquit, *Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum* [36]. Glorificatur porro Christus a Spiritu eumque vicissim glorificat. Ac glorificatur quidem, juxta id quod ait Christus : *Ille me clarificabit* [37]. Vicissim autem Spiritum glorificat, cum eum prædicat, atque hoc de eo profert testimonium : *Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus ; at blasphemia in Spiritum sanctum non remittetur* [38]. Quemadmodum et Patrem Christus glorificat his verbis : *Ego te glorificavi in terra* [39] : ac rursus ab ipso Patre glorificatur dicente : *Et clarificavi te, et iterum clarificabo* [40]. Ac vide, quam opulenta, quam profusa, et copiosa sit Salvatoris pollicitatio. Promisit enim fore, ut Spiritus sanctus in æternum cum ipsis maneret : *Ut maneat*, inquit, *vobiscum in æternum*. Permanebit autem, sive in præsenti vita cum iis qui ad tempus digni invenientur, sive in futuro ævo cum justis : si quidem in hac vita integrum ipsum servaverint, ac non hactenus perdiderint, quatenus in vitium lapsi fuerint. Quamvis enim Spiritus sanctus iis, utpote indignis, nequaquam admistus sit, tamen in hoc sæculo baptismi aqua perfusis quodammodo adesse videtur, salutem ipsorum per resipiscentiam exspectans. At in futuro ævo ab omni anima, quæ ipsius gratiam profanaverit, abscindetur. Illa enim sectio, de qua in Evangelio fit mentio, nihil aliud significat, quam omnimodam a Spiritu aversionem et separationem. Atque ideireo in inferno nemo est qui Deo confiteatur laudemque contexat. Neque enim præsens illis Spiritus auxilium affulget.

Col. 447 A. *Hic Spiritus et cum Filio*, etc. Spiritus sanctus in principio rerum creationem cum Filio fabricatus est, quemadmodum ait David : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum* [41]. Quocirca hoc loco, nec per verbum aeris impressio significatur, quæ per vocalia organa effertur, nec per spiritum oris vapor, qui ab iis partibus, quibus respiramus, extruditur : verum hoc Verbum vivum est et subsistens, illud nimirum, quod in principio erat apud Deum, et Deus erat. Atque itidem spiritus oris Dei, Spiritus veritatis est, qui a Patre procedit. Tria itaque animadverte, Patrem imperantem, Filium fabricantem, Spiritum sanctum firmantem et fulcientem. Nihil porro aliud est firmatio, quam perfectio ea, quæ sanctificatione comparatur, ac firmitas et constantia in bono. Sanctificatio vero sine Spiritu nulla est. Neque enim natura cœlestes illæ et beatæ mentes sanctæ sunt : verum essentia ipsarum aereus fortasse spiritus est, aut ignis materiæ expers : sanctificatio autem, quæ ab essentia externa est, perfectionem ipsis per Spiritus sancti communicationem inducit. Ignem autem materia carentem dicit, quasi æthereum, qui ad differentiam nostri ignis immaterialis dicitur. Hic enim inferior, absque materia, nec manere potest, nec subsistere. Vivum ergo Verbum illud est, in quo cœli creati sunt ; vita autem, Spiritus ille est, a quo cœlestes virtutes absolutæ ac perfectæ sunt. Neque enim Verbi pronuntiatione creat Deus ; nec spiritus aerei profusione cœli ornantur : verum Spiritus viva potentia, et divina natura, simul cum vivo Verbo creaturas effecit, quemadmodum ex Davide dicimus. Quin etiam Job quodam loco sic loquitur : *Spiritus divinus, qui fecit me* [42], atque ita procreationem sui Spiritui sancto adscribit. Nec eo contentus, suæ quoque sapientiæ gratiam eidem assignat, ac magistrum eum agnoscit dicens : *Flatus autem omnipotentis qui docet me* [43]. Quod huic evangelico dicto respondet : *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* [44]. Ad hæc Spiritus sanctus communem omnium nostrum resurrectionem simul cum Christo molitur et efficit, quemadmodum confirmat David his verbis : *Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ* [45]. Etenim Spiritus sanctus, res creatas ad immortalitatem renovat. Per emissionem autem Spiritus, David ejus ad agendum demissionem intelligit, non e loco ad locum migrationem : *Spiritus enim Domini replevit orbem terrarum* [46]. Quin etiam Spiritus sanctus spiritualem per baptismum regenerationem efficit. Hujus rei minime mendax ille te-

[26] Isa. xxxi, 4. [29] Exod. xxxi, 2. [30] Isa. lxiii, 10. [31] IV Reg. ii, 16. [32] ibid, 9. [33] Psal. cxlii, 10. [34] Psal. l, 14. [35] Joel ii, 26. [36] Joan. xiv, 16. [37] Joan. xvi, 14. [38] Matth. xii, 31. [39] Joan. xvii, 4. [40] Joan. xii. [41] Psal. xxxii, 6. [42] Job xxxiii, 4. [43] ibid. [44] Matth. x, 20. [45] Psal. ciii, 30. [46] Sap. i, 7.

Digitized by Google

stis est, qui minaci hoc sermone usus est : *nisi quis superne natus fuerit, non potest videre regnum Dei* [47]. Neque enim quisquam cœleste regnum accepturus est, nisi a priori et carnali procreatione, quæ noctu atque in tenebris initium accipit, purificatus fuerit. (Noctu enim ut plurimum Venereus congressus et seminis ejectio contingit.) Et quidem ab hac sordida et obscena atque caliginosa creatione lucidæ diurnæque illius generationis opera lustratus fuerit, cujus mentionem facit David de justis loquens : *Die formabuntur* [48], id est, in lumine sancti Spiritus. Porro diurna fictio et creatio, non modo regenerationem eam, quam baptismus affert, significat, sed etiam purgationem illam, quæ virtutibus comparatur. Atque utramque harum creationum sibi ipsi quisque fingit, hoc est, suopte proposito animique voluntate. Nam et baptismi regeneratio libera, ejus,qui baptizatur, voluntate, ac citra vim peragitur (et propterea patres, aut alioqui affines et necessarii, infantium loco interrogantur) et morum instructio itidem voluntaria est. Fortasse etiam quod ait, *per sese*, non solum hoc significat, utramque rem a libera voluntate proficisci : sed etiam quod neutra harum congressu ullo et corporum conjunctione indigeat, quemadmodum in corporali procreatione contingit.

Ibid. *Hic Spiritus, utpote sapientissimus*, etc. Ait quodam loco Salomon : *Hominum amans Spiritus, sapientia* [49]. Hoc igitur per paraphrasin explicans Theologus, Spiritum sanctum non modo sapientissimum, sed etiam ad beneficia danda promptissimum esse dicit. Atque ut ipsius sapientiam et benignitatem prædicet, ostendit quo modo pastorem et caprarium, et adolescentem, et piscatores, et publicanos, et persecutores, atque, ut uno verbo dicam, eos qui propter vilitatem, aut etiam morum improbitatem, indigni videri poterant, gratiis suis ornaverit. Cæterum Spiritui sancto hujusmodi privilegia privatim attribuit, quia Spiritus dona sunt. Ac Davidem quidem pastorem vocavit, quoniam Deus ex ovium gregibus et armentis eum accepit, Judæorumque regno præfecit : citharœdum autem, ut cithara psallentem, pravumque spiritum et dæmonem, qui Saulem præfocabat, incantantem, quemadmodum primo libro Regum proditum habetur. Amos autem caprarius erat, ut ipse quoque de se testatur : *Non eram*, inquit, *propheta ego, nec filius prophetæ, sed caprarius eram moros vellens, et suscepit me Dominus* [50]. ξυζειν autem (quod *capere* vertimus idem est quod mororum folia abscindere ad caprarum alimoniam. Sunt etiam qui putent hoc verbum idem esse, quod *perpurgare* et *curare* hujusmodi arbores, cibum gregibus suppeditantes. Cyrillus autem exponit *abscindere moros*, id est, fructum mori, et comedere. Quæ autem de presbyteris commemorat in Danielis libro scripta sunt : (35) atque adolescentem, et animo, et corpore elegantem Theologus Danielem nominat, qui ante adultam ætatem (nam tum duodecimum ætatis annum agebat) judex presbyterorum sedit. Bis autem in lacum leonum injectus est Daniel, prius quidem sub Dario, quoniam cœnaculi fenestris e regione Jerusalem apertis, orationes ad Deum fundens inventus fuerat : cum edicto publico promulgatum esset, quisquis intra tricesimum diem, vel ab homine, vel a Deo, præterquam a rege, quisquam postulasset, eum in lacum leonum injectum iri. Posterius sub Cyro, cum Belis statuam everti, et draconem, qui summa religione a Babyloniis colebatur, interemit : quo etiam tempore Habacuc, capitis ejus vertice ab angelo arrepto, sublimis per aerem a Judea in Babylonem prandium Danieli portavit, statimque Judææ restitutus est. Hactenus de Daniele. Nunc ad textum redeamus : Spiritus sanctus, inquit, si piscatores invenerit, Domino ipsos expiscatur, ut rursus ipsi sermonis retibus, id est, evangelica prædicatione, quæ retis instar ex Veteri ac Novo Testamento contexta est, mundum universum piscentur. Jam vero Jacobum et Joannem Christus Banerges nominavit, id est, filios tonitrui [51]. Porro nequaquam a seipso Dei sapientiam norat Joannes, sed eam virtute *Spiritus* est assecutus, qui ipsius pectus *ingressus theologum* eum reddidit. Verba enim ita grandia prolocutus est, ut ad ea nulla sapientia aspirare queat. Hic Spiritus sanctus etiamsi publicanum acceperit [52] modo fide præditum, qualis erat Matthæus, evangelistam creat, nec jam pecuniarum, sed animarum negotiatorem efficit. Si persecutorem invenerit resipiscentem gentium apostolum reddit, fidei præconem, vas electionis [53] ac denique Paulum pro Saulo, hoc est, pro eo quod Ecclesiam agitare et commovere solebat, requiem ipsi tranquillitatemque procurantem, tamque ad pietatem acrem et ferventem, quam ad vitium inveneral, atque acceperat. Zelum enim, quo ad persecutionem ferebatur, ad pietatem transtulit. Hic et lenitatis est Spiritus (ait enim Paulus de eo, qui præoccupatus est in aliquo delicto : *Vos, qui spirituales estis, instruite hujusmodi hominem in Spiritu lenitatis* [54]. Et rursus : *Quid vultis ? in virga veniam ad vos, an in charitate et Spiritu lenitatis* [55], et tamen in eos, qui peccant, incitatur : *Ipsi* enim, inquit, Isaias, *contumaces fuerunt, et Spiritum sanctum ipsius ad iracundiam provocarunt* [56]. Non quod revera Spiritus ira commoveatur (nec enim in Deum affectus cadunt) sed quia Scripturæ familiare est, humano more in divina natura res hujusmodi informare

[47] Joan. III, 3. [48] Psal. CXXXVIII, 16. [49] Sap. I, 6. [50] Amos VI, 15. [51] Marc. III, 17. [52] Matth. IX, 9. [53] Act. IX, 15. [54] Galat. VI, 1. [55] Cor. IV, 21. [56] Isa. LXIII, 10.

(35) Hoc loco Nicetas Susannæ historiam fusissime prosequitur, quam nos, ut omnibus notissimam, transiliendam duximus.

Digitized by Google

atque figurare. Confiteamur ergo Spiritus sancti dignitatem, id est, quod ejusdem sit cum Patre et Filio substantiæ, quodque sit Deus, ne implacabiliter irascentem eum videre velimus. Nam qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, huic noxa non remittetur. Hic me quoque fortem et intrepidum concionatorem reddit. Atque utroque nomine Deo sit gratia, sive quid ab hæreticorum insidiis patiar, sive nullis injuriis afficiar. Nam si nihil passus fuero, gratias Deo ago, quod Deus iis, qui me invisum habent, pepercerit, nec eos sanguine commaculari permiserit : sin autem passus fuero, sic quoque gratias ago, quod hoc mihi institutionis et doctrinæ præmium datur, ut per sanguinis perfusionem vita defungar.

Col. 450 A. *At vero linguis externis, ac non vernaculis, apostoli loquebantur*, etc. In Actis apostolorum scriptum est : *Cœperunt loqui aliis linguis*[87], id est, auditorum, ac non patriis. Neque enim audientium linguæ, eorum qui loquebantur, patriæ erant. Ac miraculum ea res habebat, quod apostoli sermonem, quem minime didicerant, loquebantur, et, ut Apostolus ait : *Linguæ in signum erant non fidelibus, sed infidelibus*[88], ut signum hoc ipsis in accusationem cederet, quoniam, ne hoc quidem signo viso, fidem amplexi sunt, sicut scriptum est : *Quoniam in aliis linguis loquar*[89], etc. Ubi autem hic locus habetur Chrysostomus quidem verba hæc Isaiæ tribuit ; cæterum apud Isaiam non reperiuntur. Itaque vel malitiose submota sunt, vel per oblivionem transmissa.

Ibid. *Audiebant autem. Verum hic paulum consiste*, etc. Hoc quoque ex Actorum libro sumptum est : *Audiebat sua quisque lingua eos loquentes*[90]. At Theologus addubitat, quo pacto ambiguitas hoc loco occurrens distinguenda et solvenda sit, quæ interpunctione dividitur, id est, discernitur, atque dissolvitur. Propositis itaque, per interrogationem, duabus solutionibus, secundæ calculum suum addit: Utrum enim, inquit, una quidem eademque lingua loquebantur apostoli, verum audientibus multæ fiebant, tum propter aeris strepitum, tum quod quilibet auditorum linguam suam secerneret? An vero punctum statuemus in verbo, *audiebant*, hæc autem, *loquentes eos*, cum his quæ sequuntur, connectemus, ut sit hic sensus, quod gentes apostolos audiebant loquentes linguis auditorum, hoc est, externis, quæ tum ad eos qui loquebantur? Cui etiam sententiæ magis accedo, quandoquidem priori modo, hoc est, si una lingua apostoli locuti essent, atque unusquisque auditorum dialectum suam ab aliis separasset, audientium fuisset hoc miraculum ; contra si in verbo, *audiebant*, punctum apposueris, ac deinde hæc verba subjunxeris : *Loquentes eos propriis audientium linguis*, miraculum apostolorum erit. Quod etiam ex eo perspicue constat, quod temulentiæ quoque accusantur, utpote ipsi Spiritus afflatu audientium linguis loquentes. Unusquisque enim linguam suam audiens, ac videns apostolos non modo ad se, sed etiam ad alios, qui externæ linguæ erant, verba facientes, animi vertiginem ipsis ac furorem objiciebat, quoniam ab iis qui externæ regionis erant, apostolorum orationem minime audiri existimabant.

Ibid. C. *Quanquam autem laudabilis*, etc. Eam quoque linguarum divisionem laudat Gregorius, quæ in Babylonicæ turris exstructione facta est, cum una lingua in multas dissecta est, atque impia concordia et consensio dissoluta negotium stulte susceptum simul dissolvit. Hunc enim scopum sibi proponebant turris ædificatores, ut si quando nova aquarum illuvie terra obruerctur, hanc turrim ascenderent, iramque divinam contemnerent. Quorum vesaniam nunc quoque imitari quidam non verentur, adversus Spiritum sanctum scelerate concordes, turrimque impietatis exstruentes. Cæterum Theologus vehementius laudat atque admiratur divisionis hujusce miraculum. Ab uno enim Spiritu in multos apostolos diffusa, in unam rursus pietatis harmoniam contrahitur, ac restituitur. Quamvis enim diversis linguis loquerentur, omnibus tamen linguis eadem loquebantur, nimirum ea, quæ ad Christum, et ad prædicationem evangelicam spectabant, non secus ac cithara diversis fidibus pulsibusque concordem sonum emittit Enimvero illa gratiarum diversitas, quæ ad dijudicationem alia gratia opus habet, prophetia est, ac donum linguarum. Nam et prophetia eo dono et gratia opus habet, qua spiritus discernuntur, et linguarum donum interpretationis dono indiget. Porro prophetiæ, et linguarum dona, iis antecellunt donis quorum ope ad dijudicationem et explicationem indigent, hoc est, discretione spiritum et interpretatione : horum enim causæ ac radices sunt. Quod quidem perspectum habens Theologus, ait: Ad discernendum quænam Spiritus sancti gratia sit præstantior. Nam quod apostoli peregrinis linguis loquuntur, diversitas est gratiæ, alia gratia opus habens, nimirum discretionis dono, ad discernendum quodnam sit melius ac præstantius donum, id est, utrum hoc linguarum donum cæteris, quibus divino beneficio ornati fuerant, præferendum sit, an aliud quoddam ex reliquis : quandoquidem in tam diversis donorum generibus nullum est, quod non laudem mereatur. Quin etiam præclara illa est divisio, pro qua David Deum obsecrat, his verbis : *Divide linguas eorum, qui præcipitationis verba dilexerunt*[91], aperte sane Macedonianorum linguas accusans, quæ Spiritus divinitatem scindunt, ipsumque, a Patre et Filio dividunt. Præcipitii autem verba, voces illæ sunt, quæ Spiritui sancto divinitatem abrogant, utpote, quæ eos, a quibus proferuntur, demergunt, atque in exitii voraginem transmittunt ac dejiciunt. Dividatur igitur, inquit, hæ-

[87] Act. II, 4. [88] I Cor. XIV, 22. [89] ibid. 21. [90] Act. II, 6. [91] Psal. LIV, 10.

Digitized by Google

reticorum loquacitas, linguæque pruritus, atque adversus Spiritum sanctum conspiratio. Nam hujusmodi quoque divisio, bis, qui in malum consentiunt, utilis est.

(36) Per gratiarum diversitatem, linguarum donum intelligit : quod quidem alio dono indiget, nimirum interpretationis atque interpretis. Quid enim quæso, ille, qui discendi studio sese ad prophetas confert, adjumenti percipiet, si Arabs eos Attice loquentes audiat ; vel Atticæ linguæ peritus Phœnicum lingua disserentes? Et quoniam cæteri, qui spiritualibus gratiis ornabantur, sive opitulatores animarum, sive gubernatores, sive interpretes, minus ob gratiarum donum efferebantur, ii autem qui variis linguis loquebantur, velut in lingua Spiritus afflatum habentes, eo nomine gloriabantur, ac donum suum arrogantius jactabant, seque iis qui aliud quoddam Spiritus donum acceperant, superiores esse existimabant, idcirco Apostolus eos compescit ac contrahit, utpote minus utilitatis Ecclesiæ afferentes. Quod etiam magnus noster Gregorius significans : Mihi, inquit, utinam potius contingat quinque verba prudenter in ecclesia loqui, quam decem millia in lingua et voce tubæ incerta atque obscura. Quo loco per quinque verba, eos qui in ecclesia docent, atque interpretantur, intelligit : per decem autem millia et obscura, eos qui omnibus quidem linguis loquuntur, cæterum militem divinum ad spirituale bellum nequaquam excitant.

